00079549

00079549

Digitized with financial assistance from

H T Parekh FOUNDATION

An Initiative by HDFC WITH YOU, RIGHT THROUGH

on 27 November, 2018

VARIORVM INTERPRETVM

NOTAE

AD

C. VELLEII PATERCULI

HISTOR. ROM. LIBROS II.

C. VELLEII PATERCULI

QUAE SUPERSUNT

EX

HISTORIAE ROMANAE

VOLUMINIBUS DUOBUS,

CUM INTEGRIS

ANIMADVERSIONIBUS DOCTORUM,

CURANTE

DAVIDE RUHNKENIO.

TOMUS II.

2965

79549

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud SAMUEL. ET JOANN. LUCHTMANS,

Academiae Typographos.

MDCCLXXIX.

God
937
Ruh/Vel

79549

VARIORVM INTERPRETVM NOTAE AD

C. VELLEII PATERCULI

HISTOR. ROM. LIB. I. CAP. I.

C. *Velleji Paterculi*] Explicator veteris Hiſtoriae luculentus, & preſſus, & efficax in primis fuit hic, quocumque vel praenomine vel nomine appellatur: non dubio tamen cognomine *Paterculus*. Nam Priſcianus Lib. VI. *M. Vellejum* nominat. Tacitus autem Lib. III. 39. P. *Vellaei* mentionem facit. Ipſe ſe *C. Vellejum* appellat. Ut neſcias, *Marcus*, an *Publius*, an *Cajus* ei praenomen fuerit. Quod ad nomen attinet, Velleja gens nusquam, quod ſciam, nominatur. Tacitus *Vellaeum* agnoſcit: itemque antiquus lapis, cujus verba ſubſcribam, (apud Gruterum CCCCLXXXIV. I).

Canuſii.

C. VELLAEVS. C. LIB. URSIO. AVG. SIBI
ET. TVTORINAE. FILIAE. TREBEL-
LIAE. FELICVLAE. VXSORI. TREBEL-
LIAE. ARESCVSAE
ET. TREBELLIA. FELICVLA. SIBI. ET. LI-
BERTIS. LIBERTABVSQVE. MEIS. C. IN
CVLTV. MONVMENTVM. CVM
P. XV. ET. ITER

Beatus Rhenanus hunc eſſe putat, quem Tacitus *P. Vellaeum* vocat. De quo mihi non conſtat. Nec rationes afferuntur ab eo, cur perſuadeat. Priſcianus quidem hunc ipſum deſignat: affert enim teſtimonium ex libro primo ejus hiſtoriae, quae ſcilicet pars deſideratur. Id hujusmodi eſt: *Nec minus clarus ea tempeſtate fuit Miltiadis filius, Cimon.* MANUTIUS. *Publii* huic ſcriptori, cum Rhenano, Lipſio, & ſcripto Burerii Codice aſſero

 prae-

praenomen. Non turbat Priſcianus, qui in vulgatis *Marcum* agnoſcit, nam in antiquiſſimo meo Priſciani fragmento, quod lectiſſimo & literato juveni Jacobo Thiſio Antverpiano probavi, ſine praenomine laudatur: *Trogus Pompejus* (ait) *in Libro* VI. *inde Palaeoſcepſin petit, quo ſe* (lege *quo ſe e Media*) Media *interfecta ſocru contulerat, is ab Herculide petito colloquio mane. Vellejus Paterculus; primus, nec minus clarus ea tempeſtate fuit Miltiadis filius Cimon*. SCHEGKIUS. Jam inde a principio, lector, aliena me veſtigia ſequi vides. Id ego neque diffiteor, neque facere, hanc viam ingreſſus, aliter poſſum. Quae enim aliorum mihi diligens induſtria reliquit; ea ſublegere hic ſaltem licet: praeter haec, tentare nihil etiam libet. Segetes nullius incidam, nullius invadam horrea: ſolum in communi agello, ubi meſſem ante nos alii fecere divitem, paupertinum ingrediar facere ſpicilegium. Atque hic quidem, in nomine aſtruendo auctoris, ampliter a doctiſſimis viris jam olim, & vero nupere quoque praeſtitum, qui, uti nos ſecuti ſumus, *P. Vellejum*, ex Taciti auctoritate, aliiſque rationibus praeiverunt: quibus a me nova, quae adjiciam, argumenta nulla reperio. *Sed* horum veſtigiis nos quidem audaciori pede & firmiori inſtitimus, quam ipſi ea primi impreſſerunt. *Publii* praenomen, altero *Caji* abjecto prorſus, omnibus praefixi paginis, quod ii praeſcripſerant primae tantum, in libri frontiſpicio. Nec in eo temeritatis reprehenſionem ab eruditis metuo, eruditiſſimorum & certam auctoritatem, & minime dubium, etſi verecundius, liberiuſcule ſecutus exemplum. ACIDALIUS. De praenomine hujus ſcriptoris quoniam nihil habemus, quod pro certo poſſimus affirmare, conjectura nobis utendum: *Cajum* nonnulli, *Publium* alii nominant, & utrumque in Velleja Gente uſitatum; ut C. *Vellejus Senator* inducitur a Cicerone in libro de natura Deorum, quem fuiſſe hujus avum licet ſuſpicari ex illis verbis lib. II. 76. *Non fraudabo avum meum. Quippe C. Vellejus honoratiſſimo inter illos* CCCLX. *judices loco a Cn. Pompejo lectus*. Ubi *honoratiſſimus* locus eſt ſenatorius, ex quo ordine, item Equeſtri & Tribunis Aerariis Pompejus judices legit. C. *Velleji* praefecti exercitus mentionem facit Tacitus lib. III. Annal. de quo ambigitur, ſit hic hiſtoricus, an pater ejus. Ego hunc ipſum

ipſum eſſe arbitror. Nam pater ſub Auguſto fuit praefectus Equitum, quo in officio filius ei ſucceſſit ſtatim ab adoptione Tiberii, cujus poſtea praefectus per novem annos aut legatus ea geſſit, quae Tacitus memorat. Popma. *P.* praenomen in plerisque noviſſimis editionibus Vellejo praefigi, video. Nec ſine cauſa, ſi id Ms. codicis auctoritate ſit ſubnixum: ut ex Burrerio adſerit Schegkius. Caeterum cum nihil hujusmodi in illius variantibus lectionibus inveniam; argumentum illud non admodum validum eſſe arbitror. Firmare id tamen nituntur auctoritate Taciti, qui lib. VI. Annalium cujusdam *P. Velleji* meminit. Sed forſan ille auctoris noſtri pater fuerit; qui ſub M. Vinicio praefecturam equitum in Germania geſſerat, cuique, Tiberio jam Rhodo reverſo, noſter in hoc munere ſucceſſit: forſan etiam frater, cujus in hoc ipſo opere, ſub nomine *Magii Celeris Vellejani*, mentio fit. Confugiendum hinc alicui videatur ad praenomen C. Id quidem certo ei fuiſſe affirmare auſim, ſi ita ſe ipſum appellet, ut ajebat Aldus. Et fateor, meminit hic auctor C. *Velleji*: verum illum avum fuiſſe, praedicat. Queis moveor, ut *M.* praenomen potiſſimum amplectar. Fuerit illud noſtro commune cum M. Vellejo, cujus meminit Tullius Philippica. Subnixa autem eſt noſtra opinio verbis his Priſciani in VI., ut quidem vulgo concipiuntur: *M. Vellejus Paterculus: Primus, nec minus clarus ea tempeſtate fuit Miltiadis filius Cimon.* Quod vero notarit Schegkius, in ſcripto ſuo Priſciani fragmento, praenomen fuiſſe omiſſum: id eo minus movet, quod ferme conſentiat cum impreſſis codicibus, ſine dubio vitioſis, hac tamen parte melioribus, quod id agnoſcant. Atque id comprobant membranae noſtrae optimae notae, quae locum vulgo mancum ita exhibent: *M. Vellejus pater cujus liberi nec minus clarus, &c.* Unde facile mihi fuit veram lectionem eruere: *M. Vellejus Paterculus libro* I. *Nec minus clarus, &c.* Quin idem etiam firmant duo MSS. bibliothecae Leidenſis, quos poſtea inſpexi; quorum uterque ſimiliter habet, *M. Vellius Pater cujus.* Imo in altero etiam clare *lib.* I. perſcriptum. Ut de hoc non ſit amplius dubitandum. Vossius. Adde quod in duobus MSS. noſtris ſit, *M. Vellius Pater cujus libri nec minus clarus.* Et in tertio, *M. Melius Pater cujus libri;* cum virgu-

la per *libri* tranſverſa in omnibus. HUDSON.

Velleji] Aldus dicit Vellejam familiam nuſquam, quod ipſe ſciat, nominari. Neſcivit igitur M. Tullium in libris de Natura Deorum inducere M. Vellejum ſenatorem, quem in exercitatione dicendi rudem fuiſſe dicit. idem lib. III. de Orat. ſcribit. Ignoravit etiam legem Juniam Vellejam Juriſconſultis notiſſimam. PUTEANUS. Negant aliqui Vellejam gentem ab antiquis nominari. Cicero tamen libris de Nat. Deor. C. *Vellejum* Epicureum introducit. Idem etiam, ut jam diximus, *M.* cujusdam *Velleji* mentionem injicit. Alius ſub Claudio cum M. Syllano conſulatum geſſiſſe dicitur, unde S. C. Vellejanum. *Velleji Blaeſi* meminit Plinius Epiſt. l. II. epiſt. ultima. Apud Priſcianum etiam lib. XI. *Velleji Celeris* epiſtola ad Hadrianum Caeſarem laudatur: qui forte fuit ex poſteris *Magii Celeris Vellejani*, fratris auctoris noſtri. Alios ex eadem gente monſtrabit index inſcriptionum Gruterianarum. Poſſem addere Senecae locum ex Praefatione lib. IV. Nat. Quaeſt. *Plancus artifex ante Vellejum maximus ajebat, non occulte, nec ex diſſimulato eſſe blandiendum.* Ita enim edunt ex conjectura Mureti, cum ante legeretur *Villeium.* Sed ego vix dubito, quin *Vitellium* ſit ſcribendum. Quod improbare non poteſt, qui exquiſitiſſimas hujus erga C. Caeſarem adulationes apud Dionem lib. LIX. legerit. Conjecturam noſtram firmari poſt haec vidi a Juſto Lipſio, cui idem notis ad Tacitum in mentem venit. VOSS. De Velleji praenomine, & an ille ſit *P. Vellejus* Tacit. III. Annal. 39. memoratus; vide Ryk. ad illum locum. [An ille vel alius *Ser. Paterculus* apud Valer. Max. VIII. 15. 12. cujus filia Sulpicia?] *Cn. Vellejum Quartum* legimus in lapide apud Gruter. DCCLX. & quem repetit Fabret. p. 384. C. *Vellejum Urbanum* Spon. Miſcel. p. 84. quem & exhibet Fabret. p. 460. & Reineſ. Cl. VI. 9. qui ſub Antonino Aug. vixit. ex quibus melius ratio ſcribendi nominis, quam ex lapide a Manutio adducto, apparet: alios dabunt indices inſcriptionum. *Paterculi* cognomen jam geſſit vir bello Punico primo illuſtris, *Q. Sulpitius.* ut ex Faſtis Capitolinis conſtat apud Gruter. p. CCXCI. & CCXCVI. qui triumphavit de Poenis & Sardis. vid. Sigon. Comm. in Faſt. ad A. CDXCV. ad quem refert Glandorpius ſtrategema, quod narrat Frontin. lib. II. cap.

IV. §. 5. ſed ibi *Sulpitium Peticum* legendum cenſet Ruben. II. Elect. 29. *Albinum* quoque *Paterculum*, primum Tribunum, (*L. Albinum* Livio lib. II. 33. dictum) ex Aſconio ad Ciceron. pro Cornel. memorat Glandorpius, ſed ibi *L. Junius Paterculus* dicitur, & corruptum eſſe cognomen cenſet Pighius Annal. A. U. C. CCLX. Cognomen hoc etiam aliis datum ex lapidibus diſcimus. Sic *L. Mettius Paterculus* memoratur Reineſ. XIII. 3. & ut plurima Romanorum cognomina ex dicteriis & jocis originem habent, ita primum forte ita dictum crediderim, quod vel exigua ſtatura, vel aetate prima, jam pater factus, vix patris nomen ferre mereri videretur, ſed per jocum *Paterculus* dici ſoleret. BURM.

M. Vinicium] De quo Tacitus libro VI. 15. ait: *Vinicio oppidanum genus: Callibus ortus, patre, atque avo conſularibus, cetera equeſtri familia erat, mitis ingenio & comtae facundiae.* Pater ejus Publius, avus Marcus, ille DCCLV. hic DCCXXXV. anno urbis conſul. Quibusdam cum lapide Colotiano placet, VINUCIUS: a vulgo Dio, *Numi*, in quis:

P. VINICIVS. M. F. III. VIR.
A. A. A. F. F. F. & L. VINICIVS. L. F. III. VIR.

Et lapis Neapoli: Grut. CCCCL. XXXVIII. 6.

M. VINICIO P. F. POST MORTEM
MVNICIPIS SVI AERE CONLATO
PIETATIS CAVSA POSVERVNT.

SCHEGK. Legunt alii *Vinucium*, auctoritate lapidis Colotiani. Sed vulgatam lectionem non ſolum omnes ſcriptores, ſed etiam numismata vetera confirmant. Disputant viri eruditi, utrum Vinicii hujus cognomentum fuerit *Quartinus*. Sane Pomponius de origine juris C. Caſſium Longinum, & Quartinum, ſimul conſulatum geſſiſſe ſcribit. Ubi errat, quod L. Caſſium Longinum, Tiberii progenerum, cum C. Caſſio JC. confundat. Quod obſervatum etiam Lipſio ad VI. Annalium Taciti. Et ſane vel praenomina, quae diverſa ſunt, id doceant. Quapropter neque iis accedendum, qui C. Caſſium, & Quartinum, ſuffectos fuiſſe conſules volunt. Et ne de his dubitem, facit, quod Pomponio ſolenne eſſe noverim in veteri hiſtoria labi. Caeterum *Quartinum Vinicium* cognominari, firmat quodammodo nummus Goltzianus,

zianus, cui inſcriptum, M. QUARTINUS II. VIR, &c. Optime enim hoc ad Vinicium referri poſſe, liquet, non ſolum ex praenomine, quod idem eſt; ſed & ex inſcriptione Neapolitana, unde illum duumvirum fuiſſe, conſtat. Sane duumviros in municipiis fuiſſe, manifeſte, ut alios mittam, docet Caeſar lib. I. de bello Civili; ubi ait, *ſe duumviris municipiorum omnium imperaſſe, ut naves conquirerent.* VOSSIUS. *Vinicium* ſcribendum docet lapis apud Gruter. CVIII. ubi *M. Vinicius* Coſ. cum collega *C. Caſſio Longino* memoratur. Quartini vero cognomen ex Pomponio l. 2. §. 47. de origine juris, temere arripuiſſe annalium Rom. confectores docet Rupertus, ubi Voſſii notam ad hunc locum refellit: ſecutus Ruperti veſtigia Noriſius in Epiſtola conſulari tom. XI. Antiq. Rom. p. 404. Caeterum gens Vinicia temporibus Auguſti & Tiberii ſatis nota, ut ex nummis, & aliis monumentis patet. V. Ryck. ad Tacit. VI. 15. *L. Vinicium clarum & decorum juvenem* dicit Sueton. Aug. cap. LXIV. BURM.

Liber primus] Principio, ut conjicimus, de excidio Trojae egit, aut de diſperſione Graecorum in reditu ex Troja. CELLARIUS.

Tempeſtate diſtractus a duce ſuo Neſtore] Loquitur de Pyliorum exercitu, quod monet Rhenanus, vel fortaſſe de quodam, qui Neſtoris auſpiciis Pyliorum claſſi vel parti ipſius imperabat. Sane Strabo lib. VI. ſcribit Metapontum a Pyliis, qui a Troja cum Neſtore navigarunt, conditam fuiſſe. Eſt autem Italiae oppidum in Tarentino ſinu ſitum. Juſtinus libro XX. tradit, Metapontinos ferramenta, quibus Epeus, a quo conditi ſunt, equum Trojanum fabricavit, oſtentare. Atque hujus forſitan nomen hoc loco deſideratur. PUTEANUS. Quid Graeci Troja redeuntes paſſi ſint, aut fecerint, narratio fuit: quae oppida condiderint, aut ubi fixerint ſedes. De quo tamen proprie hoc initium? Credo de Epio, quo trahit me Juſtinus lib. XX. 4. *Metapontini in templo Minervae ferramenta, quibus Epius, a quo conditi ſunt, equum Trojanum fabricavit, oſtentant.* Et facit Ariſtoteles in Admirandis: Ἐγγὺς Μεταποντίου Ἀθηνᾶς ἱερὸν εἶναι φασὶν, ἔνθα τὰ τοῦ Ἐπείου λέγουσιν ὄργανα ἀνακεῖσθαι, [forte οἷς τὸν] ἃ εἰς τὸν Δούρειον ἐποίησεν. Strabo ſimpliciter tamen dixit, *Pylios Metapontum condiſſe*:

diſſe: Stephanus aliique *Metabum* nominarunt, de quo ipſo quin haec capere poſſis, non nego. Lipsius. Hic fuit *Metabus* praefectus in exercitu Pyliorum, qui urbem Metabum condidit in ſinu Tarentino, inter promontoria Salentinum & Lacinium. Servius ad Virg. xi. ver. 540. *Metabus fuit dux Graeci agminis, qui juxta Adriaticum mare urbem Metapontum condidit*. Popma. De Metabo loquitur Vellejus. Quod fuſe contra Lipſii, aliorumque mentem docet magnus Salmaſius, in Exercitationibus Plinianis. Vossius. Loqui Vellejum de Metabo ſive Metaponto, nec Lipſius, qui primo de Epeo conjecerat, negavit. Hic enim Metaponti urbis conditor *Stephano* & *Servio* memoratur. τὸν γὰρ Μετάποντον οἱ βάρβαροι Μέταβον ἔλεγον. Quae verba Stephani, articulo poſtulante, ita interpretantur, ut *Metabus à barbaris dictus* intelligatur, *qui vero nomine eſſet Metapontus*. Quapropter etiam a Cl. Salmaſio in Plin. Exercit. p. 65. refutatur ea aſſertio: cum aliunde conſtet, *verum nomen Metabi in Metaponti appellationem a barbaris demutatum eſſe*. Fuerit itaque fortaſſe apud Steph. translocatio vel nominum vel articuli librariis tribuenda. De quo tamen nihil pronuntio. Strabo lib. vi. ad Pylios, qui cum Neſtore ab Ilio navigarunt, univerſim Metaponti originem refert: ut & Solin. Polyhiſtor. cap. 2. Boecler. *Metabum* olim dictam innuit Stephanus Byzantius, a Pyliis conditam, Strabo contendit, ab Epeo Juſtinus, Trogum haud dubie ſecutus. Heins. De origine Metabi in diverſas ſententias abeunt viri erudi- ti. Metabum conditorem facit Voſſius, ductus forſan auctoritate Strabonis, Stephani, Dionyſii Periegetae, Servii, aliorum. Epeum ex Juſtino lib. xx. 2. facit Lipſius, firmatque verbis Ariſtotelis. Quam opinionem eo veriorem eſſe crederem, ſi ab excidio Trojae, & ab adventu Aeneae in Italiam (ut nonnulli exiſtimant) exorſus eſſet Vellejus. Cum Metabus Siſyphi filius, & Aeoli nepos fuerit antiquior excidio Trojano. Vide Salmaſ. Exercit. Plinian. p. 48. Hudson. Neſcio an ego caecutiam, an viri docti, qui ſcribunt Salmaſium capere haec verba de Metabo, cum diſerte ſcribat de Epeo eſſe capienda, non Metabo. Burm.

Teucer] Horatius ad Plancum lib. I. vs. 7.

— *Teu-*

— Teucer Salamina, patremque
Cum fugeret, tamen uda Lyaeo
Tempora populea fertur vinxiſſe corona,
Sic triſteis affatus amicos:
Quo nos cumque feret melior fortuna parente,
Ibimus o ſocii comiteſque.
Nil deſperandum Teucro duce & auſpice Teucro.
Certus enim promiſit Apollo
Ambiguam tellure nova Salamina futuram.

Hiſtoriam poſt alios habes apud Virgilium libro. I. verſ. 619. & Juſtinum XLIV. cap. 3. a quo & *JUPITER* Salaminius, cum templum poſuit Teucer. Tacitus III. Annal. SCHEGK. Varias auctorum ſuper hac re opiniones quaſi faſciculo colligat Servius ad Virgilii lib. I. Aeneidos: *Teucer* (inquit) *cum, Troja everſa, ſine fratre eſſet reverſus; qui ſe furore, propter perdita Achillis arma, interemerat; vel, ut alii, quia non defenderat Ajacis fratris interitum; vel quia oſſa fratris non retuliſſet; ut nonnulli, quod Tecmeſſam concubinam, vel ejus fratris filium Euryſacen, ad avum Telamona de Troja ſecum non reduxerit, quia ille alia navi vectus felicius navigaverat; Salamine pulſus a patre Cydoniam venit.* Ita integrum locum emendandum cenſeo. Male legitur *Theomiſſam*, pro *Tecmeſſam*. Pro *Tureſacen* etiam repoſuimus *Euryſacen*, & pro *Sydonam*, *Cydoniam*. Ablegavimus quoque *acena*, quod poſt *Tyriſacen* Ms. Fuldenſis inculcabat. Quis enim non videat, imperite illud ex praecedenti voce repetitum? Auctores vero quorſum allegem, cum hiſtoria haec paſſim apud veteres Poëtas, praeſertim Tragicos, ſit obvia? VOSSIUS. Quae hic facta memorat Vellejus, conjicit Teucer apud Sophocl. in Ajace, cum Telamonis iram adverſus venientem ſine fratre, ſibi figurat. Inter alia veluti *παράφρασιν* Vellejanorum verborum habent illa:

—— ποῖον οὐκ ἐρεῖ κακόν;
Τὸν ἐκ δορὸς γεγῶτα πολεμίου νόθον,
Τὸν δειλίᾳ προδόντα καὶ κακανδρίᾳ
Σὲ, φίλτατ᾽ Αἴας, ἢ δόλοισιν, ὡς τὰ σὰ
Κράτη θανόντος, καὶ δόμους νέμοιμι σούς.
Τοιαῦτ᾽ ἀνὴρ δύσοργος ἐν γήρᾳ βαρὺς,
Ἐρεῖ, πρὸς οὐδὲν εἰς ἔριν θυμούμενος,
Τέλος δ᾽ ἀπωστὸς γῆς ἀποῤῥιφθήσομαι, &c.

vi-

vide de hiſtoria amplius, praeſertim Servium ad I. Virg. Aen. Juſtin. XLIII. 3. Dict. Cretenſ. lib. VI. Interpretes Horatii ad od. 7. lib. I. BOECLER.

Telamone] De quo Ennius apud Ciceronem Tuſculanarum III.

Hiccine eſt Telamon ille, modo quem gloria ad coelum
extulit?
Quem ſpectabant? cujus ob os Graji ora obvertebant ſua?

Uſus hoc de ſe Cicero, Ep. ad Paetum. SCHEGK.

Segnitiam] Alii *ſegnitiem*, quod pro eodem a veteribus uſurpatum. Terentius, Virgilius. Ciceroni etiam *ſegnitas* II. de Oratore apud Nonium; *Segnitas*. SCHEGK.

Non vindicatae fratris injuriae] Fuiſſe patri ſuam cauſſam ita caſtigandi filium, prolixius oſtendimus ad Taciti lib. XIII. cap. I. ubi Junio Silano exitium intentat Agrippina, *quod fratri ejus L. Silano necem molita, ultorem metuebat*. GRUTER.

Fratris injuriae] Ajacis. Idem autem de Teucro ſcribunt Strabo lib. XIV. & Juſtinus libro XLIV. 3. PUTEAN.

Cognomine patriae ſuae Salamina conſtituit.] Scribo *cognominem*. LIPS. Scribe: *cognominem*. Et ita jam e conjectura ab aliis editum. VOSS. Ita Eraſmus & ejus ſequaces ediderunt.

Salaminae.] Apud Graecos Latinosque paſſim haec hiſtoria. Illud nota non indignum, tempore Iſocratis, Teucri genus adhuc fuiſſe in Cypro regno. In Euagora: Τεῦκρος δὲ, ἐπειδὴ Τροίαν συνεξεῖλεν, ἀφικόμενος εἰς Κύπρον, Σαλαμῖνά τε κατῴκησεν, ὁμώνυμον ποιήσας τῆς πρότερον αὐτῷ πατρίδος οὔσης, καὶ τὸ γένος τὸ νῦν βασιλεῦον κατέλιπε. *Teucer vero, poſtquam una cum aliis Trojam cepiſſet, veniens Cyprum, Salamina ibi condidit, cognominem veteri ſuae patriae, & genus, quod nunc ibi regni potitur, reliquit.* LIPS. vid. Meurſ. Cypro II. 16.

Pyrrhus Epir. occ.] Juſtin. XVII. 3. Plutarch. *Pyrrho* pr. BOECL.

Phidippus.] Enumerat, ex Graecis ducibus, ad bellum Trojanum profectis, quam quisque urbem, everſo Ilio, condiderit. horum in numero neque ab Homero, neque a Darete Phrygio, Philippus nominatur. Itaque facile crediderim, *Phidippus*, eſſe reponendum, de quo ſic Homerus ἐν τῷ τῶν νεῶν καταλόγῳ, Iliad. B. 678.

Τῶν

Τῶν δ' αὖ Φείδιππός τε καὶ Ἄντιφος ἡγησάσθην,
Θεσσαλοῦ υἷε δύω Ἡρακλείδαο ἄνακτος. MANUT.

Imo *Phidippus*, ex Homero: quod Aldus obſervavit. Corruptum idem nomen video in Diodori quinto Bibliotheces, & Strabonis extremo nono, cujus (Strabonis dico) locum totum ſic lego: Τοὺς δὲ ἀπὸ Ἐφύρας τὴν Θεσπρωτίδος, ἀπογόνους Ἀντίφου καὶ Φειδίππου υἱῶν Θετταλοῦ τοῦ Ἡρακλέους, ἐπελθόντας, ἀπὸ Θετταλοῦ τοῦ ἑαυτῶν προγόνου τὴν χώραν ὀνομάσαι. Quae corrupta aut mutila usque adhuc lecta. LIPS. Quidni in textum reciperemus *Phidippum* pro *Philippo?* cui nullum hic locum eſſe, doctis primum animadverſum eſt. BOECLER. *Phidippum* Theſſali patrem, & Heraclidem fuiſſe docet Scholiaſtes Apollon. Rhodii III. 1089. & *Theſſalum* Herculis filium noſter mox cap. 3. dicit, ut & Dictys Cret. lib. I. cap. 14. & II. cap. 5. qui fratrem Phidippi *Antiphum* vocat. an hic ſit *Phidippus*, quem inter Helenae procos recenſet Hyginus fab. LXXXI. neſcio. Sed veroſimile puto. BURM.

Ephyram in Theſprotia.] Differentiae cauſſa addit *in Theſprotia*, cum plura hoc nomine loca legantur. de quibus Stephan. in Ἔφυρα, quae & Ἐφύρη. Adde infra I, 2, 3. BOECLER.

Rejectus] Dubito an non ſcripſerit *ejectus*, quod proprium in hac re verbum. Vid. (Gron. ad Liv. XLIV. 19.) ad Petron. CXV. & Ovid. VII. Ep. 89. nam *rejici* dicuntur naves, ſi vento contrario in eumdem locum, unde profectae ſunt, referuntur: Caeſ. V. de Bel. Gal. 5. *naves, quae Meldis factae erant, tempeſtate rejectas curſum tenere non potuiſſe, atque eodem, unde profectae erant, relatas.* (Lucan. IX. 368.) De *referri*, vidimus ad Quinct. decl. VI. 5. ſi *rejectus* tamen placeat, explicabimus a curſu, quem in Graeciam dirigebat, vento adverſo in Cretam rejectus, ut aliquoties Cicero, *vento rejici*, dixit. BURM.

Tres ibi urbes ſtatuit.] Leviſſimum eſt, primum, quod noto: Virgilium ſic locutum: *Urbem quam ſtatuo, veſtra eſt.* Iterum eundem: *Urbem praeclaram ſtatui.* Et alias ſaepius. E quo nolim omen tibi captes, futura eadem, quae deinceps, omnia. Ut quidque legenti ordine incidit, ita huc conjiciam, ſive grave illud, ſive levius: moneri non indignum tamen. ACIDALIUS. Secutus

cutus Virgilium I. Aeneid. 573. ut notavit Acidalius, *Urbem, quam ſtatuo, veſtra eſt*, & lib. VI. 655. *Urbem praeclaram ſtatui.* Ubi Servius notat, hoc opponi illis, *pendent opera imperfecta.* & Poëtis hunc uſum verbi *ſtatuere* eſſe familiarem notant Lexicographi. Sed non ob metri neceſſitatem, ut Walchius addit: ſunt enim alia verba, quae huic neceſſitati aeque ſatisfacerent, ſed ob vim vocabuli, ut Servius notat. BURM.

. Tres ibi urbes ſtatuit, a patriae nomine unam, a victoriae memoria Mycenas; Tegeam, Pergamum.] Aliquid deeſſe conſtat, nam Mycenae ab Agamemnonis patria; Pergamum ab urbe Troja nomen accepit: de Tegea nihil additum eſſe miror. Ut omittam, quod Tegeam non ab Agamemnone, ſed ab ejus praecone Talthybio, in Creta exſtructam, Stephanus docet in libro de Urbibus. MANUT. *Duas* Rhenan. Boxhorn. & Steph. Tegea enim a Talthybio praecone (praeco is erat, qui Romanis legatus) auſpiciis Agamemnonis condita. SCHEGK. In primogenia Rhenani editione (ea purissima, & ſaepe nobis dux ad meliora) vocula addita legas: *ſtatuit, duas a patriae nomine.* Vulgata ſane manca eſt. Sed quid haec igitur ſibi vult? Duplicem patriam fuiſſe Agamemnoni? de Mycenis fateor, & clarum eſt: de Tegea, quae in Arcadia, quid ea ad Agamemnonem, nondum legi. Nam *Pergamum*, ſive, ut Plutarchus in Lycurgo appellat (Περγαμίαν) certum eſt a victo Pergamo dictam. LIPSIUS. Revocavi voculam *duas*, quod eam exhiberent membranae, in hunc diem unicae, quas contulit Burerius, & repraeſentavit Rhenanus, Aldusque nepos primus ejecerat. At ne ſic quidem bene procedebat nexus verborum. GRUTER. Haec lectio ſine dubio vera eſt. VOSS. *Mycenae* ab Agamemnonis patria; *Pergamum* a Troja: ſed quid *Tegea?* quam Talthybius praeco Agamemnonis dicitur condidiſſe, ut teſtatur Stephanus de urbibus. Ita quaerenti Aldo reſpondet Schegkius, auſpiciis Agamemnonis conditam a Talthybio. Itaque non immerito Agamemnonem fecerit auctorem Noſter. BOECLER. Pergamum, quae & *Pergamea*, ab Aenea conditam canit Virgilius III. Aeneid. 133. ubi alias de urbis hujus conditoribus ſententias profert Servius. De *Tegea* vero quod ſcrupulum movent viri docti, is facile eximitur, ſi vel nomen patriae latius capiamus, non de urbe, in

qua

qua natus, ſed de regione etiam vicina, ut fecit recte Rupertus: vel potius credamus Agamemnona, Tegeam amaſſe, ut patriam. quippe ejus mater Aërope. Cratei filia dicitur a Tzetze ad Lycoph. 149. qui Crateus, Tegeatae filius, ex Arcadia erat in Cretam profectus, Pauſan. VIII. 53. qui idem eſt, qui *Cretheus*, vel *Creteus*, pro variis dialectis ab aliis dicitur. Nam ideo ad Cretei hereditatem cernendam Menelaus in Cretam abiiſſe dicitur, & vices fratris Agamemnonis egiſſe. v. Dict. Cret. lib. I. initio: & Meurſ. Cret. lib. III. cap. 4. licet Cretenſes Cratea filium Minois facerent: & hinc facile patientibus Cretenſibus, potuit Agamemnon urbes in inſula illa condere. Immo hac forte de cauſſa Tegeatae oſſa Oreſtis, Agamemnonis filii, condita apud ſe habuere. Pauſan. III. 3. & II. BURM.

Scelere patruelis.] *Aeſchylus* & *Seneca* in Agamemnone ſuo. *Pauſan.* in Corinth. *Liban.* declam. 5. BOECLER.

Hereditarium odium] Plane contra bonos mores, ſecundum quos *amicitiae immortales*; *inimicitiae mortales* eſſe debebant, ut pluribus diſſero ad proverbium illud Livio poſitum lib. XL. c. 46. At de odiis haereditariis diximus ad orationem Coſſutiani apud Tacit. lib. XVI. 28. affirmantis *Paconium Agrippinum paterni in principes odii heredem.* Nimir. cum hodie obtineat, ut nemo fere emendationi aut interpretationi cujuscumque etiam libelli manum admoveat, quin ibidem ſtatim quoque dicta atque exempla, publice quidem privatimve ſalutaria, ſed a ſe ſatis ſplendida, ſatis robuſta, variis aliorum ſcriptorum ſententiis confirmet illuſtretve: idem & mihi, ſpero, licebit, circa duo alioquin literarum ſui ſeculi lumina Livium ac Tacitum; idque tanto juſtius, quod omnia ipſorum, minima, maxima, a capite ad calcem examinaturi ſimus: non paucula quaedam, non protrita, non eximia. Dabuntur autem illa feorſim ſeparata a textu ſuo. Ceterum qui de iis lector ſibi polliceri poſſit, docebitur ex ſpecimine hujus rei, quod jam pridem publicavimus titulo *diſcurſuum*. GRUTER. Vid. Quinct. decl. IX. 14.

Regni potitur.] Homerus de hoc ipſo, Odyſſ. III.

Ἑπτάετες δ' ἤνασσε πολυχρύσοιο Μυκήνης. LIPS.

Hunc

Hunc Oreſtes.] *Aeſchylus* in Choëphoris; *Sophocles* & *Euripides* in Electra videndi. Boeclér.

Matremque cum ſocia conſiliorum.] Vocula *cum* abeſt a lib. vet. legendum itaque cenſebat Lipſius *conſcia*. Raphel. *Socia* malui, quam ut jam integrum fere ſeculum lectum fuit vulgo, *cum ſocia*, quod ipſam ſententiam facit ambiguam. Utique cui fabula iſta incognita. Dubitet enim quis, occideritne cum matre una & ſororem ſuam Oreſtes, an vero ſororem habuerit adjutricem caedis maternae: certe non comparere praepoſitionem illam in membranis, docemur ex variantibus lectionibus Burerii: cur autem lectio primigenia tolerari nequeat, non video. Multo minus cur debeat mutari in *conſcia conſiliorum*, ut adlubeſcebat viro harum literarum primario. Gruter. Fidenter inducendum τὸ *cum*. ſic enim fuit in MS. Codice Murbacenſi, e quo omnia Velleji exemplaria expreſſa ſunt. Minime itaque audiendus Lipſius, qui reponebat *conſcia*. Vossius. Noſter II, 35, 3. *Societas conſilii*. Cicero I. Parad. 3. *ejusdem conſilii ſocios*. Warburton. in Biblioth. Brit. T. VII. p. 259. legit *conſorte conſiliorum*. Burm. *in marg.*

Electra virilis animi femina.] Idem huic elogium adſcribit Clytemneſtra apud Senecam in Agamemnone, 457.

El. *Pietatem doces.*
Clyt. *Animos viriles corde tumefacto geris.*

Pro *pietatem doces*, quidem εἰρωνικῶς ibi legunt; *Eia tandem doces*. Ego reſcripſerim, *quid tandem doces?* Eſt ejusdem tragoediae verſ. 978. gravior menda, quam una opera expungam. Clytemneſtra, ab Electra variis probris laceſſita, ad maritum Aegiſthum indignabunda, ſic inquit:

Conſors pericli pariter ac regni mei
Aegiſthe gaudes?

Ita quidem vulgo. Manu exarati libri, quos vidit Gruterus, habent, *Aegiſthe gradere*; quidam *gades*: unde ipſe legendum opinabatur, *Aegiſthe adesdum*. Quis dubitet nobiſcum reſcribere *Aegiſthe laudes?* nempe matrem a filia verbis tam contumelioſis laceſſiri, quod ipſum ſtatim ſubjungit: ſed inquit aliquis, haec parum ad Vellejum faciunt. Fateor. At quid vetat, quo minus Velle-

jo & Senecae lucem, quantam quidem ego poſſum, eadem opera offundam? BOXHORNIUS. Adferunt hic alii verba Clytemneſtrae ex Senecae Agamemnone. Ubi nil plane mutandum, contra quam putant. Senſus eſt: Tunc me pietatem vis docere, cum adulterio, parricidioque te pietatis expertem eſſe oſtenderis. Eadem illi opera ſibi caſtigandum duxerunt alium Senecae ex eadem ſcena locum. Clytemneſtra multis probris a filia excepta, indignabunda in haec verba erumpens ad Aegiſthum convertitur:

Conſors pericli pariter ac regni mei
Aegiſthe gaudes? gnata genitricem impiis
Probris laceſſit.

Non adferam aliorum conjecturas, hyberna glacie frigidiores. Lego: *Aegiſthe an audis?* Sane quin ſic optimum ſenſum eruerim, nemo ſanus dubitabit. VOSSIUS. In Codd. Bodlejanis tribus, *eja tandem doces.* Similiter in duobus, *Aegiſthe gaudes?* Gloſſa interlineari appoſita, *quod filia ſic me maledicit:* & in tertio, *Aegiſte congaudes.* HUDSON. Vide Gronovii notas ad illa loca Senecae.

Factum ejus.] Haud usquequaque procedere hanc argumentationem, providimus largiter ad illa Taciti lib. XIV. Ann. cap. 12. *Quae adeo ſine cura Deum eveniebant, ut multos poſt annos Nero imperium & ſcelera continuaverit.* GRUTER. *Rectumne fuerit ab Oreſte matrem occidi, cum illa Oreſtis patrem occidiſſet*; inter uſitatas priſcorum Rhetorum exercitationes disquiſitum eſt. Meminit Auctor lib. ad Herenn. I. 16. & Cic. I. de Invent. 14. ubi colorem Oreſtis firmamenti loco uſurpandum, hunc adfert: *ejusmodi animum matris ſuae fuiſſe in patrem ſuum, in ſeipſum ac ſorores, in regnum, in famam generis & familiae, ut ab ea poenas liberi ſui potiſſimum petere debuerint.* Libanius declamat. 5. tota Oreſtis apologiam conſcripſit. Vellejus omiſſis aliis argumentis, ab eventu & ſubſecuta felicitate judicat. Ita Lucanus de Caeſaris victoria & Pompeji interitu: *Victrix cauſſa diis placuit, ſed victa Catoni.* quod ante eum Cicero pro Ligario c. 6. dixerat: *cauſſa ab initio dubia; quod erat aliquid in utraque parte quod probari poſſet: nunc melior certe ea judicanda eſt, quam etiam dii adjuverunt.* Licet hic videri poſ-

ſit τῇ ὑποθέσει δουλεύειν. Longe autem verior eſt in hoc Juſtini, quam Velleji, ſententia lib. XVI. I. 4. *in parricidio, nulla ſatis juſta cauſſa ad ſceleris patrocinia praetexi poteſt.* Neque ſcelus ſcelere ulciſcendum eſt, quidquid diſcernant hic potentum domos a privatis familiis, quibus mos eſt, adulandi cauſſa juſti injuſtique diſcrimina confundere & ſubvertere. Quid quod Poëtae, furias Oreſtis non ob aliud confinxere, quam ut immiſſam divinitus parricidae poenam eo phantasmate ſignarent, atque ſic docerent, nunquam impune talia perpetrari? Cic. Orat. pro Sex. Roſc. 24. Boecler. Vide huc facientia apud Rupertum.

Regnavit LXX.] Valde diſſentit Euſebianum Chronicon: *Mycenis poſt mortem Aegiſthi Oreſtes regnavit annis* XV. Credo fuiſſe LXV. Lips. Valde ab hac ſupputatione abit Euſebius in Chronico: in quo eſt: *Oreſtes regnavit annis* XV. Sed Lipſius reponere tentabat LXV. Quae (pace ſummi viri dixerim) non emendatio eſt, ſed depravatio. Nam cum hoc Euſebius refert ad numerum DCCCXLI. regnum vero Tiſameni filii ejus ordiatur numero DCCCLVI. clarum eſt ex ipſius ſupputatione, XV. tantum annos Oreſti tribuendos. Vossius. *Valde diſſentit* (inquit Lipſius) *Euſebianum Chronicon: Mycenis poſt mortem Aegiſthi Oreſtes regnavit annis* XV. *credo fuiſſe* LXV. Quae poſtrema viri diligentiſſimi verba non ad Euſebium refero (nil enim cauſſae apparet, cur ita opinaretur) ſed ad Vellejum. in cujus codicibus, ſi forte fuerit LXV. (pro LXX. ſc. quod nunc habetur) exiſtimari poteſt, quinquagenarii notam a librario potius, quam ab auctore additam. Non dubito, tale quid in animo habuiſſe Lipſium: cui brevitas ſua fraudi eſſe interim non debet. Boecler.

Qui ſe etiam a Pyrrho Achillis filio virtute vindicavit.] Videtur excidiſſe vocabulum diſſyllabum *pari*: *Qui ſe etiam a Pyrrho Achillis filio pari virtute vindicavit.* Eadem virtute & caedem paternam & ſe vindicavit, interfectis Aegiſtho, matre, & Pyrrho. Cognatio litterarum in *pari* & *a Pyrrho* haſce turbas videri poteſt conciviſſe. Sic *ſtudium par* infra cap. XVII. Tacitus An. II. c. LX. *Herculem apud ſe ortum & antiquiſſimum perhibent, eosque, qui poſtea pari virtute fuerint, in cognomentum ejus adſcitos.* Pari modo & apud Columellam peccatur li-

libro VIII. cap. 16. *Mox iſtam curam ſequens aetas abolevit, & lautitiae locupletum maria ipſa Neptunumque clauſerunt: jam tum avorum memoria, cum circumferretur Marcii Philippi velut urbaniſſimum, quod erat luxurioſiſſimum factum atque dictum. Nam is forte Caſini cum apud hoſpitem coenaret, appoſitumque e vicino flumine lupum deguſtaſſet, atque expuiſſet, improbum factum dicto proſecutus pari, Peream, inquit, niſi piſcem putavi.* Ita in optimis membranis exhibetur locus, niſi quod *pari* de noſtro addidimus. Malim praeterea, *luxurioſiſſimum factum aeque ac dictum.* Simile mendum e noſtro ſuſtuli lib. II. c. XXXIX. *At Tiberius, quam certam Hiſpanis parendi confeſſionem extorſerat parens, parem Illyriis Delmatisque extorſit.* ubi τὸ *parens* exciderat pari librariorum culpa. Praeterea in hoc Velleji loco doctiſſimus Th. Munkerus malebat *ſeque etiam a Pyrrho* &c. HEINS. v. Wopkens Lect. Tull. II. 13. *Quin* vel *qui* pro *hic.* Vid. Miſc. Obſ. Vol. VIII. p. 21. BURM. *in marg.*

Pactae ejus] Uſitatior loquendi modus, *pactae ei.* MANUT. Boxhorn. *pactae ejus.* fortean *pactae jus*, ut alludat ad morem Romanorum, quibus *ſperatae*, *pactae*, *ſponſae*. Arnob. lib. IV. *Habent ſperatas, habent pactas, habent interpoſitis ſtipulationibus ſponſas.* Et bene *pactae*: *Sponſae* enim Romanis propria: nihil tamen muto. Saepiſſime in his talibus peccatum a librariis. SCHEGK. Non movenda lectio eſt, quam, fruſtra ſolliciti ſunt, qui ſollicitant. De *Speratis*, *Dictis*, *Pactis*, *Sponſis*, nihil addo. res jam trita: & cui non jam pridem hic clamatus Hylas? ACIDAL. *Pactae ejus*, legendum. *Pactae* & *ſponſae* appellantur puellae, quae interpoſito pacto & ſponſu procis in matrimonium datae & promiſſae ſunt. Virg. Aeneid. X. *gremiis abducere pactas.* talis autem erat Hermiona, Oreſtis, ut ipſe in Pacuvii tragoedia Hermiona contendit contra Pyrrhum: *prius data eſt quam tibi dari dicta, aut quam reditum eſt Pergamo*, &c. Virgil. Aen. III. conjugem Oreſtis vocat, *Aſt illum ereptae magno inflammatus amore Conjugis, & ſcelerum furiis agitatus Oreſtes Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.* in quem locum plura Servius. POPMA. Euripides in Andromache, Juſtin. XVII. 3. 7. & quos ibi annotavit ac conciliavit felicis memoriae Vir, Matthias Berneggerus. BOECLER. Tale ac, *Sponſae ejus.* Vide Nonium.

Al-

Aldus, *pactae ei.* Sed nihil mutandum eſſe; monuerat etiam Acidalius. Vossius. Vitioſa atque interpolata oratio. Non enim Accium aut Pacuvium hic loquentem audimus; ſed politiſſimum melioris aevi ſcriptorem, quique caſcos illos loquendi modos, ſi quis alius, procul habeat. Ut demus tamen Latine dici *pactam alicujus*, quae alicui ſit pacta ac deſponſata, vix excuſari poterit *τὸ pacta ejus*, pro *pacta ſua*. De Oreſte ſermonem eſſe meminerimus oportet, cui pacta Hermione, non Pyrrho. Nam Pyrrhus Oreſti pactam abduxit. hinc ſimultates Pyrrhum inter ac Oreſten graviſſimae, quae demum in caedem Pyrrhi ab Oreſte perpetratam eruperunt. Non recte procedit igitur oratio *pactae ejus*, & *eum interfecit*: cum in una eademque verborum periodo *τὸ ejus* ad Oreſten, *τὸ eum* neceſſario ad Pyrrhum debeat referri. Quare perſuaſum habeo, ut credam Vellejana a manu eſſe, *nam quod pactae ſibi* &c. *nuptias occuparat, Delphis eum interfecit.* Livius lib. I. cap. 2. de Turno, *cui pacta Lavinia ante adventum Aeneae fuerat*: apud Juſtin. lib. II. 15. *Proditionis praemium cum Xerxe nuptias filiae ejus paciſcitur.* Sit ergo locus hic ex interpolatis unus, quales & non paucos infra exhiberi liquidis, puto, argumentis evincemus. Sed & mox a Vellejo eſſe opinor, *poſt Oreſtae interitum*, vel *Oreſti*, non *Oreſtis*: ita enim meliori aevo ſcriptores Romani uſurpabant ut plurimum: *Ulixes, Ulixi, Achilles, Achilli, Euripidi, Themiſtocli*, & mille talia. *Oreſtes, Oreſtae* Naſoni ſemper, de quibus copioſe & erudite, ut ſolet, vir ſummus Gerardus Johannes Voſſius operis Grammatici de Analogia libro II. cap. 9. Juſtinus ex vetuſtis codicibus lib. XVII. 3. in hac ipſa narratione; *Inſidiis Oreſtae.* Apud Ciceronem ad Attic. lib. V. 21. *maximum bellum impendit: nam Orodae Parthorum regis filius in provincia noſtra eſt.* Sic lege: non enim Orodes, ſed Orodae filius Pacorus bellum geſſit. Heins. V. Miſc. Obſ. Vol. IX. p. 345.

Delphis eum interfecit.] Ad patrias aras, ſive inter altaria Dei. Juſtinus lib. XVII. cap. 3. nota res ex Servio ad illud Poëtae lib. III. 247.

Et patrio Andromachen iterum ceſſiſſe marito. Scheck.

Lydus, & Tyrrhenus.] *Tyrrhenum*, ait Tacitus IV. Ann. 55. *Lydumque Atye rege genitos ob multitudinem di-*

viſiſſe gentem. Lydum patriis in terris reſediſſe. Tyrrheno datum novas ut conderet ſedes. Copioſe & ſuatim Dionyſius lib. 1. & Strabo lib. 5. SCHEGK. Vide Lipſii comment. in Tacitum, & Caſauboni in Strabonem. HUDSON.

Sterilitate frugum.] Hanc unam eſſe ex cauſſis, cur ſedes ſuas mutarent gentes, oſtendi exemplo non uno ad Tacit. lib. XIII. c. 55. ubi ait, *Chamavorum, quondam ea arva, mox Tubantum, & poſt Uſipiorum fuiſſe.* GRUTER.

Pervectus in Italiam.] *Is pervectus* malebat idem, de quo ſupra, Munkerus. Sic infra cap. 9. *Is Perſeum ingenti praelio devicit.* Lib. II. cap. 3. *Is fugiens.* Pari modo caſtigabat infra locum cap. 10. *Is mandataque expoſuit.* vel τὸ *eſt* poſt *miſſus* delendum cenſebat. HEINS.

Et loco & incolis.] Locum ſive regionem, *Tyrrhenum*; incolas, *Tyrrhenos*; mare, *Tyrrhenum* intelligit. Hiſtoriam habes apud Tacit. IV. A. 55. Strabon. lib. V. ubi *Atys rex fame & ſterilitate coactus, altero e duobus filiis Lydo ſorte detento, alterum Tyrrhenum cum majore populi parte amandaſſe*, memoratur, &c. Addenda quae Caſaubonus ex Feſto Servioque ad eum locum notavit. Plenius illam famem & demigrationem narravit Herodotus lib. 1. Diodorus lib. V. maris appellationem inde petit: *cum Tyrrheni plurimum claſſe pollerent, & imperium mari obtinerent, factum eſſe, ut ſubjectum Italiae mare, de ipſorum nomine*, Tyrrhenum *diceretur.* Alias opiniones ſuggerit Servius ad verſ. Aen. 1. *Gens inimica mihi* Tyrrhenum *navigat* aequor. Appiano Τυῤῥηνικοὶ Λυδῶν ἄποικοι in *Punic.* dicuntur. Juſtinus *Tuſcorum populos a Lydia veniſſe* ſcribit XX. 1. 7. Atque ita quidem communiter de Tyrrhenorum origine traditur. Dionyſio tamen *potius indigenae, quam advenae* videntur lib. 1. cujus argumenta (a *diverſitate linguae, religionum, legum, ſtudiorum* praecipue petita) *minime vana* exiſtimat Lipſius ad Senec. Conſol. Helv. 6. BOECLER.

Poſt Oreſtis interitum, filii ejus Penthelus & Tiſamenus.] Scribendum eſt, *Penthilus*; ſic enim habet Pauſanias, & Graeci ſcriptores. Pauſaniae verba ex Corinthiacis ſunt haec: Τὸν δὲ Ὀρέστου νόθον Πενθίλον Κιναίθων ἔγραψεν ἐν τοῖς ἔπεσιν Ἠριγόνην τὴν Αἰγίσθου τεκεῖν. URSINUS. Lux huic loco Strabo lib. XIII. quem vide: ſimul nota, noſtrum annos actoginta poſt Trojam captam, il-

lum ſexaginta duntaxat numerare. SCHEGK. Haec & quae ſequuntur illuſtrari poſſunt ex Pauſania in Corinth. lib. II. cap. 18. qui, quem *Penthelum* Vellejus, *Penthilum* nominat, & quem hic *Teminum*, ille *Timenum*, & Strabo *Temenum*. PUTEAN. Nota firmandae ſententiae noſtrae, (in praemiſſis ad lectorem) de capite & exordio ſcripti hujus Vellejani. Nam manifeſto computat a Troja capta. Sed in numero annorum Strabo differt; qui libro XIII. ſcribit *Penthilum in Thraciam veniſſe* ἑξήκοντα ἔτη τῶν Τρωϊκῶν ὕστερον, ὑπ' αὐτὴν τῶν Ἡρακλειδῶν εἰς Πελοπόννησον κάθοδον, *ſexaginta annis poſt Troïca tempora, ſub ipſum Heraclidarum reditum in Peloponneſum.* Itaque diſerte ille vult, a Troja capta ad hunc reditum annos eſſe inter tantum ſexaginta. A Vellejo tamen, cum alii Chronologi, tum vetus ille & induſtrius Chriſtianorum Tatianus ſtat. qui notat *Homerum vixiſſe* πρὸ τῆς Ἡρακλειδῶν καθόδου, μετὰ τὰ Τρωϊκὰ ἐνδοτέρω τῶν ὀγδοήκοντα ἐτῶν, *ante Herculidarum reditum, poſt Trojanas res paullo minus annis octoginta.* Idem numerus in Plutarchi, de Homero. An igitur non ſcriptum Strabonis corrigendum ſit, tu, amice noſter Caſaubone, qui ſerius illi medicus, vide. LIPS. Magnus Scaliger in animadverſionibus Euſebianis quatuor nobilia intervalla, inter cladem Ilii, & primam Olympiadem notat, quibus tanquam metis deſignant tempus illud veteres Chronologi, Herodotus, & alii. Primum eſt Ἡρακλειδῶν κάθοδος a Troj. capt. LXXX. an. (num. Euſeb. DCCCXV.) 2. οἰκισμὸς Λέσβου κατὰ πόλεις poſt clad. Ilii CXX. (n. Euſeb. DCCCCLV.) 3. Ἰωνικὴ ἀποικία, καὶ κτίσις Κύμης Φρικώτιδος, poſt Troj. CXL. (n. Euſeb. DCCCCLXXV.) 4. κτίσις Κύμης ὑπὸ Σμυρναίων CLVIII. poſt Troj. (n. Euſeb. DCCCCXCIII.) De primo hic agendum; id eſt de *reditu Heraclidarum.* prorſus celebris eſt hic character, primum quodammodo initium hiſtoriae verae. Sed in diverſa tempora conjicitur ab Hiſtoricis: forte, quia conatus irriti τῆς καθόδου, id nomen a nonnullis tulerunt? ſicut bene conjicit Scaliger in Euſeb. Nam Heraclidæ, mortuo Euryſtheo, a quo Peloponneſo pulſi fuerunt, cum primo reditum conantes, caede Hylli auſis excidiſſent; poſteaque rurſum fruſtra cum conatum reſumſiſſent, tertia demum vice, Tiſameno in Peloponneſo imperante, deſtinata perfecerunt. De primo conatu & in

interitu Hylli vid. Diodor. lib. IV. & Tegeatarum orationem apud Herodot. lib. IX. Pauſan. Arcad. In tempore ultimi & veri reditus deſignando, conſentiunt Vellejo non Tatianus modo & Plutarchus, de quibus Lipſius monuit, ſed Thucydides etiam ἐν τηλαυγεῖ προσώπῳ ſeveriſſimi operis. Accedit approbatio recentiorum. Scaliger in animadv. Euſeb. *Certum eſt*, inquit, *octoginta poſt Ilii excidium annis Heraclidas patriae reſtitutos imperium Peloponneſi obtinuiſſe.* Idem Calviſius, & Chronologorum accuratiſſimus quisque dicunt. Strabo lib. XIII. pag. 582. LX. tantum annos numerat. Quo loco tamen, ſi *ſexaginta annos* ad *Penthili in Thraciam progreſſum ſive expeditionem* referas, & quod ſequitur, ὑπ' αὐτὴν τὴν τῶν Ἡρακλειδῶν εἰς Πελοπόννησον κάθοδον, non praeciſe, ſed ἐν πλάτει ſumas, ſicut fieri apud Chronologos interdum videmus, facile conciliabitur cum Noſtro & veritate. Quod ſi hoc durius videbitur, non poſſumus Straboni, contra eos, quos praediximus, & Pauſaniam, qui Tiſameni imperio, non Penthili tribuit hunc reditum, auſcultare. Dicat hic aliquis: Pauſaniam in Meſſen. dicere τὴν κάθοδον Ἡρακλειδῶν γενομένην δύο γενεαῖς ὕστερον, *duabus poſt confectum bellum Troicum aetatibus accidiſſe reditum Heraclidarum.* Jam ſi γενεὰ, ſecundum Muretum Var. Lect. x. 8. & alios, *triginta annorum* ſtatuenda eſt, prodibunt non LXXX. ceterorum, ſed LX. Strabonis anni. Verum quemadmodum certiſſimum eſt eos erraſſe, qui ap. *Homerum* Neſtoris γενεὰς (de quibus Muretus) pro ſingulis ſaeculis, ſive centenariis accepere: ita prorſus periculoſum eſt vel *praeciſe*, vel *ubique* de 30. annis pronuntiare. Sane nec Latini *ſaeculum* & *aetatem* hoc ſignificatu, quo γενεὰ Graecorum plerumque accipienda venit, certo annorum numero ἀποτόμως definivere. Quinimo variare iſthaec talia pro captu ac conditione temporum videmus. Sic reſpectu μακροβιότητος primaevorum hominum productiores aetates numerat ſacer codex: quas in anguſtiore poſterorum aevo, uſus loquendi εὐλόγως contraxit. Itaque, ut ad rem revertamur, tam proclive nobis fuerit, de *quadraginta* & circiter annis, γενεὰν accipere, quam aliis de *triginta* exiſtimare libuit. Certe apud Matthaeum Euang. 24. 34. & Luc. 21. 32. γενεὰ 40. circiter annis metienda erit, ſi Eraſmi, Bezae, aliorumque

ex-

expoſitionem, ſimpliciſſimam ſcilicet, & ſcopo textus accommodatiſſimam (v. Harmon. Euangel. Gerhardi cap. 161.) ſequamur. adde Grotii J. B. II. IV. 7. annot. de ipſa diſputatione Chronologica τῆς καθόδου, vide D. Petav. Doctrin. Tempor. lib. IX. cap. 30. Boeclerus.

Penthilus] Penthilum Oreſtae ſucceſſiſſe Strabo in Geographicis auctor lib. XIII. de Tiſameno *Pauſanias in Corinth.* Ὀρέστου δὲ ἀποθανόντος, ἔσχε Τισαμενὸς τὴν ἀρχὴν Ἑρμιόνης τῆς Μενελάου καὶ Ὀρέστου παῖς. Quidam Tiſamenum primo loco, ſicut alii Penthilum ponunt; & in annotatione annorum maxima occurrit diſcrepantia. Vellejana quidem computatio, in ſe ſpectata ſatis congruit. nam ſi Aegiſtho VII. Oreſti LXX. Penthilo & Tiſameno III. annos tribuimus, efficietur octogenarium iſtud intervallum a Trojae excidio usque ad Heraclidarum reditum. Verum ſi hanc ſententiam cum aliis conferamus (puta cum Africano, Euſebio, &c.) deprehendemus, tam certum eſſe, Oreſtis liberos diutius quam triennio imperaſſe, (quippe cum Penthilo XXII. anni; nec pauciores Tiſameno aſſignentur) quam incertum, imo falſum eſt, Oreſten LXX. annis imperium tenuiſſe. Igitur illud Velleji *triennium*, valde mihi ſemper ſuſpectum fuit: exiſtimabamque aliquando, Auctorem ſcripſiſſe, *Mycenis*; aut locum plane corruptum mutilumve eſſe. At obſtabat huic opinationi congruentia totius intervalli, de qua antea dictum. niſi quod rurſum infirmabatur haec cogitatio, poſtquam de LXX. Oreſtis annis (an Vellejus ſc. ita ſcripſerit) merito dubitari coeptum eſt. conjiciant hic amplius, qui otio & ingenio abundant. Boecler. Reponendum ex Graecis *Penthilus*, quod omnes fere viderunt. Vossius.

Centeſimo & vigeſimo.] Joſeph. Scaliger ad num. DCCCXXV. Chron. Euſeb. notat: τὴν Ἡρακλέως ἀποθέωσιν (de qua vid. Diodor. IV.) Vellejus Paterculus ait contigiſſe annis CXX. ante Heraclidarum reditum, hoc eſt, XL. annis ante Ilii everſionem, numero DCCXCV. Quod falſum convincit numerus DCCCXV. quo agon Olympiacus ab Hercule eſt inſtauratus. Hactenus ille. Diligentiores ergo Chronologi XCV. circiter annis ante Heraclid. reditum, Herculis obitum ponunt. Boecler.

Pelopis progenies.] Hoc illud celebre tempus, quod cre-

bro in antiquis Chronicis quaſi nota & character tempo-rum ſignatur, *Reditus Heraclidarum*. Atque ab eo initium plerique faciunt hiſtoriae verae. Diodorus lib. IV. Ἔφορος ὁ Κυμαῖος, Ἰσοκράτους ὢν μαθητὴς, ὑποστησάμενος γράφειν τὰς κοινὰς πράξεις, τὰς μὲν παλαιὰς μυθολογίας ὑπερέβη, τὰ δὲ ἀπὸ τῆς Ἡρακλειδῶν καθόδου πραχθέντα συνταξάμενος, ταύτην ἀρχὴν ἐποιήσατο τῆς ἱστορίας· ὁμοίως δὲ τούτῳ Καλλισθένης καὶ Θεόπομπος, κατὰ τὴν αὐτὴν ἡλικίαν γεγονότες, ἀπέστησαν τῶν παλαιῶν μύθων. *Ephorus Cumanus, Iſocratis diſcipulus, cum res publice geſtas ſcribere inſtituiſſet, veteres quidem fabulationes omiſit; illa vero, quae ab Heraclidarum reditu facta, colligens, hoc initium fecit hiſtoriae ſuae. Calliſthenes & Theopompus, qui eodem aevo vixerunt, pariter, ut ipſe, abſtinuerunt a priſcis fabulis.* Varro paullo aliter tamen tempora in hunc finem diſcernit apud Cenſorinum, cap. XXI. *Varro*, inquit, *tria diſcrimina temporum eſſe tradit. Primum, ab hominum principio usque ad Cataclysmum priorem: quod propter ignorantiam vocatur Adelon. Secundum, a Cataclysmo priore ad Olympiadem primam; quod, quia in eo multa fabuloſa referuntur, Mythicon nominatur. Tertium, a prima Olympiade ad nos, quod dicitur Hiſtoricum: quia res in eo geſtae veris hiſtoriis continentur.* LIPSIUS.

Temenus & Creſphontes.] Ex eodem Pauſania, *Timenus*, non *Teminus*, ſcribendum eſt, conſentientibus etiam aliis Graecis ſcriptoribus. Pauſaniae verba ſunt haec ex Corinthiacis lib. II. c. 18. Τήμενος μὲν καὶ Κρεσφόντης Ἀριστομάχου. &c. URSIN. Quia hic maximus natu, & princeps recenſetur, factum ut ipſi tota res tribuatur, aut ejus poſteris. Tertullianus de Pallio, cap. II. *Sic & Herculea poſteritas, qui Temeno pariter Peloponneſum occupando producunt.* Id eſt, una cum Temeno ſimulque. Idem corrigendus, de Anima, cap. XXX. *Glorioſi quique occupant terras, ut Scythae Parthicas, ut Menidae Peloponneſum.* Legendum, *ut Temenidae*. LIPS. Lege & diſtingue: *Temenus, Creſphontes, Ariſtodemus; quorum abavus fuerat. Temenum* enim appellant omnes Graeci: ut mirari ſatis nequeam, maximum Caſaubonum apud Polyaenum, ubi optime perſcriptum Τήμενος, juſſiſſe reponi Τήμινος. Sed leviculum illud reſpectu σφάλματος Lipſiani, cui probatum τὸ *atavus*. Aperte enim id falſum: quippe ſtemma eſt hujusmodi. Ariſto-

machus pater, Cleodaeus avus, Hyllus proavus, Hercules abavus fuit. Quod, ut Herodotum, Pauſaniam, & alios, mittam, conſtat etiam ex Satyro lib. II. apud Theophilum. Quamvis apud eum corrupte legas: Ἐρακλέους τοῦ Διὸς οἶμαι ὕλον, τοῦ δὲ Κλεόδημου, τοῦ δὲ Ἀριστόμαχον, τοῦ δὲ Τήμενον. Scribendum eſt: Ἡρακλέους τοῦ Διὸς οἶμαι Ὕλλον, τοῦ δὲ Κλεοδαῖον, &c. Ut de noſtra in Vellejum conjectura vix videatur dubitandum. Etſi ſciam, cognationis gradus ab auctoribus aliquando confundi. Voss. Temeno Argi ceſſere; Creſphonti, per ſortem, Meſſene (Pauſan. Meſſen.) Ariſtodemus ipſe jam fulmine e medio ſublatus erat: igitur filii ejus gemini, Procles & Euryſthenes Sparta potiuntur. a quibus οἰκίαι δύο βασίλειαι, familiae duae regiae Spartanorum ortae ſunt. Pauſan. Lacon. Niſi quod Vellejo in Ariſtodemi perſona patrocinatur Herodotus: id quod Lipſio notatum. Boecler. Vid. & Meurſ. de regno Laced. pag. 30. Hudson. *Timenidae* vocantur filii Timeni in Anthol. l. II. cap. 24.

Ariſtodemus.] Ergone ipſe Ariſtodemus inter duces? Ita velle Vellejum apparet: etſi in diſſenſu obſtinato aliorum ſcriptorum. *His* traditum, Ariſtodemum, dum apparatur reditus, fulmine tactum periiſſe, in ejus locum liberos veniſſe, Euryſthenem & Proclem. Apollodorus talium rerum diligens II. Biblioth. Ἐκεῖ δὲ ὄντος τοῦ στρατεύματος; Ἀριστόδημος κεραυνωθεὶς ἀπέθανε, παῖδας καταλιπὼν διδύμους, Εὐρυσθένη καὶ Προκλέα. *Ibi cum exercitus Herculidarum eſſet,* (Naupacti ſcilicet) *Ariſtodemus fulminatus occidit, filios geminos relinquens, Euryſthenem & Proclen.* Eadem aut ſimilia Pauſanias in Corinthiacis, atque alii. Quis a Vellejo? Damnabam: ſed manum calculumque tenuit Herodotus, qui Spartanos ipſos docet fuiſſe in eadem hac cum Vellejo mente, etſi contra ſcriptorum vulgus. Ille lib. VI. [52.] Λακεδαιμόνιοι γὰρ, ὁμολογέοντες οὐδενὶ ποιητῇ, λέγουσι αὐτὸν τὸν Ἀριστόδημον τὸν Ἀριστομάχου, τοῦ Κλεοδαίου, τοῦ Ὕλλου, βασιλεύοντα ἀγαγεῖν σφέας ἐς ταύτην τὴν χώραν, τὴν νῦν ἐκτέαται, ἀλλ' οὐ τοὺς Ἀριστοδήμου παῖδας. *Lacedaemonii nemini poëtarum aſſentientes, tradunt ipſum Ariſtodemum, qui Ariſtomachi, qui Cleodaei, qui fuit Hylli, regnantem eos reduxiſſe in hanc regionem, quam nunc obtinent, non autem ipſos Ariſtodemi liberos.* Ergo be-

bene & ex recondita ſententia Vellejus. Lips.

Atavus.] Diſtinctio interponenda; *Ariſtodemus*, *quorum*. Nam quem ait fuiſſe atavum? ipſum Herculem. Stemma tale: Hercules Hyllum genuit, hic Cleodaeum; hic Ariſtomachum, hic Temenum, Creſphontem, Ariſtodemum. Ex Herodoto ſupra, aliisque. Lipsius. *Atavus* eſt quinto gradu, abavi vel abaviae pater. Sed Hercules fuit iſtorum abavus, Hyllus proavus, Cleodaeus avus, Ariſtomachus pater. Non tamen auſim mutare; quia Latini autores cognationum appellationes laxe & libere interdum uſurpant, ut Liviam, Cai Caeſaris *proaviam*, Tacitus vocat *aviam*. Julium Caeſarem, *magnum avunculum* Octavii, Vellejus, & Suetonius *avunculum*. Meminit iſtorum Heraclidarum, praeter Graecos, Ammianus, lib. xxviii. *Ita cothurnatos & turgidos, ut Heraclidas illos, Creſphontem & Temenum, putes.* Popma. De Hercule ſermo eſt, qui horum trium abavus fuit, ſi proprie loquendum ſit, pro quo Vellejus *atavum* dixit: & Lipſius in enumeratione ſtemmatis retinuit. quem vel illud a ſuſpicione erroris vindicare debet, quod in ſerie ſtemmatis nihil prorſus mutavit. Qui enim cuiquam moderate cogitanti veriſimile videatur, eum, cum non altius, quam ab abavo ad abnepotes ſeriem repeteret, verum cognationis nomen ignoraſſe, aut ab abavo atavum non potuiſſe diſtinguere? nimirum permutari interdum haec nomina ſciebat: & hic exemplum in manibus erat: Vide Caſaub. ad Sueton. Calig. 16. Boecler. Ita *proavum* pro *abavo* Livium ponere docuit Gronov. ad Lib. xxxiv. 58. (V. ad Ovid. Ep. iv. 158.) Burm.

Eodem ferme tempore.] Parum refert: mox cap. 5. *ferme ante annos quingentos.*

Quarum.] An non praeſtaret *quorum*? ſcil. regum. [V. Act. Lipſ. 1721. p. 115.] Burm.

Codrus, &c.] Hiſtoriam Codri ſcripſere Juſtin. ii. 6. 16. & ſeq. quique ibi Bongarſiana & Berneggeriana induſtria annotati ſunt, quos nihil attinet huc tranſſcribere. Addimus autem Lycurgum, qui in orat. adverſ. Leocratem diligenter & fuſius ceteris rem commemorat. Illud quoque monemus, inter citatos, Servium ad Eclog. v. & Auguſtinum de C. D. xvii. 19. hunc Athenienſem Codrum regem, cum Virgiliano paſtore confundere,

dere, id quod non ſemel Scaligero notatum. BOECLER.

Paſtoralem cultum.] Ita ſolebant exploratores, & qui hoſtes fallere volebant. Flor. I. 17. *Ille per noctem paſtorio habitu ſpeculatus omnia.* & Livius in eadem Hiſtoria lib. IX. 36. *Iere paſtorali habitu.* quod vero in Valerio Maximo lib. V. cap. 6. Exem. Ex. I. legatur, *familiaris cultus*, offendit Schegkium, qui *famularem* reponit, quod debet Ciceroni I. Tuſcul. 48. [ubi vid. Daviſ. ſec. Edit.] & Modium ita velle Berneccerus ad Juſtin. notat. [Vid. Val. Max. VI. 8. 3. Val. Flacc. II. 268. Giſan. Ind. Lucret. in *plebeja veſtis.*] Sed quod addit Valerius, Codrum ſe objeciſſe globo pabulantium, & unum falce percuſſiſſe, non convenit ſervo, ſed militi: nam ſervos pabulatum miſſos cum falce neſcio. Quare mallem, *manipularem veſtem & cultum*, apud Ciceronem & Valerium. nam *lignatoris* habitu alii dicunt iiſſe. BURM.

Immixtusque caſtris hoſtium, de induſtria, imprudenter, rixam ciens, interemptus eſt.] Ex hiſtoria videtur ita interpungendus hic locus, emendandusque, *immixtusque caſtris hoſtium de induſtria, ab imprudente, rixam ciens, interemptus eſt.* Hiſtoria peti poteſt ex Pauſania, Apollodoro, & aliis. URSIN. *De induſtria rixam ciens, imprudenter interemptus eſt.* Sic verba de induſtria trajeci, neque puto imprudenter. recte ſane ad auctoris mentem, hiſtoriae fidem, & ſermonis aequabilem ſtructuram. Nam quae illa confragoſa & tortuoſa, in omnibus ante hac, oratio? *Immixtusque caſtris hoſtium de induſtria, imprudenter, rixam ciens, interemptus eſt.* Quod ad hiſtoriam, praeter alios paullo aliter narrat Juſtinus, fortean & fidelius, lib. II. ACIDAL. Sententia eſt; Codrum rixam de induſtria concientem, imprudenter interemtum. ita intelligi ſuadet Valerius lib. V. cap. 6. his verbis: *Rex Athenienſium Codrus, cum ingenti hoſtium exercitu Attica regio debilitata, ferro ignique vaſtaretur, diffidentia humani auxilii ad Apollinis Delphici oraculum confugit, perque legatos ſciſcitatus eſt, quonam modo illud tam grave bellum diſcuti poſſet. Reſpondit Deus; ita finem ei fore, ſi ipſe hoſtili manu occidiſſet, quod quidem non ſolum totis Athenis, ſed in caſtris etiam contrariis percrebuit. eoque factum eſt, ut ediceretur, ne quis Codri corpus vulneraret: id poſtquam cognovit, depoſitis inſignibus*

bus imperii, familiarem cultum induit, ac pabulantium hoſtium globo ſeſe objecit; unumque ex his falce percuſſum in caedem ſuam impulit. Sed quid Valerio hic *familiaris cultus?* an iſte, qui ad diſcrimen regii, cultus privati? vix puto. emendo, *famularem cultum.* Juſtinus certe pannoſum ſarmenta collo gerentem, caſtra hoſtium ingreſſum adfirmat. Et vero unicus ad hanc rem fundus & ſubſcriptor Cicero I. Tuſculanarum, qui hunc ipſum *famularem veſtem*, vocat. Redeo ad Codrum, quo longe ab Iliſſo, Pauſania teſte, interemto, regnum Erechthidarum poſt CDLXXXVII, vel, ut alii CDLXXXIII. annos defecit. Plutarchus de Exſilio, Auguſtinus lib. XVIII. cap. 18. Civitat. Dei, Pauſanias Atticis, & Achaicis. SCHEGK. Ille imprudenter? imo dedita opera & ſtudioſe rixam civit. Sed tu verba interpunge, ſententiam & te expedies: *Imprudenter, rixam ciens, interemptus eſt.* Vult interemptum imprudenter, & ab hoſtibus ignaris eum eſſe regem. Quod verum eſt. LIPSIUS. Nil opus erat Acidaliano verborum trajectu. Quin potius rem ipſam attendimus, quae ultro ſuppeditat *Lipſianam* interpunctionem. *de induſtria immixtus eſt hoſtium caſtris & rixam movit* (quantum ad προαίρεσιν Codri) *imprudenter* autem *interemptus eſt* (quantum ad ignorationem hoſtium pertinet.) Sed haec clariora ſunt, quam ut moneri debeant. BOECLER. Tolletur omnis obſcuritas orationis implicatae, ſi vocabulis tranſpoſitis refingis, *immixtusque caſtris hoſtium, de induſtria rixam ciens, imprudenter interemptus eſt:* quod & ipſum Acidalio ſic videri ſerus adverto: quamquam & locus diſtinctione Lipſiana juvari poteſt utcumque. Sed in levioribus occupamur hactenus: cujus & notae illud eſt, quod ſubjungo. HEINS.

Rixam ciens.] Ego tamen librarium per compendium *iniciens* voluiſſe exprimere, pro *injiciens* credo. nam in editione Rhenani legitur *rixanincies*. Sed parum refert: nam *ciere* aeque ſatisfacit atque *injicere*: quamquam *injiciens* magis placet: & ita *certamen, contentionem* &c. *injicere*, Livio dicitur qui auctor eſt. *Ciere* autem etiam poteſt dici non qui provocat, ſed qui, cum rixa jam incepit, ſe ei immiſcet. ut ita paſſim *ciere pugnam, praelium* & *bellum* dicitur. vide Freinsh. ad Tacit. III. Annal. 41. *inicere* vero, ut *abicere, adicere* in MSS. occurrere

currere nemo harum rerum peritus negabit. Ita certe in MSS. apud Cicer. XI. ad famil. II. eſſe docent variae lectiones. BURM.

Interemptus eſt.] Habuiſſe hoc prima ſecula vere heroicum, ut reges ſuo ſibi exitio exercitus ſui redimerent ſalutem, deducimus Cornelii libro I. Annal. 42. ubi teſtatur Germanicus; *non mihi uxor, aut filius patre aut Repub. cariores ſunt.* GRUT.

Quis eum non miretur.] Rhetorum is campus eſt, in rebus fortiter & praeclare geſtis, certare ſententiis, inventionibus, ornatu. Cic. I. Offic. 18. Mutuantur ex eo inſtituto aliquid Hiſtorici, quoties magna exempla ad inſigniorem famam prodenda ſunt. Tyronum in gratiam, & ſemel id monemus, ut hanc Vellejanam ἐπίκρισιν cum ceterorum ſententiis, qui eandem hiſtoriam tractavere vel attigere, contendere diſcant. BOECLER.

Hujus filius.] Ultimum regem fuiſſe Codrum conſenſu traditur, ſed apud *Juſtinum* II, 7, 2. ſaltus committitur, ubi ſtatim *annui magiſtratus*, omiſſis XIII. perpetuis, & VII. decennalibus Archontibus, reges ſequuntur. qua de re etiam Bongarſius. Excidiſſe hanc narrationem, aut a mutilatore omiſſam eſſe, exiſtimat Jo. Meurſius in Archontibus Athen. lib. I. cap. I. apud quem vide, quae ad hujus loci Vellejani explicationem faciunt. BOECLER.

Charopem.] Tredecim fuere, quorum ſeriem & nomina Euſebius refert, & Meurſius loco jam laudato. Continuatur autem haec narratio infra cap. 8. BOECLER.

Peloponneſii.] Locus hic mihi aliquando mendi fuit ſuſpectus. Sed ſanus eſt. Quod clarum ex Strabonis lib. IX. Geograph. ubi narrat, Heraclidas, a Codro ex Attica pulſos, Megaridem occupaſſe, ac condidiſſe Megara. Neque moverit quemquam, quod ille Heraclidas, noſter Peloponneſios vocet. Haec enim neutiquam inter ſe pugnare, liquet ex praecedenti Velleji narratione. VOSSIUS.

Digredientes.] Victi ſcilicet praelio, & a Codro profligati ex Attica. Strabo lib. IX. p. 393. BOECLER.

Megaram.] Stephanus de Urb. Μέγαρα, πόλις περὶ τὸν Ἰσθμὸν, μέση Πελοποννήσου καὶ Ἀττικῆς, καὶ Βοιωτίας. BOECLER. *Megara* ſatius ſit. τὰ Μέγαρα Graecis: nec aliter apud Plautum in Mercat. III. IV. 61. ſic & in Ciri

Ciri Virgiliana peccatur. Livio id ipſum non ſemel reſtituit exactiſſimus Gronovius lib. XXXI. cap. 22. Habes tamen & *Megaram* in Valer. Max. lib. IV. cap. I. exempl. ext. 3. ſi ſani ſunt codices. apud Juſtinum certe lib. II. cap. 8. quos Bongarſius complures vidit, *Megara*, non *Megaram*. Et ſane *Megaris* lib. XIII. cap. 5. plurali numero idem extulit Juſtinus. In vetuſtis argumentis Trogi Pompeji Hiſtoriae libro XXVI. *Megara* & *Megaris* habes. HEINS. vide comment. ad Juſt. II. 8.

Inſulam circumfuſam &c.] Haec vero mira, ſi Tyria claſſis inſulam condere potuit, quod nos ſcimus unius eſſe, a quo omnia condita. Atqui ſententia ea neceſſaria in his verbis. reſcribe *inſula circumfuſa*: & pariter *diviſa*. Nam iſta mens. Oppidum Gades conditum in inſula, Oceano circumfuſa. LIPSIUS. Locum hunc non egere medicina, egregie, ut omnia, obſervavit Cl. Salmaſius, ad Tertullianum de Pallio. Eum vide. VOSSIUS. Lipſius, cum videret non inſulas, ſed in inſulis oppida ab hominibus condi, correxit hunc locum, & de quarto in ultimum caſum mutavit, quae hic de inſula dicuntur. Atque id εὐστόχως a Lipſio factum exiſtimavit Pet. Faber Semeſtr. III. cap. 4. pag. 26. in marg Sed tuetur librorum conſenſum & auctoritatem Cl. Salmaſius ad Tertullian. Pal. cap. 2. p. 121. ea ratione: quod hic *condere*, ſit *urbibus inaedificare*. ut Graecorum *κτίζειν*, *urbibus inſtruere*. Itaque & *inſulam*, *Gades* dictam, & *condere inſulam*, eſſe *urbibus inſtruere*. Ceterum, quae de *Gadium* origine memorantur, vide omnino apud Strabonem lib. III. non procul a fine, Plin. IV. 22. & V. 19. Diodor. lib. V. BOECLER. adde & Cuper. III. Obſ. 9. [& Weſſeling. II. Obſ. 15. *inſula circumfuſam* habet Rhenani editio, unde puto Lipſio natam correctionem intempeſtivam. BURM.

Circumfuſam Oceano, perexiguo a continenti diviſam freto.] Si quis verba iſta penitus excuſſerit attentus brevitati, quam toto hoc opere ſibi propoſuit Auctor, mecum ſentient, videri ſcilicet omnia a manu gloſſatorum, ut forte & praecedentia illa, *in extremo noſtri orbis termino*. Quid enim opus dicere, eſſe Gades imperii Romani terminum, cum fuerint alioquin (eorum quidem temporum opinione) ipſius quoque orbis? Unde Scipio apud Livium lib. XXVIII. cap. 31. *Magonis Hercle*

tle ſibi, qui extra orbem terrarum, in circumfuſam Oceano inſulam cum paucis perfugerit navibus; &c. GRUTER.

Ab iisdem] Juſtinus libro XVIII. *Tyrii, miſſa in Africam juventute, Uticam condidere.* Mela: *Utica & Carthago ambae inclytae, ambae a Phoenicibus conditae.* LIPS.

Sedem cepere.] Obhaereo. Ambigua & ἀόριστος iſta ſcriptio, *capere locum circa Lesbum.* Ubi? in ipſo mari? aut quin igitur nominas & deſignas? An a ſtili acumine ſubſidium, & reſcribimus? *ſedem cepere circa Lesbum inſulas?* Inſulas, inquam, multitudinis numero: & ſunt ſane plurimae illic, etiam eae, quas ἑκατοννήσους appellarunt, etſi vicenas numero, aut, ut alii, quadragenas. Tentabam etiam: *ſedem cepere Lesbum inſulam.* Ejecta vocula, & id valde volebam: ſed renuunt ſcriptores, quorum nemo mihi auctor de occupata ab Oreſtis liberis Lesbo. Etiam Pauſanias de locis circa Lesbum renuit. qui vult in Corinthiacis, *Tiſamenum cum ſuis copiis in partem Graeciae deveniſſe, quae nunc Achaja dicitur.* Imo idem lib. VII. initio, periiſſe eum in Achaja narrat, praelio cum Jonibus, & in Helice ſepultum. Itaque & nepotes Oreſtis in eadem Achaja collocat, eodem lib. VII. LIPS. *Lesbon*, id eſt Lesbon, & circumjacentes inſulas occupavere. Lesbon autem nominat Vellejus, quia notiſſima. Neque video, cur hic magnopere obhaereat Lipſius. VOSSIUS. Immo Strabo lib. XIII. pag. 582. praeter Lesbum, etiam Lesbo vicinae continentis Aeolidis ab iis inſeſſae meminit. HUDSON. adde Ruperto notata.

Achaei ex Laconica.] Strab. lib. VIII. ἐν τοῖς Ἀχαϊκοῖς. Polyb. II. pag. 128. Pauſan. Achaic. pr. BOECLER.

Pelasgi Athenas commigravere.] Dionyſius I. Antiquit. accurate caſus & ſedes Pelasgorum exſequitur, ſed alia omni parte, quam in Attica eos ponit. Etiam Strabo, libro V. niſi quod idem (pro Velleji mente) addit: *Hiſtoriae Atticae ſcriptores ita Pelasgorum meminiſſe, ut qui etiam Athenis fuerint, & eos, quin vagi fuerint, avium modo πελάργους dictos.* Pauſanias pariter lib. I. Athenis eos inhabitaſſe vult ipſam arcem. LIPSIUS. Lipſius miratur Dionyſium lib. I. dum caſus & ſedes Pelasgorum exſequitur, nullam Atticae mentionem facere. Atqui continebatur id jam in verbis Thucydidis;

 quae

quae ex lib. IV. Dionyſius adducit, ubi *Pelaſgi Lemnum olim & Athenas incoluiſſe* dicuntur. De utraque ſede etiam Strabo lib. v. p. 221. Fuerunt autem Pelaſgi vaga & migrationibus dedita gens, πολύπλανον καὶ ταχὺ τὸ ἔθνος πρὸς ἐπαναστάσεις, teſte eodem lib. XIII. pag. 261. unde a Dionyſio πλανῆται vocantur lib. II. pr. Porro quae Athenas commigrandi pleriſque cauſſa fuerit, Thucyd. annotavit lib. I. ἐκ γὰρ τῆς ἄλλης Ἑλλάδος οἱ πολέμῳ ἢ στάσει ἐκπίπτοντες παρ' Ἀθηναίους οἱ δυνατώτατοι, ὡς βέβαιον ὄν, ἀνεχώρουν. *Ex cetera enim Graecia potentiſſimi quique bello aut ſeditione pulſi, Athenas, tanquam ſtabilem ſedem, ſeſe conferebant*, ut habet verſio Generoſiſſimi Enenckeli. BOECLER.

Ab ejus nom. Theſſalia.] Strabo de *Theſſaliae* nominibus & nominum rationibus diſſerit, fine lib. IX. adde Scalig. animadverſ. Euſeb. ad n. CCXXVI. ubi *Theſſalus Graeci filius* memoratur. Diodorus lib. IV. appellationem a *Theſſalo* Jaſonis & Medeae filio repetit, non diſſimulans tamen eſſe alias de hoc nomine opiniones, de quibus alibi dicturus ſit. Dixit haud dubie: ſed vetuſtas intercepit. BOECLER. Vide pluribus de *Theſſalo*, unde Theſſalia dicta ſit, diſputantem Salmaſium de Lingua Helleniſtica pag. 295. & ſeqq.

Quo nomine mirari convenit eos.] Hic mihi non optime convenire videtur illud, *convenit*. malo, *ſubvenit*: facillima mutatione. Quis enim in his literis mediocriter verſatus, *c*, in *ſ*, *o*, in *u*, *n* in *u*, *u* denique in *b*, & contra viciſſatim converti neſcit? Hic, inquit auctor, in mentem mihi venit mirari ſcriptorum imprudentiam. Ita, ſi exemplum vis, Apulejus lib. III. Metam. *Sed mihi ſero quidem, ſerio tamen ſubvenit, ad auxilium civile decurrere.* Cui loco magnam vetuſtatem recentiſſima editio detraxit, pro *ſerio ſedulo* nobis objiciens: minime ſedolo id quidem, hercle vero ſerio. ACIDALIUS. Nulla erat ratio idonea, cur hoc, *convenit*, in *ſubvenit* mutaret Acidalius. Prorſus enim cum elegantia id Vellejus ſcripſerat, ſicut alias. *Par eſt*, *fas eſt*, eidem ſenſui ſervire videmus. BOECLER. Cum apud Ciceron. I. Catilin. I. legatur, *quo ex SCto, confeſtim te interfectum eſſe, Catilina, convenit*: neminem, qui aliquem Latinae linguae ſenſum haberet, ita locutum fuiſſe notat Muretus, & locum corrigit. Sed perperam. recte enim explicat

Boe-

Boeclerus per *fas eſt*, *par eſt*. Ita enim Terentium & alios loqui notarunt Viri docti, & ex Cicerone plura loca collegit Nizolius. BURM.

Quod cum alii faciant.] Obnubilat ſplendorem orationis vox, *faciant*. commodius ſubintelligeretur. GRUTERUS. Interim certum eſt, Vellejum tantopere elegantiae dictionis non ſtuduiſſe, quin multa ejusmodi ſimplicius dicta admitteret. Id quod de plerisque Auctoribus, etiam Poëtis, exiſtimare convenit. Ut fortaſſe fruſtra ſint, qui ad περιεργίαν usque, criticam cenſuram exercere velint. BOECLERUS. Gruterus eradendum cenſet τὸ *faciant*. Plenior utique oratio foret, ſi legeretur, *quod cum alii faciant frequenter*, *Tragici frequentiſſime faciunt*. Sed a Velleji manu opinor fuiſſe, *quod cum alii*, *tum Tragici frequentiſſime faciunt*. Scripturus enim compendium Hiſtoriae Graecae ac Romanae Vellejus, ſuccinctum dicendi genus & argumento accommodatum potius eſt ut ſecutus ſit, quam Tullianam illam orationis ubertatem ac copiam ut ſibi adhibendam duxerit. Deinde, ut vitetur κακοφωνία, ſcribendum, *qui illo tempore vixere*, *dixerunt*. HEINSIUS. Quot loca veterum non eſſent mutilanda, ſi ſimiles repetitiones ejusdem verbi nolint tolerare Critici: ſed in iis eſſe ſuavitatem recte notat Manut. ad Ciceron. I. ad fam. I. pr. I. & II. & 18. Livius praefatione, *tam & hoc gentes humanae patiantur aequo animo*, *quam imperium patiuntur*. Noſter ipſe capite praecedenti, *quis eum non miretur*, *qui his artibus mortem quaeſierit*, *quibus ab ignavis vita quaeri ſolet*. & ex noſtro ingens ſeries locorum, ubi idem verbum geminatur, poſſet contexi. vid. lib. II. I. 24. 26. 33. 39. 87. 110. & alibi centies. Terent. Heaut. prolog. 20. *quo exemplo ſibi licere id facere*, *quod illi fecerunt*, *putat*. ubi etiam ſalvo ſenſu, ſed non verſu, ejici poterat *facere*: & duas voces bis repetit in prolog. Hecyr. 3. *eodem ut jure uti ſenem liceat*, *quo jure ſum uſus adoleſcens*. Quales repetitiones nominum poſt pronomen relativum *qui* frequentiſſimas Ciceroni docet Manut. ad Divinat. cap. I. & pro Roſc. Amer. 26. Julio Caeſari nihil magis uſitatum. vide bis in uno capite lib. I. de Bel. Gal. 6. & paſſim. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 22, 360. V. IX. p. 238.

Nihil enim ex perſona.] Secus eſt in Epica poëſi: ubi ex

ex perſona poëtae multa interſeruntur, ut mox obſervat Noſter circa appellationem Corinthi. *Quippe omnis poëtae oratio, aut narratione ſimplici, aut ſola imitatione, aut utroque conſtat.* ſimplici narratione: *ut Arati de aſtris apud Graecos, Lucretii de natura apud Latinos poëma.* Imitatione: *cum ſublatis poëtae quae interſeruntur verbis, ſolae perſonae repraeſentantur; quibus ſermo omnis tribuitur. Quod cum in comoedia, tum & in tragoedia, fieri eſt neceſſe. quibus ideoque proprie a Platone* imitatio *tribuitur.* Utroque: *quemadmodum in epico Homeri aut Maronis, in quo aliorum ſermonibus ſaepe poëtae interſeritur.* Libuit haec ad illuſtrandam noſtri Auctoris cenſuram verbis *Dan. Heinſii* exponere, qui in ſubtiliſſimae eruditionis commentario de conſtitut. Tragoed. cap. 2. ex mente Platonis ita diſſerit. BOECLER.

A Theſſalo.] Theſſaliae nomen non reperitur apud Homerum, quum tamen in Boeotia Theſſali Herculis filii meminerit, a quo non poteſt videri dicta Theſſalia. Juvat Vellejanum argumentum haec Scaligeri ad Euſeb. notatio. BOECLER.

Paullo ante Aletes.] Id confirmat Pindari ſcholiaſtes in Iſthmiis: unde & Ἀλητίδαι, inquit, vocantur Corinthii. quo nomine uſus eſt & Callimachus in ſequentibus verſibus, qui leguntur apud Plutarchum in v. Sympoſiacῶn:

Καί μιν Ἀλητίδαι πουλὺ γεγειότερον
Τοῦδε, παρ' Αἰγειῶνι θεῷ τελέοντες ἀγῶνα,
Θήσουσιν νίκης σύμβολον Ἰσθμιάδος,
Ζήλῳ τῶν Νεμέηθε, πίτυν δ' ἀποτιμήσουσιν,
Ἣ πρὶν ἀγωνιστὰς ἔστεφε τοὺς Ἐφύρῃ.

MANUTIUS. Sine circumductione ut loquar, falſum hoc eſt: niſi alii ſcriptores falſi. Pauſanias lib. II. Ἀλήτης Ἱππότου, τοῦ Φύλαντος, τοῦ Ἀντιόχου, τοῦ Ἡρακλέους. Apollodorus totidem paene verbis: Ἱππότης τοῦ Φύλαντος, τοῦ Ἀντιόχου, τοῦ Ἡρακλέους. Quid dicemus? *quintum* reponi debere, ſi cui tamen tanti ſunt λεπτολογήματα haec Graecorum. LIPSIUS. Diffuſe ſcholiaſtes Pindari narrat fabulam de condito Corintho ab Alete: a quo Corinthios vocat Pindarus Ἀλητίδας, ut & Callimachus hoc verſu

Καί μιν Ἀλητίδαι πουλὺ γεγειότερον.

Vide Pauſaniam & Strabonem lib. VIII. POPMA. *Utrum-*

que

que falſum (ait *Scaliger in Animadv. Euſeb.*) *& ſextum fuiſſe ab Hercule, qui quintus eſſet; & Corinthum condidiſſe, quam Siſyphidae per multos annos antea obtinuerant.* Prius iſtud Lipſio etiam animadverſum. poſterius refutatione non indiget, *ſi condendi* vocem de *reſtitutione* accipiamus. v. *Indic.* Pindaro *Olymp.* 13. Corinthii dicuntur παῖδες Ἀλάτα, id eſt, ἀπόγονοι Ἀλήτου, ubi *Scholiaſtes* videndus. Adde Euſeb. n. CCCCXCVI. Boecl.

Aletes,] Sine aſpiratione. Ita Rhenanus & doctiſſimus Belgarum Junius, Animadverſorum lib. VI. cap. 25. Schegkius. *Aletes* ſine aſpiratione Graecis dicitur: eundemque non ſextum, ſed quintum faciunt. Quod bene Lipſio obſervatum. Ut forte ſcripſerit Vellejus: *Aletes quintus ab Hercule.* Haec enim per numeros plerumque exprimi ſolent; ut in iis librarii ſaepiſſime fallantur. Vossius. vide Scalig. ad Euſeb. pag. 55. Nonium ad Golzii Graeciam, & Reineſ. in Epiſt. p. 62. 72. 88. 89. Hudson. de Alete vide Conon. narratione XXVI. & quae olim literis mutuis Reineſius & Rupertus egerunt, quodque huc Rupertus tranſtulit in obſervationes ſuas.

Corinthum, quae antea fuerat Ephyre, clauſtra Peloponneſi continentem, in Iſthmo condidit.] Hoc ita capiebat magnus Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis, quaſi dicat Vellejus, eam urbem, quam ſuo aevo Corinthum dicebant, antea, cum ab Alete condita, Ephyram fuiſſe nominatam. Atqui id falſum eſſe, eo probare nititur, quod Corinthum jam ante tempora fuiſſe Trojana conſtet. Sed quam Scaliger in Vellejo, illam ego hic in Scaligero εὐστοχίαν requiro. Quid enim certius, quam Paterculum ſolum dicere, Aletem reſtituiſſe Corinthum, quae ante id tempus vocitabatur Ephyra? Atque hoc ſequentia ſatis comprobant, quibus Ephyram jam Trojanis temporibus agnoſcit. Equidem decepit virum maximum vox *condidit*, quae hic nihil aliud, quam *ex integro reſtituit.* Simili locutione *Tyrios Alexandri auſpiciis conditos* ait Juſtinus lib. XVIII. Ita quoque *Ecbatana Seleucum condidiſſe*, ſcribit Plinius lib. V. cap. 14. Denique ſic vulgo Conſtantinopolim, quae ante erat Byzantium, condidiſſe dicitur Conſtantinus Magnus. Vossius. *Continentem* Gruterus expungebat. ego autem opinor ab ipſo Vellejo nobis relictum, *clauſtra Peloponneſi, continente in Iſthmo, condidit,* vel *continenti.* ſic

 paul-

paullo ante, *perexiguo a continenti diviſam freto.* Livius libro XXXII. cap. 21. *Peninſula eſt Peloponneſus anguſtis Iſthmi faucibus continenti adhaerens.* apud eundem Livium paſſim, *continens imperium, continens malum, continens memoria, nox continens, agmen continens, pons; curſus, imber, praelium, continentia juga, continens regio, continentes ruinae, continens labor, littus,* & ſimilia. *Ephyre* ſeu *Corinthus clauſtra Peloponneſi,* elegans epexegeſis, cujus generis complura occurrunt apud noſtrum. ſic & *Alexandriam clauſtra Aegypti* habes apud Suetonium Veſpaſiano. *Aegyptum clauſtra annonae* apud Tacitum Hiſt. III. cap. 8. *Elephantinen ac Syenen clauſtra Romani imperii* Annal. III. cap. 61. Hiſt. III. cap. 41. *Forojulienſem coloniam, clauſtra maris praeſidio tuebatur.* Ita Rhenani codex. nec aliter ſcribendum An. II. cap. 69. *Equitibus Romanis inluſtribus ſepoſuit Aegyptum, ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam; clauſtra* (non *clauſtraque*) *terrae ac maris, quamvis levi praeſidio inſediſſet.* Sed illud a magno Grotio jam occupatum video, qui ex Lucano profert, *Regni clauſtra Philae.* Livius lib XLV. cap. 2. *Peluſium clauſtra Aegypti.* Florus lib. II. cap. 7. *Invios ante Chaonum montes, Aoumque amnem per abrupta vadentem, id eſt, ipſa Macedoniae clauſtra, penetravimus.* lib. III. cap. 3. *Per Alpes, id eſt, clauſtra Italiae, ferebantur.* cap. 2. lib. IV. *Uticam velut altera Africae clauſtra, ſervabat.* Livius libro IX. cap. 32. *Sutrium, urbs ſocia Romanis, velut clauſtra Etruriae erat.* libro XXXI. cap. 48. pari modo. Nec dubito, quin capite ſuperiori quoque ſcriptum dederit noſter, *ſedem cepere Lesbum inſulam circaque,* nam Strabo libro XIII. praeter Lesbum, etiam Lesbo vicinae continentis Aeolidis inſeſſae ab iis meminit: alii tamen ſolius Lesbi. Ita Livius libro V. cap. 37. *Jam omnia contra circaque hoſtium plena erant.* libro IX. cap. 32. *Ante ſigna circaque omnes ceciderunt.* lib. XXIV. cap. 38. *Pars maxima ſupra theatrum circaque, aſſueti & ante ſpectaculis concionum conſiſtunt.* lib. XXVII. cap. 11. *Flavius ab tergo ante circaque oram ejus omnem urgebat.* Idem libro XXI. cap. 62. *Romae aut circa multa ea hieme prodigia facta.* Ita e veſtigiis ſcriptorum videtur caſtigandum, qui tamen *aut circa urbem.* Nihil familiarius eſt Livio, quam τὸ *circa* ponere nullo addito vocabulo. *Sedem*

dem cepere Leſbum, ut lib. II. cap. 74. *Haec belli ſedem Praeneſte ceperit.* Tacitus An. VI. cap. 42. *Atque interim Cteſiphon ſedes imperii petita.* An. XII. cap. 13. *Capta in tranſitu urbs Ninos, vetuſtiſſima ſedes Aſſyriae.* Hiſt. II. cap. 19. *Laudare providentiam ducis, quod coloniam virium & opum validam, robur ac ſedem bello legiſſet.* Livius libro XXVIII. cap. 28. *Rhegium habituri perpetuam ſedem erant.* cap. 44. *Africa ſit reliqui belli ſedes.* Mela lib. III. cap. 9. *Aethiopes ultra ſedem Meroën habet*, quae vera illic ſcriptura. Juſtinus VII. I. *Urbem Edeſſam regni ſedem ſtatuit.* Hinc *ſeſſores* pro habitatoribus ac incolis oppidi apud Cornelium Nepotem, ſi tamen ſana eſt ea ſcriptura. Porro *continens Iſthmos*, ut *terra continens.* quod apud Melam & Plinium occurrit. *Continens* ſine ſubſtantivo cum ponitur, terram ſubinnuit. ut mirer Gruterum legi voluiſſe *continentem ſuum*, non *ſuam*, apud Flor. II. I. ſic libro II. cap. 109. *Excißs continentibus Hercyniae ſilvis.* Corrigendus ergo eſt Curtius lib. IV. cap. 2. ubi in omnibus editis legitur, *habebat rex caſtra in continenti, a quo urbem anguſtum fretum dirimit*, & legendum *a qua.* HEINS. Nondum plane Salmaſio & Heinſio accedo, cum & *ſolum* ſubintelligi poſſit. hic vero legi poſſet, *clauſtra Peloponneſi & continentis*, id eſt Hellados. BURM.

Quae antea fuerat Ephyre.] Sc. ante Aletae tempora, neque quiſquam aliter accepit. vide Stephan. in voc. Ἔφυρα & Κόρινθος. BOECLER. Paſcaſius Groſippus, ſive Caſp. Scoppius in Grammatic. putat Corinthum quoque virili genere inveniri. ideoque hic legit, *Corinthum qui antea.* Sed contra omnes Velleji codices; ut notat Senior Voſſius I. de Analog. 12. qui etiam ſubruit alterum illius argumentum, deſumtum ex Propert. III, 4.

Nec miſer aera paro clade Corinthe tua.

miſer, inquit, hic ad poëtam, non ad Corinthum refertur. RUPERTUS.

Clauſtra Peloponneſi.] Sic Cic. I. in Rull. de Corintho loquens: *Erat poſita in anguſtiis atque faucibus Graeciae, ſic ut terra clauſtra locorum teneret.* PUTEAN. Adeundus omnino Strabo lib. VIII. in deſcriptione Corinthi. Hinc inter *compedes Graeciae*, Philippo; aliis inter *vin-*

cula Graeciae urbs memorata, ap. eund. lib. IX. & Polyb. XVII. confer quae habet Pauſan. Corinth. pr. Thucyd. I. pag. 10. Horatii interpretes ad Od. 7. lib. I. Illud *continentem* a mala manu eſſe exiſtimat Gruterus. Non auſim ſtatim aſſentire. BOECLER.

In Iſthmo.] Thucydides lib. I. Hinc Horatius ad Plancum;

—— aut Epheſum bimarisve Corinthi
Moenia.

vide Strabonem lib. VIII. & XVIII. SCHEGK.

Ab Homero nom. Corinth.] Sicut rurſum Ὅμηρος τὸ Ἐφύρη περὶ Κορίνθου ἔφη, notante Stephano in Ἐφυρ. BOECLER.

Athenienſes, &c.] Scribendum, *Athenienſes in Euboea Chalcidem & Eretriam colonis occupavere.* Poteſt etiam retineri *Chalcida* ex Homeri verſu in catalogo. URSINUS. Strabo conditionem earum vetuſtiorem facit, lib. X. Ἀμφότεραι, inquit, περὶ τῶν Τρωϊκῶν ὑπ' Ἀθηναίων ἐκτίσθαι λέγονται. *Utraque* (Chalcis, & Eretria) *ab Athenienſibus ante Trojana tempora condita perhibetur.* LIPSIUS. An *Chalcida Eretriam* dixit, ut Homerus in Catalogo?

Χαλκίδ', Ἐρέτρειάν τε, πολυστάφυλόν θ' Ἱστιαίαν.

An diſtinctionis nota interponenda? quod fere perſuadent ſequentia verba, quibus non Eretrienſibus, ſed Chalcidenſibus tribuitur Cumarum origo, de qua multa Strabo lib. V. & Servius in III. & IX. Aeneidos. POPMA. Neminem fore credideram, qui non videat, diſtinguendum eſſe; *Chalcida, Eretriam*, &c. Poſtea tamen incidi in Notas Popmae, qui vulgatam lectionem firmari poſſe putabat illo Homeri in Catalogo:

Χαλκίδ', Ἐρέτρειάν τε, πολυστάφυλόν θ' Ἱστιαίαν.

Caeterum quam belle ille Homero Chalcida Eretriamque unam eandem urbem ſcripſerit, judicent alii. Mihi enim in putido hoc refellendo verba profundere non eſt animus. VOSSIUS. Interponit copulam liber ex editione Rhenani expreſſus, quem ſecutus ſum. Quod ſi ſola interpunctione iſta placet diſtinguere, non repugno: praeferam tamen hanc lectionem. Strabo lib. X. non longe

ge a principio, πρὸ τῶν Τρωϊκῶν ante bellum Trojanum conditas ab Athenienſibus has urbes memorat. quod Lipſius jam notavit. De nominibus earum adi Stephan. Boecler.

Magneſiam.] Duplex eſt Magneſia; una ad Maeandrum, altera ad Sipylum. Hanc potius intelligendam cenſeo. Nam altera fuit Aeolica urbs; ut teſtatur Strabo lib. xiv. Apud L. Ampelium in libello memoriali, nuper a Salmaſio edito, corrupte haec *Marmeſia ad pylum* dicitur. Vossius. Eam ſcil. quae ad Sipylum, de qua etiam Euſebius capiendus, DCCCCLXI. monente Scaligero, qui noſtri Auctoris locum illuc retulit. Boecler. Quamnam? ad Maeandrum ſitam, an ſub Sipylo? illius alii auctores referuntur. Plin. v. 29. Magneſia Maeandri cognomine inſignis a Theſſalia Magneſia orta. Apollonii Scholiaſt. ad lib. I. v. 584. a Leucippo clare dicit Magneſiam, quae περὶ Ἔφεσον circa Epheſum eſt, conditam. Ideoque Rob. Riguez, alteram, quae ſub Sipylo monte in Lydia eſt, Vellejum intellexiſſe putat. Quod vero Maeandri Magneſia propior mari, atque coloniis aptior maritimae gentis, dubitari poteſt, ſicut Plinius & Scholiaſt. de auctore diſſentiunt. an tertia forſan opinio fuerit, quam Paterculus ſecutus ſit? Cellarius. Eam ſcilicet, quae ad Sipylum: de qua etiam Euſebius capiendus n. DCCCCLXI. monente Scaligero, qui Velleji locum illuc retulit. Hudson. Inclinarem potius in Magneſiam Maeandri, quam Theſſalorum & Cretenſium coloniam dicit Strabo lib. XIV. per Cretenſes autem intelligendi illi Lacedaemonii forte, qui cum Agamemnone & Talthybio in Creta poſt bellum Trojanum conſederunt: ut vidimus ſupra ad cap. I. & de quibus vide Meurſ. in Creta lib. I. cap. 4. & hoc praeclarus ille nummus Magnetum ad Maeandrum mihi non obſcure videtur indicare, ubi Curetes Pyrricham ſaltantes conſpiciuntur; quem exhibet Triſtan. Tom II. comment. pag. 196. Pyrricham vero partim ad Cretenſes, partim ad Lacedaemonas auctores referunt veteres Scriptores; & Pyrrichum inventorem hi Cretenſem, illi Lacedaemonium faciunt. vide Meurſ. Miſc. Lacon. II. 12. & de Orcheſtra, in Πυῤῥίχη. Conjecturam adjuvant & ceteri hujus urbis nummi, in quibus ſaepe Diana conſpicitur, cujus cultus praecipuus Lacedaemone, diverſis

ſub cognominibus, quae omnia apud Meurſium in dicto libro variis locis ſparſa inveniri poſſunt. Sed haec tantum excutienda aliis proponimus, nihil certi adfirmantes. In Rhenani vero editione erat, *in Aſiam ac Neſiam*; & in margine, *Alias Moeſiam*. Burm.

Ut praediximus.] Ante lineas aliquot dixit. Itaque vix dubium quin hic gloſſema ſit illud, *ut praediximus*. Quae voces ſaepiſſime toto hoc opere reperiuntur, & ob id meritiſſimo Lipſio ſunt ſuſpectae. Raphéleng.

Cumas.] In illud Virgilii lib. III.

Hinc ubi delatus Cumarum acceſſeris urbem,

Servius. & idem apud eundem lib. VI. & IX. *Nobilis urbs a Sibyllinis libris, ad quos* XV. *viri adeunt, cum dii immortales publice conſulendi ſunt*. Agellius lib. I. cap. 19. Solinus cap. 7. alii. Schegk. Quod ad Chalcidenſes ſolos Vellejus refert, alii etiam cum Eretrienſibus communicant. Dionyſius libro VII. & Solinus. Strabo pro Eretrienſibus ſubſtituit Cumanos. Sed hanc varietatem in re caſca & tenebris aevi obſita non miror: miror quid ita Euſebii Chronicon prodat: *Mycena condita in Italia, quae nunc Cumae*. An *Miſenum* reponimus? ſed diverſum id a Cumis. Haereo, & porrigo herbam. Lipsius. Ἱπποκλῆς ὁ Κυμαῖος, καὶ Μεγασθένης ὁ Χαλκιδεύς. Ut ait Strabo in V. Geograph. Itaque male quidam codices habent, *Magaſthene*. Scribit vero Joſ. Scaliger ad numerum Euſebii DCCCCLXVI. Vellejum ſentire, Cumam ante Troica conditam. Miror illi viro id excidiſſe. Nam, juxta Vellejanum calculum, Herculis ἀποθέωσις XL. duntaxat annis Trojae excidium anteceſſit: Cuma autem condita aliquanto poſt Aleten, qui ab eo jam erat quintus. Vossius. Congruit Strab. lib. V. pag. 143. niſi quod Cumas Italicas non Χαλκιδέων ſolum, ſed & Κυμαίων (*ap. Dionyſium lib.* VII. *Eretrienſes Chalcidenſibus junguntur*) κτίσμα facit, alterumque e ducibus Hippoclen Cumaeum; alterum Magaſthenem Chalcidenſem aſſerit. Jam *cum variae variis locis Cumae fuerint*, (verba *Caſauboni* ad Strabonis locum huc tranſcribere libet) *quas enumerat Stephanus, dubitari poteſt, ex qua Cumani iſti ſint profecti, qui Cumam Campaniae condiderunt. puto tamen e Cuma Euboica: nam & Chalcis in Euboea. Ideo ait Virgilius*,

Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.

Hactenus Caſaubonus. adde & Scaligerum animadverſ. Euſeb. ad n. DCCCCLXVI. qui de tempore iſtud dubium movet, *apud Euſeb. conditus Cumarum in Italia ponitur annis* CCCXI. *poſt Troica. Strabo & Vellejus ante Troica.* producit deinde haec Noſtri verba. certe Vellejus non ante, ſed poſt Troica ponit Cumarum initium. quod contextus hiſtoriae facile evincit. Interim ante Troica Cumas conditas autumat etiam *Cl. Salmaſius in Solin.* pag. 72. ubi & de Cumaeis, quos Strabo cum Chalcidenſibus Cumarum in Italia auctores facit, contra Scaligerum diſputat. Quod Lipſius miratur in Chron. Euſeb. haberi: *Mycena in Italia condita, quae nunc Cumae:* de eo non eſt dubitandum, ſcriptum eſſe, *Cyme in Ital. c.* &c. Boecler.

Columbae antecedentis volatu.] Quid, peccemne, ſi, *anteducentis*, legam? non mihi videar, cui elegans hoc viſum: tibi novum, ſcio erit; ſed ſpero, etiam probum. Diverſus tamen abit a meo judicio, qui animo & voluntate nunquam, literatiſſimus amiciſſimusque noſter *Bucretius*: qui conjectavit item, ſed forte (nec enim aut negem, aut affirmem) felicius: *ante ſe dantis.* Atque ita, cum recogito, meminiſſe videor Ennium, pariter in auſpicio ſive augurio, loqui de avibus:

Praepetibus ſeſe pulcrisque locis dant.

Acidalius. Bene & latine dictum, neque opus erat medicina ſermoni ſano: ſic enim & locutus Curtius libro IV. *Quatriduum per vaſtas ſolitudines abſumptum eſt, jamque haud procul Oraculi ſede aberant, cum complures corvi agmini occurrunt, modico volatu ſigna antecedentes.* Gruterus. Quid opus erat ulla critica manu Acidalii in loco tam ſano? An enim *ante ducentis*, aut *ante ſe dantis* melius aut Latinius exprimit quod volebat Auctor? Nonne caſtigatiſſimae Latinitatis ſcriptor Curtius lib. IV. 7. 15. bis ita loquitur? *complures corvi ſigna* antecedentes. & *modo humi reſidebant, quum lentius agmen incederet, modo ſe pennis levabant*, antecedentium *iterque monſtrantium ritu.* Quem locum Grutero jam adductum vindicandae optimae lectioni video. Rei ipſius mirificae plura annotavit Cl. Freinshemius Noſter exempla. Lucanus

canus Panegyrico ad Piſonem, hoc prodigio conditam memorat:

Teſtis Acidalia quae condidit alite muros,
Euboicam referens fecunda Neapolis arcem.

Quae verba adductis Statii locis illuſtrat Scaliger in appendice Virgiliana. Boecler. vide & hic Rupertum.

Nocturno aeris ſono.] Non quia aes pulſum in Cerealibus tantum ſacris. id falſum: & ecce:

Cymbala Thebano concrepuere Deo.

Item:

Nocte ſonat Rhodope tinnitibus aeris acuti:

Ut omittam Iſidis & Aegyptiaca ſacra cum ſuis ſiſtris. Arnobius etiam univerſe: *Vos aeris tinnitibus & tibiarum ſonis perſuaſum habetis deos delectari & affici.* Cur ergo Cerealia eximie nominat? quia de *nocturno aeris ſono* ſermo eſt. & ſacra illa noctu: idque cum clamore & clangore. Juſtinus lib. II. *Juſſis matronis ſolito clamore ac ſtrepitu, etiam in acceſſu hoſtium, ſacra* (haec Cerealia) *celebrare.* Lipsius. Burerius, ut notabile aliquid in veteri exemplari ſcriptum eſſe *aeris*, diviſa litera *e* ab *a* obſervat. tanti ſcilicet hoc eo ſeculo viſum fuit monere.

Cerealibus.] Athenienſium, in quîs ſacerdotem inſtrumento aeneo, ἠχεῖον dicto, excitare ſonum, ut matronae clamorem & ſtrepitum, moris. Juſtin. lib. II. Aeneo inſtrumento placuit, quod plurimum poſſe in ſacris, & percantationibus priſci illi perſuadebant. Hinc deficiente Luna ejus uſus. Livius praeter Plutarchum, Ovidium, Juvenalem, clare lib. XXVI. *Campanorum*, inquit, *imbellis multitudo, cum aeris crepitu, qualis in defectu Lunae ſilenti nocte fieri ſolet, edidit clamorem.* In excantationibus, aeneae falces: de quibus Virgilius & Macrobius. In caſto Cereris an hoc tale adſumtum, valde mihi dubium. Vide Ciceronem in Verrinis, Livium, Dionem, Ovidium, Feſtum, Arnobium, Clementem, alios; & ne mu quidem Lucilianum. Sane Servius ad illud Virgilii lib. IV.

Nocturniſque Hecate triviis ululata per urbes,

permanſiſſe in ſacris ait, ut certis diebus per compita

a matronis exerceatur ululatus. manſit attamen aeneorum vaſorum uſus. Livius lib. XXVII. *Aedileis pleb. Q. Cajus, & L. Portius Licinius ex multatitio argento, ſigna aenea ad Cereris ſacra dedere.* Burrerii MS. *aëris ſono.* SCHEGKIUS. Intelligit Graecorum ſacra Cerealia Δημήτρια nuncupata, in quibus ſacerdos inſtrumento aeneo, ἠχεῖον dicto, excitare ſonum ſolebat: ſicut Syriae deae ſacerdos ſacra faciens, inclamabat atque aeneum tintinnabulum pulſabat, ut verbis tinnitus ſociaretur; teſte Luciano de mercede conductis. POPMA. *Myſteria, initia, initiorum ſacra, noctes initiorum,* (quae ab Athenienſibus *Cereri* celebrabantur) intelligit. Aeris ſonus in ſacris non inuſitatus: itaque addit *nocturni* epitheton; ut ad Cerealia, quae nocte celebrata, reſtringatur. Tangit hunc aeris clangorem, & matronarum celebrantium clamorem Juſtinus II. 8. 2. Lipſius ad h. l. & Schegkius conſulendi. BOECLER.

Neapolim condidit.] Imo Palaepolim prius. Livius lib. VIII. *Palaepolis erat haud procul inde, ubi nunc Neapolis eſt. Duabus urbibus idem populus habitabat. Cumis erant oriundi.* LIPSIUS. Unde & *Neapolis*, i. e. *nova urbs* dicta. Strabo lib. V. Μετὰ δὲ Δικαιαρχίαν ἐστὶ Νεάπολις Κυμαίων· ὕστερον δὲ καὶ Χαλκιδεῖς ἐπῴκησαν, καὶ Πιθηκουσαίων τινὲς, καὶ Ἀθηναίων, ὥστε καὶ Νεάπολις ἐκλήθη διὰ τοῦτο. Antea *Palaeopolin* fuiſſe e Livii VIII. 22. monuit ad h. l. Lipſius. Verba Hiſtorici faciunt ad explicationem Velleji & Strabonis. *Palaeopolis fuit haud procul inde, ubi nunc Neapolis ſita eſt. duabus urbibus populus idem habitabat: Cumis erant oriundi. Cumani Chalcide Euboica originem trahunt. Claſſe, qua advecti a domo fuerant, multum in ora maris ejus, quod accolunt, potuere. Primo in inſulas Aenariam & Pithecuſas egreſſi, dein in continentem auſi ſedes transferre.* BOECLERUS.

Amoenitate.] Eleganter in hanc rem Plinius lib. III. cap. 4. & Florus lib. I. cap. 16. *Omnium non modo,* inquit, *Italia; ſed toto orbe terrarum pulcerrima Campaniae plaga eſt: nil mollius coelo: nil uberius ſolo;* (ita ex veteribus lego) *denique bis floribus vernat. ideo Liberi Cererisque certamen dicitur. Nihil hoſpitalius mari. urbes ad mare, Formiae, Cumae, Puteoli, Neapolis.* Quod de fide & conſtantia inicit, etiam Livius multimodis ad poſteros tranſmiſit. SCHEGK.

Sed

Sed aliis.] Vix fieri, ut non mutent mores novarum ſedium aucupes, multis probo ad Tacitum lib. v. Annal. cap. 6. *plurimum adulationis Seleucenſes inducere, civitas potens, ſepta muris, neque in barbarum corrupta, ſed conditoris Seleuci retinens.* Gruter. Intelligit, Neapolitanos, quorum urbs diu etiam poſtea *Graeca* vocata fuit. vide ad Petron. cap. 81. immo doctiſſimus Montfauconius in Diario Italico pag. 303. ſe adhuc Graecae linguae veſtigia ibi deprehendiſſe in vulgari idiomate ſcribit. Burm.

Magnitudo.] Hoc argumentum valde eſt incertum. *οὐ γὰρ ἀκριβὲς σημεῖον τὸ ἐκ τῶν τόπων τὰς δυνάμεις τῶν ἀνθρώπων στοχάζεσθαι*, ait *Scholiaſtes Thucydides* ad nobiliſſimam obſervationem, quae *ἐν τηλαυγεῖ προσώπῳ* ſeveriſſimi operis ab Hiſtorico ſuppeditatur, ubi monet, *veteres Mycenarum anguſtias non recte a poſteris allegari ad negandam urbis, qua olim pollebat, potentiam.* Poſtea exemplis duobus allatis, altero evincit inſuper, *neque in contrariam partem argumentum de magnitudine valere. Nam ſi nunc*, inquit, *Lacedaemoniorum deſolaretur urbs, templis ſolum & aedificiorum relictis areis, incredibilem poſteris, poſt longius elapſum tempus, eorum potentiam gloriamque fore crediderim: qui tamen nunc ex quinque Peloponneſi partibus, duas ipſi tenent, univerſae autem & multis extra eam ſociis praeſunt: Verum quia urbs neque tectis frequens, nec templis ſumptuoſisque aedificiis exornata eſt, vicatim antiquo Graecis more habitata, impar famae ſuae videretur. Sin idem eveniat in Athenienſium urbe: duplo major, quam eſt revera, eorum potentia, urbis faciem intuenti cenſeretur.* Ex quibus omnibus, *non igitur ex aſpectu urbis de potentia judicandum eſſe*, infert. Digna fuit quae hic quoque legeretur ſententia; quoniam crebri circa hanc rem errores judicantium obſervantur; &, ne inconſulte accepta Velleji verba, ultra quam fas eſt valere crederentur. Boecler.

Vis Graecae juventutis.] Rhenanus, *Graeciae juventutis*. Typographi peccatum quis exiſtimet; ego rectum. Salluſtius apud Non. *Duae Galliae mulieres obveniunt viantes*. aliis notatum. *Stertinium acumen*, Scaligero principi literatorum. *Helvetia civitas*, mihi in Caeſare Bel. Gal. I. cum tamen fere *Helvetica* dicat. & Apulejo *mares animi*. Schegk. Exoſculor ingenium & indu-

duſtriam elegantiſſimi Schegkii, *Graeciae* reponentis e Rhenano: quod mecum amplectetur, qui Gellium, ſive rectius Agellium ſcripſerim, auctorem tritiſſimum & jam ſcholaſticum legerit ſaltem. praeter notata Schegkio exempla itaque quoque *Gallias provincias* ipſe Cicero mihi dixiſſe videtur. I. Philip. *Antonium repudiatis malis ſuaſoribus, remiſſis Galliis provinciis, ad auctoritatem Senatus eſſe rediturum.* Pariter Apulejus, *Graeciam ſapientiam* de Deo Socrat. I. Acidalius. nimis putidum eſt hic infercire *Graeciae juventutis*: nam quamvis ita expreſſerit Rhenani editio, diſerte tamen teſtatus eſt Burerius, exſtitiſſe in authentico exemplari *Graecae*. Gruterus. *Magna vis Graecae juventutis*, fuit in unico hactenus MS. Itaque nugantur plane Schegkius, & Acidalius, qui defendunt *Graeciae*; quod ſphalmate typothetae in Rhenani editionem irrepſerat. Vossius. Recte monuit Gruterus, non debuiſſe a Schegkio & Acidalio (quorum errorem etiam *Taubman. in Culic. Virgil.* ſuum fecit) *Graeciae juventutis* legi, ex ſphalmate editionis Rhenani. Etiam exempla, quae firmandae iſti opinatiunculae adducuntur, dexteriore opus habent & explicatione & applicatione. Boecler.

Abundantia.] Crebra demigrationum cauſſa. Ita *Galli abundante multitudine, cum eos non caperent terrae, quae genuerant, trecena millia hominum ad ſedes novas quaerendas, velut ver ſacrum miſerunt. Juſtin.* XXIV. 4. I. Boeclerus. Scio *vires* paſſim de exercitu dici. malim tamen *abundantia virorum*. ita apud Valer. Max. I. I. 15. pro *majore pene Romanorum virorum parte inexſecrabili ac diro ſolo jacente*, alii ediderunt, *Romanarum virium*; etiam non male, ne offendat ὁμοιοτέλευτον. ſed hic *virorum* praeſtare puto, quia praecedit *vires veteres*, & *magna vis*. Burm. V. Miſc. Obſ. Vol. VIII. p. 22.

Jones.] Satin' in hac narratiuncula, ô Vellei, φρένες tibi ἔμπεδοι? non videntur. Jonem ducem tu coloniae hujus facis: atqui Auctoritas te oppugnat, & Ratio ipſa. Auctoritas, magnorum ecce teſtium: qui a Nileo, Androclo, & Codri filiis coloniam hanc conſtanter aſſerunt deductam. Strabo lib. VIII. Μετὰ τῶν Κοδριδῶν ἔστειλαν τὴν Ἰωνικὴν ἀποικίαν εἰς τὴν Ἀσίαν. *Una cum Codri filiis miſerunt Jonicam coloniam in Aſiam.* Pauſanias lib. VII. Ὁ Νειλεὺς καὶ οἱ λοιποὶ τῶν Κόδρου παίδων ἐς ἀποι-

κίαν

κίαν ἀπεστάλησαν. *Nileus & reliqui Codri filii in coloniam dimiſſi*... & plura uterque ille ſcriptor de tota re diſtincte. Inter Latinos etiam Tertullianus de Pallio: *Jones Nilei comites Aſiam novis urbibus inſtruunt*. Et Ammianus: *Mileſii inter Jonas alios in Aſia per Nileum multo ante locati, Codri illius filium, qui ſe pro patria bello fertur Dorico devoviſſe*. Quin & Plutarchus Nileum in hac deductione nominat, libello de Exſilio. Jam ratio in re, a tempore. Vetus ille & verus Jon, Xuthi filius, ducentis paene annis major hac deductione: quia vixit Danai atque Eumolpi aevo. Quomodo nunc igitur coloniae dux? Agnoſcimus vel hinc Velleji τὸ παράλογον, pro quo nullus mihi quidem color. Lipsius. Haec eſt celebris illa Ἰωνικὴ ἀποικία: cujus hiſtoriam cum iis, quae antea acciderunt, videtur confundere Vellejus. Non enim Jone duce haec in Aſiam demigravit multitudo, ſed Codri filio. Strab. lib. VIII. p. 383. diſtinguit hiſtoriam. *Jonem Xuthi filium Athenis imperaſſe*, ait, *circa haec tempora, abundante hominum multitudine, in Peloponneſum emiſſam Jonum coloniam, indeque Aegialeiae nomen in Joniae appellationem tranſiviſſe. Poſt Heraclidarum reditum pulſos ab Achaeis Jones, rediviſſe Athenas, atque inde cum Codridis Jonicam coloniam in Aſiam deduxiſſe, conditis* ibi XII. *urbibus, quot in Peloponneſo antea obtinuerant*. confer lib. XIV. pr. His conſentit Pauſanias Achaic. pr. Aelian. Var. lib. VIII. cap. 5. Plutarchus de exſil. Ammian. Marcell. XXVIII. Tertullian. de Pall. locis a Lipſio partim productis. Adde Cononis narrat. 2. apud Photium n. CLXXXVI. p. 423. Scalig. animadv. Euſeb. ad n. 975. Vellejanum in tempore & perſonis errorem (nam *Jon* numero Euſebiano DCLXXXII. *haec Jonica emigratio* n. DCCCCLXXV. memoratur) perſtrinxit ſerio Lipſius: nec immerito. Quamdiu quidem haec lectio retinebitur. Et de alia ſuſpicari ſine veſtigiis librorum, anceps fuerit. Exiſtimabam olim, loqui eum de duobus diverſis temporibus, atque illud velle, ac fortean ſcripſiſſe; *Jonas, duce Jone profectos quondam Athenis, nobiliſſ. p.* &c. nunc nimirum occupaviſſe. verum ſic quoque difficultas ex hiſtoria ſupereſt. Boecler. Vellejo (vereor ne fruſtra) patrocinantur L. Pignorius in Symbol. Epiſt. n. 84. & Lydiat. ad Marm. Arondel. p. 40. Hudson. Lydiatus ex hoc loco ſuſpicatur inter

Co-

Codri filios Jonem quoque fuiſſe. ſed oportet illum obſcurum fuiſſe, cum omnes ductu fratrum, Nilei, Androcli & aliorum coloniam hanc deductam teſtentur; forte legendum, *Jones, duce olim Jone profecti Athenas.* ut primum Jonum Athenas adventum ſignificet, unde nunc iterum, duce Nileo, in Aſiam abierint: vide Rupertum. Burm. Simſ. legit, *d. non uno.* Sed v. Cl. Weſſel. ad Chron. ejus p. 406.

Epheſum, Miletum, Colophona, Prienen, Lebedum, Myuntem, Erythram, Clazomenas, Phocaeam, &c.] Forte legendum eſt: *Myuntem, Teum, Erythram.* Neutiquam enim veriſimile, *Teum* ſolam à Vellejo omiſſam, contra auctoritatem Herodoti in I. Strabonis in XIV. Vitruvii lib. IV. cap. I. Aeliani Var. Hiſt. lib. VIII. cap. 5. aliorumque. Graviter autem lapſus eſt vir eruditiſſimus, qui etiam *Chium*, & *Samum*, inſeri voluit. Nam ecce illas ſtatim ſeorſim reddit Vellejus, quod non in continente, ſed mari ſint ſitae. Gratias interim eidem agendas cenſeo, quod apud Aelianum, citato loco, pro Λέσβος, recte emendarit Λέβεδος. Idem mendum ſedet adhuc apud Harpocrationem in Ἰωνία χώρα. Corrigatur igitur. Hoc quoque fortaſſe operae pretium ſit monere, quod pro Ἄνδρος apud eum ſit Ἄνδροκλος. Nec temere mutem. Urbs ea ita primitus dicta videtur ab Androclo Codri filio. Quamvis in diverſum abire ſciam Stephanum in Ἄνδρος. Vossius. *Teum* inſeri debere Vellejanae ſcriptioni non ſtatim dixerim: licet hiſtoria videatur poſtulare. De urbibus ipſis earumque conditoribus vide Strab. XIV. pr. & Steph. de urbib. de *Erythrae* conditore diſputat Meurſius Lect. Attic. V. 8. Boecler.

Parum.] Al. *Pharum.* V. Munk. Ep. Syll. T. V. p. 419.

Et mox Aeolii.] Strabo aliter lib. XIII. Τετράσι γενεαῖς πρεσβυτέραν φασὶ τὴν Αἰολικὴν ἀποικίαν τῆς Ἰωνικῆς, διατριβὰς δὲ λαβεῖν καὶ χρόνους μακροτέρους. *Traditum eſt Aeolicam coloniam quatuor aetatibus Jonica priorem fuiſſe, & moras traxiſſe ac longius tempus.* de quibus moris etiam Vellejus mox meminit. vide Scalig. animadv. Euſeb. ad num. DCCCLXXV. Boecler.

Smyrnam.] Variant de conditore. vel certum ex Tacito lib. IV. Annal. *At Smyrnaei*, ait, *repetita vetuſtate, ſeu Tantalus Jove ortus illos, ſive Theſeus divina &*

 ipſe

ipſe ſtirpe, ſive una Amazonum condidiſſet. adde Strabonem lib. XIV. SCHEGK.

Mitylenemque.] Quae inter pulcherrimas urbes Horatio numerata in Odis:

Laudabunt alii pulcram Rhodon, aut Mitylenen:

Et Epiſtolis:

Incolumi Rhodos & Mitylene pulcra facit, quod
Paenula ſolſtitio, campeſtre nivalibus auris.

Et Longo, apud Muretum Variarum lib. IX. cap. 16. In qua tamen hoc mirum, *Auſter cum flat, homines aegrotant; quum Corus, tuſſiunt; quum Septemtrio, reſtituuntur in ſalubritatem*, ait Vitruvius lib. I. De reliquis doctiſſimus Ortelius in illo laborioſo opere Geographico. SCHECK.

Et alias urbes.] Deleverim pro putido gloſſemate, *urbes quae ſunt.* GRUTER. Sed ad hunc modum multa in Vellejo tollenda fuerint. quae ut κρίσιν interim aliquam admittunt, ita medicinam nondum efflagitant. Ceterum de urbibus hic memoratis vid. Strab. XIII. Herodot. I. Stephanum περὶ πόλεων. Pro *Lariſſa*, *Antiſſam* praetulit vetus codex. ubi Sylburgius annotat, *nullam reperiri in Aeolide.* Sed haud dubie, ad *Lesbum* reſpexit, qui ita exſcripſit: Ἄντισσα, πόλις Λέσβου, ἐφεξῆς τῷ Σιγρίῳ. Stephan. & Strab. XIII. BOECLER.

Homeri.] Vel quia nemo poëta ante eum, vel quia nemo poſtea ad eum, id eſt, quia ſine comparatione maximus, & cui neminem adaeques. In aëre volat hic Pegaſus, ceteri pedibus pulſant terram. LIPSIUS. Pariле huic elogium adſcribit Apulejus, dum Poëtam multiſcium, vel potius cunctarum rerum adprime peritum, & omnis vetuſtatis certiſſimum auctorem, paſſim & praecipue Apologia, appellat. Vere & eleganter Heliodorus ſub finem libri III. Aethiopicôn, poëma Homericum tanquam, ἀνειμένον καὶ ἡδονῇ πάσῃ σύγκρατον ὡς Αἰγύπτιον καὶ τὸ τῆς φύσεως ὑπερέχον, pluribus commendat. BOXHORN.

Illuxit] Heinſius margini adſcripſerat *eluxit*, & certe ita ſaepe Cicero & alii. Sueton. Tiber. LVI. *aliquanto magis in principe eluxit.* Sed quidni, ut novum ſidus, Homerum, & ſolem Poëtarum conſideraſſet Vellejus, qui *illuxit*, ut dies laetus & candidus ſolet; & de quo

pas-

paſſim Cicero & alii hoc verbo utuntur. & hinc mox noſter ei *fulgorem carminum tribuit.* BURMAN.

Qui magnitudine operum, & fulgore carminum, &c.] Editio princeps exhibet *operis.* Quod probum eſt. Sic paulo poſt: *cujus operis primus auctor fuerit.* Et libro II. *Neque ullo in ſuſpecti operis ſui carmine minorem Catullum.* Ita & alibi ſaepe Vellejum locutum obſervavimus. VOSSIUS. Retinuimus *operis*, quod erat in Rhenani codice. BOECLER. Ita ſaepe Quinctilianus, praecipue lib. x. cap. I.

Solus appellari Poëta meruit.] Amo, amo te, Vellei, ob haec judicia. Ille vero non ſummus ſolum poëtarum, ſed ſolus. Nam quis aliorum non peccat? at iſte μόνος τῶν ποιητῶν οὐκ ἀγνοεῖ ὃ δεῖ ποιεῖν αὐτόν. *ſolus Poëtarum non ignorat quid factu ſcriptuque decorum ſit.* Ita magnus Ariſtoteles cenſuit, quem Julius Scaliger, cum ubique audiat, cur hic ſprevit? Ille Ariſtotelem quaſi Deum habuit, at hic Homerum. Alibi inquit: Θεσπέσιος Ὅμηρος παρὰ τοὺς ἄλλους· *divinus Homerus praeter ceteros.* Iterum: Λέξει καὶ διανοίᾳ πάντας ὑπερβέβηκε. *Dictione & ſententia cunctos ſupergreſſus eſt.* Atque haec ille vir, qui laudum & benignioris judicii valde parcus. Quid Plato? ille ipſe qui civitate ejecit, coelo oſtendit dignum. Ὅμηρος, inquit, ἄριστος καὶ θειότατος τῶν ποιητῶν. *Homerus optimus & diviniſſimus poëtarum.* & paſſim talia praeconia in ejus ſcriptis. Alios quid cumulem? nemo tam conſentienti judicio ſapientum omnis aevi laudatus eſt: & id ab iis maxime, qui ipſi laudatiſſimi. Abi igitur Imperitia aut Livor. tu capere, tu carpere non potes *immortalem hanc, coeleſtemque naturam.* LIPSIUS. Adeundi Auctores ipſi: quorum aliquos (nam operae pretium omnia certatim a veteribus congeſta confectandi praeconia) hic nominare lubet. Ac vita quidem divini poëtae Herodoto ſcriptore circumfertur. Plutarchi, qui e pluribus ſuperat libellus, de arte ejus Poëtica potiſſimum disquirit. Adde Dion. Chryſoſt. Serm. 53. Suid. in Ὅμηρος. Strab. I. & paſſim. Quinctilian. x. I. Plin. VII. 29. Gyrald. Hiſt. Poët. Dialog. 2. BOECLER.

Quod neque ante illum.] Utrumque verum eſt. Nam & Homerus *primus doctrinarum & antiquitatis parens*: nec poſt eum natus, qui germanitus exprimeret aut referret. Non ergo ipſe Virgilius? non, Vellejo quidem judice:

atque etiam acri illo Fabio; cujus haec verba: *In verbis, ſententiis, figuris, humani ingenii modum excedit: ut magni viri ſit virtutes ejus non aemulatione, quod fieri non poteſt, ſed intellectu ſequi.* Et profecto ita eſt, omnium rerum, omnium artium, omnis non prudentiae ſolum, ſed ſapientiae, veſtigia, aut expreſſa, aut recondita ſunt in illo. Quem haud temere Themiſtius dixit, προπάτορα καὶ ἀρχηγόνον τῶν Πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους λόγων· *primum parentem auctoremque Platonis & Ariſtotelis ſermonum.* Et Dionyſius: κορυφὴν ἁπάντων καὶ σκοπὸν ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα καὶ πᾶσαι κρῆναι· *verticem omnium & quaſi ſcopum, ex quo cuncta flumina, cuncta maria, cuncti fontes.* Sed diffundor in laudes viri, quem fateor me non aeſtimare, ſed venerari, nec venerari, ſed paene dicam adorare. Lips.

Ante illum quem.] Locus oblitus voculis aliquot ab librariis nimium liberaliter invectis, quippe ſuffeciſſet, *quod neque ante, quem imitaretur, neque poſt, qui eum imitari poſſet, inventus eſt.* Gruter.

Archilochum.] Qui vixit regnante Romulo. Cicero Tuſcul. I. Olympiade nimirum VI. vel VIII. Herodoto tamen regnante Gyge; quod incidit in tempus Olympiadis XX. ni fallor. Schegkius. Archilochus ille praeſtantiſſimis poëtis, quoties in exemplum nominandi ſunt, tum ab aliis, tum a Cicerone conjungitur, Orator. cap. I. *In poëtis, non Homero ſoli locus eſt (ut de Graecis loquar) aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro: ſed horum vel ſecundis, vel etiam infra ſecundos.* Id. II. de Finib. 4. Boecler. Sic & Valer. Maxim. lib. VI. cap. 3. Archilochum Homero proximum ponit, *Maximum poëtam, aut ſummo proximum, carminum exſilio multaverunt.* Heins.

Hic longius a temporibus belli.] Omnia in hoc homine ſive (fas ſit dicere) Genio obſcura: parentes, patria, aetas ipſa. Sed de aetate, certum antiquiſſimum eſſe: & Joſephus contra Appionem aſſerit, *nullum omnino apud Graecos, de quo conſtet, ſcriptum exſtare, quod ſit Homeri carminibus antiquius.* Crates & alii LXXX. circiter annis a bello Trojano removent, Ariſtoteles CXL. tempore nempe deductae Jonum coloniae. Herodotus CLXXIII. At Vellejus noſter inferiorem multo facit: & ex ejus computatione (tu ſi voles, numera: facile eſt) anni ad Ho-

Homerum a Troja ſint paullo plus CCLX. Quae ipſa Latinorum plurium opinio eſt: expreſſa etiam in Agellio, ſed nunc corrupta. Ille libro XVII. in capite illo Chronico: *Homerum ante Romam conditam vixiſſe Silviis Albae regnantibus: annis poſt bellum Trojanum, ut Caſſius in primo Annalium ſcriptum reliquit, plus centum atque ſexaginta; ante Romam autem conditam, ut Corn. Nepos in primo Chronicorum de Homero dixit, annis circiter centum & ſexaginta.* Tu emenda: *Annis poſt bellum Trojanum plus ducentis atque ſexaginta.* Numquam aliter ſcripſit Caſſius: & evincit ipſa Agellii inſequens ſcriptio. Nam ponit eum vixiſſe ante Romam conditam, *annis circiter centum atque ſexaginta.* Atqui ſi prior ille numerus verus: ergo a Troja capta ad Romam natam fuerint modo anni CCCXX. Palam id falſum: & Chronologi conſenſu ſtatuunt ſupra annos CCCCXXX. alii plures. Euſebianum etiam Chronicon hic foedatum: facile emendatu ex his ipſis. LIPSIUS. De aetate Homeri, & ad hunc locum, & alibi, viri docti ſatis multis egere. Non poſſum tamen, quin Plutarchi locum ex vita Homeri, qui eos hactenus torſit, proponam; in quo foedum ἀντιχρονισμὸν tandem tolli intereſt. Ait igitur de vate illo Maconio: παρὰ πλείστοις πεπίστευται μετὰ ἔτη ἑκατὸν τῶν Τρωϊκῶν γεγονέναι, οὐ πολὺ πρὸ τῆς θέσεως τῶν Ὀλυμπιάδων, &c. *Plurimi credunt, ab Trojanis temporibus centum annos defuiſſe, non multo ante conſtitutionem Olympiadum,* &c. Quod ſane ridiculum eſt. Nam a centeſimo poſt Trojam captam anno, ad conſtitutionem Olympiadum, interſunt anni CCCVII. Puto igitur, illud οὐ ab librario inſertum, qui ſciebat, ſecundum quorundam opinionem, Homerum centum modo annis Romae conditu fuiſſe priorem. Inter quos fuiſſe Nepotem, conſtat ex Agellio lib. XVII. cap. 21. VOSSIUS. Si cui vacat aut curae eſt talia indagare, adeat Herodot. & Plutarch. Suid. Gyrald. locis ſupra laudatis, & Gell. Noct. Att. XVII. 21. Scaliger. animadv. Euſeb. ad n. DCCCCXCVI. praeſertim Lipſ. ad h. t. Interim ratio Velleji valde proba, cujus etiam opinioni facilius, quam cujusquam, hac in parte ſubſcripſerim, quippe quae nec Gellio diſconvenit multum, nec Ciceroni, qui in Bruto (c. 10.) inquit: *Homeri etſi incerta ſunt tempora, tamen annis multis fuit ante Romulum.* Id quod alibi etiam dixerat Tullius, ſi-

cuſ ex Auguſtin. XXII. d. C. D. 6. diſcimus. Boeclerus. vide Claud. Salmaſ. in Exercit. Plin. pag. 608. J. G. Voſſium de Poëtis Graecis, & H. Dodwell. Diſſert. III. de Cyclis Veterum. Hudson.

Quod ſaepe illud uſurpat.] Deſunt Graeca verba Homeri, οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν, quae referebat Vellejus ex Iliados lib. v. Ursinus. Optime hanc lacunam ſupplevit Urſinus, hemiſtichio illo, quod ter in Iliade uſurpat Homerus,

Οἷοι νῦν βροτοί εἰσι. ——

Expreſſit id Virgilius XII. Aeneid. de ſaxo, quod Turnus in Aeneam torſit:

Vix illud lecti bis ſex cervice ſubirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus:

Hinc Juvenalis Sat. XV.

Nam genus hoc vivo jam decreſcebat Homero:
Terra malos homines nunc educat atque puſillos.

Denique & huc reſpexit Plinius Nat. Hiſt. libro VII. capite 15. ubi ait: *Cuncto mortalium generi minorem ſtaturam in dies fieri, propemodum obſervatur.* Voss.

Hoc enim ut hominum.] Paraphraſis iſta eſt: cum Homerus dixit, *quales nunc ſunt homines*, non ſtaturae modo & menſurae in ipſis hominibus diverſitatem notat, ſed ſaecula quoque antiquiora ſuo aevo quodammodo opponit, & ea, quam dixi ſtaturae diverſitate, tanquam charactere diſcriminat, alios & majores olim Troicis temporibus, homines fuiſſe, eo autem, quo Iliada ſuam ſcripſit, longe jam minores eſſe ſignificans. Plin. VII. 16. *Jam ante annos prope mille* (obſerva hic obiter aliquid de aetate Poëtae) *vates ille Homerus non ceſſavit minora corpora mortalium quam priſca conqueri.* Gellius III. 10. cum refutaſſet Herodotum, invento Oreſtis corpori VII. cubita longitudinis admenſum; ſubjicit ἐπιπληκτικῶς· *niſi ſit, ut Homerus opinatus eſt, vaſtiora prolixioraque fuerint corpora hominum antiquorum; & nunc quaſi jam mundo ſeneſcente, rerum atque hominum decrementa ſunt.* Juvenalis Sat. XV. 69.

Nam genus hoc vivo jam decreſcebat Homero, &c.

De re ipſa teſtatur etiam Solinus Polyhiſt. edit. Camer-

tis

tis 5. Draudii III. 3. Salmaſii, I. capite: *Si de ipſis hominum formis requiramus, liquido manifeſtabitur: nihil de ſe antiquitatem mendaciter praedicaſſe, ſed corruptam degeneri ſucceſſione ſubolem noſtri temporis per naſcentium detrimenta decus veteris proceritudinis perdidiſſe.* paullo poſt: *Quis enim jam iſto aevo non minor parentibus ſuis naſcitur?* &c. Addenda quae a laudatis modo Editoribus annotata ſunt. item Hug. Grot. ad lib. I. de ver. Chr. rel. pag. 19. Ludovic. Viv. ad Auguſtin. de C. D. xv. 9. Interpr. Virgil. ad illud XII. Aen. *Qualia nunc hominum producit corpora tellus.* Bernegg. p. m. Quaeſt. in Germ. Tac. XIV. *an ab aevo in aevum ſtatura hominum minuatur?* Id. q. 18. Qua occaſione plerique, quos laudavi, de *Gigantibus* diſquirunt, eosque fuiſſe omnino, confirmant. BOECLER.

Coecum genitum putat.] Ob id *Homeri* nomen inditum; antea *Meleſigenes* nominatus, quod Jonibus & Cumaeis, qui captis oculis, *Homeri*. Plutarchus, Herodotus, alii. SCHECK. Non negat Noſter *caecum fuiſſe* (ſicut exiſtimat Gyraldus) ſed *caecum genitum eſſe*. Tantam enim rerum omnium peritiam, & oſtenſa in toto opere rerum oculis uſurpatarum *veſtigia*, imo ſpecimina, non conveni-re ei, qui ab utero matris caecus prodiit, omnes intelligunt. Ceterum ſicut manifeſte falſum & confictum eſt, *caecum natum*: ita quod *caecus poſtea factus* ſit, tradit quidem Herodotus & alii, ſed certitudo ejus aſſeverationis duabus rationibus infirmari poteſt. Primo enim, quod dicitur, ideo pro *Meleſigene*, *Homerum* vocitatum, quod Cumaeorum lingua *Homerus* caecum notaret, in dubium vocatur eorum auctoritate, qui alias, atque, ut videtur, magis probabiles ejus appellationis cauſſas adferunt. vid. Suid. & Gyrald. Hiſt. Poët. Dialog. 2. Deinde, non congruit haec *illata caecitas*, cum eo, quod ſub fide hiſtorica videtur Suidas tradere: figmentum iſtud *congenitae caecitatis* inde originem traxiſſe, quod Homerus cupiditatis, cujus illecebrae oculis primo omnium inſinuantur, ſive quae per oculos in animum ingreditur, per omnem vitam victor exſtiterit. Quanquam aliis alias placuit hujus fictionis interpretationes excogitare, de quibus Gyrald. loco, quem praediximus. BOECLER.

Annis MLXX.] Juſtin. I. 2. 13. annos *mille trecen-*

 tos

tos aſſignat; Diodorus Sic. lib. II. amplius ↀ ccoc. Georg. Monachus ↀ CCCLX. Euſebius (n. 1197.) ↀ CCXL. unde Lipſius exiſtimat in Vellejo reſcribendum MCCXXX. adde *Annium comment.* ad Metaſthenem: & vide omnino, quae Scaliger notavit ad Euſeb. l. modo nominat. & Schubert. de Scrupul. Chronolog. lib. II. cap. 4. & 5. Boeclerus. Cteſiae ſequitur hypotheſin a nobis in Antiq. Hiſtor. & ſingulari diſſertatione refutatam. verior Herodotus I. 95. Ἀσσυρίων ἀρχόντων τῆς ἄνω Ἀσίας ἐπ' ἔτεα εἴκοσι καὶ πεντακόσια πρῶτοι ἀπ' αὐτῶν Μῆδοι ἤρξαντο ἀπίστασθαι. *Cum Aſſyrii annos* DXX. *ſuperiorem Aſiam obtinuiſſent, primi Medi ab iis deficere coeperunt.* Cellarius. Adi Hermanni Conringii Adverſar. Chronol. cap. 6. Hudson.

Abhinc annos ferme DCCLXX.] Ergone hoc geſtum poſt Romam conditam? non, ex ipſo Vellejo & temporum textu. Adde omnino centenariam notam, & ſcribe DCCCLXX. Lipsius. In ſupputandis temporibus ſubinde Vellejus ad annum conſulatus M. Vinicii, cui ſuum opus inſcripſit, tanquam ad ſolennem terminum decurrit. Eſt autem is V. C. DCCXXXIII. *Tiberiani Principatus* XVI. quod, vel ex Onuphrii Panvin. comment. in lib. II. faſt. ſemel hic notaſſe, ſufficiat. Boecler.

Sardanapalum.] Euſebii codices MSS. hunc *Sardanapallum* vocant, ut obſervat magnus Scaliger: qui putat, hoc nomen in obſcenam notam a Graecis detortum. Nam παλλὸς idem, quod φαλλός. Quo ſine dubio reſpexit Tullius III. de Rep. *Sardanapallus ille vitiis multo, quam ipſo nomine deformior.* Unde & Pſeudantonius Σαρδανάπαλλος dictus, ut eſt apud Dionem in excerptis lib. LXXIX. apud Conſtantinum Porphyrogennetam. Invenio etiam apud Heſychium, Σαρδανάπαλα, ἀλλαῖα. Ubi reſtituendum arbitror, αἰδοῖα. Sed nihil in Vellejo mutandum. Pro vulgata lectione ſtant Strabo, Diodorus, aliique vetuſti hiſtorici. Et, ut recte idem Scaliger monet, *Sardanapalus* eſt Aſſyriacum שַׂרְדָּן־פַּל *Sardan-pal*: poſteriorque vocula legitur etiam in nomine regis *Teglath-phal-Eſar.* Voss. Hiſtoriam hanc tradunt Juſtin. I. 3. & iisdem verbis Sarisber. in Policrat. VI. 14. Diodor. Sic. II. Oroſ. I. 19. Athen. lib. XII. (ubi & epitaphium ejus, quod exagitat cum Ariſtotele Cicero Tuſcul. V. 35. Auguſtin. II. C. D. 20. ubi Ludov. Viv.) Suid.

in voc. Σαρδανάπ. Euſeb. n. MCLXXXIV. BOECLER.

Mollitiis fluentem.] Manutius *florentem*. *Fluere facetiis*, *jocis*, Plauto: *mollitia*, *luxu*, Ciceroni, Terentio: *Aſiatico ornatu adfluere*, veteri Poëtae uſitatum. De hoc Juſtinus ait, quod fuerit *vir muliere corruptior. Ad hunc videndum praefectus ipſius*, *Medis praepoſitus*, *nomine Arbactus*, *cum admitti magna ambitione aegre obtinuiſſet*; *invenit eum inter ſcortorum greges purpuram colo nentem*; & *muliebri habitu*, *cum mollitia corporis & oculorum laſcivia omnes feminas anteiret*, *penſa inter virgines partientem*. Triceſimum a Nino numerat Diodorus lib. II. De Semiramide, quo aſtu ad regnum pervenerit, eleganter Muretus in Variis. SCHEGK. *Fluentem* plane membranaceus codex, non *florentem*, quod invexit aliorum nimia florida luxuria. GRUTER. Vera lectio, *fluentem*, quam agnoſcit etiam editio prima. VOSS. In variis lectionibus Raphelengii dicitur editio Rhenani *florentem* habere, quod falſum: habet enim *fluentem*, quod genuinum: exempla paſſim obvia, quae ſuppeditabit Rupertus, & quos laudat. Ego ſolo Vellejo contentus ero, qui lib. II. 88. de Maecenate, *otio ac mollitiis pene ultra feminam fluens*. BURM.

Nimium felicem malo ſuo.] Sic eſt: felicitas paſſim optatur voto non uno: at eam nactis, ipſa fere inſuſurrat: *illic homo*, *a me ſibi malam rem arceſſit jumento ſuo*. de qua re nos plura ad verba Galbae lib. I. Hiſt. Tacit. cap. 15. *Secundae res acrioribus ſtimulis animum explorant*, *quia miſeriae tolerantur*: *felicitate corrumpimur*. GRUTERUS. Ex Ovidio videtur ſumtum, qui de Semele lib. III. Met. 292. *Laeta malo*, *nimiumque potens*. [*Felix malo* eſt, cui felicitas mala creat.] Editio Rhenani ita diſtinguit, & *nimium felicem*, *malo ſuo*, *tertio* &c. *natum*, quaſi jungenda eſſent, *malo ſuo natum*. quod & explicari aliqua ſpecie poſſet, ſed placet tamen prior ſenſus. [*In aula ſua* Warb. Bib. Brit. T. VII. p. 162.] BURM.

Tertio & triceſimo loco.] Diodoro Siculo eſt, *triceſimo loco* ſaltem: at Euſebio, *triceſimo ſexto*. Quid miremur varietatem hanc in re locis temporibusque remota? Sane res Syriaticae parum perſpecte cognitae Graecis Latinisve. LIPS.

Pharnaces Medus.] Juſtinus lib. I. *Arbacem* habet, non

non *Pharnacem.* Voss. Pro *Arbacem* emendamus *Arſacem*, ex nummis Graecis, & Hiſtoria. URSINUS. Non in alio magis variatum nomine. potior tamen pars *Arbaces* exprimit, quam doctiſſimi viri Fabricius & Bongarſius ſequuntur, & hic hunc in modum legunt. mihi tamen non adeo nomine res clara; quia & veteribus non clarum auctoribus. vide Oroſium lib. II. cap. 2. SCHEGKIUS. Strabo, Diodorus, Athenaeus, aliique Graeci, hunc Arbacem nominant. Quomodo etiam in multis Juſtini codicibus legere eſt. Nam alii habent, *Arbactus*. Movet Oroſius lib. II. cap. 2. ut neutrum damnem. Caeterum apud Vellejum, cum viris eruditis malim reſcribere, *Arbaces*. Sed reclamat Urſinus, & ex hiſtoria, nummisque Graecis, ſcribendum cenſet, *Arſaces*. Quod hiſtoricorum fidem advocet, nullius duco, cum ſolum apud Tzetzem, ac quosdam ſequioris aevi ſcriptores, ita id nominis ſcriptum invenias. Majoris videatur, quod nummos Graecos advocet. Sed quid hi ad Medos, eoque praeſertim tempore, quo Mediam Graeci nunquam intraverant? Non dubito itaque, quin nummi, quorum auctoritate eſt ſubnixus, non hunc, ſed poſterioris ſeculi *Arſacen* indicent. Obiter addo, hunc a Suida in Sardanapalo *Perſeum* appellari. Nam ait: οὗτος ἐσφάγη ἀπὸ Περσέως. Sed locum mendoſum eſſe arbitror, nec aliter puto judicabit, qui eundem in *Arbace* conſuluerit. Forte autem ſcribendum, Βελέσεος. Hic, ut Diodorus, aliique teſtantur, adjutor fuit Arbacis in omni hoc negotio. Viderint alii. VOSSIUS. Juſtinus, *Arbactum* vocat; Oroſius II. 2. *Arbacum*, addito tamen: *quem alii Arbacem vocant*. Urſino *Arſaces* potius placuit, quem refutat Ger. Voſſius. *Arbacis* nomen, plerisque uſurpatum, retinuit etiam Sidonius Carm. 9. v. 24. *Non Medis caput Arbacem profabor*. Rem plerisque obſervatam, inſtituti ratione, non omittere debuimus. BOECLERUS. *Arbaces*, eſt in excerptis Valeſianis Nicolai Damaſceni, & ſic lege, vel *Arvaces*. ut Jacob. Bongarſius quoque ad Juſtin. lib. I. & ad Oroſium Franc. Fabricius. Ἀρβάκης enim Diodoro, etiam Straboni, Athenaeo & Agathiae, adhaec in prologis Trogi Pompeji. Oroſio Arbacus ſive Arbaces, Juſtino Arbactus. in Chiliade III. Tzetz. Hiſt. XCV. corrupte, Ἀρυσάκης pro Ἀρβάκης. HEINS.

Lycurgus.] De Lycurgi *genere*, *claritudine*, *legibus*

adi

adi Plutar. Lycurg. Herodot. I. Strabon. VIII. & X. Xenophont. de rep. Lacedaemon. Pauſan. Lacon. Juſtin. III. 2. & 3. Sarisber. Policrat. IV. 3. Cicero ſaepe laudat: qui & aetatem ejus l. V. Tuſcul. 3. Homeri temporibus congruere exiſtimat. verum in ea quaeſtione conſulendus Scaliger animadv. Euſeb. ad n. MCXXII. Boecler.

Vir generis regii.] Ita. Nam ab Ariſtodemi filio Procle originem duxit, qui rex & poſteri ejus Spartae. Suidam corrige: Λυκοῦργος Σπαρτιάτης Πατροκλέους ἀπόγονος. imo Προκλέους. Idem error in Plutarchi Lycurgo, ubi ſtirpem hanc inquirit: Ἀλλὰ Πατροκλέους μὲν τοῦ Ἀριστοδήμου γενέσθαι Σόον: iterum Προκλέους. Sed & in Platone hoc mendum III. de Legib. Καὶ βασιλεὺς μὲν Ἄργους Τήμενος ἐγίγνετο, Λακεδαίμονος δὲ Πατροκλῆς καὶ Εὐρυσθένης. Tolle, tolle. Nam certum ex Apollodoro, Pauſania, Scholiaſte Pindari, aliisque, Proclem ei fuiſſe verum nomen. Aemilius Probus in Ageſilao: *Mos eſt Lacedaemoniis traditus, ut duos ſemper reges haberent ex duabus familiis Proclis & Euryſthenis, qui Principes ex progenie Herculis Spartae reges fuere.* Cur autem duo ſimul, cauſſa ſive occaſio a Panegyrico ſcriptore promitur, ad Maximianum, cap. IX. *Sic fit ut tantum vobis imperium commune ſit, & plane, ut gemini illi reges Lacedaemone Heraclidae, Rempubl. pari ſorte teneatis. quanquam hoc vos meliores & juſtiores, quod illos mater aſtu coëgit, cum nemini fateretur, quem prius ediđiſſet in lucem, pari aetatis auctoritate regnare: vos hoc ſponte facitis.* Lipsius. Abſit eruditorum ut conatum reprehendam, ſed quam non εὔστοχοι hic fuerint, noſtra patefaciet lectio, quam duplam dabo, alterutram certe veram, niſi ego non ſcopo ipſo, ſed toto coelo aberro. Aut diſtinctionem ſolam muto, aut voculam etiam ejicio temere iteratam. Quid enim in eo, ut nunc interpungitur, elegantiae, bis τὸ *vir* repeti? Itaque poſterius abjicies, & leges: *vir gen. r. f. s. i. l. a. & diſciplinae convenientiſſimae: cujus* &c. Senſum pulcherrimum ita nemo non videt: quem quid ego explicem? tantum *diligens diſciplinae*, ſic moneo dictum, ut in Gellio, *Plauti non indiligens*, & Apulejo, *ſedulus naturalium quaeſtionum*, in quo vir magnus hoc temere mutat, prorſus praeter ſolitum ſtultividus. Apolog. I. Verum ſi retinere

nere tibi libido, ecce etiam ita bonam facies ſententiam, ſi puncto bene verba interſtinguas: *Legum auctor, & diſciplinae convenientiſſimae, vir cujus* &c. Vim quamdam & affectum peculiarem ſic exprimimus. Utram ergo nunc vis? de me ſi quaeris, neutram rejiciam, priorem tamen priorem habeo. Acidal. Vix eſt ut triga vocum haec non ſit a mala manu: nec heic modo, ſed etiam infra: *circa quod tempus Caranus, vir generis regii.* Scilicet librarius exiſtimabat, viris magnis omnem perituram majeſtatem, niſi orti forent genere regio. Gruter.

Diſciplinae convenientiſſimae.] *Continentiſſimae* poſtulat uſus Latini ſermonis. Manutius. Conantur emendare, *continentiſſimae;* ſed conantur. Nos ſcribimus, *convenientiſſimae viris.* De Lycurgo ſermo eſt, quem auctorem ait ſeveriſſimarum legum, & ſimul diſciplinae aptiſſimae viris. Nonne ita eſt? Spartana illa diſciplina & inſtitutio, adſtricta, rigida, & quae vere faceret viros. Lips. Non poſſum non exoſculari Cl. Viri Lipſii *viris.* Nam eſt ſane voluptas & quies aliorum omnium, quam virorum. Tacit. vi. Annal. 25. *Sed Agrippina virilibus curis feminarum vitia exuerat.* Ubi nos plura. Gruterus. *Vir.* Poſtrema vox, meo quidem judicio, abundat. fuit namque Lycurgus auctor & legum ſeveriſſimarum & diſciplinae convenientiſſimae legibus. unde Cicero pro Flacco ait, Lacedaemonios ſolos toto orbe terrarum ſeptingentos annos amplius unis moribus & nunquam mutatis legibus vixiſſe. Popma. Nemo eſt eorum, qui in Paterculum commentati ſunt, quem repetitio τοῦ *vir* non offenderit. Mihi probe cognitum, geminationem vocum Vellejo eſſe familiarem. Sic hoc ipſo libro: *Quod cum alii faciant, Tragici frequentiſſime faciunt:* item, *claraſque urbes condiderunt, Smyrnam, Cymen,* &c. *Et alias urbes quae ſunt in Leſbo inſula.* Sic etiam lib. II. *Legemque ad populum tulit, qua Sullae imperium abrogaretur,* &c. *Et alias leges exitiabiles, neque tolerandas liberae civitati tulit.* Nec abſimile illud: *Hujus totius temporis fortunam ne deflere quidem quiſquam ſatis digne potuit, adeo nemo exprimere verbis poteſt.* Mitto plura exempla apponere. Nam ſi omnia recenſere vellem, neceſſe haberem ſingulas fere paginas exſcribere. Aliqua tamen in eorum gratiam notanda eſſe duxi, qui

in Vellejana lectione minus ſunt frequentes. Vossius. Voculam *vir*, quae indubie a mala manu Vellejo inſerta eſt, exſtirpant eruditi. Quid ſi transpoſita interpunctione ex conjectura noſtra ſcriptum fuerit, *Lycurgus vir generis regii fuit, ſeveriſſimarum, juſtiſſimarumque legum auctor & diſciplinae, convenientiſſimaeque virtutis!* Eruditus lector arbitrabitur. Boxh. Tria hic corriguntur a viris doctis: quidam poſtremam voculam, ob inamoenam repetionem, delent; ut ſenſus ſit: *Lycurgum juſtiſſimarum legum & diſciplinae convenientiſſimae auctorem fuiſſe.* Alii (Lipſius ſc. cujus auctoritatem ſequitur Gruterus) eundem ſenſum ita determinant, ut inflexione ultimae vocis, *diſciplinae viris convenientiſſimae*, auctorem faciant Lycurgum. Nonnulli *convenientiſſimam* diſciplinam in *continentiſſimam* mutant: quae vox haud dubie minus convenit ſtilo & menti ſcriptoris. Sicut & media correctio quaeſiviſſe potius acumen, quam inveniſſe videtur. Prima omnium videtur optima, propter id quod ſequitur. Nam illa verba, *cujus quamdiu Sparta diligens fuit*, profecto ſimplicius & melius ad diſciplinam reip. a Lycurgo inſtitutam, quam ad *virum*, id eſt, diſciplinae auctorem retuleris. Quod ſi autem omnino retinendum ſit illud *vir*, malim connectere cum ſequentibus, quam cum antecedentibus; *vir, cujus q. d.* &c. quae *Acidalii* quoque opinio fuit. Nondum enim adducor ut credam, hic potius de moribus & vita, adeoque privata Lycurgi diſciplina, quam de convenientiſſima civitatis, quam condidit, diſciplina ſermonem eſſe. Boecler. Mendoſe iteratur in una eademque periodo *vir*; quanquam non praeter exemplum Vellejanum, ut volunt. ſed cum ſcriptor politiſſimus paſſim ſit interpolatus a mala manu, quis locos illos praeſtabit eſſe ſanos? Legebam aliquando, *diſciplinae convenientiſſimae virtuti.* ut *virtutem* ponat pro fortitudine, quomodo alibi non ſemel. & ſane Lycurgi leges huc potiſſimum ſpectaſſe quis non ſcit? lib. II. cap. 14. *effudit vocem convenientiſſimam conſcientiae ſuae.* ne quid *diſciplinam continentiſſimam* huc revocemus, cum Bongarſio ad Juſtin. lib. III. Argutum & Lipſianum illud haud diffiteor, *diſciplinae convenientiſſimae viris.* quis neget? Noſtrae conjecturae ſubſcribunt illa apud Juſtin. lib. XIV. de Spartanis: *Multis ſeculis murus urbi civium virtus fuerat.* Heinſius,

ſius. Forte ſcripſerit, *& diſciplinae convenientiſſimae vindex.* Nam Juſtinus dixit, *nihil legibus in alios ſanxiſſe, cujus non ipſe prius in ſe documenta daret.* BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 23. 361. V. IX. p. 239. 345.

Quamdiu Sparta diligens fuit.] Cicero Tuſcul. Sublatae leges anno Urb. C. DLXV. cum ſtetiſſent DCCC. Plutarchus. Valerius. lib. I. cap. 3. Juſtinus lib. III. alii. Et quod Vellejus diſciplinae convenientiſſimae virum Lycurgum celebrat, defendi aliquo genere poteſt. In Cicerone a doctis obſervatum, *convenienter vivere*, abſolute, pro *convenienter naturae vivere.* Et temperantiam inculcabat, verum etiam virtutes. Simile infra: *in convivio refrigeratus ab Antonio.* Non tamen pertendo, quin prima fronte magis ad guſtum τὸ *continentiſſimae*, a doctiſſimo Aldo & Bongarſio allatum. SCHEGK. *Fuit haec gens fortis* (inquit Cicero Tuſc. I. 22.) *dum Lycurgi leges vigebant*, & cap. ſeq. *Magnam habet vim reip. diſciplina.* Sane magnam; ad decus & robur, &, ut homines amant loqui de paulo ſerius perituris, ad aeternitatem imperii ſtatuſque. Idcirco plane ad mentem Velleji noſtri Polybius VI. Hiſtor. cum inſtitutam Spartae a Lycurgo diſciplinam judicio politico penſitaſſet laudaſſetque, addit: Διόπερ οὕτω καὶ διὰ τούτων συστησάμενος πολιτείαν, βεβαίαν μὲν, τῇ καὶ συμπάσῃ Λακωνικῇ, παρεσκεύασε τὴν ἀσφάλειαν· πολυχρόνιον δὲ τοῖς Σπαρτιάταις αὐτοῖς ἀπέλιπε τὴν ἐλευθερίαν. *Quum igitur* (verſionem *Caſauboni* adſcribo) *hoc modo & rationibus hiſce civitatem fundaſſet, tum Laconicae univerſae ſecuritatem firmam paravit: tum Spartanis ipſis libertatem diuturnam reliquit.* Tempus autem harum legum pariter & illius floris, de quo Noſter, ac celebritatis Livius XXXVIII. 34. *octingentorum annorum* facit; alii 700. quidam 500. numerant. vid. Nicol. Crag. de rep. Laced. I. 4. Pertinent huc, & quidem cum excellentia ſingularis exempli, quae Guicciardinus prudens ſcriptor lib. II. de forma ac diſciplina reip. Venetae diſſerit, cujus opes & firmitatem non aliunde, quam ex tam praeclaris inſtitutis, proveniſſe oſtendit. Quid interim in *Spartanorum repub.* deſiderarint Magni quidam viri, notum eſt. Ariſt. II. Pol. 7. Polyb. VI. Hiſt. Cic. I. Off. 19. BOECLER.

Excelſiſſime floruit.] Iſocrates oratione; de pace ſcribit, ἑπτακοσίοις ἔτεσιν οὔθ' ὑπὸ κινδύνων, οὔθ' ὑπὸ συμφο-

ρῶν

ρῶν κινηθεῖσαν, id eſt, *ſeptingentis annis neque periculis, neque caſibus ullis, labefactatam. Excelſiſſimus* notant Gloſſae in Petronii Satirico, ut *excelſiſſimi montes*, & *excelſiſſima palma*. Popma.

Ante annos.] Diſſentit a Livio, & aliis, qui, Carthaginem eſſe conditam ante Aeneae adventum in Italiam, tradiderunt: idque, opinor, verius: quos Virgilius quoque ſecutus eſt. Manutius: Hic plurimum variant auctores: quidam ante Trojam captam conditam volunt, inter quos Philiſtus apud Euſebium, & Appianus: quidam poſt captam Trojam, antequam Roma conderetur. Neque hi in numero annorum conſentiunt. Paterculus annos, quinque & LX. ante Romam. Livii epitoma lib. LI. annos DCC. ſteriſſe Carthaginem refert: everſa autem eſt anno urbis DCVII. fuerat ergo ante urbem conditam annos XCIII. Solin. cap. 30. annos DCCXXXVII. vel ut in veteri codice Vineti legitur, DCLXXVII. Euſebius veniſſe in poteſtatem Romanorum anno a conditione ſui DCLXXIII. (ita eſt in MS.) vel ut alii affirmant DCCXLVIII. prior numerus uno anno plus habet, quam Paterculi ratio. M. Cicero I. de Republ. *Nec tantum Carthago habuiſſet opum ſexcentos fere annos, ſine conſiliis & diſciplina.* Sed haec accuratius explicabunt Bochelli mei ad Euſebium obſervationes Chronicae. Bongars. ad Juſt. XVIII. 6. Ut Heroes illi, qui facinoribus & benefactis ſupra mortaleis, quo anguſtiores & venerationi eſſent, patris nomen ejurare, ſed divinae ſtirpis mentiri, caeloque ferre; ita de Carthagine, Dea, quamdiu invicta, ſuſpicari in mentem eſt. taceam de conditore, ecquis ad tempus, quo condita felici Mercurio qui ducat? Fabricius & Bongarſius pleraque adducunt: ſed adducunt, non conciliant, nec ego. non longe abeſt a noſtro Juſtinus, qui LXX. annos ante urbem conditam tradit. cui Appianum ſubſcribere vir doctus ad Florum notat, hallucinatione manifeſta, immo ſibi ipſi contrarius Appianus. ecce in limine Punici, L. ante Ilium captum annis conditam Carthaginem: & paucis interjectis, ſeptingenteſimo anno a Carthagine condita Romanos eis abſtuliſſe Siciliam narrat. jam Siciliam in Romanorum poteſtatem veniſſe DXII. ab U. C. & a Troja capta ad U. C. intereſſe annos CDXXXII. ſcimus. aſſide pulverem eruditum, & puta, numquam conſtabit ratio. Caſſiodorus

rus initio ejus ad Latini Silvii tempora, hoc eſt, annum a Troja capta CVII. refert. Timaeus apud Dionyſium XXXVIII. annos ante Olympiadem primam; quod incidit in annum a Troja capta CCCLXXI. Cum Juſtino congruit traditio Catonis apud Servium, in illud magni vatis, I, Aeneid. 271.

At puer Aſcanius. ——

Et idem ad hoc: IV. 459.

Velleribus niveis & feſta fronde revinctum.

Quod de Didone, inquit, *& Aenea dicitur, falſum eſt. conſtat enim Aeneam trecentis quadraginta annis ante aedificationem Romae veniſſe ad Italiam, quum Carthago non niſi* XL. *annis ante aedificationem Romae conſtructa ſit.* SCHEGK. Conſulendus & Scaliger animadv. Euſeb. ad annum MCLXVII. & MDCCCLXI. maxime vero in canonibus Iſagogicis, Bongarſ. ad Juſtini d. l.

Quam quidam Dido autumant.] Solemnis fere adjectio auctoribus Latinis: cujus ratio Servio propoſita in illud: *Imperium Dido Tyria regit urbe profecta: Dido*, inquit, *vero nomine Eliſſa antea dicta eſt; ſed poſt interitum a Poenis, Dido appellata fuit, id eſt virago, Punica Lingua. quod cum a ſuis civibus cogeretur cuidam de Afris regibus nubere; & prioris mariti amore teneretur, forti ſe animo interfecerit, & in pyram injecerit, quam ſe ad expiandos prioris mariti manes exſtruxiſſe fingebat.* Hactenus Servius, non ille vulgo vulgatus, ne quid erres, ſed doctiſſimi & humaniſſimi Fr. Modii, amici noſtri nullo meo merito, cujus nuperum adverſum caſum ex animo doleo, & libens merito vellem, ut vellet. SCHEGK. Ita Servius P. Daniel. ad I. Aen. pag. 200. *Eliſſae verum & proprium nomen; Didonis autem vocabulum (quod Punica lingua viraginem notat)* ab eventu impoſitum docet. Qua de re, & Eliſſae hiſtoria, accurata quaedam notavit P. Faber Semeſtr. III. 13. inprimis de nomine Didonis vide Sam. Bochartum in Chanaane lib. I. cap. 24. ubi Servium & Euſtathium redarguit, iisque tandem accedit, qui Didonem πλανῆτιν interpretantur, quaſi vagam ſive divagatam. neſcio an praeferenda iis opinione, qui ab amore deducunt. pag. 515. & 516. BOECL.

Cir-

Circa quod tempus Caranus.] De hoc Juſtinus lib. VII. Solinus Polyhiſtore, Plutarchus Alexandro, & Livius lib. XLV. cap. 9. his verbis: *viceſimum a Carano, qui primus regnavit, Perſea numerabant.* Hoc amplius autor de origine gentis Romanae: *Rocaranus quidam Graecae originis, ingentis corporis & magnarum virium paſtor, quia erat forma & virtute caeteris antecellens, Hercules appellatus.* Unde forte nomen *Carani* manſit in poſteritate Herculis, a quo paternum genus Alexander magnus duxit. BOXH.

Caranus.] Editio princeps, *Toranus.* Quod poterat eſſe, *Coranus.* Heſychius: Κόραννος βασιλεὺς Μακεδονίας. Sed exiſtimo Heſychium in vitioſos codices incidiſſe. Nam ne aliquid mutemus in illo, ordo literarum; ne in Vellejo, caeterorum conſenſus prohibet. VOSS. In editione Rhenani lego *Taronus*; non *Toranus.*

Vir regii generis.] Iterumne hoc commation; *vir generis regii?* Atqui paullo ante praeivit de Lycurgo. Cenſeo hic inepte inſitum; deletor. Quid ſi nec e regibus Caranus? non legi: ſed hoc tantum: Κάρανος, εἷς τῶν Ἡρακλειδῶν· *Caranus unus ex Herculis poſteris.* Ita Suidas. Vide & Solinum cap. XV. & Pauſaniam lib. IX. extremo: & diffuſe Juſtinum libro VII. LIPS. Lipſius & Gruterus delent illa: *vir generis regii.* Mihi ſuſtinere aſſenſum hic lubet: qui ſciam, repetitiones eorundem verborum, quas alii vitant, Vellejo non familiares modo, ſed aſſiduas eſſe. Et quod de genere regio tradit Noſter, nec veriſimilitudine caret; in Temenida; & refutari certa ratione nequit. BOECLER. Cum & Lycurgus paullo ante ſit dictus *vir generis regii*, Gruterus inconcinna ejusdem elogii repetitione offenſus, hoc loco id cenſebat eſſe expungendum: praeſertim quod Caranum ſtirpe regia oriundum fuiſſe parum liqueat. Forte dederit tamen Vellejus, *vir generis egregii.* Sic de Philippo Silius:

Hic gente egregius, veteriſque ab origine regni
Aeacidum ſceptris proavoque tumebat Achille.

HEINS. De genere regio Carani ſatis olim conſtitit, cum ex Argivis regibus, qui & Heraclidae erant, oriundus eſſet: unde Liv. XXXII. 22. dicit, *Argivos credere Macedonum reges a ſe oriundos.* Phidonis fratrem quidem

tuunt; Archelaum vocat Hyginus fab. CCXIX. & Temeni vel Timeni, filium, de quo ſupra cap. II. Hunc quoque in nummo Wildiano repperiſſe ſe putabat, qui ſemper acutius ceteris cernere ſolebat, Jac. Gronovius Tom. II. Antiq. Graec. Sed caput illud capillis decoris & cincinnis inſigne, & laurea corona redimitum clamat Apollinem eſſe, ut ipſe nummi poſſeſſor recte conjecit: & cum multae urbes fuerint, quae Aegae dictae, lubricum eſt definire, cujus urbis hic nummus ſit. Harduinus in Αἰγαίων diverſas profert, qui conſulendus: nos hic inhibemus, cum nec ipſe Holſtenius, qui ad Stephanum quosdam nummos profert, certe ſtatuere audeat, ad quam, ex tot Aegis, urbem unaquaeque ſit referenda. Burm.

Sextus decimus.] Scaliger animadv. Euſeb. ad n. MCCIII. *Caranus Heraclida undecimus ab Hercule, ſeptimus a Temeno.* Boecler.

Regnum Macedoniae.] Vid. Juſt. VII. I. Solin. Polyhiſt. ubi de Macedon. agit. Boecler.

Septimus decimus.] Decimum numerat Juſtinus, non, ut hic ſeptimum decimum. Manut. Livius lib. XLV. 9. *Viceſimum a Carano, qui primus regnavit, Perſea numerabant.* Triceſimum Juſtinus facit contra hiſtoriae fidem: hic Rhenanus, *Toranus*. Schegk. Vide iterum varietatem, & ride. *Duodecimus* eſt Juſtino: *vigeſimus quartus* Euſebio. Jam in tota ſumma quam differunt? Juſtinus *triginta* modo reges ad Perſea Philippi F. numerat: Euſebius *quadraginta*: Livius non niſi *viginti*. Ideo male curioſi illi, qui hic ex Juſtino Vellejum corrigunt. Lips. Parum εὔστοχοι hic fuere viri docti, cum adnotarunt, diſſentire alios a Vellejo. Quippe Juſtino eſſe, *duodecimum*, Euſebio, *vigeſimum quartum*. Sed illi ſolum inter ſeſe pugnant. Nam loquuntur de ſucceſſione in regno. Quin autem noſter de ſucceſſione ſtirpis loquatur, extra controverſiam pone. Vossius. Reineccius (in regno Maced.) *vigeſimum ſecundum* reg. Maced. ſumto a Carano initio facit. Si de ſucceſſione ſtirpis velis capere Vellejum, facilius *decimum quartum*, quam *decim. ſept.* numerabis Alexandrum. adde Freinsh. Curt. Comment. Prolegom. cap. 5. Boecler.

Materni generis Achille auctore,] Nam Alexander per Olympiam genus ad Neoptolemum referebat. auctor Plutarchus.

tarchus. Hoc adſpectu ſequentes quoque Macedonum reges Achillaeum genus jactarunt: ut Philippus ille pater Perſis, cui bellum Romani fecere. Silius:

Hic gente egregius, veteriſque ab origine regni
Aeacidum ſceptris, proavoque tumebat Achille.

Et ita interpretandi Propertiani iſti verſus:

Et Perſen proavi ſimulantem pectus Achillis;
Quique tuas proavus fregit Achille domos.

Interpretandi? imo & corrigendi. Nam in vett. ſcriptisque libris reperio, *ſtimulantem*. bene; ſi amplius etiam emendes, *proavo*, & *Achille*. Ordo & ſententia verborum haec eſt; Teſtor Perſen, qui ſtimulabat excitabatque ſe ad magna, proavo Achille; ſive memoria rebusque geſtis Achillis. Omnino haec ſententia. Vulgata frivola aut falſa. Quomodo Perſes ſimulaverit pectus magnanimi herois, qui ipſe palam timidiſſimus & ignaviſſimus hominum? Res geſtae atque exitus ejus loquuntor. Lips. Diodor. XVII. pr. Ἀλέξανδρος γεγονὼς κατὰ πατέρα μὲν ἀφ' Ἡρακλέους, κατὰ δὲ μητέρα, τῶν Αἰακιδῶν, &c. Plutarch. Alex. Arrianus II. Pauſan. Attic. Curt. IV. 2. 3. It. IV. 6. 29. VIII. 4. 26. Oroſ. III. 12. Julian. Caeſ. Boecler.

Aemilius Sura.] Hoc totum, usque ad illud, *inter hoc tempus, & initium Nini*, &c. tollendum eſſe putat Petrus Delbenius, acerrimi judicii, ſummaeque doctrinae adoleſcens. Putat autem additum eſſe ex gloſſemate alicujus ſtudioſi, qui ad illud, *qui princeps rer. potius*, in margine annotarit, Aemilium Suram eodem loquendi genere uſum eſſe, nam in ejus verbis haec leguntur: *Aſſyrii, principes omnium gentium, rer. potiti ſunt.* Manut. Sintne haec integra & ſine hiatu: imo ſintne Vellejana, addubito. Non ſolet inſerere aut advocare verba auctorum, nec in compendio iſto valde decet: tamen ſunto. Quis iſte Aemilius Sura? non repperi. Hoc tantum, in Plinii Indicibus aliquoties laudari *Manilium Suram*. An illum teneas, an hunc ſubſtituas, tu vide. Lips. Haec verba, quae a Vellejanis characterum forma ſeparavi, jam olim ex annotatione ad oram libri appoſita in contextum irrepſerunt. De autore nihil compertum habeo, niſi multo poſteriorem Vellejo fuiſſe;

circa aetatem Antonini Philoſophi, ut annorum calculus utriusque indicat. Vellejus numerat a Nini imperio ad conſulatum Vinicii annos MDCCXL. Sura ad tempus ſcriptionis ſuae annos MDCCCCXCV. POPMA. Sequor viros eruditos, qui totum hoc fragmentum, usque ad, *hujus temporis aequalis*, &c. tollendum cenſent. Aliter tamen Joſ. Scaliger Canonum Iſagogicorum lib. III. qui cenſet; id locandum poſt verba, *Arbaces Medus imperio vitaque privavit.* Argute. Et, niſi ſane compendio huic indecorum fuerit tam prolixum locum citare, ille omnino ſequendus eſt. VOSS. Fallitur Gruterus, qui viros eruditos ſecutus, hoc Surae fragmentum, quod ſequitur, uncis includit, quaſi e margine in contextum irrepſerit, nihil faciens ad ſeriem vel brevitatem Vellejanam. Neque enim praeter morem Velleji eſt alios in teſtimonium adducere, ut videre eſt paullo poſt, ubi de Capua a Tuſcis condita pluria commemorat ex M. Catone. Idem obſervare eſt in Lampridio, Capitolino, Pollione, aliisque, qui licet breviaria tantum conſcribant, aliorum auctorum verba prolixius paſſim inculcant. Ut omittam elegantiſſimum hoc fragmentum verbis pauciſſimis pluria vel potius ſummam eorum, quae jam dicta ſunt a Vellejo, vel adhuc dicenda, complecti. BOXHORN. Conſentiunt viri docti, hoc gloſſamentum eſſe, & in margine forte libri ab antiquario aliquo adſcriptum, poſtea a librariis ea temeritate, cujus paſſim exempla obvia ſunt, receptum, niſi quod Scaligero videbatur, in partem contextus venire poſſe, ſi poſt illa poneretur: *Pharn. Medus imperio vitaque privavit.* Quae conjectura, ſicut argumento non diſconvenit: ita ſcripturae modus & connexio ceterae narrationis nihil tale agnoſcit. Si enim quod ſequitur; *ea aetate cl. G. n. Lycurg.* &c. ad iſtud tempus, quo ſumma imperii ad populum Roman. pervenit, referas, manifeſte erit falſum: ſi, quod omnino faciendum eſt, ad Sardanapali interitum recurras, qualis erit verborum, interrupta per inſolentem interpoſitionem ſerie, connexio? Quare nihil hic ambigendum arbitror. De ipſo auctore nihil admodum conſtat. Plinio laudatur Manlius aut Manilius *Sura*, ſed hic *Aemilium* retinere, codicum conſenſus jubet. v. G. I. Voſſii III. de Lat. Hiſtor. part. poſt. BOECLER. Multis diſputavit hoc de loco Voſſius pater, libro de Hiſtoricis Latinis,

tinis, contenditque ab ipſo Vellejo hic loci inſertum eſſe id fragmentum *Aemilii Surae*, ac alios laudat complures, qui in eadem ſint ſententia. At vero cum Vellejus noſter ab imperio Nini ad M. Vinicii conſulatum annos ſtatuat MDCCXL. Sura autem ad ſua tempora ab eodem imperio annos MDCCCCXCV. facile apparet Vellejo hunc ſcriptorem eſſe multo recentiorem. HEINS. Salmaſius ad Tertull. Pall. pag. 160. hic ſcholium ab antiquario aliquo ad marginem libri adſcriptum, poſtea in contextum temere a librariis receptum eſſe, putat. [Si Velleji eſſent, ſcripſiſſet MDCCC.] BURM.

Inter hoc tempus.] Quae haec verba praeceſſerant alia pluſcula, conſulto conſilio e contextu removi, quae Velleji non eſſe, non clariſſimi Delbenii tantum auctoritas, ſed mea quoque mihi opinio, qui ea nihil huc facere, & nexum Vellejanae orationis interrumpere viderem, perſuaſit. Audaciae, quamquam ea hac in re nulla eſt, ſi quis tamen accuſare me parabit, veniam deprecor: ſimul inde ſublata, ſi in editione noſtra deſiderabit, hic extra ordinem & numerum legitimae hiſtoriae repono: *Aemilius Sura de annis populi Romani: Aſſyrii principes omnium gentium, rerum potiti ſunt, deinde Medi, poſtea Perſae; deinde Macedones. exinde duobus regibus Philippo & Antiocho, qui a Macedonibus oriundi erant, haud multo poſt Carthaginem ſubactam, devictis, ſumma imperii ad populum Roman. pervenit*, ACIDAL. Caute lege. Quod hoc tempus? an Vellejanum, uti ſolet numerare? minime; ſed hoc, quo ſumma rerum, victis Macedonibus & Antiocho, pervenit ad Romanos. Ab eo, inquam, tempore ſurſum computando ad Ninum, tot ſunt anni. Niſi obſervas; numeri nimis falſi. LIPS. Ita quidem *Rhenani* editio, quam plerique ſequuntur, haec verba Vellejanis accenſuit, cum priora, *Aemilii Surae*, incluſiſſet uncis. Sed neque haec Velleji eſſe, quin potius laciniam gloſſae prioris, recte Lipſius notavit. Id quod ex ſequentibus clare apparet. Ad rem ipſam quod attinet, ſatis notum eſt Graecorum Chronica Hiſtoricos Aſſyriis & Nino principem locum ſemper tribuere; licet non primus, ſed tertius Aſſyriorum rex fuerit. vide not. Bongarſ. ad Juſtin. I. I. 4. d. & Franc. Fabric. ad Oroſ. I. 4. BOECLER.

Nini.] Editio Rhenani *Niſi*, ſed in margine erat *al. Nini*.

Princeps.] Caeſar; *quae pars civitatis Helvetiae inſignem pop. R. cladem intulerat, ea princeps poenas perſolvit.* De hac voce, in principio auctor de Origine urbis ab elegantiſſimo Schotto editus. Schegk.

Hujus temporis aequalis.] Cujus item temporis? non jam dicti, ſed retrorſum flecte oculos ad Caranum. Cum ille ad regnum venit, hic ad Muſarum fontes. Illa ipſa conjunctio temporum ſuggerit, totum illud Aemilianum inſititium eſſe, & ab alio quam Velſejo adtextum. Lips. Hic demum, poſt inſulta aliena verba, Vellejanum textum, & novum caput, redauſpicari oportebat: nam ad Carani tempus Heſiodi refert Noſter. Atque *iſta ipſa conjunctio temporum ſuggerit* (inquit Lipſius) *totum illud Aemilianum inſitum eſſe, & ab alio quam Vellejo adtextum.* Boecler.

Circa CXX. *annos.*] Cicero de Senectute, Homerum multis faeculis fuiſſe ante Heſiodum ſignificat. Dio tamen Chryſoſtomus in ſecunda oratione de Regno aequales facit. Gellius neutrum affirmat, ſed potius in dubium vocat, lib. III. cap. II. Et lib. XVII. cap. 21. *De Homero,* inquit, *& Heſiodo, inter omnes fere ſcriptores conſtitit, aetatem eos egiſſe vel iisdem fere temporibus, vel Homerum aliquanto antiquiorem.* Plutarch. in Παραμυθ. perſpicue poſteriorem Homero Heſiodum facit. Ὁ δὲ, inquit, de Homero jam locutus, μετὰ τοῦτον καὶ τῇ δόξῃ καὶ τῷ χρόνῳ Ἡσίοδος. Vide & Tzetzen in Lycophronis Caſſandram. Manut. Scio quid jam olim, quid hodie, ſuper hac re ſcriptum: tamen venia mihi unius liberioris judicii eſto. Arbitror & imbibi, Heſiodum vetuſtiorem Homero eſſe. Quin alter ab altero verſus & hemiſtichia pluſcula ſumpſerit, negari non poteſt; ſed meis auribus atque animo major ſimplicitas, &, ut ſic dicam, rudior antiquitas in Heſiodo comparet. atque ille praeiverit magnus vates maximo vatum. Lips. Poſteriorem Homero Heſiodum faciunt plerique, & cum Noſtro conſentit Euſebius, qui n. MCCX. Carani temporibus coaevum tradidit. Iſacius Tzezes in proleg. ad Lycophron. cum de Homero tragico praemiſiſſet, ſubjungit: ἔστι γὰρ καὶ ἕτερος Ὅμηρος, ὅνπερ ἐγὼ τὸν Ἡσίοδον νομίζω ἰσόχρονον, κἄνπερ τὰ τοῦ παλαιοῦ Ὁμήρου μετατρέχωσιν εἰς αὐτόν. Diſputat de hac quaeſtione etiam Gellius III. II. & XVII. 21. concludit quaſi in hanc ſen-

ſententiam: *de Homero & Heſiodo inter omnes fere ſcriptores conſtitit, aetatem eos egiſſe vel iisdem fere temporibus, vel Homerum aliquanto antiquiorem*, &c. Lipſius (cum Scaligero I. poët. 5.) iis accedit, qui Heſiodum antiquiorem Homero ſtatuunt; *eo quod major ſimplicitas & quaſi rudior antiquitas in Heſiodo appareat.* Quae ratio occaſionem ſuppeditat Criticis, eruditae inter utriusque ſtilum comparationis inſtituendae. Seneca epiſt. 88. videtur hanc & ſimiles quaeſtiones pro inutilibus ſpernere, quod in eo genere diſputationis (ſcilicet ubi fructus verae philoſophiae in vita quaeritur) ſane fatendum eſt. Alias non parum juvant partim veſtigationem temporum, partim memoriam, excellentium virorum συγχρονισμοὶ, qui in ſtudio Chronologico, ut gemmae quaedam, eminent. BOECLERUS.

Melliſſima dulcedine.] *Suavitatem* capio *ſtili & lenitatem.* Ita Dionyſius: Ἡσίοδος μὲν γὰρ ἐφρόντισεν ἡδονῆς, καὶ ὀνομάτων λειότητος, καὶ συνθέσεως ἐμμελοῦς, quem ſecutus Fabius X. inſtitut. orat. I. *lenitatem verborum & compoſitionis probabilis* in hoc poëta laudat, *darique ei palmam* teſtatur *in illo medio genere dicendi.* BOECLERUS.

Qui vitavit, ne in id, quod Homerus inciderat.] Legendum potius videtur; *qui, ne in id, quod Homerus, incideret.* Nam τὸ *vitavit* omnino abundat, cum ſequatur, *teſtatus eſt.* Voss. *Vitato*, non *vitavit*, reſcribi debere cenſeo: cum alii id verbum expungant. Eſt enim hic loquendi modus cum hiſtoricis aliis, tum Tacito familiaris; & Juſtino, quorum hic libro XXXVIII. cap. I. ut quidem ſcripti potiores, *Mithridates intellecto quantum bellum ſuſtineret*, non *intelligens*. idem lib. XXVII. 3. *Cognito, quod ſibi inſidiae pararentur.* Et, *quaeſito an incolumis effugiſſet.* Curtius VI. 5. *Deſperato regionem poſſe retineri.* Adi ſis Gronovium ad Liv. I. cap. 41. HEINS. Immo ſi *vitato* legas, quid facias particulae *que*, poſt *patriam?* quae expungenda certe erit; ſed in vulgata nihil mihi occurrit, quod offendat, ſi modo *incideret*, cum Eraſmo & aliis, non *inciderat*, ut eſt in Rhenani editione, legas. forte aliquis etiam mallet legere, *vitavit, ne in id, in quod Homerus, incideret*, ſed non novum, praepoſitiones, quae geminandae videbantur, ſemel tantum ponere. Quinctilian. VIII. 3: *Quo ex judicio, velut in-*

incendio effugit. Ex incendio debuiſſet dicere. Sed magis appoſite Nepos Cimon. III. *incidit in eamdem invidiam, quam pater ſuus.* Et ita noſter, lib. II. 115. *Et ob ea, quae, ſi propriis geſſiſſet auſpiciis, triumphare debuiſſet,* ubi nihil opus reponere, *ob ea, ob quae*, ingrata geminatione praepoſitionis. Sic & Graeci. Lucas Act. XIII. 3. ἀφορίσατε δή μοι τόν τε Βαρνάβαν καὶ τὸν Σαῦλον εἰς τὸ ἔργον, ὃ προσκέκλημαι αὐτούς. pro εἰς ὃ, ut quidam contendunt legendum eſſe. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 23.

Ne in id, quod Homerus, incideret.] Quam ob cauſam Homerus de patria & genere ſuo nihil prodiderit, his verbis exſequitur Heliodorus libro & loco jam dictis. Αὐτὸς μὲν, inquit, οὐδὲ πόλιν, ἢ γένος ὀνομάζων, τί δὲ σκοπῶν, ὦ πάτερ, ἐσιώπα τὴν ἐνεγκοῦσαν; ἤτοι, τὸ φυγὰς εἶναι καταιδούμενος· ἐδιώχθη γὰρ ὑπὸ τοῦ πατρὸς, ὅτε ἐξ ἐφήβων εἰς τοὺς ἱερωμένους ἐνεκρίνετο, ἀπὸ τοῦ κηλίδα φέρειν ἐπὶ τοῦ σώματος νόθος εἶναι γνωρισθεὶς· ἢ καὶ τοῦτο σοφίᾳ κατεργαζόμενος κἀκ τοῦ τὴν οὖσαν ἀποκρύπτειν πᾶσαν ἑαυτῷ πόλιν πατρίδα μνώμενος. id eſt, *ipſe autem, nempe Homerus neque patriam neque genus nominavit. Quorſum autem ſpectans, pater, tacebat patriam? Aut quod pudebat illum exſilii; erat enim pulſus a patre, quando ex ephebis inter conſecratos recenſebatur, ex eo quod notam ferret in corpore ſpurius cognitus; vel hoc etiam ſapienti conſilio fecit, ac dum veram celaret, omnem urbem patriam ſibi vindicabat.* BOXH. Sc. ut patria ejus ignoraretur. Notus eſt Ciceronis locus Orat. pro Archia cap. 9. *Homerum Colophonii civem eſſe dicunt ſuum, Chii ſuum vendicant, Salaminii repetunt, Smyrnaei vero ſuum eſſe confirmant. itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt. Permulti alii praeterea pugnant inter ſe, atque contendunt.* Porro, *cur Homerus patriam genusque ad poſteros non prodiderit*, vide apud Heliodor. Aethiop. lib. III. cap. 8. f. BOECLER.

Patriamque & parentes.] Exſtant hodieque ii verſus male amici in natale ſolum: in ἔργ. 637.

Νάσσατο δ' ἄγχ' Ἑλικῶνος ὀϊζυρῇ ἐνὶ κώμῃ,
Ἄσκρῃ, χεῖμα κακῇ, θέρει ἀργαλέῃ, οὐδέποτ' ἐσθλῇ.

LIPSIUS. Adde Suid. voc. Ἡσίοδ. Gyrald. Hiſt. poët. dial. I. BOECLERUS.

Contumelioſiſſime.] Jure ſugillat Poëtam Vellejus: ea enim patriae auctoritas in cives, ut nulli non impingere

poſſit

poſſit Terentianum illud: *Nam ſi ego digna hac contumelia ſum maxime, at tu indignus, qui faceres.* In quam rem abunde multa collegimus ad Livii lib. XXVII. cap. 36. ubi eſt, *ut parentum ſaevitiam, ſic patriae patiendo ac ferendo leniendum eſſe.* GRUTER.

Maximique erroris.] *Maximeque* Editio Rhenani, qui in margine notavit, alias *maximique*.

A Tuſcis Capuam, Nolamque.] De Capua condita variae ſententiae, & alibi promptae: nec libet exſequi. De Nola, ab *Japygibus conditam* eam Juſtinus ait: at Solinus cap. VIII. a *Tyriis*. Quod Solinianum jure miratus ſum. nam quae alia oppida, in Italiae eo tractu, Tyrii condiderunt? nos non legimus, & fidenter reſcribimus, a *Tyrrhenis*: ut conſentiat cum Vellejana traditione, aut ſi forte, *Thuriis*. Sane & Polybius, *Tyrrhenos habitasſe*, ait, *Phlegraeos campos, qui circa Capuam & Nolam ſunt.* LIPS.

Capuam.] Unde *Oſcella* dicta. *Capua* (inquit Florus lib. 1. cap. 16.) *& ipſa caput urbium, quondam inter tres maximas, Romam, Carthaginemque numerata.* Nominis ratio ambigua ſcriptoribus. Livius lib. IV. *Vulturnum Hetruſcorum urbem, quae nunc Capua eſt, ab Samnitibus captam, Capuamque ab duce eorum Capy; vel, quod propius vero eſt, a campeſtri agro* (idem Plinio viſum lib. III. cap. 4.) *appellatam.* Suetonius Caeſare, Dionyſius, Strabo, a Capy; quorum opinio magis ex argumento agit: Silius lib. II.

Tum Capys ut primus dederit ſua nomina muris. SCHEGK.

DCCCXXX.] Videndus Scaliger ad Euſeb. num. MDLXXX. BOECLERUS.

Anni ſunt fere quingenti.] *Sint.* ſic jubent ſuperiora. HEINS.

Pace diligentiae Catonis dixerim.] Nihil huc pertinet, quod afferam: ſed locus hic ipſe in alterius me Gelliani memoriam inducit, quem vitioſum etiam, magno emendatorum probro, non tempero mihi, quin alieniore loco, & quamvis praeter rem, non praeter rationem tamen, hic corrigendum ſuſcipiam. lib. XV. cap. 3. legitur: *Praeterea vix acerrimae in ſtudio literarum licentiae M. Tullius non ſola eſſe haec duo verba dixiſſet, ſi reperiri poſſet ullum tertium.* Quae ſanitatem quidem ſpecie

 men-

mentiuntur, penitus introſpecta non conſiſtunt: & falſa libri quoque variantes arguunt. Ego in voce, *licentiae*, capitalem arbitror ſyllabam fugiſſe, qua reprehenſa ſcripſerim, *diligentiae*. Nam *c* quoque in *g* abiiſſe non mirum; niſi ſi literarum quis non videt adfinitatem. *Vir* autem pro *vix* libri vetuſtiores omnes habent: cui haerere nequaquam poteſt vox *licentiae*, idque cum animadverſum ab aliis, in alterum iſtud converſum. Omnino ad rem, qua de agitur, aptius dixerit Gellius, *virum* fuiſſe M. Tullium *acerrimae diligentiae*, quam *vix acerrimae licentiae*. Nam quid tandem ita acriter, etſi non acerrime, licere ſibi in ſtudiis Cicero voluit, aut putavit? quaeve licentia, negare id eſſe, quod reperiri non poſſit, aut id, quod non ſit, affirmare? hocne licentiae potius nomine, quam quovis alio criminabimur? Sed vix eſt, ut ego non ſim dignus crimine, qui in re clara diutius tricor. *Vir acerrimae diligentiae*, Tullius; quod latere eum nequaquam potuerit, ſi aliter ſit in re, non maximi quidem illa momenti, atque ab ipſo pronunciatum. Ergo ſic tandem reſcribe: *Praeterea vir acerrimae in ſtudio literarum diligentiae, M. Tull. non ſola eſſe haec duo verba dixiſſet, ſi reperiri poſſet ullum tertium.* Ciceronis autem locus eſt, quo reſpicitur, in Oratione ad Brutum: *Quod ſi etiam abſugit, turpe viſum eſt: & abſer noluerunt, aufer maluerunt? quae praepoſitio praeter haec duo verba, nullo alio in verbo reperitur.* Acidalius. *Diligentiae* codex Rhenani. Noli itaque audire editiones, quae exhibent *diligentis*. Vossius.

Tam mature tantam urbem.] Nec caret haec ejus incredulitas ratione ſua, ut oſtendi ad Taciti locum lib. xiv. 27. *Laodicea tremore terrae prolapſa nullo a nobis remedio, propriis opibus revaluit.* Gruterus. Habet hoc argumentum vere πραγματικὴν ἐπίστασιν. Solent enim urbes tardo profectu ad magnitudinem quandam eniti: atque licet ἀκμὴ ſaepe brevis ſit, παρακμὴ plerunque celerrimo relapſu ad exitum contendat, magnum tamen momentum temporis in *reſurgendo* ſtatui debet. difficulter reſurgunt dejecta, dum velut de integro arduam creſcendi viam auſpicantur. quae ad Philoſophiam hujus loci pertinent, infra tradentur ad ii. xi. 3. Boecler.

Et ad excitandam.] *Exercitandam* malui, quam, quod aliis arriſit, *excitandam*. Praeter ceteras rationes, ita

infra

infra cap. 13. *ſemper aut corpus periculis, aut animum diſciplinis exercuit.* Acidal. Aldus: *Et ad exercitandam corporis animique virtutem efficaciſſimum O. i. h. auctore Iphito Elio.* De Olympiorum ludorum, & mercatus (exemplo quorum Imperatores poſtea Agonem Capitolinum inſtituerunt) origine, reſtauratione, auctore, qui varius narratur, ſolemnibus, accurate Eliacorum priorum Pauſanias, & Bened. Pererius Societatis Jeſu in principiis Naturalibus. Scheck. *Excitandam.* Primae editionis & optimae haec erat lectio: ex qua *Aldus*, neſcio quo κρίσεως inſtinctu, *exercitandam* fecit: quod poſtea placuit Acidalio comparatione loci alterius (e 1. 13. 3.) commendare. Boecler. Ego praetuli *excitandam*, quia rectius virtus ita dicitur, quam *exerceri*: & ludi hi per certamina ludicra excitabant adoleſcentes, ut virtutem deinde bellis exhiberent. Burm.

Corporis animique virtutem.] Idque requiri in omni certamine legitimo, diffuſe probavimus ad illa Livii lib. 1. cap. 9. *Ludos parat Neptuno equeſtri ſolemnes, Conſualia vocat.* Gruter.

Olympiorum.] Hoc eſt illa celebris *periodus Iphiti Olympica*, qua agonem a Pelope inſtitutum, ab Atreo & Hercule repetitum, deinde rurſum poſteriorum negligentia omiſſum, Iphitus Praxonidae filius poſt annos cccc. (ut rotunde loquamur) reſtauravit. Ut ad hunc temporum characterem, & per eam ad tempus Romae conditae Noſter liquida deſignatione perveniret, pleraque huic notitiae inſervientia hactenus veſtigavit. Hoc initium eſt verioris, certe diſtinctioris, apud ſcriptores hiſtoriae. ὅτι οὐδὲν Ἕλλησι πρὸ τῶν ὀλυμπιάδων ἀκριβὲς ἱστόρηται, teſte Juſtino Martyre Paraen. ad gent. cui conſonat, quod apud Euſeb. Chron. 2. n. mccxl. legitur: *Ab hoc tempore Graeca de temporibus hiſtoria vera creditur. Nam ante haec, ut cuique viſum eſt, diverſas ſententias protulerunt.* Ad quem locum vide quae Joſeph. Scaliger notavit. Item lib. 1. de Emend. temp. de periodo Olympica, & lib. v. de initio Olympiadum. Juvabit etiam inſpexiſſe, quae parens Joſephi, Julius, diſſerit, Poëtic. 1. 24. & Calviſ. Iſag. Chronol. 39. Pontan. Philocal. x. 23. Camers ad Solin. 1. Nicol. Epiphill. iv. 21. Coel. Rhodigin. vii. Antiq. lect. 38. praeſertim ex antiquis, praeter Solinum, Strabo lib. viii. Phle-

Phlegon Trallianus in fragm. de Olympiis, Pauſan. Eliac. I. BOECLER.

Initium habuit, auctore Iphito Elio.] Manutianum hoc, quod expreſſi. Editio recentiſſima ſecuta vetuſtiores, *habuit auctorem Iphitum Elium.* Inde verum elicui, ſicque totum locum cenſeo emendandum: *Clariſſimum deinde omnium ludicrum certamen, & ad exercitandam corporis animique virtutem efficaciſſimum, Olympicum,* (ſive, ut infra eandem vocem alii legere praeoptant Graeca forma *Olympiadum*) *initium habuit, & auctorem Iphitum Elium.* ACIDAL. Varia ſuper origine nobilium ludorum dicta ſcriptaque ſunt: ſed nemo tamen initium ad Iphitum hunc retulit, dumtaxat inſtaurationem. Atque adeo a primo initio ad hujus tempus ſunt anni circiter CDXXX. Non ergo putamus Vellejum παραλόγως ita ſenſiſſe ſive ſcripſiſſe. In primogenita editione eſt: *auctorem Iphitum Elium.* Hinc lego: *Certamen Olympiorum initum, habuit auctorem Iphitum Elium.* Tunc noviter, inquit, initum, longo ſcilicet, poſt inſtitutionem intervallo. Ipſe certe ſtatim adjungit, & fatetur ab Atreo eos primitus inſtitutos. LIPS. Ante omnia hujus ſcripturae ratio eſt reddenda: quaque de cauſſa in textum a nobis recepta ſit. Cum enim prima editio expreſſe praeferret: *habuit auctorem Iphitum Elium* (ex qua Aldus fecerat: *initium habuit auctore Iphito Elio*) dubitandum non erat, quin Lipſiana lectio, quam expreſſimus, retinens caſum primogenii codicis, neque quidquam admodum mutans aut interponens, tum ceteris melior eſſet, tum Acidalii conjectura: *initium habuit & auctorem Iphit. El.* Non negaverim tamen, hanc poſteriorem lectionem plerisque expeditiorem videri poſſe. BOECLERUS. *Iphitum Elium.* Ita omnes auctores, quos hodie habemus. Olim tamen voluiſſe alios Limum Olympiadum auctorem eſſe, docemur his Theophili verbis e libro III. ad Autolycum: παρὰ δὲ Ῥωμαίοις Σατοῦρνος ὀνομάζεται, οὐδὲ γὰρ αὐτοὶ γινώσκουσιν τίς ἐστιν αὐτῶν πρότερον, ὁ Κρόνος, ἢ ὁ Βὴλ. Ὅση μὲν οὖν ἀρχὴ τῶν Ὀλυμπιάδων ἀπὸ Εἰφίτου, φασὶν, ἔσχηκε τὴν θρησκείαν, κατὰ δέ τινας ἀπὸ Λίμου, ὃς καὶ Ἴλιος ἐπεκλήθη. Interpres Conradus Clauſerus haec ita vertit: *A Romanis Saturnus appellatur, qui nec ipſi ſatis novere, Saturnusne, quem colunt, ſit Cronus, an ſit Belus.* *Si quis reſpiciat Olympiadum initium, facile* aſſe-

aſſequitur, *Cronum ab Iphito primitus coeptum coli. Sunt qui perhibent, a Limo introductum eſſe cultum, qui defertur Crono, qui & cognomen Ilii nactus eſt.* Quam inepta, & inſulſa haec ſint, nemo ſanus non videt. Nos pro his verbis, ὁ βήλ. Ὅση μὲν οὖν, &c. nulla quaſi mutatione legimus, ὁ Βῆλος. Ἡ μὲν οὖν, &c. Jam enim ante dixerat Theophilus, Belum, ac Saturnum coaevos fuiſſe, ac ex Thallo docuerat, eos annis vixiſſe ante bellum Trojanum cccxxii. Quod ex Theophili hoc loco oſtendit etiam Lactantius lib. I. cap. ultimo. Ita igitur hunc Theophili locum vertes: *A Romanis Saturnus appellatur. Neque enim ipſi norunt, uter eorum prius exſtiterit, Saturnus, an Belus. Initium igitur Olympiadum ab Iphito, ut ajunt, habuit obſervationem: juxta alios vero a Limo, qui Ilius cognominatus eſt.* Redit enim hic Theophilus ad Olympiadum inſtitutionem, quo priora omnia confirmet. Vossius. De his Pindari Scholiaſten conſule; qui ad Odam Olympiam primam mentem auctoris explicans, inter alia ſic ſcribit: ὥσπερ τὸ μὲν ὕδωρ τῶν ἄλλων στοιχείων χρησιμώτερον· ὁ δὲ χρυσὸς τῆς λοιπῆς ὕλης προτιμώτερος; οὕτω καὶ ὁ Ὀλυμπιακὸς ἀγὼν προτιμώτερος τῶν ἄλλων. Sententia eſt, *quemadmodum aqua caeteris elementis utilior eſt, & aurum caeterae ſupellectili praeſtat, ita etiam Olympiorum certamen caetera quam longiſſimo intervallo poſt ſe relinquit.* Boxhorn.

Mercatumque.] Mercatus Olympici meminit etiam Juſtinus, lib. XIII. *Quae* (epiſtolae) *recitatae in mercatu Olympico magnos motus fecerunt.* Ubi MSS. auctoritate malo, *mercato.* Etiam apud Livium lib. I. cap. 30. *mercato frequenti*, ex MSS. reponi debet. Talia enim multa apud antiquos duplicis erant inflexionis. *Mercatus* autem eſt, quem Strabo (ut recte notavit Lipſius) lib. VIII. πανήγυριν vocavit. Hinc Philoxenus in Gloſſis, *Nundinarum*, ἑορτῶν, πανηγύρεων. Quo ſpectat, quod nundinae, & feſta, olim fere inciderint in idem tempus. De quo vide diſſerentem Macrobium lib. I. Saturn. cap. 16. Voss.

Inſtituit.] An potius *reſtituit*? Tamen fero etiam *inſtituit*, nempe perpetuos iſtos & certa quadam lege. Poteſt & inſtitutio ad mercatum referri, quaſi non is antea. Sic autem appellat, quod Graeci πανήγυριν. Strabo de templo Olympiae, lib. VIII. Τὴν αὔξησιν ἔλαβε

διὰ

διά τε τὴν πανήγυριν, καὶ τὸν ἀγῶνα τὸν Ὀλυμπιακόν. Lips. Iphitus Elaeus non instituit ludos Olympicos. Sed intermiſſos reſtituit & reſtauravit, ut teſtatur Pauſanias & Solinus cap. II. *Quippe, certamen Olympicum, quod Hercules in honorem atavi materni Pelopis ediderat, intermiſſum Iphitus Elaeus inſtaurat, poſt excidium Trojanum anno quadringenteſimo octavo.* Popma.

DCCCIV.] DCCCXXIII. vulgati. Manuſ. DCCCCIV. etiam non recte. Reſcribe, DCCCIV. Vinicius enim conſul Anno V. C. DCCLXXXII. & Roma condita Olympiade ſexta. Exinde res geſtas veritatis fidem mereri, Varro apud Cenſorinum, cap. 21. docet his verbis: *Varro tria diſcrimina temporum eſſe tradit: primum ab hominum principio ad Cataclyſmum priorem; quod propter ignorantiam vocatur Adelon. Secundum a Cataclyſmo priore ad Olympiadem primam; quod, quia in eo multa fabuloſa referuntur, Mythicon nominatur. Tertium a prima Olympiade ad nos, quod dicitur Hiſtoricon: quia res in eo geſtae veris hiſtoriis continentur.* Schegk. Atqui prima Olympias Iphitaea praecedit dumtaxat natalem urbis (ex Velleji mox ſententia) annis XXII. Sunt autem ab illo ad conſulatum Vinicii anni DCCLXXXII. Itaque clarum eſt, ſcribi debere: DCCCIV. detracta centenaria nota. Lipsius. Notam centenariam inducendam eſſe, approbante Scaligero in canonibus Iſagogicis, monuit Juſtus Lipſius. Voss.

Abhinc annos ferme.] Ergo aliter paullo, & laxius quam alii, Vellejus putat. Nam Clemens Alexandrinus, a ludis primis ad Iphitaeos ſpatium facit CDXXVII. annorum: Euſebius, Beda, alii, CDXXX. Atqui ex hac Vellejana ſumma neceſſum eſt fuiſſe CDXLVI. Malim certe hic ſcribere, CCXL. ut minus paullo exorbitet. Lips.

Atreus cum Pelopi patri.] Rara aut nova haec ſententia, ut multa nobis in Vellejo. Nam plerique alii, non ad Atreum, ſed ab Herculem, gloriam hanc referunt: quia, ut ille inquit, *quidquid ubique magnificum eſt, in claritatem ejus referre conſenſimus.* Atqui Vellejus vult Herculem dumtaxat hic certaſſe, nec ἀγωνοθέτην fuiſſe, ſed ἀγωνιστήν. Illud etiam alibi reperio, ludos hos factos in honorem Pelopis defuncti, & fuiſſe funebres. Clemens ad Gentes: *Piſa autem vobis, o Graeci, eſt ſe-*

pul-

pulchrum aurigae Phrygis, & Pelopis inferiae. Ipſe Apollodorus, qui Herculem auctorem facit, tamen Pelopis aram exſtructam hic agnoſcit, grande argumentum pro ſententia Vellejana. A quo enim juſtius tales ludi aut honos, quam a filio? Verba Apollodori: ἔθηκε δὲ καὶ τὸν Ὀλυμπιακὸν ἀγῶνα, Πέλοπός τε βωμὸν ἱδρύσατο· *Inſtituit & Olympicum certamen, & Pelopi aram poſuit*. Opinio autem, quae Herculem auctorem fecit, originem habuit ab Homero: qui de quatuor equis certatoribus & victoribus meminit, interceptis ab Augea Elienſium rege. Vide, ſi voles, locum ipſum Iliados λ. [verſ. 6. 7.] Itaque paſſim Grammatici & Hiſtorici transeunt in hanc partem: imo & Pindarus disertis verbis Olymp. Eid. β. Ὀλυμπιάδα δ' ἔστασεν Ἡρακλέης ἀκρόθινα πολέμου. Non diſſentit tamen ſolum, ſed refutat Strabo lib. VIII. & docet Homericis verſibus non hanc eſſe mentem. LIPS. Res ita habet: agon ille a Pelope inſtitutus, ab Hercule & Atreo inſtauratus, ab Iphito in Tetraëteridas indictus eſt. Itaque trina Olympia, a Pelope, Atreo & Hercule celebrata praeceſſerunt Iphiti Olympia, a quibus Graeci putant tempora ſua, propterea quod victores ſtudio ſcribi ἐν κύρβεσι καὶ στήλαις coeperunt. Porro intervallum Olympiorum Pelopis & Atrei ſunt quinque Enneadecaëterides. Inter Atrei autem & Herculis ludicrum, eſt tantum intervallum unius Cycli. Notandum autem, jam ab aliquot annis Olympiades tetraëtericas ante Iphitum inſtitutas fuiſſe, tetraëtericas autem non fuiſſe a Pelope ad Troïca, & infra Troïca tempora. Cur autem ab Iphitaea periodo ſua putarint tempora Graeci, paulo ante dictum eſt. Operae pretium videbatur haec ex Scalig. animad. Euſeb. huc congerere: quo non alius, quidquid ambitio ſtruat, diligentius hanc viam inſtitit. BOECLER.

Quo quidem in ludicro,] Significat ludicrum gymnicum non Atrei, ſed ipſius Herculis, quod itidem fecit Pelopi. Hyginus fabula CCLXXXIII. *Octavo loco fecit Hercules Olympiae gymnicos Pelopi Tantuli filio*. Statius lib. VI. Thebaid.

—— *Primus Piſaea per arva*
Hunc pius Alcides Pelopi certavit honorem,
Pulvereumque fera crinem deterſit oliva.

Ubi *fera oliva* pro oleaſtro, ut Siſenna *fera vite*. POPMA.

Omnis generis certaminum.] Videtur dicere Herculem victorem fuiſſe in omni genere certaminum. At damnat rejicitque valde Pauſanias: qui abunde & accurate de his talibus libro v. Ille igitur tradit, primis ludis *Jolaum curru, Jaſium equo ſingulari, Caſtorem curſu, Pollucem ceſtibus viciſſe: ipſum Herculem, fama ferri, lucta & pancratio.* Itaque malim verba haec ſic diſtingui & accipi, ut ſit: Quo in ludicro Hercules victor fuit, ludicro, inquam, omnis generis certaminum. Lipsius. Omnino dicit Herculem ibi victorem fuiſſe in omni genere certaminum; & inepte aliter aut diſtinguas aut interpretere. Quid enim novi adſtruas Herculi, ſi uno forte alteroque genere ſuperior? & ut diſſentiat Pauſanias: quid tum? an ab eo nusquam abiit auctor noſter, quam iſto loco? Gruter. Imo, *omnisque*, fide editionis principis, legendum. Plane ait Vellejus, Herculem omnis etiam generis certaminum victorem fuiſſe. Quamquam aliter de eo Pauſanias, cujus auctoritate Lipſius aliter haec verba diſtinguere conabatur. Sed me, imo & propinquo meo, Cl. Jano Grutero, τῷ μακαρίτῃ, invito. Voss. *Omnisque* codex vetuſtus, qui unicus Vellejum conſervavit: nec temere damnarim. hoc eſt *omnis etiam generis.* infra cap. 26. libri II. *multa fortiterque molitus*: *hodieque* paſſim apud noſtrum & Livium. denuo hoc libro cap. 17. *ſimilitudinis congregantisque ſe & in par ſtudium & in emolumentum.* ut recte membrana. Tacitus Ann. VI. cap. 19. *Ac ne dubium haberetur, magnitudinem pecuniae malo vertiſſe, aurariasque ejus Tiberius ſibimet ſepoſuit*: Qui locus a Mureto & Faërno, viris praeclaris, haud quaquam fuit tentandus. Ut nec ille Flori lib. III. cap. 2. a Salmaſio: *Varusque victoriae teſtis, Iſaraque & Vindelicus amnis*: idem lib. IV. cap. 2. *Juba ſuperque menſas & pocula interficiendum ſe ei praebuit.* Ita enim ſimiliter in ſcriptis: & hinc corrigendus alter Flori locus ſub finem ejusdem capitis: *Ibi in curuli ſedentem eum ſenatus invaſit, tribusque & viginti vulneribus ad terram datum. Datus eſt*, vulgo hunc circumfertur. Heins. Non video recte procedere ſenſum, ſi illud *que* admittatur. & an *victor certaminum* eleganter dicatur, dubito. *Victorem belli*, dixit quidem lib. II. cap. 55. & ita Cicero ipſe & alii. [Tacit. II. Hiſt. 28. Juſtin. XLI. I. Profp. Aq. Epig. 23. ex MS. V. ad Ovid. XVI. Ep. 76.]

ſed ejus diverſam locutionis rationem eſſe puto. Nam *vincere bella & praelia* dici oſtendit Barth. Adv. VI. 2. & ad Claud. IV. Bel. Getic. 570. qui tamen ipſe inferiorum temporum eſſe phraſin arbitrari videtur. quare Lipſii diſtinctio & interpretatio prae aliis arridet. niſi mallemus, *quo quidem in ludicro, omnis generis certamine victor.* ut Juſt. VII. 2. *ut etiam Olympio certamine vario ludicrorum genere contenderit.* & Ovid. Epiſt. XXI. 359.

Pene puer vario juvenes certamine vici.

Si cui tamen vulgata placet, ei non repugnabo, ſed ſubintelligam certaminum *ludicro.* [Act. Lipſ. 1721. pag. 116. legunt *omnique genere.*] BURM.

Tum Athenis.] Quando? & quo refers hoc *Tum?* an ad Olympiadem primam? Videtur ex ſerie ſermonis. Tamen ratio aut certe auctoritas diſſuadet: aliique volunt, Archontes iſtos deſiiſſe demum Olympiadis ſeptimae anno primo. Ita clare Euſebius, & Dionyſius Halicarnaſſaeus, lib. I. Antiquit. ubi de conditu urbis Romae. Aut benigne igitur laxeque interpretare, *Tum*, id eſt, annis aliquot poſt: aut potius mecum cenſe hiatum defectumque hic eſſe, & periiſſe, quae interſeruit a prima Olympiade ad ſextam. LIPSIUS. Lipſius de particula *Tum* dubitat, quo referenda ſit, cum primae Olympiadi ſatis non congruat. Satis conſtat autem, iſtam ſignandorum temporum conſuetudinem, collatis, quae alibi evenerunt, rebus, non in puncto, ſed *rotunde*, & *circiter ac praeterpropter*, tum ab aliis, tum a Noſtro, uſurpari. Quare formulas iſtas, *tum*, *circa haec tempora*, *per idem tempus*, *ſub idem tempus*, &c. rarius ἀποτόμως, ſaepius παχυλῶς interpretari oportet. Ceterum, congrueret haec Vellejana deſignatio magis *ſequenti*, quam *praecedenti* tempori. nam in annos Olympiadis ſextae tertium & quartum, id eſt, in tempus conditae Romae, incidit Alcmaeonis principatus. BOECLER.

Alcmaeon.] Adi Meurſ. Archont. Athen. lib. I. cap. 3. & ſeqq. mox *Eryx*, truncato ex *Eryxias* vocabulo, legitur. Id. cap. 8. BOECLERUS.

In denos annos:] Quod Pauſanias, interprete Romulo, Meſſenica ita ediſſerit: *Altero vero nonae Olympiadis anno, quo Meſſenius Xenodochus de ſtadio victor renunciatur, cum Athenis nondum ſorte annui magiſtratus ducerentur, quod ſcilicet civitas ea Melanthi poſteros, qui*

ſunt Medontidae adpellati, primum quidem in ordinem redactos aequo jure & legibus magiſtratum gerere juſſit: deinde cavit, ut ultro annos decem imperium continuarent. Schegk.

In annos LXX. *manſit.*] Hoc eſt, per LXX. annos duravit, ut ita promiſcue Poëtae dicunt, *manere in*, & *per ſecula*. Quod ſi cogitaſſent viri docti, non ſollicitaſſent locum ſanum Juſtini lib. XII. 4. *quae conſuetudo in ſucceſſores quoque Alexandri manſit.* Bongarſius *in ſucceſſoribus* edidit, Faber putat Juſtinum ſcripſiſſe *in ſucceſſores usque Alexandri manſit.* Omnia fruſtra, & contra codices, nec inſolentius aut durius dictum Ovid. III. Art. am. 127.

Sed quia cultus adeſt, nec noſtros manſit in annos
Ruſticitas.

Non tamen ideo, ut ſaepe Critici faciunt, putem, hinc alios locos eſſe corrumpendos: ut apud eumdem Juſt. XV. 4. *Originis ejus argumentum etiam in poſteris manſit*; ubi non corrigam *in poſteros*. aut ex MS. delerem *τὸ in*. nam ita & Suet. Ner. I. *quod inſigne & in poſteris ejus manſit.* Hoc enim recte, pro reſtitit, conſpicuum fuit in eorum corporibus: quae alia res eſt. Burm.

Ultimus Erix.] In Euſebio eſt *Eryxias*. Lips. Omnino legendum eſt, *Erixias*. Ita enim omnes alii ſcriptores hunc appellant. Quod virum maximum, Joannem Meurſium, perutili de Archontibus opere, monuiſſe etiam video. Voss.

Sexta Olympiade.] Omnino. nec aliter poteſt, ex ratiocinatione quam adjungit. Nam ſcribit *poſt viginti duos annos* a prima Romam conditam. Id neceſſario eſt, ſextae Olympiadis anno tertio. quae ipſa Varronis ſententia, Plutarchi, Eutropii & aliorum eſt. Diſſentiunt alii. Non miror. Hoc valde, virum magnum, ubi argumentum hoc ex profeſſo tractat, ſcripſiſſe; Vellejum ſentire conditam Romam, ſeptimae Olympiadis anno ſecundo. Lips. Ex hoc loco colligunt, Vellejum Palilia Varroniana ſequi, quae conditum urbis rejiciunt in VI. Olympiadis annum III. Unde & ſtatim ſic edi video: *A quo tempore ad vos conſules ſunt anni* DCCLXXXII: cum tamen in editione principe fuerit, DCCCCLXXXI. Sed ego hic potius ſcripſerim, DCCLXXXI. Nimirum ut, hoc ipſo anno currente, Vinicius geſſerit conſulatum. Nec pigebit

gebit praeſidia nobis afferre. Libro ſequenti ſcribit Vellejus, ab V. C. ad Lentuli & Marcelli conſulatum eſſe annos DCCIII. idque eveniſſe ante annos LXXVIII. Cenſent, hic reſcribi debere, DCCV. eo impulſi, quod noſter videatur Vinicii conſulatum attribuere anno V. C. DCCLXXIII. Sed argumentatio haec non procedit, ſi numerus ille, ut diximus, fuerit mutandus. Eſſe autem mutandum, praeter ea, quae attuli, etiam clamat hic locus. Pari tamen audacia poſtea etiam, ubi dicitur Auguſtus conſulatum iniiſſe anno V. C. DCCIV. video ab iis corrigi, DCCXI. & ita ſane ſcriptum primitus fuiſſe eo contendunt, quod addatur, id eveniſſe annis ante conſulatum Vinicii LXXII. Quam bellum hoc argumentum ſit, ipſi viderint. Denique ait etiam Paterculus, Aelio ac Sentio conſule, anno V. C. DCCDIV. ante annos XXVII. ab Auguſto adoptatum fuiſſe Tiberium. Nec hic tamen illorum manus effugit locus. Legunt enim, DCCLVI. Me vero quod attinet, horum omnium congruentia eo perducit, ut heic legendum putem: *Poſt* III. *& viginti annos, quam prima conſtituta fuerat.* Qua conjectura admiſſa, non pugnabit locus, qui paullo ante legitur: *Certamen Olympiorum habuit auctorem Iphitum Elium: ante annos, quam tu, M. Vinici, conſulatum inires,* DCCCIV. Ubi in vulgatis male C. nota irrepſerat, ut antea nobis monitum. Et ſane ſic ſententiam Catonis, cujus diligentiam alibi commendavit Vellejus, hic quoque amplexus fuiſſe videatur. Traditum enim ei, jacta urbis fundamenta anno poſt Trojam captam CDXXXI. Nec dubitem, mox etiam apud Vellejum reponere: *id geſtum poſt Trojam captam annis* CDXXXII. Aliis tamen longius recedere viſum fuit, reponendo CDXXX. VOSSIUS. Fuerit annus *ſextae Olympiadis tertius*, non *ſeptimae ſecundus*; ſicut Scaliger ſcripſit lib. V. *de emend. tempor.* ubi *de primis urbis Palilibus* agit. quam commentationem omnino vide. congruit Vellejo Eutropius, Oroſius II. 4. Sigonius in comment. faſt. accedit Dionyſio, qui 7. Olymp. anno primo, poſt Ilium captum anno CDXXXIII. conditam prodidit lib. I. & II. Antiq. Ceteras diſſenſiones Chronologorum (inter quos non facilius unquam quam inter horologia convenit) prolixe habes apud diligentiſſimum Onuphr. Panvin. comment. in faſt. lib. I. Plerique cum Vellejo noſtro Varronem ſequuntur: cujus

jus ipſius tamen induſtriam conjecturis, quam certis rationibus, niti exiſtimat Scaliger. BOECLERUS.

Poſt duos.] In editione Rhenani legitur, *poſt duo & viginti*, ut veteres hoc caſu *duo* pro *duos* extuliſſe jam centies animadverſum eſt. vide Serv. ad Virg. XI. 285. ibique Pier. & Cerdam. BURM.

Romulus.] Dehinc ad res Romanas jam delabitur. Ubi ergo Latini Albanique reges, & omnis illa ſtirps Aeneae? An credibile eſt eum initia ipſa rerum Romanarum omiſiſſe, qui tam curioſe exſecutus ſit externa? Non poteſt. Et hic quoque aut ante alibi lacuna grandis. LIPS.

Romam urbem.] XI. Kal. Maji, Kalendarium vetus. Quae Natalis urbis dicta Cic. II. de Divinatione: *Lucius quidem Tarucius Firmanus familiaris noſter in primis Chaldaicis rationibus eruditus, urbis etiam noſtrae natalem diem repetebat ab iis Parilibus, quibus eam a Romulo conditam accipimus.* Fruſtra igitur Plutarchus, qui pridie Pariliorum, hoc eſt, XII. *Kal. Maji*, moliri coeptam reliquit. De his obſervate de antiquitate optime meritus Onuphrius in Faſtorum commentariis. SCHEGKIUS.

Parilibus.] Propertius IV. eleg. 4.

Urbi feſtus erat. dixere Palilia patres,
Hic primus coepit moenibus eſſe dies.

In hoc ergo feſtum *natalis dies urbis* communi hominum devotione referebatur; adeoque XI. *Kal. Maj. immortalis ortus dominae gentium civitatis ſolenni religione celebratur*, ut loquitur Panegyr. Mamert. cap. I. Sed & Imperatores *adjecerunt feriis natalitios dies urbium maximarum Romae atque Conſtantinopolis* (V. Id. Maj.) *in quibus deberent jura differri, quia & ab ipſis nata ſunt.* leg. VII. C. de feriis, ad quam pluſcula huc pertinentia notavit Briſſonius. Huic primariae religioni affinis eſt illa *boni ominis obſervatio*, quam huic diei accommodabant. Ita Pertinax Imp. apud Capitolin. reformandis rebus, *exſpectat Urbis natalem, quod eum diem rerum principium volebat eſſe.* cap. 12. Tertia obſervatio *artis eſt, an ſuperſtitionis:* cum L. Tarutius Firmanus, Chaldaicis rationibus eruditus, urbis R. natalem a Parilibus repetens, eamque in jugo cum eſſet Luna natam dicens, *non dubitavit ejus fata canere.* Quem errorem (ita enim vocat) ſerio exagitat Cicero II. de Divinat. 47. Adde Pet.

Pet. Fabr. Semeſtr. I. 9. Marcell. Donat. ad Suet. Tib. 5. Boecler. *Parilibus*, recte editio Rhenani. vide Heinſ. ad Ovid. IV. Faſt. 721.

DCCLXXXII.] Rhenanus, DCCCLXXX. L. inſane corrupte. ex quo inſecutae DCCLXXXV. ſtatim pro DCXXXVII. malim CDXXXII. poſtulante ſententia praecedentium. Schegk. Scilicet *pleni*; ita ut DCCLXXXIII. ſit, qui tum volvebatur, Conſulatu Vinicii inſignis, ut recte Onuphrius explicat. vid. ſupra ad I. VI. I. Boeclerus.

Annis CDXXXVII.] Qui largiſſime computant, efficiunt tantum CDXXXII. plerique alii pauciores. Et hercules a Troja capta ad primam Olympiadem Africanus annos interponit CCCCVIII. Tatianus CCCCVII. e Latinis plerique & Euſebii Chronicon, CCCCVI. aut CCCCV. Quibus ſi addas Velleji iſtos XXII. medios ad natam Romam, non explebis vulgatam ſummam. Ego igitur recidendam ſeptenariam notam cenſeam, ſive mavis denariam. Utrovis modo accommodes ad aliquam e ſententiis praedictis. Lips. Numerus ſeptenarius abundat. Siquidem a Troja capta ad primam Olympiadem fuerunt anni quadringenti octo, a prima Olympiade ad urbem conditam anni viginti duo, ipſo Vellejo teſte. Solinus numerat annos DXXXIII. ſed ille refert initium urbis in Olympiadis ſeptimae annum primum, Vellejus in Olympiadis ſextae annum ſecundum, Cicero & Atticus in annum tertium, ut notat Solinus cap. I. ubi tempus conditae urbis anxie inquirit. Popma. V. Simſ. Chron. ad Ann. 3251.

Latini avi ſui: (libenter enim iis, qui ita &c.] Sublata parentheſeos nota, filum orationis exibit rotundius. Quae cauſſa eſt, ut interpungere & continuare omnia ſic malim: *Id geſſit Romulus, adjutus legionibus Latini avi ſui. Libenter enim iis, qui ita prodiderunt, acceſſerim: cum aliter firmare urbem novam, tam vicinis Vejentibus, aliisque Etruſcis ac Sabinis, cum imbelli & paſtorali manu vix potuerit: quamquam jam aſylo facto inter duos lucos, auxit.* Quibus in poſtremis fruſtra eſt vir doctiſſimus, optimeque de hoc noſtro meritus, cum vice τοῦ *quamquam*, reponere *quam* nititur. Etenim, *auxit*, quod illi miror imponere potuiſſe, ut apud alios frequenter, ita hic agendi terminatu, ſignificatum habet patiendi: ac de manu illa paſtorali amat intelligi, non

de Romulo. In hanc rem exempla ſi congeram, ſtultus ſim: rectius illud, commodius quidem certe, quam paullo ante, facturus videor; Gellii ſi quemdam, & ejus porro occaſione, aliorum locum unum atque alterum emendem. lib. XVIII. cap. 12. *Id quoque habitum eſt in oratione facienda elegantiae genus, ut pro verbis habentibus patiendi figuram, agentia ponerent; ac deinde hac vice inter ſe mutua verterent. Terent. in comoedia,*

Pallium, *inquit*, face ut ſplendeat.

Nonne hoc impendio venuſtius gratiusque eſt, quam ſi diceret, ne maculetur? Hic primum, fragmenti illius auctorem quem dicat, neſcio. Quis enim Terentius iſte? an Varro, an noſter ille Afer? aut quis alius horum cognominis? Nuſquam reperio, etſi diu diuque veſtigatum. Deinde, *ſplendeat*, verbum relinquo Grammaticis diſceptandum, agendine ſignificatum habeat. Hic vero dici mihi velim, pro paſſivo, ut vocant, quomodo ſit collocatum. Nam quae haec interpretatio, *ſplendere* ut ſit *non maculari*? Quod hoc exempli genus? Agendi figurae verbum, pro patientis, uſurpari Gellius docet; ejus rei hoc exemplum: *Pallium face ut ſplendeat*, hoc eſt, *ne maculetur.* An non dormivit? quid? an non eum nocturni lemures infeſtaeque larvae agitarunt, cum in Noctibus illud ſuis inſcripſit, ſi inſcripſit tamen? quod mihi nemo, ne ipſa Suada perſuaſerit: aut Gellium prius Gellium non eſſe oſtendat neceſſe eſt. Verum homini ſuſpicioſo, heic quidem, mihi quid videatur, cujusdam librarioli, qui ſic exaravit, ut hodie proeuditur, cum deberet, ut ego corrigendum cenſeo:

Pallium face ut ne maculet.

Id ad traditionem auctoris eſt, ipſo praeterea interpretante, *ne maculetur*: agendi figura, patiendi intellectu. Omnino hoc teneo, neque ipſe, ſi reviviſcere poſſet, Gellius, aliam ut ſcripturam fuiſſe ſuam profiteatur, fieri poſſe judico. Quam autem ipſe in hoc genere loquendi frequens eſt? *Verba maculantia* & ſordida, cum alibi ſaepius, tum lib. XVI. cap. 7. *Res* item *moventes* pro mobilibus, lib. XI. cap. 18. Quin & gerundia illa *minuendi* & *augendi* lib. XX. cap. 8. παθητικῶς poſita: *Quia ſolum olerum omnium contra lunae aucta atque damna vices minuendi & augendi habet contrarias.* Sed *minuere* ſic etiam in Salluſtio e vetuſtis membranis re-

ſcri-

ſcribendum, quas mire alioqui bonas, cum Daniele Bucretio meo, juvene ut liberali omni eruditione ornatiſſimo, ſic fraterno amore mihi conjunctiſſimo, ad libros vulgatos in Julia Helmaeſtadii comparavi. Catilin. *Neque tamen Catilinae furor minuebat: ſed indies plura agitare, arma per Italiam locis opportunis parare, pecuniam ſua, aut amicorum fide ſumptam mutuam, Faeſulas ad Mallium quemdam portare.* Hodie in optimis etiam editionibus, *minuebatur:* non modo, hinc ut apparet, falſe, ſed ferme & contra Salluſtii morem, qui quam hac forma uti capiatur, eſt nimirum in aperto. Idem verbi timidius ponam, poſitum ſic quoque apud Petronium: *Et harundinem ab hoſtio rapuit, iterumque nihil reſpondentem mutavit; ac niſi primo ictu harundo quaſſata verberantis impetum minuiſſet, forſitan etiam brachia mea caputque fregiſſet.* Sed demum ſi ſcribatur: *niſi primo ictu, harundo quaſſata, verberantis impetu minuiſſet.* quod de nihilo forte ſuſpicor, bona praeſertim & liquida alias quoque ſententia. Extra limites evagatus ſum longius, quam debebam: ſed ſumpta ſemel audacia lubet etiam porro. *Diducere* in Propertio ſic quoque olim memini me accipere. lib. IV. eleg. I.

Nunc tua vel mediis puppis luctetur in undis,
Vel licet armatis hoſtis inermis eas.
Vel tremefacta cavo tellus deducat hiatum;
Octipedis cancri terga ſiniſtra time.

quod non eſt, niſi, ut tum volui, mecum etiam nunc legere ſuſtineas,

Vel tremefacta cavo tellus deducat hiatu.

Dubie tamen hoc pariter, atque quod praeceſſit. E libro correctio rectior & certior haec erit. Florus lib. II. cap. 15. *Quum bellum ſederet, de belli fine tractatum eſt.* Editio vetus, & quantum ſcio Florentina, *ſedaret.* Bellum ſedat, ut in Virgil. *venti ponunt;* in Livio, *Tempeſtas ſedat.* Neque neſcio tamen, *ſedere* frequenter eſſe, quieſcere; & hic quoque poſſe ferri non nego, alterum nihilo minus ut illi praeferendum affirmem. Jam illud Juſtini, *convertere*, cave aliter audias, lib. XXXVI. *Quod ex cauſa factum, paullatim in diſciplinam religionemque convertit.* Terentii denique Andria, *mutare*, contra interpretum mentem, nihil certius eſt, quam ita capiendum, niſi venuſtatem loci omnem velis tollere, Act. I. Sc. I.

Quid Chremes? qui denegaverat, ſe commiſſurum mihi
gnatam ſuam uxorem: id mutavit,
Quoniam me immutatum videt.

Ubi monendus mihi ſimul es, *id* valere, propter id. neque enim aliter ſenſum, quem volo, erueris. Quia, inquit, me videt immutatum, eam ob cauſſam ſtatim mutatus eſt & ipſe. Quid autem ni, ſive obiter, ſive ut in Terentio etiam firmem, *id* ſimiliter & Plauti Moſtel. interpretandum adjiciam? Scena, *jampridem.*

Nunquam ego illi poſſum gratiam referre, ut meritu' ſt
de me,
Scapha. id tu mihi ne ſuadeas, ut illum minoris pendam.

Non teneo calamum, quin & *hoc* eadem figura ἐλλείψεως uſurpatum appingam iſto Catulli Epigrammate:

Flavi, delicias tuas Catullo,
Ni ſint illepidae atque inelegantes,
Velles dicere, nec tacere poſſes;
Verum neſcio quid febriculoſi
Scorti diligis. hoc pudet fateri.

Quo ipſo cum loco, ut aliud ex alio incidit, bene iſtum Horatii contuleris, Od. 17. lib. 1.

Quae te cunque domat Venus,
Non erubeſcendis adurit
Ignibus.

Sed jam tempus, de ſemita in viam. Jam diu, nimium vaga haec & inſtabilis ſcriptio, lector: at vetus verbum noſti, *Vara vibiam ſequitur.* Acidalius. Obſecro, an *Latino* nomen fuit avo Romuli? quem teſtatiſſimum eſt Numitorem fuiſſe. Niſi tamen ſententiae rarioris adfectator Vellejus, quam in Dionyſio quoque habes: *natum Romulum ex Electra Latini filia.* Sed vix opinor, & potius litterulae adtextu ſcribam, *Latinis.* Vult legiones fuiſſe e Latio. Lipsius. Lipſius probabiliter correxerat, *Latinis*: ut ad legiones referretur. Avi nomen *Numitorem* fuiſſe. Niſi tamen is cognomento principatus, *Latinus* hic dicitur. Congruit autem haec opinio, cum eo quod Dionyſ. 11. Antiq. tradit: *Romulum initio pleraque avi conſiliis ac ope molitum eſſe.* Boeclerus. Solus Dionyſius ex Electra Latini filia natum Romulum ait, reliqui de Numitore conſentiunt; ut malim *legionibus Latinis*, cum Lipſio & Perizonio. Heinsius. Phalcucium hendecaſyllabum in his verbis, *Adjutus le-*

gionibus Latini, animadvertit Broukh. ad Tibul. III. v. 22. qui & legit *imbelli paſtorali manu*, nec indicat, an e conjectura, an aliqua editione praeeunte ita legat. BURM.

Quamquam.] Planius commodiusque, ſi legatur, *quam, jam aſyli facto i. d. l. auxit.* MANUT. Aldus pro *quamquam* legit, *quam*, urbemque ſubaudit. Acidalius, *auxit*, παθητικῶς interpretatur, intelligens *manum illam paſtoralem.* Illa prior correctio non videtur neceſſaria: haec poſterior expoſitio, paulo frigidior mihi hoc loco videtur, ſive antecedentia, ſive quae ſequuntur, reſpiciam. Simplicius ergo fuerit retinere verba librorum, & quam ultro ſuggerunt, mentem: *Romuli potentiam ab initio exiguam fuiſſe, donec eam poſtea, commentus aſylum, auxerit.* BOECLER. Scribe *quamquam eam.* imbellem ſcilicet & paſtoralem manum adauxit latronibus aliisque noxiis hominibus aſylo receptis. aliter Aldus Manutius. quo autem hominum genere paſtoralem adauxerit manum, prae verecundia non expreſſit. ſic Juvenalis de eadem re ad Romanos:

Majorum primus, quisquis fuit ille, tuorum
Aut paſtor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

Acidalius contendit paſſive ſumi τὸ *auxit.* quomodo *auxerat potentia* Tacito Hiſt. III. *res auxit* Catoni, teſte Gell. Noct. Att. XVIII. 12. ſed Vellejus archaismos ejusmodi non ſolet adfectare. Nam quod addit Voſſius in Analogia lib. III. cap. 4. Plinii locum Hiſt. Nat. XXXVI. 15. *Balnea ad infinitum auxere numerum: auxere* non magis illic paſſivae ſignificationis eſt, quam *complebant* in illo Propertii, *non ita complebant Ephyreae Laidos aedes.* HEINS. Lipſius etiam ad Tacit. XI. Annal. 19. *augere* patiendi ſignificatu, in illo loco accipit, refutatus a Mercero. Sed nimis proni in captandis ſimilibus ſaepe critici deprehenduntur, & hic mihi nihil aut addi, aut mutari debere videtur. Si modo *urbem* ſubintelligas. nam ſenſus clarus eſt, *aliter firmare urbem novam vix potuerit, quamquam, jam &c. auxit*; ſcilicet *urbem*. licet auxerit, tamen ſine avi adjumento non potuerit firmare contra vicinos. quid clarius? male voluerunt ad *manum* referre τὸ *auxit*: *firmare* vero cape de primo vallo, quod Remus tranſiluit, poſt cujus mortem, cum, ut Florus dicit, incolae deeſſent, aſylum fecit. hinc

influentibus undique incolis, auxit urbem non moenibus, aut pomoerio prolato, ſed viris. Si quid corrigendum eſſet, mallem pro *firmare* legere *formare*, quae verba millies a librariis confuſa. & tunc ſenſus egregius emergere mihi videretur: vix auſus fuiſſet Romulus, ſine avi auxilio *formare urbem*, id eſt, prima fundamenta jacere; nam illud vallum verius forma futurae munitionis & urbis poſtea firmandae erat, quam ipſum munimentum, *imaginem magis urbis, quam urbem fecerat*, inquit Florus, & Tibul. II. v. 23.

Romulus aeternae nondum formaverat urbis
Moenia, conſorti non habitanda Remo.

Ubi etiam *firmaverat* alii. neque *formare* ibi de ſola mentis deſtinatione capio, nam & de tempore ante Romulum natum poſſunt Poëtae verba capi, & idem eſt, quod nondum vallum duxerat, aut aratro *ſignaverat moenia*, ut loquitur Ovidius IV. Faſt. 819. ubi egregie deſcribit primam formam urbis. Sed tanti non eſt mihi conjectura haec, ut in τῷ *firmare* non acquieſcere poſſim. BURM.

Aſylo facto.] Quae de *aſylo* hic dicuntur; item, de *patribus* inſtitutis, ubique obvia & in promtu ſunt apud ſcriptores Latinos Graecosque. e quibus ὡς πολιτικώτατα & ad civilem prudentiam accommodatiſſima deſcriptione haec talia exſequitur Dionyſius. BOECLER.

Appellatosque patres.] *Centum creat ſenatores, ſive quia is numerus ſatis; ſive quia ſoli centum erant, qui ciere patres* (ita apud Livium legendum, etiam absque Sigonii rationibus nimium quantum infirmis, contextus & alibi ipſe Livius ſuadet) *poſſent.* Eleganter Suidas patricios primordio Reipub. Romanae populi patres dictos autumat: poſtea Imperatores, ut ſenatum demererent (omnem enim poteſtatem dignitatemque ſibi vindicaverant) patricios ſibi quoque patres majorum gentium elegiſſe. Hinc Juſtinianus Inſtitutionibus lib. I. cap. 12. ait: *Quis patiatur Imperatoriam celſitudinem non valere eum, quem ſibi patrem elegit, ab aliena eximere poteſtate.* & Claudianus lib. II. in Eutropium:

—— genitorque vocatur Principis.

hujus mentio apud Apollinarem. Formulam Patriciatus capies a Caſſiodoro. SCHEGK.

Raptus virginum Sabinarum.] Tria haec verba argumentum eorum eſſe arbitror, quae mox ſequebantur,

ac e margine in contextum irrepſiſſe. Voss. Plerique e margine in textum irrepſiſſe iſta verba ſtatuunt. Deplorant hoc loco Rhenanus & alii, ingentem hiatum operis Vellejani: nec immerito. videtur enim pulcerrima pars ſuaviſſimae ſcriptionis periiſſe. Lipſius amplius etiam *voluminum diſtinctionem*, ex modo amiſſorum, in dubium vocat, neque veriſimile, ait, tantum rerum *uno* priore volumine a Vellejo comprehenſum fuiſſe. Nolim firmare magni Viri ſuſpicionem. Boecler. Hic eſt hiatus 582. annorum. Burm. *in marg.*

Nec minus clarus ea tempeſtate fuit Miltiadis filius Cimon.] Fragmentum, quod Priſcianus citat ex lib. I. hic collocandum putavi. Nam Cimon Athenienſium floruit circa Olympiadem LXXX. annum urbis CCCXX. longe ante bellum Perſei Macedonicum geſtum anno DLXXXIII. ex quo patet hic deſiderari hiſtoriam annorum fere CCLXV. De Cimone videndus Plutarchus in vita. Popma.

Quam timuerat hoſtis, expetit.] Defectus clarus, & aliis jam notatus. Scito autem deeſſe Romanos omnes reges, Romanos omnes conſules tribunosve militum, usque ad annum DLXXXII. id eſt, plus dimidia parte ſcripti Vellejani. Et aliquis credet conjecta haec omnia in libellum unum priorem fuiſſe? non qui attendet. Sed in his ipſis verbis, quid narratum, aut quae ſententia? de Perſe rege Macedonum fuit, quem ait graviorem multo hoſtem fuiſſe, quam exſpectaſſent. Itaque legam, *exſtitit*, non *expetit*: quaſi fuiſſet, *gravior quam timuerat, hoſtis exſtitit*. Timuerat autem, nempe Populus Romanus. Lips. Lipſius, *exſtitit*. Quod libens amplector. Senſus fuiſſe videtur: *Perſes P. Romana gravior, quam timuerat, hoſtis exſtitit*. Quod comprobant ſequentia. Voss. Immo ſequentia videntur, exigere, *Perſeo* (vel *Perſi*) *P. Romanus, levior, quam timuerat, hoſtis exſtitit.* ut ita *leve bellum* Juſtino & aliis. Burm.

Biennio.] Biennio tantum? at quadriennium tenuit hoc bellum. Sed recte tamen biennium: quia priores duo anni ſaltem in fortuna varia, reliqui magis proſperi Romanis. Lips. Bellum cum Rege Macedoniae Perſe ſcripſit Florus II. 12. & quos ibi Camers annotavit. quibus adde Pauſan. Achaic. Diodor. Sic. XXXI. excerpt. quae vulgo habentur. praeter quae, reperies aliqua in iis excerpt. Diod. quae Conſtant. Porphyrog. collegit,

& Henr. Valeſius publicavit. Zonar. II. Boecler.

Superior fuerit.] Potius eſt *foret:* nam ſequitur *perduceret.* Verum hoc leve, & per ſe obvium cuique. Acidalius. Non dubito quin legendum ſit, *ſuperior, magnam partem:* nam vox *fuerit* formata eſt patre Rhenano. liber, unde iſthaec deſcripſit, habebat tantum *fuit*, gloſſa ſcilicet, ut & *que* ſequens. Gruter.

Perduceret.] Lipſius ſcribendum cenſet *perduxerit.* Raphel.

Rhodii.] Exemplum valde memorabile, de ſequenda aut vitanda partium in bello ſocietate, Rhodiorum civitas hic ſuppeditat. Utraque pars eam ſibi ſtudebat adjungere. *Rhodii* enim, inquit Livius XLII. *maximi ad omnia momenti habebantur, quia non favere tantum, ſed adjuvare etiam viribus ſuis bellum poterant.* accedit, quod majorum auctoritatem, minores ferme civitates ſequuntur. Itaque nec Perſeus, nec Romani conceſſuri videbantur, ut bello Rhodii abſtinerent. Illum novae amicitiae gratia, hos veteris fides commendabat. Invitabant & commoda belli & minabantur incommoda: quibus tam propinquo diſcrimine exemti eſſe non poterant. Quid ergo factu optimum? primum conſilium non parum ſapientiae nomine laudaverim. Ita ſe gerebant, ut Romanis nihil negare, Perſeo nihil promittere viderentur. Ita praeferebant amicitiam Romanorum, ut adverſus Perſeum non niſi inviti hoſtilia auſuri viderentur. Romanis non ſtatim ſuſpecti, Perſeo non penitus volebant fieri formidabiles. Hac media via, cum aliquantiſper rem geſſiſſent, anxia coepit magis & ſolicitior fieri ſuſpenſa tam arduis momentis prudentia: cujus taedio aliquid audendum exiſtimabant, quo a bello partes deterrerent, ſe autem a periculo belli vindicarent. Legatos Romam mittunt, qui praefati *de amicitia ante bellum cum Perſeo inita, de belli damnis non diutius tolerandis*, poſtea adjecerunt: *legatos alios ad Perſea in Macedoniam miſſos, qui ei denuntiarent, Rhodiis placere, pacem eum componere cum Romanis, ſe Romam eadem nuntiatum miſſos: per quos ſtetiſſet, quo minus belli finis fieret, adverſus eos quid ſibi faciendum eſſet, Rhodios conſideraturos eſſe*, Liv. XLIV. 14. Peccatum in eo varie. *primo* enim *fiducia potentiae & auctoritatis nimia* inflaverat Rhodios, ut Romanorum animos, qui toti propemodum orbi erant

ter-

terribiles, ſuis frangi minis poſſe crederent. *deinde*, *imprudentius* factum, quod non animadverterunt, ſibi a neutra parte gratiam, ſed ab alterutra certum eſſe periculum exſpectandum, ob eam legationem. *porro*, *ipſe cum Romanis & Perſeo agendi modus* nec officio amicitiae conveniebat, nec ei amicitiae generi, quo Rhodii amicos quidem Romanos, ſed cum reſpectu eminentiae, *amicos venerabiles* habebant. Applicandum hic venit, quod Vellejus Noſter de Maſſilienſi negotio judicat: *principalium armorum arbitria illi captare debent, qui non parentem coërcere poſſunt.* II. 50. Equidem ſi *quietos* ſe praeſtare Rhodii & medios partibus perſeveraſſent; non quidem admodum grata erat futura partibus illa ἀδιαφορία (proprio enim quodam fato inviſus eſt, qui partium ſtudium detrectat) ſed fallor, an innoxia & minus periculoſa civitati fuiſſet. Longe autem aliud eſt, *neutrius partis eſſe*; & *arbitria pacis bellique inter partes ſibi ſumere.* Illud prudentiae aliquando & neceſſitatis: hoc non niſi ingentis potentiae opus eſt. addenda his ſunt, quae infra ad lib. II. c. 3. annotabuntur. BOECLER.

Proniores.] Ita quidem rumor diſtulerat, eos Romanorum amicitiam ſimulare, ſed per occulta & magis fida in Regem inclinare: fatenturque in apologia ſua legati Rhodiorum (apud Liv. XLV. 23.) quoſdam improbos cives, Regis amicitiam optaſſe, nullo publico conſilio aut conſenſu civitatis. Interim iſta communis eſt partium in medios ſuſpicio: *credunt Romani, Rhodios Perſei ſtudioſiores, Perſeus exiſtimat, Romanis eos magis favere.* nec diſcrepabunt, quaecumque huc conferes exempla. atque hic etiam fons eſt communis odii erga quietos: cujus & in aliis rebus facem creberrime accendit ſuſpicio. BOECLER.

Medius fuit.] Mirifice delector ſimilium collatione locorum in ſcriptoribus, neque indelectari elegantium literarum ſtudioſos alios opinor. Itaque hujus notabo interdum aliqua, quae memoria ſuggeret, inter legendum minus quam curioſe mihi obſervata. *Medium eſſe* re quapiam, valde placita noſtra formula. Infra, de Cn. Pompejo: *medius eloquentia.* Item: *ita ſe dubium mediumque partibus praeſtitit.* Propius finem, de Tiberio: *Agebatque medium, plurima diſſimulantis, aliqua inhibentis.* ACIDAL. Livius lib. XLIV. 45. ejus conſilia diſerte

ex-

exponit. Boecler. *Animi* maluerim, expuncto τῷ *fuit*, ut apud Horatium, *pacis eras mediusque belli.* atque ita caſtigandum reor lib. II. de Pompejo Magno, *medius eloquentiae.* ſupra cap. 3. *acer belli juvenis.* infra cap. 12. *modicus virium. laetus animi* cap. 93. & mille talia. Videantur Acidalius ad lib. I. c. 6. Schegkius ad eundem librum cap. 12. Apud Silium lib. I. vers 306. ex optimis membranis:

Exacti medius per viſcera teli.

non *exacto telo. Medius* igitur, quomodo lib. II. cap. 21. *dubium ſe mediumque partibus praeſtitit. Fratris initia*, in quibus multum aeſtuavi curis prioribus, refer ad Attali Philadelphi operam, quam Romanis bello Macedonico adverſus Perſen navavit. Nam bello adverſus Nabidem Lacedaemoniorum tyrannum jam ante, & adverſus Antiochum Magnum geſto, nulla ejus opera commemoratur ab Hiſtoricis; cum Eumenes utroque bello Romanis auxiliator occurrat apud illos paſſim: ut jam *Fraternis amicitiis* hic non ſit opus. Qua de re me monuit Vir, egregium in modum eruditus, Jacob. Perizonius (T. IV. Syll. Ep. p. 775.) Sic noſter hujus libri cap. 79. de Tiberio Rhodum ſecedente, *ne fulgor ſuus orientium juvenum obſtaret initiis.* & apud Ciceron. lib. X. ad Attic. Ep. ult. *ut male poſuimus initia, ſic caetera ſequuntur.* Heins. vid. ad lib. II. cap. 94.

Qui & praetor.] Ex Livio, Plutarcho, Frontino ſemel ante bellum Macedonium triumphaſſe Paullum conſtat, de Liguribus, cum adverſus eos in conſulatu profectus eſſet; itaque puto legendum: *Qui & priore conſulatu triumphaverat.* Non quod conſul triumphaſſet, ſed quod ex ea provincia, in quam conſul ierat, triumphum duxit anno ſequenti: eodem modo locutus eſt is, qui ſcripſit de viris illuſtribus: *L. Paullum priore conſulatu de Liguribus triumphaſſe.* In quo videtur Plutarchum ſecutus. Quod ſi Livium ſequi malumus, legendum erit: *Qui & proconſul triumphaverat.* Manut. Paullo provinciam Macedoniam contra mentem Livii, imo veritatem, extra ordinem decretam Juſtinus lib. XXXI. I. contendit. Et quod Praetorem triumphaſſe noſter ponit, aut doctiſſimi Sigonii Manutiique emendatio probanda, aut praeturam, in qua obiiſſe Oroſius falſo tradit, inepte confundit. Schegk. Ab Antiquariis noſtris

(Si-

(Sigonio & Manutio) erroris damnatur Vellejus, aut exſcriptor: nec unquam in Praetura triumphaſſe Paulum. Ergo corrigunt: *Paullum, qui & priore conſulatu triumphaverat.* ſed ipſi corrigendi. Ego recte & vere ajo a Vellejo ita ſcriptum. Lapis Romae: (Gruter. p. CCXCVIII. 2.)

L. AEMILIUS L. F. PAULLUS COS. II. CENS.
AUGUR. TRIUMPHAVIT. TER.

Si ter triumphavit Paullus, quando primum, niſi in Praetura? Nam duo alii triumphi manifeſto in conſulatu utroque intervenerunt: prior de Liguribus, hic de Perſe. Triumphaſſe autem in Praetura etiam Plutarchus ſatis argumento eſt: qui ait, miſſum Paullum *adhuc praetorem in Hiſpaniam Proconſulari imperio, cum faſcibus duodecim, ibi occidiſſe ad* XXX. M. *hoſtium.* in Livio XVIII. *millia* legas, libro XXXVI. ſed nempe de ſolis Luſitanis. Si autem tot milla caeſa, nonne debitus triumphus? Imo & delatus, quod ex Livio ibidem colligas, qui mox addit, *decretam ſupplicationem, ob res ab Aemilio in Hiſpania geſtas*: at ea ſemper fere dux triumphi. Sed & idem Livius de triumpho indicat in Epitoma XLVI. Triumphavit ergo, & marmori ac Vellejo hoc credamus. Adde & Suidam in Λεύκιος. LIPS. Nihil hic mutandum, refragantibus libris omnibus. Eſt enim error Velleji, quem redarguunt Livius, Plutarchus, & Frontinus, ubi referunt Aemilium Praetorem in Hiſpania cum imperio fuiſſe, res magnas geſſiſſe, bis triumphaſſe, conſulatu primo de Liguribus, altero de rege Perſeo. Errorem Velleji ſecutus Antonius Auguſtinus in libro de familiis Romanis ſcribit, Aemilium triumphaſſe ante Conſulatum propraetore ex Hiſpania anno DLXIV. POPMA.

Quam tergiverſanter.] Vide Liv. XXII. 44. & 45. & ceteros, qui hanc pugnam ſcripſere. Verba noſtri Auctoris recte ſe habent, neque correctione indigent. BOECLER.

Tam fortiter in ea mortem obierat.] Burerius notat in MSS. *ex ea morte obierat.* Vera ſcriptura; *in eo marte obierat.* SCHEGK. Non neceſſariam mutationem recentiores moliuntur, *in eo marte*, quam illi tamen & veram audent ſcripturam affirmare. At quid quaeſo, vulgato iſto, non dicam in aliis auctoribus tritius, ſed in hoc ſaltem ipſo frequentius? Taceo, quod vis ſententiae in-

infringitur, & oppoſitionis obſcuratur, quae ſita & in ſenſus diverſitate, & verborum paene eorundem ſimillimo ſono, venuſtas. ACIDAL. Concinnius utique legamus, *mortem obiit.* & mox, *impedire conniterentur*, pro *obniterentur.* etſi nec me praeterit, Acidalium aliosque eſſe, qui vulgatam lectionem tueantur. HEINS.

Perſeum.] Primogenia editio, *Perſam.* Malo, *Perſen.* Ita poſtea etiam ejusdem editionis auctoritate ſcribendum eſt. VOSS. Membranae *Perſam*, ut opinor, vere: ſic ut *Perſes* & *Perſa* dicatur, quomodo *Aeetes* & *Aeeta*, *Oreſtes* & *Oreſta.* ita *Philoctetа*, & *Laërta*, apud Dictyn Cretenſem. & ſic infra ſcribendum quoque ſit *regis Perſae*, non *Perſei.* ſed illic *Perſi* verior forte eſt ſcriptura. ut *Achilles*, *Achilli*, & ſimilia. ſic *Oreſtes*, *Oreſti* Gellio, lib. VII. cap. I. eidem *Sophocli*, *Euripidi*, *Demoſtheni*; & id genus alia paſſim, de quibus Voſſius de Analog. II. cap. 9. Quamquam Valer. Maximus, *Perſae* dixit ſecundo caſu, lib. VI. cap. 2. & Tullius in Agraria II. ſed & idem Valerius libro I. cap. 5. a Paullo Aemilio expeditionem adverſus Perſen meditanti omen acceptum, quod filia *Perſam periiſſe* diceret, canem ſuum deſignans, enarrat. A. Gell. lib. VII. cap. 3. *Rhodienſis civitas Perſa Philippi filio Macedonum rege amico uſa eſt.* & mox ex oratione Catonis, *Perſa rege victo.* Ubi tamen & *Perſen regem* habet, non *Perſam*, ibidem variis locis. Cicer. II. Agrar. *Bella geſta cum regibus Philippo*, *Antiocho*, *Perſa.* Nunc tamen perſuadeor fere, ut credam *Perſea* ſcriptum a Vellejo, quomodo paſſim Livius quoque, non *Perſeum. Perſeus*, *Perſei*, *Perſi*, *Perſea.* De ſimili derivatione nominum vide Gronov. l. IV. obſ. c. 15. mox c. II. *Poſt victum captumque Perſen*, bene prima editio, non *Perſeum.* Niſi & illic *Perſea* malumus Liviano more. Propertius Elegia ultima libri IV.

Et Perſen proavi ſimulantem pectus Achillis.

Quem locum vir magnus Juſtus Lipſius Vellejanis curis ad lib. I. cap. 6. temere ſollicitavit. Multum animi Perſes prae ſe videbatur ferre, ad exemplum proavi Achillis, falſo id tamen; cum bellum expertus adverſum, ſeſe in vincula ad triumphum turpiter mox dediderit Romanis. Mentiebatur igitur & ſimulabat pectus atque animos Achillis, non referebat vere virtutes ejus. *Mentiri*

tiri Maro dixiſſe maluit Aeneidos II. ubi Priamus ad Pyrrhum,

At non ille, ſatum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoſte fuit Priamo.

Vellejus noſter infra cap. 11. hujus libri, *Pſeudophilippus a mendacio ſimulatae originis appellatus. Aſſimulare* Tacito haud infrequens hoc ſenſu, ut Annal. IV. cap. 59. *Aſſimulabatque judicis partes.* recte *aſſimulabat.* non enim bona fide implebat. perperam & is locus a viris eruditis tentatur: Naſo pari quoque modo frequenter. ſic Minerva *aſſimulabat anum*, quae formam anilem induerat. Haec in transcurſu. HEINS.

Ingenti praelio.] Hoc praelium finem attulit regno Macedoniae in ditionem Romanorum redacto. Juſtin. XXXIII. 2. 6. *cum inde a morte Alexandri diſtractum in multa regna, a ſummo culmine fortunae ad ultimum finem ſtetiſſet* CL. *annos*, ut Livius putat XLV. Strabo excerpt. lib. VII. ἐν μὲν οὖν τῷ πρὸ τῆς Πύδνης πεδίῳ Ῥωμαῖοι Περσέα καταπολεμήσαντες, καθεῖλον τὴν τῶν Μακεδόνων βασιλείαν. BOECLER.

Coëgit e Macedonia profugere &c.] Nocuerunt & hic forte auctori ſcribarum ignorantiâ: nam ſatis fuiſſet, *coëgit e Macedonia in inſulam Samothraciam, templique*, omiſſis ceteris vocibus. GRUT. Invenuſta certe hic repetitio τοῦ *profugit.* forte ſcripſerit Vellejus; *quam ille linquens, in inſulam Samothraciam trajecit* (vel ſimile verbum) *templique* &c. niſi in priori membro malis: *deſtitutum omni ſpe exegit e Macedonia, quam ille linquens in inſulam Samothraciam profugit*, &c. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 24.

Samothraciam.] Inclita religionibus inſula, nocentiumque aſylum certum. Plutarchus in Camillo. Hanc Servius, in illud Poëtae:

Dardanus Idaeas Phrygiae penetravit ad urbes;

contra illuſtriſſimum & omnia doctiſſimum virum a Samo diſtinguit. *Dardanus*, ait, *profectus ad Phrygiam Ilium condidit: Jaſius vero Thraciam tenuit, ubi eſt Samos, quam & Samothraciam nominavit. nam alia eſt inſula Samos, Junonis. Inſulam Samum*, prodit Varro apud Lactantium lib. 1. cap. 17. *prius Partheniam nominatam, quod ibi Juno adoleverit, ibique Jovi nupſerit. itaque nobiliſſimum templum ejus eſt Sami & ſimulacrum in habitu*

nubentis figuratum, & ſacra ejus anniverſaria nuptiarum ritu celebrantur. Hinc Auguſtino lib. VI. de civitate Dei, *dilecta Junonis inſula nominata.* In Samothracia, quam Strabo & Diodorus lib. IV. deſcribit, tres arae, quae Trinis Diis (quas ſuſtuliſſe & ſecum portaſſe Aeneam firmat Servius) parent. *MAGNIS. POTENTIBUS. VALENTIBUS.* de quibus Varro & Macrobius lib. III. Lapis Murciae in Hiſpania, *Di magni Caſtor & Pollux.* SCHEGK.

Templique ſe religioni.] Ficulneum vere auxilium, tale profugium recte judicat Tacitus lib. I. Hiſt. 43: *Piſo in aedem Veſtae pervaſit, exceptusque miſericordia publici ſervi & contubernio ejus abditus, non religione, nec ceremoniis, ſed latebra imminens exitium differebat.* Ad quem locum examinamus, quatenus religio tutetur victos, an victori ulla objici poſſit religio, adverſarii utique ſui: quaeque ideo deſiiſſe videri queat. GRUTER. *Quaſi templa & arae poſſent defendere, quem nec montes ſui nec arma potuiſſent,* inquit Florus II. 12. 9. non ſine panegyrica figura, & quaeſita inventionis occaſione. omnino alias *haec inſula ſacra & auguſti tota atque inviolati ſoli erat* (verbis Liv. XLV. 5.) ſervato praeterea univerſim gentilibus more, *ſupplicibus templorum parcendi*, id eſt, *propter templa hominibus incolumitatem dandi.* BOECLER. Adverſus quae nonnulli *jus victoris & victoriae* exaggerant opponuntque: quaſi tantum id quaerendum eſſet, quod licet facere, cum nec expediat nec deceat facere omnia, quae licere videntur. Heu quanta noſtri temporis probra ſubeunt animum, dum haec ſcribo. BOECLER.

Ratione magis.] Velim, *oratione magis.* LIPS. Lipſius, *oratione.* Sed *ratione* hic potius locum habet. P. Syrus:

Ratione, non vi vincenda adoleſcentia eſt.

Sic fere Romanus martyr apud Prudentium:

Ratione mecum, non furore, dimica.

Sic innumeri alii, quorum loca aggerere, pene ſtultum videri poſſit. VOSS. Lipſio placebat, *oratione.* Nulla autem fortaſſe fuerit cauſſa ſubſtituendae alterius voculae. Conſilium Octavii, ſive *ratio* in eo eſt: quod modo minis, modo ſpe conatus eſt regem perlicere, ut ſe traderet: quod poſtea regios pueros, propoſita incolumitate ad ſe traduxit, eoque transfugio nudatum regem

re-

recepit, ut legere eſt apud Livium. Boecler.

Octavii praetoris.] Eadem pene Livius lib. xlv. Qui etiam addit: *Is triumphus ſine captivis fuit, ſine ſpoliis.* Voss.

Praetoris, navalis.] *Praetorem navalem*, recte quidem dici, vide ad lib. ii. 76. Sed hic ita diſtinguere quasdam editiones video, ut *navalis* ad *triumphum* referatur: & certe ita Livius xlv. 42. *Cn. Octavius Calendis Decembribus de rege Perſeo navalem triumphum egit.* Et ita vertit Gallicus Paterculi interpres, neque nobis diſplicet; quia vix videtur neceſſarium hic Praetorem navalem vocare, quem paullo ante dixerat *claſſi praefuiſſe.* Burm.

Triumphi.] De his triumphis conſulendus Sigonius comment. in faſt. & triumph. Rom. ad an. dxxcvi. de bello Illyrico contra Gentium, Flor. ii. 13. & quos ibi nominavit Camers. item Zonaras ii. pag. 109. Boecler.

Invidia.] Atque etiam (aetas omnis vidit) famae eminentis. Livius in hac ipſa re dixerat: *Intacta invidia media ſunt, ad ſumma fere tendit.* Lips. Fabius apud Livium lib. viii. cap. 31. *etiam invidiam, tanquam ignem, ſumma petere.* Ubi plurimas auctorum ſimiles ſententias coacervamus; ſi non bono, at certe nullo juventutis malo: cui indicatum cupimus, quibusnam potiſſimum attendere debeat in legenda hiſtoria: utique inter alia penitus ei noſcendam vulgi naturam, nec non perdiſcenda & regum, & optimatum ingenia; prout agunt ſub hac vel illa, vel iſta imperii forma. Gruter. Tale ſuae narrationi judicium etiam Livius praemittit xlv. 35. *intacta invidia media ſunt, ad ſumma fere tendit. Nec de Anicii, nec de Octavii triumpho dubitatum eſt. Paulum, cui ipſi quoque ſe comparare erubuiſſent, obtrectatio carpſit:* corrumpente nimirum populi judicia Sulpitio Galba tribuno mil. privatim imperatori inimico, criminanteque virum optimum, ut *imperioſum ducem* (ob diſciplinae militaris obſervantiam) & *malignum*, ob praedam parcius, quam inſatiabilis militum cupiditas ſperaverat, diſpertitam. Hujus exempli conſideratio, inter praecipua, ſtudioſis prudentiae ſuppeditare poteſt, vitium illud popularis ſtatus; cum apud armatam ſuffragiis & imperitia multitudinem Demagogi primum invidia & obtrectatione ſingulorum, mox factionum turbis; de-

nique ad ſeditionem & exitum civitatis paulatim (ſaepe nec paulatim) graſſantur. BOECLERUS.

Hoc colligi poteſt.] Elegans uſus pronominis, pro *hinc*. ut apud Lucan. IV. 229.

At vobis vilior hoc eſt
Veſtra fides, quod pro cauſſa pugnabitis aequa.

Quinct. Decl. XIII. 2. *verum vel hoc fuit gratiſſima poſſeſſio.* BURMAN. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 24. 361. V. IX. p. 240.

Impedire obtinerentur.] Magis ad vulgi guſtum *adniterentur*. Non mutandum tamen, uti nec lib. II. 4. *occlamaſſet*, ſubſtituendum pro *acclamaſſet*, alii monuerant. Idemque ego nunc moneo, nec in Seneca tentandum Epiſt. XLVII. *vive cum ſervo clementer, comiter quoque & in ſermonem admitte, & in conſilium, & in convictum. Hoc loco acclamabit mihi tota manus delicatorum: nihil hac re humilius! nihil turpius.* Nec item in Cicerone in L. Piſon. *Da te populo, committe ludis, ſibilum metuis? ubi ſunt veſtrae ſcholae? ut acclametur, ne id quidem curare Philoſophi.* Denique nec in hoc alibi, neque in aliis ubicumque idem occurrit. Enim *ob* & *ad* viciſſim inter ſe commeant, ut ex Feſto didici. Sed erit nihilominus, cum de toto hoc genere pluribus agam ad Apulejum, in quo talia multa, nondum aliis obſervata, quae uti reliqua omnia, vellem nunc communicare tecum licuiſſet. Verum quid me moretur, dixi alibi ante: & doleo ego fortaſſe vehementius, quam tu exſpectas ardentius. ACIDAL. Idem quod *obnixe agere pedibus manibusque*, ut Terentius loquitur, hic ſignificare videtur *obniti*, quamquam rarior ſit locutio, adjuncto alio verbo in infinitivo. apud Quinct. V. Inſt. 13. *toto corpore obnitendum*, ubi & *annitendum*, vel *enitendum* alii fruſtra volunt. BURMAN.

Bis millies.] Si ad uſum noſtratis pecuniae ratio ſubducatur, erunt ſexagies ter centena ſcutatorum millia. aliter Antias apud Livium lib. XLV. Plutarchus totam ſummam non definit. Plinius lib. XXXIII. cap. 3. non carere mendo videtur, cum ait: *Intulit & Paullus Aemilius, Perſeo, rege Macedonico, devicto, praedam pondo trium millium: a quo tempore populo R. tributum pendere deſiit.* Nam, *pondo trium millium*, longe diſtat a *bis millies centies HS.* Cicero de Officiis opinor, lib. II.

prae-

praedae magnitudinem ſignificat, modum non exprimit. MANUT. Variant in ſumma. Livius ait, *ſummam omnis captivi auri argentique fuiſſe HS. millies ducenties*: nimis infra Vellejanum calculum, niſi emendas (ego ita optem) *bis millies*. Nam in Plinio quoque, *intuliſſe Aemilius Paullus* legitur, *praedam pondo trium millium*: ſive, ut manu ſcripti, *ſeſtertium ter millies*. Itaque hoc quoque fecerit augendo numero Liviano, quoniam grandius, quam vel illud Velleji. LIPSIUS. V. Gron. ad Liv. XLV, 40.

Contulerit.] Lipſius malit, *intulerit*. RAPHEL. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 24.

Omnium ante actorum.] Quippe, *cujus ſpectaculo triduum impleverit. Primus dies ſigna tabulasque; ſequens, arma pecuniasque transvexit; tertius captivos, ipſumque regem attonitum adhuc, tamquam ſubito malo ſtupentem.* Florus lib. II. cap. 12. SCHEGK.

Amplitudine.] Quapropter in exemplum declarandae rei triumphalis typisque aeneis effigiandae delectus eſt a diligentiſſimo Antiquitatis Romanae vindice, Onuphrio, libello de triumph. BOECLER.

Olympicum.] Mavult vir doctus, Frid. Sylburgius, *Olympieum*, motus auctoritate Pauſaniae in Atticis. SCHEGKIUS. De hoc Olympico Pauſanias in Atticis, & Diodorus Siculus lib. XX. his verbis: *Ἀντίγονος δὲ προχειρισάμενος ἀγῶνα μέγαν καὶ πανήγυριν ἐν Ἀντιγονίᾳ συντελεῖν, παντόθεν ἀθλητάς τε καὶ τεχνίτας τοὺς ἐπιφανεστάτους ἐπὶ μεγάλοις ἄθλοις καὶ μικροῖς ἤθροιζε.* POPMA. Somniavit profecto Popma, cum de eodem Olympico Diodorum lib. XX. locutum ſcripſit. Ille enim agit de certamine ab Antigono Antigoniae inſtituto: noſter, de templo Jovis Olympici ab Antiocho Athenis exſtructo. Meminerat vero ejus Polybius; ut ex Athenaei V. videre eſt. Polybium, ut ſolet, ſecutus eſt Livius fragmento, quod habes lib. XLI. *Magnificentiae vero in Deos, vel Jovis Olympici templum Athenis, unum in terris inchoatum pro magnitudine Dei, poteſt teſtis eſſe. Sed & Delon maris inſignibus, ſtatuarumque copia, exornavit.* Ubi emendo, *aris inſignibus*. Etſi ſciam, Polybium unius tantum arae mentionem injicere. Sed vehementer fallitur, qui Livium adeo religioſum Polybii interpretem putet, ut ejus verbis ubique ſe adſtrinxerit. Templi hujus etiam meminit Pauſanias in Atticis, ac Vitru-

vius lib. III. cap. I. his verbis: *Hujus autem exemplar Romae non eſt, ſed Athenis octaſtylos eſt in templo Jovis Olympii.* Ita ſcripſi. Vulgo editur: *ſed Athenis octaſtylos & in templo*, &c. Poſſis tamen τὸ & inducere: quod Philandro viſum. Vossius. Vide Fabr. Semeſt. III. 3. qui & *Olympieum* probat. & recte: ita *Caeſareum*, *Auguſteum*, & ſimilia de templis dixiſſe conſtat. Graecis Ὀλυμπίειον. Burm.

Tum rex Syriae.] Vulgo, *Regem Syriae.* Rex Aegypti fuit Ptolemaeus, Syriae autem Antiochus: quod hiſtoriae ſignificant. Itaque *rex*, non, *regem*, omnino legendum, quod Livii indicat epitome lib. XLV. Ptolemaeus autem hic eſt, cui Philometori cognomen fuit. Et *C. Popillium*, qui virgula Antiochum circumſcripſerit, non *Marcum*, Livius nominat. Manut. Aut tria haec verba ſpuria ſunt; aut cum Aldo legendum: *tum rex Syriae.* Voss. Atqui Antiochus rex Syriae, Aegypti Ptolemaeus. Excidit puto vocabulum monoſyllabum *Rex.* & pro *tum* ſcribendum forte *templum. cum Antiochus Epiphanes, qui Athenis Olympicum inchoavit templum, regem rex Syriae Ptolemaeum.* vel *rex Syriae Ptolemaeum*, non *regem.* Livio Jovis Olympici templum eſt lib. XLI. cap. 20. Heins. Nihil muto. Athenis fuit Antiochus, antequam rex fieret, ibique nuntium de morte Seleuci fratris, qui patri ſucceſſerat, accepit. Appian. Syr. p. 187. ob ſubitum ergo diſceſſum *inchoaſſe* tantum, non perfeciſſe dicitur. Jovis autem Olympii templum erat, quale Syracuſanis etiam fuit, Livius lib. XXIV. cap. 21. & 33. quo altero etiam loco *Olympium* dicitur, ſuppreſſo templi vocabulo, aut παρενθετικῶς tantum adjecto. Cellar. *Iterum rediens e Syria* legit Warburton Bibl. Brit. T. VII. p. 162. Burm. *in marg.*

Ptolemaeum puerum.] Ptolemaeus Philometor puer in regno Aegypti Ptolemaeo Epiphani ſucceſſit, & moriens Ptolemaeo Phiſconi, ſive Soteri, vel Evergeti regnum reliquit: de quibus Livius, Juſtinus, alii. Popma.

M. Popillius.] De C. Octavio Plinius lib. XXIV. 8. Scheckius. Diſſenſus eſt auctorum in legati nomine C. Octavium Plinius nominat, lib. XXXIV. cap. 6. cujus verba adducere alii occuparunt. *C. Popillium* Cicero Philipp. VIII. *Pro Dii immortales, ubi eſt ille mos virtusque*

que majorum? C. Popillius apud majores noſtros, cum ad Antiochum regem legatus miſſus eſſet, & verbis Senatus denunciaſſet, ut ab Alexandria diſcederet, quam obſidebat; cum tempus ille differret, virgula ſtantem circumſcripſit, dixitque ſe non ante renunciaturum Senatui, niſi prius ſibi reſpondiſſet, quid facturus eſſet, quam ex illa circumſcriptione excederet. Ubi emendarim obiter: *Ubi eſt ille animus virtusque majorum?* quod videtur magis accommodatum. Juſtinus lib. XXXIV. *de Popillio* affirmat, ſed ſine praenomine: qui rem tamen plenius aliquanto narrat. Ejusque verba nulla adferrem, niſi pauca ſuaderet parva quaedam macula, quam hic eluam opportune. *Prolatoque Senatus decreto & tradito, cum cunctari eum videret, conſultationemque ad amicos referre; ibi Popillius virga, quam in manu gerebat, amplo circulo incluſum, ut & amicos caperet, conſulere jubet; nec prius inde exire, quam reſponſum Senatui daret, aut pacem aut bellum cum Romanis habiturum.* Verba, *ut & amicos caperet*, languent prorſus, nec quid velint, plane video. Scripſerim itaque, *ut ut amicos caperet*, auſtera & imperioſa increpatione dignaque perſonae, quam gerebat, auctoritate & P. R. majeſtate. de nomine amplius non habeo dicere, niſi Valer. Maxim. etiam in *Cajum*, pleroſque alios in *M. Popillium* inclinare. ACIDAL. Plinius errat, qui hunc *C. Octavium* appellat, & hiſtoriam ſive facta duplicia miſcet ac confundit. Non nemo, qui Plinium recenſuit & adnotavit, fruſtra eſt in viro defendendo. Tu, ſi voles, fontem ipſum erroris ejus reperies in Ciceronis Philippica Nona. LIPS. In loco Juſtini amico meo languebant verba, *ut & amicos caperet*, nec plane videbat quid vellent; itaque reſcribebat, *ut ut amicos caperet.* Verum ego non video quid ſibi velit haec emendatio: at Juſtini altera lectio hoc vult, circulo eam fuiſſe capacitatem, ut intra eum ſtare poſſent amici Antiochi advocandi. GRUTER. Imo, *C. Popillius.* Quod ſuadent Polybius, Cicero, Livius, Valerius. Zonaras tamen M. Popillium etiam nominat. Sed errorem ejus redarguunt facile teſtes, quos dixi, omni exceptione majores. VOSSIUS.

Finito circulo.] Eleganter pro definito. Ita ſaepe Livius. de quo vide Gronov. ad lib. XXXV. 7. Ovid. II. Faſt. 222.

Riparum clauſas margine finit aquas.
Adde Heinſ. ad VIII. Met. 695. & Nucem 145. BURM.

Cogitationem.] Neminem futurum arbitror, qui venuſtiorem, etiam veriorem lectionem meam neget: *Sic cunctationem regiam R. disjecit conſtantia.* Amat noſter illam παρήχησιν & reſonantem verborum ſimilitudinem. Sic infra hoc libro. *Neque ante inviſum eſſe deſinit, quam eſſe deſiit.* lib. II. *Natura magis quam ratione barbarus.* Sed enim *conctari*, an *cunctari* ſcribas, hilum non intereſt. A voce *cunctus* autem, veluti fonte quodam, & haec & alia omnia derivantur; *cunctio*, *percunctari*, ſive *percontare*, quod a *conto* futili ratione, magiſtelli ſpinoſi, nimium inficeti homines, deduxere. ACIDAL. Non negabis aptius eſſe: *contationem regiam.* Tardabat enim reſpondere, & deliberaturum ſe dixerat. LIPS. Pro *cogitationem* ſcribo *cunctationem*, levi mutatione, & in eadem hiſtoria hoc verbo uſus eſt Juſtinus lib. XXXIV. *prolatoque*, inquit de Popillio, *ſenatus decreto, & tradito, cum cunctari regem videret conſul, rationemque ad amicos deferre, ibi Popilius virgae amplo circulo incluſum, amicos capere & conſulere jubet*, &c. quamquam non ſim neſcius *cogitare*, pro cunctari & dubitare non ſemel uſurpari apud laudatos auctores. Nonius Marcellus, inter *cogitare* & *deliberare* hoc intereſt, *cogitare* eſt dubitare: *deliberare*, confirmare. BOXHORN. *Cunctationem* ſive *contationem*, quod tantundem eſt, pro *cogitatione* reponendum eſſe, hic loci clariſſimo Lipſio videbatur. Alii alia commenti ſunt. Sed locum minime conjectura inutili eſſe tentandum arbitror. poſuit enim *cogitationem* pro conſideratione Noſter, aut conſultatione. interpres eſto huic loco Feſtus, ne temere tentetur. *Cogitatio*, inquit is, *dicta velut coagitatio, id eſt longa ejusdem rei agitatio in eadem mora conſilii explicandi.* Livius in hac narratione, libro XLV. cap. 12. *cum ſe conſideraturum adhibitis amicis, quid faciendum ſibi eſſet, dixiſſet.* apud Juſtinum quoque in hac hiſtoria Epiphanes *conſultationem ad amicos refert.* Ad rem etiam in primis facit illud Liv. lib. XXVI. cap. 33. *Spatium deinde tridui ſe his dare ad cogitandum dixerant.* lib. XXXIV. cap. 59. *Nec feſtinarent decernere; tempus & ſibi ſumerent, & Regi ad cogitandum darent: cogitaturum, cum renuntiatum eſſet.* lib. XXXVI. cap. 7. *Cum circa hanc conſultationem diſceptatio omnis*

verteretur, Hannibal interrogatus ſententiam in univerſo belli cogitationem regem avertit. Sic & alibi idem. apud Tullium de Senatuſc. *res diu & multum cogitatas adferre: cogitate verba facere.* Plauto: *cogitate rem tractare.* Noſter lib. II. 17. *ut nullam petendi conſulatum cogitationem habere videretur.* Ubi tamen non male Sigonius *rationem.* Heinsius. Accedo Heinſio, nihilque novandum eſſe puto. de verbo *cogitare* vid. Cl. Graevium ad Cicer. I. de Off. 8. Burm. V. Miſc. Obſ. v. IX. p. 345.

Compoti.] *Compote* Edit. Rhenan.

Minores natu.] Interpretamentum manifeſtarium *minores natu*, adjectum voci *praetextatos*, quare omnino tollendum. Gruter. Gruterus, *praetextatis* iſtud gloſſematium adjectum, ideoque tollendum cenſet. Potuiſſe omitti fateor, ſed Vellejus non abhorret a talibus adjectiunculis. Boeclerus. Ego nihil muto, ſed utrumque retineo, nam minorum natu aetatem oſtendit, quos, cum vinceret Perſeum, adhuc praetextatos habebat: & Livius cum utriusque aetatem memoraſſet, addit: *Eos praetextatos curru cum patre vehi oportuiſſe*, lib. XLV. 40. Quae noſter ante oculos habuit. Burman.

In concione.] De his rebus erudite tractat Onuphrius, lib. de triumph. ſupra laudato. Boeclerus.

Extra urbem.] Ad Bellonae, juratus. Schegk.

Deos immortales precatus eſt &c.] Liv. XLV. Aurel. Vict. 56. Val. Max. I. 5. 2. V. 10. 2. Senec. conſol. ad Marc. 13. Plutarch. in Aemil. &c. Adeo praeclare utramque fortunam fert, qui inter ſecunda de adverſis prudenter cogitavit. Sed & illa in patriam pietas, quanquam ab omnibus publico debeatur, vix tamen ſerio & animoſe, niſi in Heroica mente, ſe explicat. Recordor nunc ſimilem pii antiſtitis in rem Eccleſiaſticam affectum. *In orat. funebr. de obit. fratris*, inquit Ambroſius: *Nihil habeo quod querar, ſed habeo quo Deo gratias agam: quia ſemper optavi, ut ſi quae perturbationes vel eccleſiam vel me manerent, in me potius ac meam reciderent domum.* Boecler.

Si quis eorum invideret operibus.] *Opera*, res geſta. Ita πράξεις & ἔργα uſurpant Graeci. Florus ſtatim in prooemio: *Populus Romanus ſeptingentos per annos tantum operum pace belloque geſſit.* Boxhorn.

Alterum ex iis.] Legerem *duobus*, ita poſtulante ſententia. ut *iis* per incuriam librarii poſitum fuerit, pro

 nu-

merali nota II. Sylburg. MANUT. Sed illud *iis* aeque rectum, itaque mutandum non eſt. PUTEAN. *Ex ſuis* prima editio. nam in alias familias adoptione e liberis ejus erant qui ceſſiſſent, nec immutatum oportuit, ut & capite ſubſequenti *Macedonici nomen inditum erat.* ubi τὸ *erat* perperam ejecerunt, aut in *haeret* mutavere. HEINS.

Ante paucos.] Quorum alter triumphum patris funere ſuo quartum ante diem praeceſſit: alter in triumphi curru conſpectus, poſt diem tertium exſpiravit. Valerius, Livius, Seneca 4. declamat. Plutarchus. Ejus votum eleganter apud Livium & Valerium, apud quem pro τὸ *proventu felicitatis*, in Vet. *provectu felicitatis.* SCHEGKIUS.

Fulvii cenſoris frater.] Laudavi locum iſtum lib. XXXIV. cap. 8. Livii, ubi aliquam multos recenſebam, qui cordate patriam cognationi praetulerunt. GRUTER.

Et quidem conſors.] Placebat legere, *concors.* ſed deſino, cum in Livio quoque legam lib. XLI. 27. *Frater germanus, &, ut Valerius Antias tradit, cenſoris etiam conſors erat.* Conſortem autem hic interpretor, cum Gloſſis priſcis κοινόβιον, ejusdem menſae ejusdemque tecti. LIPS. Proprie *conſortes* ſunt coheredes, qui communi & nondum diviſo patrimonio pariter utuntur, dicti. Sic Horat. III. Od. 24.

Cum perjura patris fides
Conſortem, ſocium, fallat & hoſpitem.

Ita disjunctim legenda illa, non *conſortem ſocium*, ut recte Paſſerat. ad Propert. lib. I. 21. Scholiaſtes Crucquii vero eleganter exponit *conſortem*, *in aſſe*, id eſt, qui totam hereditatem cum alio pro communi poſſidet, & ita Varr. lib. V. de L. L. p. 57. *conſortes, ad quos eadem ſors pertinet. Sors* autem eſt hereditas. Unde Feſtus *diſſortiones* explicat, *diviſiones patrimoniorum inter conſortes.* & ita cape illa Claudii apud Sueton. XXVIII. *abundaturum, ſi a duobus libertis in conſortium reciperetur.* Hinc ad alias conjunctiones transferri jam notatum aliis. BURMAN.

Senatu motus eſt.] Quia legionem, in qua tribunus militum erat, injuſſu conſulis dimiſerat. Frontinus lib. IV. Cicero in Verrinis. Plinius lib. VII. Livius lib. XLI. SCHEGK. Meminit hujus notae cenſoriae etiam Liv. XLI. 27.

27. Frontinus IV. 1. 32. Pertinet autem omnino ad remp. & prudentiae civilis ſtudium, *noſſe atque adeo recordari acta cenſoriae poteſtatis*, quae eſt *magiſtra & cuſtos pacis* (ut hoc cum Valerio dicam e II. 9. pr.) ſicut diſciplina militari bellorum robur & efficacia ſuſtentatur. De hoc argumento nemo e politicis recentioribus gravius tractavit Lipſio IV. Pol. 11. De *exauctorationibus* ſeorſum erudite multa diſſerit Langlaeus Semeſtr. 13. 1. de voce *conſors*, adi indicem. BOECLER.

Captumque Perſeum.] *Perſen*, editio Rhenani.

Quadriennio poſt.] *Quadriennium poſt*, edit. Rhenan.

Libera cuſtodia.] Credo ſic dictam, ſive quod intra certos terminos libera ambulatio permiſſa; ſive ad diſcrimen carceris: quia in hunc ſcelera, flagitia, atque ſervili poena digniſſima faex conjiciebatur: in illam non niſi qui alicujus dignationis liberalique poena digni; Senatores nimirum vel duces captivi. Colligitur ex Ciceronis Bruto: *Domi*, ait, *teneamus eam ſeptam liberali cuſtodia*: & Salluſtii Catilinario. Plura notavit ad Tacitum, vir nunquam ſatis laudatus, & cujus cauſſa, corculum illud Cato haereſin ſuam migraret, Juſtus Lipſius. SCHEGK. *Publica cuſtodia* eſt carcer, in quem ſcelerati & flagitioſi detruduntur: *libera cuſtodia* eſt laxior, & humanior detentio, quae viris principibus aut dignioribus, & minus noxiis datur apud Magiſtratum, aut militarem manum, vel in municipiis. Liv. lib. XLV. *Perſea regem cum Alexandro filio Albam in cuſtodiam duceret*; & mox, *caeteros captivos, qui in triumpho ducti erant, in carcerem condi placuit.* De Perſei mortis genere Plutarch. in Aemilio, & Salluſt. lib. v. Hiſtoriarum, in epiſtola Mitradatis. POPMA. Tradunt idem Diodorus, Valerius Maximus, Oroſius, aliique. Ibidemque etiam Syphacem Numidarum, ac Bituitum Arvernorum, reges aſſervatos produnt hiſtoriae. Hinc Strabo libro v. Ἄλβα διὰ τὸ ἐν βάθει τῆς χώρας ἱδρῦσθαι, καὶ διὰ τὸ εὐερκὲς, ἀντὶ φρουρᾶς ἐχρήσαντο πολλάκις οἱ Ῥωμαῖοι, τοὺς φυλακῆς δεομένους ἐνταῦθα καθείργοντες. *Alba quia in interioribus ſita, & bene munita eſſet, crebro cuſtodiae loco a Romanis fuit data, in quam dederent quos aſſervari vellent.* VOSSIUS. Liberis cuſtodiis Romae quidem magiſtratuum, aut ſenatorum domus adhibitae: ſed & munitioribus oppidis per Italiam captivi honoratiores ſaepe ſervabantur. Livius

vius XLV. *Patres cenſuerunt, ut Quintus Caſſius Perſea regem cum Alexandro filio Albam in cuſtodiam duceret. Bitis regis Thracum filius cum obſidibus in cuſtodiam Carſeolos eſt miſſus. Ceteros captivos, qui in triumpho ducti erant, in carcerem condi placuit.* Adde cap. 43. de *Alba* etiam lib. XXX. cap. 17. exemplum habemus: ubi capto Syphace, *conſulti patres, regem in cuſtodiam Albam mittendum.* Ratio apud Strabon. V. duplex redditur, *quoniam in penetralibus regionis ſita Alba, & praeterea probe munita eſſet.* De libera cuſtodia egit Lipſius ad Tac. VI. A. 3. 4. & Savaro ad Sidon. lib. I. epiſt. 7. BOECLER.

Pſeudophilippus.] Ob oris ſimilitudinem, qui & *Andriſcus.* Florus. SCHEGK. Si quis abjiciat, *a mendacio ſimulatae originis appellatus*, idem tamen intelligat lector ex verbis ſequentibus. Interim notabile, quod legitur apud Tacitum lib. XII. cap. 62. *Cuncta repetiere Byzantii orſi a foedere, quod nobiſcum icerant, qua tempeſtate bellavimus adverſus regem Macedonum, cui, ut degeneri, Pſeudophilippi vocabulum impoſitum.* Ex eo enim apparet, tali nomine nuncupari non falſos modo, ſed etiam degeneres. GRUTER. Flor. II. 14. quosque Camers indicavit. BOECLER.

Cum eſſet ultimae.] Floro eſt: *vir ultimae ſortis Andriſcus, dubium liber an ſervus, mercenarius certe.* *Ammian Marcell.* XIV. 40. (11.) & *Lucianus* πρὸς ἀπαίδευτον, *in fullonio natum* dicunt. *Zonaras* T. II. p. 114. qui ſatis copioſe hanc hiſtoriam ſcribit, cum Marcellino patriam exprimit, *Adramitenum* vocans. BOECLER.

Adſumti regni inſignibus.] Burer. ſecuti editores fuere, & recte: ut puto. Ovid. XII. I.

Neſcius adſumptis Priamus pater Aeſacon alis,
Vivere,

Adſumtum patrem, dixit idem l. III. Met. 558. BURM.

Cui ex virtute Macedonici nomen inditum.] Probe, non tamen pure. Nam in primogenia editione eſt, *inditum erat.* Scribo: *Inditum haeret.* LIPS. Ita alii, nec male, emendarunt, cum in autographo eſſet, *inditum erat.* Poſſis tamen aeque recte legere: *inditum eſt.* Lipſio placebat; *inditum haeret.* Sed non ſolitus ita loqui Velleius. VOSS.

Hic eſt Metellus Macedonicus.] Vix eſt ut illa, *Metellus*

tellus Macedonicus, non ſint a largitione librariorum. Quae enim praecedunt, idem aperte clamant, quod biga haec verborum adeo ſit ſuperflua. GRUTER. Perperam. Flor. II. 6. *Hic erit Scipio, qui in exitium Africae creſcit.* noſter lib. II. 7. *Hic eſt Opimius*, &c. BURM.

Porticus quae fuere.] Porticus Metellina fuit in circo Flaminio, circumdata duobus templis ſine inſcriptione poſitis, & poſtea Octaviae porticibus incluſis: de quibus Plinius lib. XXXVI. cap. 5. *Nec minus Sauron atque Butrachum obliterari convenit, qui fecere templa Octaviae porticibus incluſa, natione & ipſi Lacones. Quidam & opibus praepotentes fuiſſe eos putant, ac ſua impenſa conſtruxiſſe, inſcriptionem ſperantes. Qua negata hoc tamen alio loco & modo uſurpaſſe.* POPMA. *Qui porticus circumdatas duabus aedibus*, opinor, ne toties *qui* & *quae* repetantur in hac oratione. concinnius certe ac Vellejanae brevitati convenientius. Grutero etiam *Metellus Macedonicus*, ex ſuperioribus repetitus, hinc auferendus videbatur. HEINS.

Sine inſcriptione.] Plinius de hisdem: *Neque Sauron & Batrachum obliterari convenit, qui fecere templa Octaviae porticibus incluſa.* Sed an aedes eae ſine inſcriptione? aſſerit Vellejus: negat idem Plinius, qui ſic lib. XXXVI. cap. 5. *Intra Octaviae porticus in Junonis aede, Aeſculapius ac Diana.* Et eodem capite ſub finem, alterum templum inſcribit *Jovi*. Quid nos dicimus? Vellejum de alia inſcriptione ſenſiſſe; non numinis, ſed hominis, ejusque qui dedicavit. LIPS. Fruſtra ſe in horum verborum interpretatione torquet magnus Lipſius, qui Plinium objicit aedes iſtas Jovi, Dianae & Junoni inſcribentem: non faciunt iſta ad mentem Velleji. *Sine inſcriptione ponere*, hic eſt ſine ulla inſcriptione nominis ſui quid exſtruere & reficere, contra quam ambitioſi facere ſolebant. Invenias in veterrimo illo monumento Ancyrano, ſeu potius breviario rerum geſtarum Auguſti. Conſule animadverſiones noſtras in Suetonium, nuperrime publicatas. BOXHORNIUS. Vide de his porticibus Andreae Fulvii Sabini antiquit. Rom. lib. IV. BOECLERUS.

Turmam.] An de iſta Plinius capiendus, libro XXXIV? *Alexandrum amicorumque ejus imagines ſumma omnium ſimilitudine Lyſippus expreſſit. Has Metellus, Macedonia ſubacta, tranſtulit Romam.* Apparet: turbat tamen

quod

quod amicos appellat, qui aliis non niſi milites ſunt; atque adeo Arriano ſociales. Ipſe ita libro I. Μακεδόνων δὲ τῶν μὲν ἑταίρων ἀμφὶ τοὺς εἴκοσι καὶ πέντε τῇ πρώτῃ προσβολῇ ἀπέθανον, καὶ τούτων χαλκαῖ εἰκόνες ἐν Δίῳ ἑστᾶσιν, Ἀλεξάνδρου κελεύσαντος Λύσιππον ποιῆσαι. *E Macedonibus circiter viginti quinque prima aggreſſione ceciderant, eorumque aeneae imagines in Dio oppido poſitae, Alexandro jubente a Lyſippo eas fieri.* Similia in Alexandro Plutarchus. Sed Plinius in opinione fuiſſe, qua Vellejus, videtur: qui ſcribit, hos *equites ex ipſius* (Alexandri) *turma apud Granicum cecidiſſe.* Si e turma regia; profecto aſſidui apud eum, aliis digniores, & quaſi amici. Quod autem Arrianus notat ſtatuas eas in Dio poſitas: alii *Jovis templum* verterunt. nec valde repugnem, niſi quod de Dio oppido magis ſignate & probabiliter ceperis, quoniam Livius (lib. XLIII.) prodidit hanc *urbem exornatam publicis locis & multitudine ſtatuarum.* Eſt in Macedonia, regione Pieria. LIPSIUS. Plinius lib. XXXIV. & XXXV. cauſſam colliges ex Curtio, Arriano, & Plutarcho in Alexandro. SCHEGKIUS. De *ſtatuis equeſtribus* earumque *origine* ac *honore* videndus Herm. Hug. de mil. eq. V. I. BOECLER.

Magnum Alexandrum] Arrian. I. Juſtin. II. 6. 13: Pro *impetraſſe a Lyſippo*, Cl. Freinshemius Noſter ad Curt. III. II. 27. legit, *imperaſſe Lyſippo*. Lyſippi ars paſſim laudata, & in exemplum excellentiae memorata. *Nam ad veritatem Lyſippum & Praxitelem acceſſiſſe optime* (i. e. ad vivum omnia expreſſiſſe) *affirmant.* Quinctil. XII. inſtit. orat. 10. BOECLERUS. Immo *imperaſſe Lyſippo*, erit pro majeſtate Alexandri, qui poterat jubere. HEINS. Poſſet quidem ex moroſitate & difficultate excellentium ſaepe artificum lectio vulgata defendi, quae in codice primigenio clare exſtat: ſed quia Arrianus lib. I. de Exped. Alex. cap. 17. dicit Lyſippum feciſſe has ſtatuas, κελεύσαντος Ἀλεξάνδρου· accedo emendationi Freinshemii. Ita ſaepe haec verba *imperare* & *impetrare* confuſa a ſcribis. vid. Quinctil. Decl. VI. 23. BURM.

Aedem in marmore.] Quid intelligit? Utrumne marmoream aedem primitus a Metello in urbe Roma ſtructam? an potius, urbis ipſius Romae templum? Nam cultam eam ut Divam, ac templa araſque paſſim poſitas alibi

alibi (in Com. ad Tacit.) a nobis doctum. Si haec mens, (ut puto:) notabile ſane principium adorationis hujus ſive adulationis. Quod Smyrnaei apud Tacitum III. Annal. gloriantur, *ſe primos templum urbis Romae ſtatuiſſe*: a ſententia nos non demovet: quoniam de primis provincialium hoc capiendum eſt. At ſi prior ſententia cuiquam placeat; illi expediendum eſt, quae ſit iſta Aedes, & cui Deo? cur non nominet? Nam de privata ipſius Metelli (ut omittam, quod *Aedes*, eo ſenſu magis ſcripſiſſet) non potes capere: quia marmor ſerius adhibitum ad aedificia privatorum. Plinium vide, qui tamen originem primam marmoris quaeſivit magis, quam invenit. Eo magis Velleji haec notanda. Lips. Meo judicio, locus iſte nullo poteſt modo accipi, tamquam Metellus ipſi Romae, veluti Deae, templum exſtruxerit. fuerit enim praeter decorum id auſpicari Romanos ipſos. Orta illa divinitas primum a provincialium adulatione. At ſi de alterius Dei Deaeve templo verba intelligenda ſunt, cur id non nominavit auctor? quia ſatis indicarat expreſſo loco, in quo templum illud poſitum erat, dum inquit: *in iis ipſis monumentis molitus*. Sic Livius libro XLV. cap. 15. *Eodem anno C. Cicerejus aedem in Albano dedicavit, quinquennio poſtquam vovit.* Gruter. Nondum potui inveſtigare ullum a Metello ex marmore templum, vel Romae, vel alii numini conditum: quare, niſi meliora doceor, capio de domo ſibi exſtructa ex marmore, unde magnificentiae & deinde luxuriae in aedificando princeps fuit. Nam in Diis ornandis non ſolebant culpare Romani magnificentiam, ut recte Rupertus docuit. Scrupulum illum de *aede*, in ſingulari numero pro domo privata, quem movet Lipſius, egregie exemit Bentlejus ad Horat. II. Ep. II. 92. Burm.

Magnificentiae Princeps.] Vid. infra ad II. I. 2. Boecler.

Cujus felicitatem.] Magnifice, ut ſolet, tam prolixum fortunae favorem extollit Valer. Max. VII. I. 2. & Plin. VII. 44. Cicer. V. de Fin. 78. It. I. Tuſc. 35. Boecl.

Excellentes triumphos.] Pluries ergo Metellus hic triumphavit? non invenio: imo ſemel, & de Macedonia tantum. Itaque Valerius de hac ipſa ejus felicitate, lib. VII. *Specioſiſſimi triumphi praetextam largita eſt.* Unum

num ecce agnoſcit. Reſcribi velim: *praeter excellentem triumphum*. Lipsius. Quamvis haud pluries triumpharit Metellus, non ideo tamen reſcribendum, *excellentem triumphum*. Auctore enim non concinnante faſtos, nihil vetat, quin uſurpet numerum pluralem, pro ſingulari, figura claſſicis auctoribus uſitatiſſima, cujus aliquot produximus exempla Schediasmate ad lib. I. Annal. Taciti cap. 55. Gruter. Lipſius ex hiſtoria repoſitum cupiebat, *excellentem triumphum*: ſed recte ſe habet judicium Gruteri, qui pro ſingulari numero pluralem hic uſurpari exiſtimat. Loquitur enim hic Vellejus ἐγκωμιαστικῶς, neque enumerat tantum membra collectione, ſed granditate ſermonis illuſtrat. Boecler. *Triumphum* probat Pigh. in Annal. A. U. C. DCXXXVIII.

Extentumque vitae.] *Extenuatumque* edit. Rhenan. vitioſe. Horat. II. Od. 12.

Vivet extento Proculejus aevo.

Burm.

Cum inimicis] Scipione Africano: quas inter calamitates Metelli ducit Plinius. Cicero in Officiis, *ſine acerbitate diſſenſionem*, Valerius, *graves teſtatasque* vocant. Recte *teſtatas*, quaſi quae litterarum teſtimonio ſignatae, moris ex ſimplici & antiqua recepti vita, qua publice, qua privatim inimicitias denunciare: de quo litterarum decus ad Tacitum. Hoc addi velim, amicitiam qui renuntiabat, etiam interdicebat domo. Tacitus lib. V. *Sed Caeſar miſſis ad Senatum litteris, diſſeruit morem fuiſſe majoribus, quoties dirimerent amicitias, interdicere domo, eum finem gratiae ponere.* Et ut publice Fecialis, ita quandoque privatim praeco. Clemens Alexandrinus: *Amicitiam, quam diu coluerat, miſſo praecone renunciavit, non quod poeniteret, ſed quod fortunae ſtatim pertimeſceret.* Simile quid mihi lectum in Petronio, quod jam nunc non ſuccurrit. Schegk. Sic & ſe offenſionum pro utilitate publica non pavidum jactat Tiberius lib. IV. Annal. Taciti c. 38. ad quem locum nos plura hac de re. Gruter. *Eorum ab aemulatione virtutis profecta contentio, ad graves teſtatasque inimicitias progreſſa fuerat*, inquit Valerius IV. I. 12. Notandum hoc loco, *duplices in rep. contentiones inimicitiasque* deprehendi: *prima eſt contentio factionis & invidiae*, qua viri potentes mutuis quisque odiis alterius auctoritatem gloriamque depreſ-

ſam

ſam cupiens, ſemper contrarius obſtat, ac, veluti *ἀντί-τεχνος* atque obtrectator actui ejus conſilioque adverſatur. *Altera contentio virtutis eſt:* rurſumque *duobus modis* cernitur contingere. vel enim, *ipſi inter ſe viri boni & magni, nulla privata aemulatione, ſed circa & propter adminiſtrationem reip. diſſentiunt & concertant*; ſicut de Metello & Scipione modo diximus: vel *adverſus flagitioſos, ſceleratos, reipub. turbatores, illi qui dexteriore conſilio & auctoritate rem. tuentur, depugnant.* Hoc ſenſu Salluſtius, Catil. 54. in Catone, *malis perniciem* oſtentavit. De altero illo Catone *Cornelius Nepos* cap. I. 3. & 2. 4. *a P. Corn. Scipione* perpetua diſſenſit vita. & *circiter annos octoginta usque ad extremam aetatem ab adoleſcentia, reip. cauſſa ſuſcipere inimicitas non deſtitit: a multis tentatus non modo nullum detrimentum exiſtimationis fecit, ſed, quoad vixit, virtutum laude crevit.* Tales contentiones, ut *innocuas* (ratione propoſiti a malignitate alieni) & *pro rep. ſuſceptas*, in laude ponunt cum Vellejo noſtro prudentiſſimi Scriptores: facitque partem voti ſui & laudis poſthumae Tiberius apud Tac. IV. 38. 2. ſi poſteri, ipſum *offenſionum pro utilitate publica non pavidum fuiſſe credant.* Diſſimulari autem non debet, nonnullos Politicorum craſſius circa hoc argumentum verſari, dum *utilia magnorum virorum diſſidia*, univerſim pronuntiant, atque eo nomine jacta *ſubinde factionum ſemina* in arcanis reip. gerendae artibus habent. verum nec *populares*, nec *nobilium factiones* citra ſummum periculum reip. exerceri poſſe, oſtendit Lipſius VI. Pol. 3. & Romana hiſtoria tot magnorum caſuum exemplis paſſim teſtatur. Et certe, *ſi unum illud contentionis genus excipias, quo boni a malis diſſident*: vix poteris mihi exemplum dare utilitatis alicujus evidentis in contentione virorum illuſtrium. Diſſidebant Romae conſules, praetores, tribuni, magiſtratus alii, innocuis aliquando & bono fine ſuſceptis diſſenſionibus, ſed nunquam ſine motu aliquo & tumultu rerum ac hominum: nam pars reip. democratica his motibus, ut mare ventis agitabatur: itaque ergo haec rudimenta erant tot diſcordiarum civilium, quae mox populari turbulentia, & paucorum ambitione excitatae usque ad converſionem reip. inſanabiliter deſaevierunt. Cur ergo ſupra laudantur, inquis? Laudantur non aliis, quam iſtis de cauſſis: quod

illi viri diſſidia ſua non in occaſionem potentiae, dominationis, avaritiae diſpenſant, ſed immunem ab incivilibus conſiliis animum ſervant; quod pertinere ad remp. exiſtimant, ut conſilia, quae credunt publice ſalutaria, contra aliorum ſententias tueantur; quod ſine admixta privati odii acerbitate ad virtutum & honeſti certamina, civibus viam praeire cupiunt; denique ſi profundius quaeſieris, videbis quid aliud quam imbecillitatem humanam, & civilis prudentiae imperfectionem? dum vel ea non conciliare poſſunt ſine contentione, ac in publicum commodum attemperare, quae diverſis quidem, ſed ex aequo ſalutaribus artibus conſtant, vel unius quidem boni naturam intelligunt, alterum autem pro malo ſpernunt; non quod rationi & ſapientiae, ſed quod ſuae indoli minus convenire videatur. Rurſum inſtas: *atqui Reſp. diverſitate artium, ut mundus elementorum concordi quodam diſſidio conſervatur?* Recte de concordi diſſidio mentionem intuliſti, quod ita intelligendum eſt: habet ſuum in rep. locum ſeveritas, habet lenitas: idem de magnificentia & parſimonia, de facilitate & gravitate, ſimilibusque aliis judicium eſto. Ergo prodeſt ſane eſſe in civitate viros graves, eſſe faciles: ſplendidos item, ſed non minus elegantes; imo & frugales, ac ſic deinceps. Ita Salluſtius Catil. 53. & 54. deſcribit, *ingenti virtute; diverſis moribus viros duos Caeſarem & Catonem.* Verum hoc ipſum exemplum, quod tam crude a plerisque accipitur, admonet nos de rectiore circa hoc negotium judicio. *Quod ſi enim uterque ſuis virtutibus moribusque, quibus a natura donatus, a diſciplina inſtructus erat, uſus eſſet citra invidiam & aemulationem, concordi ac tranquilla diverſitate*, haud dubie reſp. magnam ex illa ipſa diſcrepantia tuliſſet utilitatem. Jam vero quid factum eſt? Nonne Cato, *adverſus Caeſarem & plures diſſimilioris ingenii homines obliquus & obtrectator*, nonne Caeſar adverſus Catonem occulte & aperte factioſus; nonne adeo uterque, ſuis contentionibus plus nocuerunt reip. quam profuerunt? nam de uno & altero facto nunc non loquor. utilis ſane fuit Catonis adverſus Caeſarem contentio in cauſſa Catilinaria: ſed necdum in ſimultatem iverant eorum animi, & hoc ad illud genus potius referendum eſt, quo bonos malorum conatibus, quibus Caeſar patrocinari videbatur, adverſari dixi-

diximus. Ex diverſo, illuſtre eſt concordis diſcrepantiae exemplum, apud Tacit. XIII. A. 2. 1. & 2. *in Burrho & Seneca, qui diverſa arte ex aequo pollebant. Burrhus militaribus curis & ſeveritate morum; Seneca praeceptis eloquentiae & comitate honeſta:* ſed additur: JUVANTES INVICEM, ſicut & antea praeceſſerat, eos *pari in ſocietate potentiae* CONCORDES fuiſſe. Hic nervus, hoc vinculum: *diverſae artes, ſed concordi actu in mutua auxilia expeditae juvant remp. non aemulae, invidae, contentioſae.* BOECLER.

Quatuor filios ſuſtulit.] Emendandus igitur Plinius Natur. Hiſt. lib. XIII. cap. 13. ubi vulgo ita legitur: *Q. Metellus Macedonicus, cum* VI. *liberos relinqueret,* XI. *nepotes reliquit.* Reponendum, IV. *liberos.* Ita etiam ipſe Plinius ejusdem libri cap. 44. ut Valerium Maximum, Aurelium Victorem, & alios, mittam. Eſt tamen apud B. Auguſtinum lib. II. cap. 23. de Civitate Dei: *Metellus Romanorum laudatiſſimus, qui habuit* V. *filios conſulares, etiam rerum temporalium felix fuit.* Sed hic quoque reponendum arbitror IV. Nulla menda crebriora, quam circa numeros. VOSS.

Roſtris.] More majorum, quem & graphice Polybius lib. VI. exprimit: *Si quando apud eos quiſpiam ex illuſtribus viris ex hac vita deceſſerit, elato funere portatur cum reliqua pompa ad roſtra, ſic dicta, in forum: & nunc ſtans conſpicuus, nunc obvolutus, idque raro, univerſa plebe circumſtante, roſtra adſcendit, ſi quidem filius adultus ſuperſit, ac praeſens exſiſtat; ſin vero alius quiſpiam ex ipſius genere; ac demortui virtutes, & quae in vita praeclare geſſit, depraedicat.* Et ſtatim: *Ubi autem praeclarus aliquis ex domeſticis ultimum diem obiit, inſtituunt funeris elationem, & circumfuſi, qui ſimillimi magnitudine & reliqua ſtatura videntur, veſtitum uſurpant, ſi vel conſul, vel imperator fuerit, purpura circumdatum, ſi cenſor purpureum: ſi triumphum egit vel tale quid perfecit, auro contextum. igitur iſti curru incedunt. faſces vero & ſecures, ac reliqua principatibus conſueta ſecundum dignitatem cujusque praecedunt, qua dum in vivis eſſet in Rep. eminuit, ubi ad roſtra veniunt, cunctis ex ordine ſellis elephantinis ſedent, quo ſpectaculo haud facile poterit ſpectari pulcrius.* Primus Poplicola ſupreme Brutum laudavit, quo deinde ad feminas, & Imperatorum aevo ad

juvenes progreſſum. Suetonius, Dio. SCHEGK. Adi Kirchman. de Funer. II. 8. & 9. BOECLERUS.

Quatuor filii.] Uno praetore, tribus conſularibus, duobus triumphalibus, uno cenſorio. Plinius lib. VII. Adi auctorem virorum Illuſtrium. SCHEGK.

Quem honorem adeptus eſt.] *Quem & honorem* legebat Munckerus. HEINS. *Honorum* Barth. ad Stat. Theb. IV. 624. *Exire de vita* Calp. Decl. LI. & Plin. III. Ep. 9. BURMAN. *in marg.*

Univerſa deinde.] *Univerſale* Eraſm. Steph.

Cum pars magna, ejusdem Metelli Macedonici virtute, armisque, tracta erat.] Repone, *cujus* pro *cum*; *fracta*, pro *tracta*. ſententiam, ut puto, reſtitues egregie, mutatione parva. MANUT. Lege, *fracta eſſet.* Niſi potius allubeſcat conjectaneum Aldi: qui pro *cum*, ſcribebat *cujus*: & pro *tracta*, *fracta*. Senſus in idem recidit. VOSSIUS. Nihil dubitavi Aldinam lectionem omnium facillimam, in textum recipere. de re ipſa Florus II. 16. *Cum Metellus dimicaſſet, ad victoriam Mummius venit.* BOECLER. Niſi *Achajam* capis pro Graecia, ut ſolent ſcriptores Romani horum temporum, aegre te expedies ex hoc loco. Nam Graeciae pars magna eſt Macedonia, non Achajae. Achajam vocat *veram & meram Graeciam*, Plinius lib. VIII. Ep. ult. *Univerſa deinde, ut praediximus, inſtincta in bellum Achaja, cujus pars magna, ejusdem Metelli Macedonici virtute armisque fracta erat.* Ita enim haec a Manutio recte conſtituuntur, ſed & τὸ *etiam* mox ſubſequens mutandum in *Graeciam*. niſi malumus hinc auferri illud, & reponi poſt *inſtincta*. *Univerſa deinde inſtincta Graecia in bellum Achaicum, cujus pars* &c. ſic *univerſa Graecia* infra quoque occurrit cap. 18. HEINS.

Corinthus in arma.] Dictiones duae poſtremae abeſſe poterant, nullo ſententiae incommodo: praeceſſit enim *in bellum*. niſi forte eſt iteratio ſimilium vocum, cujus exempla retuli lib. II. cap. II. de Uſu antiq. locut. POPMA.

Gravibus in Romanos contumeliis.] Juſtin. XXXIV. I. 9. *legatos quoque ipſos Romanorum violaſſent, niſi audito tumultu trepidi fugiſſent.* Flor. II. 16. 3. *oratione violatos* ait. Cicero pro leg. Man. 5. *ob legatos ſuperbius appellatos everſam Corinthum* teſtatur. Sed nimirum ſpecioſe

cioſe ſonabat in auribus hominum, *cauſſa belli in violationem legatorum rejecta*: quippe quo nomine juſte ſuſcipi bella communiter exiſtimabant: quamvis non alia, quam quae mox Carthaginem dicitur oppreſſiſſe, invidia Romanos impulit, ut cauſſas belli quaererent adverſum Corinthios, &, quia quaerebant, invenirent: Vide omnino de hac hypotheſi Romanorum, ſimulque de totius Achajae fato πολιτικώτατα differentem, maximi nominis ac dignationis Virum, Jacobum illum Gothofredum, in oratione, cui *Achajae* indicem praefixit. BOECL.

Magis quia volebant Romani, q. d. C. diceretur, credere.] Is enim eſt affectus aemulationis, ſuſpicaci odio facta aemulorum premere, detorquere, denique, ut volunt, in occaſionem certaminis aut calumniae interpretari. Voluit hoc ipſum Romanis exprobrare Perſeus Maced. Rex in oratione ad Marcium & Attilium: *ego haec, Q. Murci & A. Attili, quae aut a vobis objecta, aut purgata a me ſunt, talia eſſe ſcio, ut aures, ut animi audientium ſint: nec tam referre, quid ego, aut qua mente fecerim, quam quomodo id vos factum accipiatis.* Liv. XLII. 42. BOECLER.

Ita eodem tempore.] Duae hae voces, *eodem tempore*, a gloſſemate ſunt, itaque delendae. RAPHEL.

Virtutibus ſimillimus.] Noviſſime cuſi, *ſimilibus*. Non tam editoris curá opinor, quam operarum incuria. lib. II. 6. *Qui Tib. Gracchum, idem Cajum fratrem ejus occupavit furor, tam virtutibus ejus omnibus, quam huic errori ſimilem.* Tamen ibidem placuit aliquando magis, *tam virtutibus, ei*, (ſive etiam *ejus*) *omnibus, quam hoc errore ſimilem.* nunc abſtineo. ACIDAL. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 25.

Omni belli ac togae.] Non omnia nimirum eidem Dii dedere, certe raro inveniri eosdem bello bonos, bonos in pace, variis magnorum exemplis oſtendimus ad Cornelium noſtrum. GRUTER.

Ac ſenſit.] Lege *aut ſenſit*. MANUT. *Aut ſenſit* Aldus Manutius invita membrana. Sed videtur velle Paterculus, nihil aliter locutum Scipionem ac ſenſerit. Forte, *aut aliud dixit, ac ſenſit.* Quomodo apud Terentium Phorm. IV. 4. *Aliud mihi reſpondes, ac rogó.* pari modo & Tullius non ſemel. Deinde in illis *creatus eſt*, tolle

verbum ſubſtantivum, ut ſequentia cum ſuperioribus conjungantur. HEINS.

Adoptatum a Scipione.] Cum Vellejo facit Livius lib. XLIV. cap. 44. *P. Scipio, Africanus & ipſe poſtea deletâ Carthagine appellatus, naturalis conſulis Paulli, adoptione Africani nepos.* Et Valerio, III. 7. 5. *Aviti ſpiritus egregius ſucceſſor Scipio Aemilianus* vocatur. itemque Florus II. 15. 12. *Hunc,* inquit, *Paullo Macedonico procreatum Africani illius magni filius in decus gentis aſſumſerat.* Themiſtius orat. V. de pace ad Valent. Σκιπίων δὲ ὁ μέγας ἐκεῖνος, ὁ τοῦ πάνυ Σκιπίωνος υἰδοῦς, &c. Quanquam neſcio, cur doctiſſimo Remo vertere placuerit: *Magnus ille Scipio, Maximi illius Scipionis adoptivus filius.* cum vel ex Polluc. III. 2. conſtet υἰδοῦν nepotem ſignificare. niſi fors Vir Magnus illis adhibuit fidem, qui ab ipſo Africano adoptatum Aemilianum credidere. de elogio hujus viri agitur in Character. Vellej. cap. II. BOECLER.

Aedilitatem petens, conſul creatus eſt.] Ut haec tota verborum comprehenſio apte inter ſe congruat, legendum arbitror: *aedilitatem petens conſul creatus, bellum Carthagini,* &c. Vixque dubitandum putamus, quin haec vera ſit lectio. VOSSIUS. Vid. Liv. Epit. 59. Appian. Pun. Aurel. Vict. 59. BOECLER.

Conſul creatus eſt.] Adnitente Catone, qui dicebat; *reliquos, qui in Africa militarent, umbras militare, Scipionem vigere.* Epitome Livii, Appianus Punicis, Valerius lib. VIII. SCHEGK.

Cum ante in Hiſpania.] Vid. Liv. Epit. 48. & 49. Victor. 58. Plin. XXXVII. 1. BOECLER.

Obſidionali.] Propter octo cohortes obſidione vallatas conſilio & virtute ſervatas. Scriptor virorum Illuſtr. SCHEGK.

Ex provocatione.] Apud Intercatiam a rege provocatus, opima ſpolia retulit, quod notabis. Florus, Appianus Hiſpanicis, Epitome Livii, alii. SCHEGK. *Ex* hic eamdem vim habere, quam *poſt*, cenſet Daviſius ad J. Caeſ. Bell. Civ. 1, 5.

Ipſe modicus virium.] Ita loqui amant boni auctores. Salluſtius hiſtoriarum lib. III. *Ingens ipſe virium atque animi, dubius conſilii.* & lib. IV. *Anxius, impo-*

potens, *nimius animi*. & infra ſaepe noſter. SCHEGK.

Temporis noxis.] Cui dubium, rectius a me legi *noxia*; nec igitur verbum addo, ut probem. ACIDAL. Editio prima: *quam ullius ejus temporis noxiae*. Hinc fecerim: *quam ullis ejus temporis noxis*. Non enim vult numquam eos peccaſſe aut nocuiſſe, ſed non illo tempore, cum decretum. Idque verum eſt. LIPS. Ejecta vox *ejus* ab editionibus, minime negligenda. primitus cuſi: *ullius ejus temporis noxiae*. Bene; modo reformetur ultima, ſcribaturque praeterea, *ulla ejus temporis noxia*. Niſi placeat cum Lipſio, *ullis ejus temporis noxis*. GRUTERUS. Lege: *quam ullius ejus temporis noxiae*. Ita erat in MS. Eſt autem purus putus Helleniſmus: ſubauditur enim ἕνεκα, vel *cauſa*. Sic libro ſequenti cap. 20. *Opus erat partibus, auctoritate, gratia, cujus augendae C. Marium cum filio de exſilio revocavit*. Salluſtius in Catilinario: *quod initio conſervandae libertatis, atque augendae reipublicae fuerat*. Idem genus locutionis Caeſari ter ope MSS. reſtituimus. De quo in noſtris ad illum ſcriptorem notis. Similia etiam exempla apud alios paſſim obvia. Haec ſolum notanda duxi, quia viri eruditi id non attendiſſent, eoque reſcriberent: *quam ullis ejus temporis noxis*: aut, *ulla ejus temporis noxia*. VOSSIUS. Recepi in textum correctionem Lipſianam, quanquam enim nullo modo credam, Vellejum ita ſcripſiſſe, videbatur tamen facilius, quam illud alterum; in codicibus repertum: *quam ullius ejus temporis noxiae*. Poſſunt quidem illa verba pendere ab *invidia*: Sed id durius videtur, quam ut facilitatem Vellejanam referat. Multo minus ſubaudiverim per Helleniſmum, *cauſſa*, quod contextus (ad cujus ſimplicitatem competentiamque plurimum attendendum arbitror) prorſus repudiare videtur.. Nil dubito, *veram lectionem*, *ut in corrupto loco*, *ignorari*. qualibus locis, nemini vel inſultandum vel applaudendum judico. BOECLERUS. *Quam ullius ejus temporis noxiae* editio prima. recte. hoc vult enim, nullam a Carthaginienſibus datam fuiſſe ſat juſtam tertio bello Punico Romanis ſecum decertandi cauſam. *ullius noxae*, ſc. invidia, quod praecedit. *noxae* enim malo, quam *noxiae*. Dido apud Naſonem:

Invidiam noxae detrahit ille meae.

Noxa enim culpa, crimen, *noxia* damnum: ſic *noxiae*

 fore,

ſore, Liv. lib. x. 19. Carthago magis inviſa nomini Romano ob veterem invidiam, ac aemulationem imperii, quam ullius eam ſub tempeſtatem noxae. lib. 11. cap. 93. *Mox autem hunc noxa avunculum Titius imitatus eſt.* ſic ſcribe. In membranis iterabatur *mox*. *Mox autem hunc, mox avunculum.* Quare Voſſius alterum *mox* eradebat, ſed nil neceſſe. *nox* prius fuerat exaratum, omiſſa ultima littera, ob eandem initio proximi vocabuli ſubſequentem; unde poſtea mendoſe *mox* factum. *Mox* etiam pro *noxa* ſimili modo irrepſit apud Tacit. xi. Ann. cap. 22. loco peſſime adfecto, qui ſic conſtituendus eſt. *Interea Romae nullis palam neque cognitis noxae cauſſis, Cn. Nonius* (ſic Mediceus liber, non *Novius*.) *eques Romanus ferro accinctus repperitur in coetu ſalutantium Principem; nam poſtquam tormentis dilaniabatur, de ſe noviſſime confeſſus conſcios non edidit.* Scripſi primo *noxae cauſſis*, pro *mox cauſſis*. deinde pro *noviſſime* perperam *Novius* iteratur in vulgatis. *Confeſſus* e codice Rudolphi Agricolae eſt, cum hiatum hic aliae membranae oſtentent. poteſt & abeſſe, ut, *de ſe noviſſime* referatur ad *τὸ edidit*. Et eſt vocabulum *noxae* Tacito frequenti in uſu. Florus lib. 11. cap. 10. *Cottam cum Titinio Sabino legato ibi amiſimus, nec ulla de rege noxae ultio.* illic quoque *mox ultio* circumfertur. Atqui nulla ſubſecuta eſt umquam ultio, ne ſera quidem; cum *perpetua trans Rhenum fuga latuerit*, teſte Floro. Tacitus Ann. lib. 111. cap. 13. *quod convictum noxae reo erat.* lib. xvi. cap. 6. *Ferebantque Veſpaſianum, tamquam ſomno conniveret, a Phoebo liberto increpitum, aegreque meliorum precibus obtectum, e noxa imminentem perniciem majore fato effugiſſe.* Hiſt. 11. cap. 50. *Quidam militum juxta regem interfecere ſe, non noxa neque ob metum, ſed aemulatione decoris & caritate principis.* Et ſic ille paſſim. & frequenter Livius, ut in lib. xxvii. cap. 25. *Plerisque aequantibus Tarentinos Campanorum noxae poenaeque.* Deinde malo apud noſtrum, *fecitque ſuae virtutis monumentum, quod fuerat avitae clementiae*, quam cum vulgatis, *avi ejus clementiae*. quod ſordidum ac plebejum. ni mavis, *avitae decus clementiae*, vel *avitae prius*. ſic lib. 11. cap. 4. *avitus fulgor*, ſupra habuimus, *vir avitis P. Africani, paternisque L. Paulli virtutibus ſimillimus*. lib. 11. cap. 119. *paterni avitique exempli ſucceſſor*, ubi ſimiliter contracte

liber

liber vetuſtus *avique*. Heins. Facile ferre poſſem Lipſii emendationem, niſi mollius procedere crederem verba, ſi cum Grutero legeretur, *quam ulla ejus temporis noxia* (vel *noxa*) *inviſam*. nam diſcrimen illud inter *noxam* & *noxiam* vix agnoſco; licet fatear *noxam* frequenter pro culpa dici. Sic cum Terent. Phorm. I. IV. 48. dixiſſet, *ad defendendam noxiam*, certe culpam intellexit: idem enim poſtea Act. II. I. 36. dixit, *hic in noxa eſt, ille ad defendendam cauſſam adeſt*. & in Hecyr. II. III. 31. *ſum extra noxiam*: & ita ille ſaepe. Manilius II. 594.

Poenas jam noxia vincit.

& ita ſaepius; vid. & lib. IV. 94. & 418. An vero & pro jurgio *noxia* dicatur, vidimus ad Petron. cap. 96. ut tamen verum fatear, adhuc ulcus latere puto, nec concoquo illud *invidia inviſam*. Nam in prima codicis lectione *ullius noxiae*, non poteſt cum Voſſio Graeciſmus ſtatui, ſed penderet ille genitivus *noxiae* ab *invidia*, ut ſit *magis invidia imperii, quam ullius e. t. noxiae inviſam*. Sed offendit, ut dixi, vox ultima. cogitent acutiores, an *inimicam*? Burm. V. Act. Lipſ. 1721. p. 116. Chriſtii Noct. Acad. I. Obſ. 2. p. 44. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 25. 362. V. IX. p. 241.

Suae virtutis monumentum.] *Severitatis* Cleric. Bibl. Anc. & Mod. T. V. p. 142. *gloriae monumentum* Liv. V. 30. & VI, 20. *gloriae & poenae*. Liv. lib. XXXVII, 6. *In omnibus ſe majora clementiae & benignitatis, quam virtutis bellicae monumenta reliquiſſe*. Burm. *in marg*. V. praef.

Carthago diruta.] Incenſa. Horatius lib. IV. Carmin. Od. 6.

Non incendia Carthaginis impiae,
Ejus, qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quam Calabrae Pierides.

Et Libro Epodῶn Od. ſeptima:

Non ut ſuperbas invidae Carthaginis
Romanus arceis ureret.

Et Florus lib. II. cap. 15. per continuos decem & ſeptem dies vix potuiſſe incendium exſtingui, tradit. Et aratrum paſſa, Modeſtinus JC. l. ſi uſusfructus. D. quibus modis uſusfructus amittatur: *Si uſusfructus civitati legetur, & aratrum in eam inducatur, civitas eſſe deſinit,*

nit, *ut paſſa eſt Carthago.* Schegk. καὶ ἐπάρχτον ἐψηφίσθη τὸ ἐπ' αὐτὴν κατοικῆσαι τινά. Zon. II. vide Camerti & Freinshemio notatos ad Flor. II. 15. & adde Plin. XV. II. Horat. IV. Carm. 8. Epod. 7. Pontan. Philocal. v. 16. Boecler.

Annis DCLXVII.] Abit a ſe Vellejus, ſi ſcriptura ſincera. Supra enim monuit LXV. an. Carthaginem ante urbem conditam. igitur exactius conſtaret cum Eutropio, qui DCLXX. annos exprimit. Pugna quoque de tempore hujus ſecundi belli Punici. Livii Epitoma cum Oroſio & Eutropio initium ponit alterum & ſexcenteſimum annum V. C. Et intra quintum poſtquam coeptum, conſummatum. Diſſentiunt Faſti, quibus V. C. ann. DCIV. Haec curatius tractare Faſtographorum eſt. Schegk. Numeri corrupti, aut immemor ſui Vellejus, qui paulo ante dixit Carthaginem conditam ante Romam annos LXV. mox ait dirutam Lentulo & Mummio Coss. id eſt, anno ab urbe condita DCVII. unde numerantur, quibus invicta ſtetit, DCLXXII. etſi de tempore conditae & dirutae Carthaginis diverſa tradunt Livius, Eutropius, Servius & alii, a quibus omnibus longiſſime abit Cicero de Rep. lib. I. his verbis. *Nec tantum Carthago habuiſſet opum ſexcentos fere annos, ſine conſiliis & diſciplina.* Popma.

Abhinc annos CCLXXVII.] CLXXIV. V. Valeſ. ad Exc. Peireſc. p. 32. Burm. *in marg.*

Neque ſe Roma ſecuram ſperavit fore, ſi nomen usquam ſtantis maneret Carthaginis. adeo odium certaminibus ortum, ultra metum durat; & ne in victis quidem deponitur: neque ante inviſum eſſe deſinit, quam eſſe deſiit.] Pluſcula verba adſcripſi, quia confuſio & corruptio ſparſa per circumductionis hujus corpus. Implexa omnia aut inepta: tu ſic expedies: *ſi nomen usquam ſtantis maneret Carthaginis: (adeo odium certaminibus ortum ultra metum durat, & ne in victos quidem deponitur,) neque ante inviſa eſſe deſiit, quam eſſe deſiit.* Egregiam acutamque ſententiam ſic efficimus. obſerva. Primum parentheſi includenda gnome eſt, quam opportune narratiunculae huic miſcet: in qua *victos* legimus, non *victis*, hac mente: ut velit odium diutina aemulatione aut contentione firmatum radices ita agere, ut nec in victos ſubjectosque deponatur, & certent non de honore, ſed

de vita. Tum deinde continuanda iterum oratio & narratio: legendumque *inviſa*, non *inviſum*, ut ad Carthaginem ipſam referatur; itemque *deſiit*, non *deſinit*. Atque ita lucem fecerimus, niſi fallor, ſententiae univerſae. LIPS. Non eſt neceſſe haec avellere a gnoma ſuperiore, ſi modo *inviſum* interpreteris, ac ſi neutri eſſet generis, notaretque *rem inviſam*. GRUTER. Subeſt aliquid occultioris vitii: quod aegre expedias. Nam Lipſiana correctio, non Velleji verba, ſed correctoris ſententiam reponit. Ceterum ex hac ipſa ſententia ſatis clarum eſt, quid Vellejus de cauſſa excidendae Carthaginis ſtatuat. Quippe qui & ſupra, invidiam, aemulationem, metum, ſuſpicionem, ὑπάλληλα vitia potentum, deſignaverit. Cicero I. Offic. 11. *crudelitatem & immanitatem Poenorum*, praetexit. idem, qui de *Corintho* clarius fatetur, Romanos non quidem juſta cauſſa, ſed per rationem ſtatus, ut hodie loquuntur, & arcanum dominationis eam civitatem ſuſtuliſſe, *ne aliquando ipſe ad faciendum bellum locus adhortari videretur*. Hanc everſionem urbium, poenae loco illatam olim, ſicut hominibus capitale ſupplicium irrogatur, diſputat P. Faber. Semeſtr. I. 8. Sed ut puniendi occaſiones quaerunt tyranni & ſtruunt: ita maxima quaeque imperia everſionem aliis moliuntur, donec denique, juſtitia fati ad impotentes dominos recurrente, ipſa quoque evertantur. De cetero tota illa ratio comparandi bella poenis, figurarum ſuavitate, non ſignificandi proprietate conſtat. BOECLERUS. Orationis omne acumen in ambigua ſignificatione τοῦ *eſſe* conſiſtit. Sic apud Naſonem corrigebam olim Helenes epiſtola,

Certus in hoſpitibus non eſt amor: errat, ut ipſi;
Cumque nihil ſperes firmius eſſe, fuit.

Ubi *fugit* nunc circumfertur. Tum probe Lipſius; & *ne in victos quidem deponitur*. HEINS. Neque *inviſum* mutarem, neque cum Grutero pro re inviſa caperem, ſed ad *nomen* referrem, quod *inviſum* non ante eſſe *deſinit*, quam *eſſe deſiit*. Quod egregie firmat Juſtini locus lib. XXXI. 2. ubi de Hannibale, quem internecino odio, aeque atque urbem ipſam, proſequebantur Romani, dicit legato mandatum, *ut ſi poſſet eum interficeret, metuque inviſi nominis tandem P. Romanum liberaret*, id eſt, *inviſi hominis*, ut forte Criticus aliquis audacior

dacior corrigeret, ſed idem notat *nomen.* Et eodem modo Juvenal. Sat. XII. in fine.

> —— *Poena gaudebis amara*
> *Nominis inviſi.*

Curt. X. I. *Inviſum Macedonum nomen avaritia eorum, ac libido Barbaris faciebat.* Sublata autem Carthagine recte ejus nomen eſſe deſiiſſe dici poteſt, quod non videntur Viri docti concoquere potuiſſe. Sed etſi in ſcriptis & memoria hominum maneat nomen Carthaginis, tamen urbe & gente funditus ſublata, etiam ejus nomen intercidiſſe veteres dicebant: *nomen* enim Carthaginis eſt ipſa Carthago; notiſſima & obvia locutione. Sic Juſtinus libro II. cap. 4. *Thaleſtris reverſa in regnum, brevi cum omni Amazonum nomine intercidit.* vid. ad Petron. CXXIII. *in victis* quoque non movendum, nam ita veteres loquebantur. Juſt. I. 5. *animum minacem duntaxat in illo fregit.* Sed haec pluribus adſtruximus ad Quinctil. Decl. XV. cap. 6. BURM.

Neque ante inviſum eſſe deſinit, quam eſſe deſiit.] Videtur vox *deſiit* abundare. Sed videtur tantum. Ita enim fere loqui amat Vellejus, ut diligens ejus, & attentus lector paſſim obſervabit. Sic principio libri II. *Potentiae Romanorum prior Scipio viam aperuerat, luxuriae poſterior aperuit.* Et ſupra, *quod cum alii faciant, tragici frequentiſſime faciunt.* ubi fruſtra ſunt viri eruditi, qui poſteriorem voculam *faciunt* audacter nimis exſtirpant. BOXHORN.

M. Manlio.] *M. Manilio* ex Faſtis Capitolinis, & univerſa hiſtoria. MANUT. ita & Sigon.

A. Mummius.] Praenomen in MS. deſiderabatur, ſed ejus loco erat minuſculum *a.* Quod an non plane delendum ſit, ambigo. Nam & alias praenomen omittit Vellejus; niſi ubi eum & collegam ſimul nominat. Sed de hoc non eſt pugnandum. Voss. Vide nominatos a Camerte ſcriptores ad Flor. II. 16. BOECLER.

Ab Alete.] *A belete* edit. Rhenani.

Alter Africanus, alter.] Eligit haec duo exempla in commendationem hujus moris Themiſtius Orat. V. de Pace. BOECLER.

Novis hominibus.] Cives Romani in triplice diſcrimine. Nobiles, Novi, Ignobiles. de quibus non exſcribo

bo Sigonium & Lipſium. adjicio alius rei Nobilem eſſe potuiſſe, qui ipſe nullos honores geſſerit, & male majoribusque indignam vitam agitaverit; quem tangit Juvenalis Satyr. VIII.

Quis fructus generis tabula jactare capaci
Corvinum? poſthac virga deducere multa
Fumoſos equitum cum dictatore magiſtros,
Si coram Lepidis male vivitur.

Et quae ſequuntur. Secundum heic in ordine verſum primitus vulgavit doctiſſimus Lipſius, quem & ego reperi in optimo codice varia lectione:

Corvinum poſthac virga contingere multa,

rectius fortaſſean, morem, quo poëta ſpectat, ſi reſpicias. In tertio alii *Famoſos*, male. Ita Cicero Piſonis imagines vetuſtas, ridicule *fumoſas* adpellat. Et quoniam in Juvenalem incidi, operae ſit maxime pio Poëtae porro operam dare. Satyr. IV.

Quid refert igitur quantis jumenta fatiget
Porticibus, quanta nemorum vectetur in umbra.
Jugera quot vicina foro, quas emerit aedeis?
Nemo malus felix, minime corruptor, & idem
Inceſtus. — Sic penultimum verſum optimae editiones edunt, nullo, certe malo ſenſu. corrigo ex MS. meo; quem Jac. Thiſio praeſens praeſenti probavi:

Nemo malus felix, hyminis corruptor, & idem, Inceſtus. Proba mehercles & rectiſſima emendatio, cujus in veteribus Pulmanni nulla veſtigia exſtitiſſe, miror. In Satyr. II. fine;

—— *his licet ipſum*
Admoveas, cujus tunc munere retia miſit.

Scio, quid interpretes adferant, nec tamen improbo ſcripturam mei codicis:

Admoveas, cujus tunc munera retia pulſant. An rectius te doctiſſime & humaniſſime, Juſte Lipſi, editor ſplendidiſſime, libens merito judicem capto: de aliis, alio loco. SCHEGK. Ecce, diſertim inter novos homines Mummium ponit Vellejus. Atqui Valerius Maximus lib. VI. cap. 4. *ut nobilem, ita enervis vitae*, dicit. Sed non dubium mihi eſt, quin apud eum, *ignobilem* reſcribi debeat. VOSS.

Omnisque doctrinae & auctor, & admirator fuit.] Hic ego

ego nihil mutarem: eſt enim *auctor*, quaſi cauſſa, quia primus ipſe & pauci praeterea doctrinas in urbem Romam induxerunt. Propterea dixit Cic. in 1. Tuſc. *Galbam, Africanum, Laelium, doctos fuiſſe memoriae traditum eſt, ſtudioſum autem eum, qui hos aetate anteibat, Catonem.* MANUT. Nimia pro Scipione laus, fuiſſe doctrinae omnis auctorem. Scribo, *fautor*: & id Principi ac militari viro convenit. LIPS. Non eſt profecto nimia laus Scipioni, fuiſſe doctrinae omnis auctorem: nam eidem favere, vel Barbarorum fuerit. De Annibale Aemilius Nepos 13. *Atque hic tantus vir tantisque bellis diſtrictus, non nihil temporis tribuit literis. Nam aliquot ejus libri ſunt Graeco ſermone confecti*, &c. GRUTER. Nimium eſſe pro Scipione putabat Lipſius. Legebat itaque, *fautor*. Fuit etiam cum mihi reponendum videretur, *altor*. Quomodo, niſi noſtra conjectura nos fallat, de Maecenate dixerat Horatius lib. 1. epiſt. 19.

— nobilium ſcriptorum auditor & altor.

Vulgo editum, *ultor*. At nos juvant MS. in quibus, ut viri docti notarunt, fuit, *actor*. Nunc vulgatam Velleji lectionem tolerandam cenſeo. Memini Scipionem & antea tali encomio ornatum: *omnibus belli ac togae dotibus, ingeniique ac ſtudiorum eminentiſſimus ſeculi ſui*, &c. VOSSIUS. *Auctorem doctrinae omnis* Scipionem hic dici non fert magnus Lipſius, & *fautorem* reponit, atqui *auctor* (neque enim id nomen aliter exaratum occurrit in veterrimis ac maxime fidis membranis, quicquid argutantur grammatici) *auctor*, inquam, ab augendo cum dicatur, quid ni auctor doctrinae omnis Scipio, qui fovebat eam plurimum ac ornabat, promovebatque patrocinando? contra apud Juſtinum libro XVIII. ſub finem, *punitis auctoribus miſerorum civium*, quorum opera cives miſeri erant, nihil neceſſe corrigi, *miſertum civium*. Sed pluribus hoc de loco agemus libro II. cap. 88. apud Claudianum lib. 1. in Eutropium,

Nullius Eutropius, quam qui ſe protulit, ante
Direptas poſſedit opes, nullumque priorem
Perculit exſilio, ſolumque hoc rite peregit,
Auctorem damnare ſuum.

Sic ſcripti editique codices conſtanter. hoc eſt illum, a quo erat promotus & evectus ad ſummos honores. Apud Naſonem IV. Triſt. 4.

Non

Non igitur tibi nunc, quod me domus iſta recepit,
Sed prius auctori ſunt data verba tuo.

Id eſt patri tuo, qui tibi auctor ac praevius fuit ejus facti. Aelius Spartianus de Hadriano: *cibis caſtrenſibus libenter in propatulo utens, exemplo Scipionis Aemiliani, & Metelli & auctoris ſui Trajani.* a quo nempe ad imperatoriam dignitatem evectus erat. Juſtin. lib. XXIII: *Brutii multas civitates Graeci nominis Italia expulerant, auctores quoque ſuos Lucanos bello vicerant.* Unde nimirum illi oriundi erant, ut mox additur. Apud Ammianum lib. XXI. exclamat Senatus, recitatis Juliani in Conſtantium invectivis, *Auctori tuo reverentiam rogamus.* Quem locum, ut & alium Marcellini ejusdem, jam produxit ad Spartianum magnus Caſaubonus. Apud Naſonem VIII. Met. 349. *Auctor teli*, quod ſollicitatum haud quaquam oportuit. Mox ſcite Lipſius, *civitatem propagatam*, non *civitates propagatas.* Agitur enim de Roma. Simile mendum nos infra ſuſtulimus lib. II. cap. 60. Heins. Sic *auctor* pro legum latore Ovid. VIII. Met. 101. ubi vid. Heinſ. ſic Horat. *Nil dubites auctore bono.* Phaedr. III. Prol. *numeret auctores.* *Auditor* Daviſ. ad Cicer. Acad. lib. IV. cap. 2. forte ex illo Horatii loco, a Voſſio adducto. Burm. *in marg.* V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 26.

Polybium.] Ineptiſſimus eſt Maccius, qui inter alia, quae in Polybium congerit convitia, *datum fuiſſe paedagogum Scipioni noſtro*, calumniatur, meritus hac vanitate cenſuram calami Voſſiani in arte Hiſtor. cap. 22. ſcilicet adjutor maximarum rerum manu conſilioque, & a prima adoleſcentia rebus gerendis adhibitus praedagogi nomine contemtim dicetur. Ammian. Marcell. XXIV. 7. *legerat* (Julianus) *Aemilianum Scipionem, cum hiſtoriarum conditore Polybio Megapolitano Arcade, & triginta militibus, portam Carthaginis impetu ſimili ſubfodiſſe.* Unde facile deprehendimus, praecipuorum Scipionis operum ſocium & adjutorem fuiſſe Polybium. Cujus equidem prudentia gerendarumque rerum peritia, cum praecellente ingenio veluti certat in graviſſimo Hiſtoriarum opere: quod, ſingulari inſtituto politicae informationis atque diſciplinae, omnium inter Graecos induſtriam ſuperat; poſt ipſum, *Dionem* video hanc viam praeclare inſtitiſſe. nam & hunc reſpectu παιδεύσεως πραγματικῆς,

accu-

accuratiorem & profectui civilis viri accommodatiorem ceteris judico. *Polybianae Hiſtoriae* praeſtantiam, ante illuſtrem Caſauboni operam, paucis in mentem venit ſuſpicari, cui propterea plurimum debent prudentiae ſolidioris ſtudia. vid. praefat. operi praefixam, & Ger. Jo. Voſſ. de Graec. Hiſt. 1. 9. Boecler.

Panaetiumque] Tullio IV. de Fin. 9. vocatur *homo imprimis ingenuus & gravis, dignus illa familiaritate Scipionis & Laelii Panaetius.* Felicem tantis amicis Scipionem! quorum convictio non modo prudentiae, ſed virtutis eximia potuit exempla ſupeditare. Non enim ex acutis & callidis ad vaframenta conſultoribus fuere, quales hodie in deliciis & honore habentur: ſed qui *nihil utile, niſi quod honeſtum eſſet*, crederent, ſicut Panaetium diſerte Cicero; Polybium, ſua ſatis ſuperque commendat hiſtoria; gravis ſcilicet & perpetua non virtutis minus generoſae, quam gravioris ſapientiae magiſtra. Boecler.

Elegantius.] Erit forte, qui *diligentius* malit. Ergo pro hoc idem iſtuc eſſe ajo. idque atteſtabitur mihi, qui paullo diligentior fuit Gellii lector. Et vero *eleganter* quid eſt, niſi cum electu ſeu delectu? quis *elegans*, niſi qui eligit, diligit, lectaque amat & uſurpat? Acidal. Recte Acidalius remotam vocis ſignificationem obſervat. Ita Livius lib. XXXV. 14. de Pyrrho dicit, *neminem elegantius loca cepiſſe, praeſidia diſpoſuiſſe*, id eſt, ut hodie loquerentur, majore cum judicio & electu, & cap. 31. *Zeno ex principibus unus, magnae ob eleganter actam vitam auctoritatis.* Cicer. III. ad fam. 8. *Quid elegantius a me fieri potuit.* & ita paſſim. Burm.

Diſpunxit.] Verbum ſolemne Numulariorum, & qui medium Janum adſident. Seneca lib. IV. de Benefic. cap. 31. *Apud me iſtae acceptorum, expenſorumque rationes diſpungentur.* Hinc Tertulliano, *Deus meritorum judex & diſpunctor.* Liberalia vero Scipionis ſtudia ex hiſtoricorum, & paſſim Ciceronis libris abunde in mundo; de quo fertur, dixiſſe; *nunquam ſe minus otioſum eſſe, quam cum otioſus; nec minus ſolum, quam cum ſolus*: magnifica vox & magno viro ac ſapiente digna. Scheckius.

Semperque aut belli aut pacis ſerviit artibus.] Putabam aliquando reſcribi oportere, *ferbuit*, aut *floruit.* Sic Claudianus III. Conſ. Honor. 133.

Fer-

Fervet criſtatis exercitus undique turmis.
Ubi tamen *floret* manifeſte habet editio vetus, quae prodiit Baſileae. Boxh. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 26.

Semper inter arma & ſtudia verſatus.] Sidonius IV. ep. 17. *de Arvogaſte; par ducibus antiquis lingua manuque; quorum dextera ſolebat non minus ſtilum tractare, quam gladium.* ubi Savaroni annotata vid. Igitur celebre Sfortiae verbum, quo, *ſe ea manu, qua gladium tractare didicerat, calami ductiones diſcere non potuiſſe*, jactabat, ſolari ſane defectum hujus laudis, alterius comparatione videatur: non vero inumbrare poteſt perfectae laudis claritudinem, qua ſingulares naturas ſummasque experientiae artes doctrina conſummare pariter & moderari conſuevit. Notanter autem de Scipione Vellejus, quod *elegans ſtudiorum liberalium omnisque doctrinae & AUCTOR & admirator* fuerit. non enim alii, artium quarumcunque ſerii admiratores, niſi qui & *auctores*. qua voce *peritiam excellentiamque ipſius doctrinae* hic capio. nam quod Lipſius mallet *fautor*, *primo*, non opus erat; cum admiratio jam favorem includat: *deinde* nimium de Scipione elogium videri non debet, *ad quem Terentii ſcripta*, (id eſt luculentiſſimum & incomparabile elegantioris doctrinae monumentum) *referuntur* a veteribus, teſte Fabio X. I. Licet enim hanc opinionem impugnet Donatus, probat ea tamen ſatis evidenter judicium antiquitatis de doctrina Scipionis. Neque res exemplis caret, ſi *Julium*, *Octavium*, *Annibalem*, alios cogitemus. Boecler.

Capta Corintho.] Ann. III. Olympiadis CLVI. Plinius lib. XXXIV. cap. 2. Pauſanias Olymp. CLX. propter legatos Romanos, dubium an & manu, certe oratione violatos. Florus lib. II. cap. 16. Cicero pro L. Manilia, Pauſanias, Zonaras Tom. II. Aeris Corinthiaci originem, mixturam, nobilitatem graphice Plinius, Florus, & elegantiſſimus Muretus Variar. lib. VII. cap. 5. deſcribunt. Scheck.

Si eas perdidiſſent, novas eos reddituros.] *Eos* tollendum, utique cum *eas* praeceſſerit. Sed potius eſt, ut opinor, ſcribendum, *novas eſſe reddituros*. Heins. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 26.

Non tamen puto.] Talibus ſententiis pleni ſunt ſcri-

ptorum libri, qui nimirum obſervant, initium παρακμῆς ſive decrementi in imperiis ab opibus inſtrumenta luxuriae, adverſus quam nunquam ſatis cauta eſt mortalitas, ſuppeditantibus deſcendere. Nimiam Corinthiorum aeſtimationem, quam hic perſtringit Vellejus, *furorem* vocat Seneca de Brev. vit. 12. Boecler.

Rudem Corinthiorum.] Opera Corinthia in magna dignatione Romanis: aes ipſum praecipue, quod orbe toto etiam nobile, ipſa opulentiſſimae urbis, uti Florus ait, injuria & ruina factum pretioſius. Huc inter ſexcentos alios Propertius reſpexit lib. III. Eleg.

Nec mihi mille jugis Campania pinguis aretur:
Nec miſer aera peto claſſe, Corinthe, tua.

Quem locum adduxi, ea potiſſimum cauſſa, ut a mendoſa doctiſſimi & acutiſſimi hominis emendatione vindicarem. Quid, inquit, eſt, *claſſe Corinthia aes petere?* potius *clade* ſcribendum: & hic nota de aeris, auri, argentique venis, Corintho incenſa, in commune fluxis, totaque memorabili miſtura illa refert. At vel puer viderit, jungendum non *claſſe tua*, ſed *aera tua:* & dehinc, *claſſe petere.* Quod diſſimulavit ille potius, ut acumen oſtenderet, quam non vidit, ut ultra vulgum nihil ſapere heic neceſſe foret. Eandem reprehenſionem non ſpero me quoque ſubiturum, ſi monuero, aut *miſer Corinthe*, pro homine Corinthio capiendum; quod ſane duriuſculum videtur: aut *miſera* diſertim ſcribendum, ut ad ipſam Corinthum referatur. Nam ad Propertium nulla cauſſa eſt cur trahas. Acidalius.

Intellectum.] Hoc proprium in hac re verbum eſſe, ad Petron. cap. LII. & Quinctil. I. 2. & XII. 10. oſtendimus. Burm.

In tantum] Ita & loquitur lib. I. cap. 43. [& II, 53.] & ſaepe noſter, Juſtinus & alii. Vid. [Ovid. XI. Met. 71. & ad Rutil. Itiner. I, 46.] Vorſt. ad Juſtin. XLI. I. & ad Sulpit. Sever. Vit. Mart. I. Barth. XXIV. Adv. 3. plenam eſſe vero locutionem, *in tantum modum*, patet ex Tacit. XV. Ann. 25. Burm.

In unum contracta ſpecies.] Huic ſententiae plane geminum eſt illud Suetonii Auguſto cap. 9. *Partes ſigillatim, neque per tempora, ſed per ſpecies exſequar, quo diſtinctius demonſtrari cognoſcique poſſint.* Popma. Haec &

ſeqq.

ſeqq. Onuphrius Panvinius in libris ſuis de Republica Romana edidit p. 3. p. 33. Edit. in 8vo. BURM. *in marg.*

Quam diviſa.] Immo *quamvis diviſa temporibus*, quod confirmant, quae de coloniis ſubſequuntur. Non enim uno tempore eodemque deductae ſunt. Sic lib. II. cap. 4. & 5. res in Hiſpania geſtas a Romanis per diverſa tempora conjungit. Idque uſitatum aliis quoque hiſtoricis. Tacit. Ann. XII. cap. 40. *Haec, quamquam a duobus propraetoribus plures per annos geſta, conjunxi, ne diviſa haud perinde ad memoriam valerent.* Pari modo libro XIII. cap. 9. *quae in alios conſules egreſſa conjunxi.* Siſenna apud Nonium in *Saltuatim. nos una aetate* (ſcribendum *nos non una aetate,*) *in Aſia & Graecia geſta literis idcirco continentia mandamus, ne vellicatim, & ſaltuatim ſcribendo lectorum animos impediremus.* Flor. II. 19. *Quae etſi juncta inter ſe ſunt omnia & confuſa; tamen quo melius appareant ſeparatim proferentur.* Curt. lib. V. initio. *Quae interim ductu imperioque Alexandri, vel in Graecis Illyriisque de Thracia geſta ſunt, ſi ſuis quaeque temporibus reddere voluero, interrumpendae ſunt res Aſiae, quas univerſas in conſpectum dari, &, ſicut inter ſe cohaerent, conjungi aptius videtur.* HEINS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 26.

Oculis animiſque inhaerent] Hic Ovidius inhaeſit animo Velleji. qui Epiſt. II. 91.

Illa meis ſpecies oculis abeuntis inhaeret.

Et VII. 26.

Aeneas oculis ſemper vigilantis inhaeret.

& ita infr. II. 36. BURM.

Statui priorem hujus voluminis poſterioremque partem non inutili rerum notitia in arctum contracta diſtinguere.] Obſerva. Ergone in priore libelli hujus parte catalogus ſimilis? ipſe palam dicit. Sed quae fuerit hujus voluminis prior pars, id vero non liquet. An coepit ab urbe condita? an potius ab ea capta? Hoc ego crediderim, ratiocinatione facta ex mole & congerie rerum. Ibi igitur opportune colonias recenſuit, ſed eas dumtaxat, quae deductae a nata urbe ad eandem a Gallis captam. Fuerunt autem numero ſeptemdecim, notae omnes & pleraeque inclytae. Favet noſtrae conjecturae hoc: quod, niſi illic recenſuiſſet, cur hic omitteret? cur de induſtria & teſtato ordinetur, *poſt ſeptem annos, quam Gal-*

li urbem ceperunt? Sane omiſſio illa aliter praetexi aut excuſari non poteſt. Lips. Mirum, quantopere hic haeſitarit ſummus vir Juſtus Lipſius. Deſiderare ſe ait priorem illam partem, ubi auctor noſter ſimiliter colonias enumeraverit, quae ante Romam a Gallis captam ſint deductae. Statuit igitur, Velleji hiſtoriam olim in plures, quam duos fuiſſe libros diviſam. Ego plane ab ejus ſententia recedo. Et faciunt pro me haec ipſa Velleji verba, e quibus ille ſe explicare non potuit. Senſus eſt: Statui hic abrumpere priorem partem operis mei, ordirique poſteriorem, ubi inſeruero quaedam de temporibus Coloniarum. Unde ipſe poſtea Vellejus ait, particulam hanc operis formam propoſiti excedere. Itaque vere ἔκβασιν, ſive excurſum dixeris, quae hinc usque ad initium libri poſterioris ſequuntur. Voss. Digreſſio nobilis de *coloniarum deductione & civitatum propagatione:* cui ſimilis eſt ea, quae legitur *poſteriore voluminis parte* (*volumen* enim hoc loco notat totum opus Velleji) id eſt, II. 38. & 39. *de Provinciarum origine.* Quaerat autem forte aliquis, *quomodo brevitati Vellejanae conveniunt iſtae ἐκβάσεις, majoris diverticula operis? Quomodo item ad hujus loci inſtitutum pertinet coloniarum recenſio?* Spectanda enim in digreſſionibus haec talia oſtendit Cl. Voſſius de art. Hiſt. 22. De cohaeſione ut hic aliquid comminiſcamur, non videtur opus eſſe, cum Vellejus ipſe *utilitatem* potius *&* *τὸ ἀξιομνημόνευτον hujus notitiae, quam εὐκαιρίαν* ſibi propoſitam ſignificat, quae ratio vel ſola apud aequos judices ad veniam & laudem valere poteſt. Sicut hec *compendia* unius omnis generis aeſtimanda uniusque legis rigore conſtringenda ſunt. Eſt enim hoc opuſculum Vellejanum ex iis, *quae in minore quidem ambitu omnem tamen majoris & pragmatici operis artem moremque retinent.* Boecl.

Deducta ſit colonia.] Totam hanc egreſſionem Vellejanam veluti commentario illuſtravit Sigonius de antiq. jur. Ital. lib. II. ſicut, quae de *militaribus* mox dicuntur, lib. III. ubi & ſupplet, quam Vellejo praeterire placuit, *militarium coloniarum recenſionem.* Ex hoc Scriptore & Pighii Faſtis petantur ea, quae explicando Noſtro idonea huc tranſcribenda neutiquam judicavimus. Boecl.

Nam militarium & cauſſae, & auctores, & ipſorum prae-

praefulgent nomina] Haec eſt MS. lectio; & vera. Quod moneo, ne quis audiat editiones veteres; in quibus male *cauſa* editum. De coloniis vero militaribus erudite differit Sigonius, lib. III. cap. 4. de Antiquo Jure Italiae. Ut nihil habeam, quod addam; niſi quod earundem etiam mentio fit in monumento Ancyrano. Vossius. *Ex ipſo praefulgent nomine* corrigendum, ni fallor. Militares enim coloniae, ut ſerius deductae; utpote a *Sulla*, triumvirisque, Divisque Julio ac Auguſto, aut deductorum nomina plerumque praeferebant, aut legionum, e quibus eſſent deductae. Sic *Colonia Julia*, *Colonia Auguſta*, *Colonia Octavianorum*, *Decumanorum*, *Sextanorum*, atque ita porro. *cauſſae* autem ex *ipſo praefulgent nomine*, quia militares dictae, hoc eſt veterano militi in praemium aſſignatae. Heins. Cur non, ex *ipſarum praefulgent nomine*? Burm.

Militarium & cauſſae.] Coloniarum militarium cauſſae plures: una victorum ira & acerbitas in hoſtes ſubactos, quos agris poſſeſſionibusque expellebant, altera, ut milites ſtipendia, vel emeriti vel veterani praemia acciperent militiae: tertia, ut coloni victoribus ad omnia imperata obſtricti, & hoſtium, quos devicerant, quaſi cuſtodes eſſent. Autores fuerunt primus L. Sulla dictator, deinde C. Julius Caeſar, tum M. Antonius, M. Lepidus, & C. Octavianus Auguſtus, III. viri reip. qui omnes poſt partam civilem victoriam hoſtium agros militibus ſuis diviſerunt, & in eos colonias deduxerunt. Nomina habuerunt interdum a legionibus in eas deductis; ut Coloniae ſecundariorum, ſextanorum: aliquando ab oppidis in colonias redactis, ut Colonia Capuenſis, & & ſimilis. Vidend. Hyginus, ac Frontinus de limitibus agrorum, & Sigonius lib. III. de antiquo jure Italiae. Popma.

Civitates propagatas.] Quas civitates? logi & flocci. Scribe, *civitatem propagatam*, ſingulari numero: & accipe de Romana. Ego, inquit, colonias recenſebo; & eadem opera, communicatam cum finitimis civitatem. Utrumque enim ad ampliationem imperii ſpectat: ſive cum miſſi in exteros e civibus coloni, ſive cum exteri admiſſi in cives. Clarum hoc ex ipſo contextu Velleji, cui paſſim inſeritur, *Aricini in civitatem recepti.* Item: *Aceranis civitas data.* & plura tu vide. Lipsius.

 Lipſius

Lipſius ſingulari numero ſcripſit, *civitatem propagatam*, accepitque de Romana. quid ſi non alieno ſenſu nobiſcum legatur, *civitatis res propagatas*. Sed nos nihil mutandum cenſemus. Lectio vulgata & plana eſt & elegans. Vult Vellejus deductis paſſim coloniis, per varias terrarum partes propagatas, id eſt conditas vel prognatas, civitates fuiſſe. BOXHORN. *Lipſius* voluit *civitatem propagatam*, ſcilicet *de jure civitatis dato*, ſicuti paſſim ſequitur. Videtur tamen idem ſenſus e lectione uſitata (quam non temere mutare debemus) prodire. quidni enim *propagantur civitates*, *dum communione juris Romani civitates denuo quaſi fiunt: id eſt, tales, ſive Romano jure gaudentes?* BOECL.

Ceperunt] Onuphr. *ceperint*. p. ſeqq. *CCLX.* & *condita eſt.* dein *Brunduſium*. BURM. *in marg.*

Sutrium.] *Satrium* Livius, Pliniusque nominant: Silius tamen *Sutrium* agnoſcit, lib. VIII. 491.

—— *Sabatia quique*

Stagna tenent, Ciminique lacum, qui Sutria tecta.

In antiqua quoque inſcriptione *Sutria colonia* nominatur. Diſſentit a Livio, & aliis, Vellejus in annorum ratione: ſi quis tempora diſtinguit ordine conſulum, qui a Vellejo nominantur. MANUT. Agnoſcit Plaut. Caſina Act. III. ſc. I. De coloniis earumque jure doctiſſimus *Sigonius*, quem conſulo videas. SCHEGK. *Satricum* ex Livio & aliis legendum eſt. & paullo poſt ſcribendum *P. Decio Mure quartum* &c. non *Q. Decio* &c. Item ex Epitoma lib. XXX. *Fregenaeque*, non *Fregellaeque* ſcribendum. URSIN. Car. Sigonius dubitat, an e Livio ſcribendum hic *Satricum*. RAPHEL.

Setina] Lege *Setia*. MANUT.

Nepe.] Livio & Plinio *Nepet*. SCHEGK. Lego, *Nepet*. Ita ſcribendum ejus urbis nomen, docent Chariſius, ac Priſcianus. Nec aliter apud Livium, aut Plinium, legas. Ptolemaeo eſt Νέπετα. Interim, ut hoc dubitem, facit Procopius lib. XV. rerum Goth. cui urbs haec Νέπα vocatur. Imo & ſimiliter *colonia Nepenſis* dicitur Frontino. Nam a *Nepet*, fit *Nepetenſis*. VOSS.

Abhinc annos.] Videatur ad hunc locum omnis antiquitatis condus promus, Stephanus Pighius in faſtis ſuis, ad A. U. C. CDXX. GRUTER.

Campanis data eſt civitas.] Imo ante data, ſi Livio fides,

fides, lib. VIII. *Campanis equitibus, honoris cauſſa, quia rebellare cum Latinis noluiſſent, ſine ſuffragio civitas data.* Id ipſe refert in Conſules L. Furium, C. Maevium: eſſetque quadriennium ante Velleji notam. Sed enim Livius ibi ſignate de equitibus tantum commemorat, noſter de Campanis univerſis. Illi ergo beneficio hoc priores affecti. LIPS.

Eodem anno Cales.] Confundit duos conſulatus Poſtumii & Veturii, & a ſeipſo diſſentit. nam anni CCCL. quos dicit abhinc eſſe, numerantur Sp. Poſtumio Albino I. (II) Veturio Calvino iterum Coſſ. anno CDXXXII. at non tum Cales colonia deducta eſt, ſed iisdem primum Coſſ. id eſt, anno CDXIX. ut refert Livius lib. VIII. POPMA.

Interjecto.] Conſule & ad hunc locum amiciſſimi Pighii elaboratiſſimos Faſtorum libros; quos cum morte praeventus non abſolverit, manebit perpetuo imperfecta Venus illa hiſtorica. GRUTERUS.

Alexandria.] Idem Patavinus conditam vult C. Poetilio, L. Papirio Curſore Coſſ. & Solinus cum eo, cap. XXXV. itemque Caſſiodorus. Hoc eſſet quadriennio ſerius, quam pro Velleji calculo. LIPS. Rurſus turbat calculum, & non a Livio tantum, ſed ab aliis omnibus Chronologis faſtisque Capitolinis diſſentit. Diodorus Siculus Alexandriam conditam dicit Olympiadis CXII. anno ſecundo, Sp. Poſtumio, T. Veturio Coſſ. Solinus, anno ſequenti, L. Papirio Sp. C. Poetelio Coſſ. quos ſequuntur A. Cornelius Coſſus, Cn. Domitius Arvina, quibus Coſſ., Cenſores Q. Poblilius Philo, & Sp. Poſtumius Albinus civitatem Acerranis dederunt. Sed in hoc minus culpanda oſcitantia Velleji, quam Livii, qui ſeptennii totius intervallo aberravit, & tunc urbem condidiſſe retulit Alexandrum, quem multo ante dixerat obiiſſe. POPMA.

Tarracinam.] Scribe cum Lipſio, *Tarracina.* RAPHEL.

Luceria] Decennio toto Livius diſſentit. Quid iſta faſtidioſe colligam? Commentarius proprius huic rei inſtituendus ſit: quam tamen ſatis induſtrie libarunt Sigonius & Onufrius, boni vindices rerum Romanarum. LIPS.

Interjecto triennio.] Diſſentit a Livio, qui poſt Luceriam inſequenti anno Sinueſſam deductam ſcribit, & Interamnam

teramnam eodem anno, quo Satriculum, atque ita iſtas tres deductas L. Papirio Curſore V., C. Junio Bruto Bubulco II. Coſſ. anno CCCCXL. POPMA.

At quintum.] Burerium vir doctiſſimus ſequitur; non recte. Praenomen enim Decii non *Q.*, ſed *Publ.* Hoc nota, in collegae nomine noſtrum diſſentire. SCHEGK. *At Q. Fabio quintum* fuiſſe in MSS. ſuo teſtatus eſt Rhenanus, itaque fidenter ejeci alterum. *At quinctum Fabio Q. Decio.* GRUT. Vetuſtus liber, *At quintum Fabioque.* unde pulcherrimum in modum Perizonius noſter, (Ep. Syll. T. IV. p. 786.) *Fabio Quinto.* Praenomen poſtponi nonnunquam nominibus quis neſcit? pari modo apud Livium lib. III. cap. I. & 23. *Fabius Quintus.* apud Halicarnaſſenſem Dionyſium lib. IX. pag. 689. Φάβιε Βιβολάνε Κόιντε. ſic paſſim *Claudia Quinta*, *Pacuvius Marcus*, *Furius Publius*, ſimiliaque. *que* etiam pro *Q.* ſive *Quinto* paſſim occurrere in membranis complures jam monuerunt, nec exempla deſunt nobis in ipſo Vellejo. Sic libro II. cap. 25. pro *exarmatumque Sertorium* recte idem Perizonius, *Nam & conſulem exarmatum*, *Quintumque Sertorium.* HEINS. vide Pigh. Annal. ad A. U. C. CDLXI.

Interjectoque biennio.] Recte Cicero, namque M. Curionem conſulatum quinquennio accepiſſe, poſt Decii filii devotionem in Catone tradit. Cornelii Rufini, ſive Rufini Cornelii, (ut ſuo more noſter inverſe nominat) Plinius lib. VII. SCHEGKIUS. Ne hoc quidem quadrat. Non enim inter Q. Fabii V., & P. Decii IV. & M. Curii, P. Rufini Conſulatus anni ſex intererant; ſed tantummodo quatuor, ut praeter Faſtos & Chronologos, teſtatur Cicero in Catone his verbis: *Vixerat M. Curius cum P. Decio, qui quinquennio ante eum Conſulem, ſe pro Republ. quarto conſulatu devoverat.* ubi quinquennio annumeratur annus conſulatus ipſius Decii & relinquitur interjectum quadriennium. Quod ſequitur, *abhinc annos ferme* CCC. nimium diſcrepat. Quippe Rufinus & Curius Coſſ. anno CDLXIII., Vinicius Coſ. anno DCCLXXX, ergo intercedunt anni CCCXIX. POPMA.

Annos ferme CCCXXX.] Verior ſupputatio CCCXIIX, & paullo poſt pro *Coſſam* malim *Coſam.* RAPHEL.

Coſſam.] In MS. fuit *Coſa.* Lego, *Coſam.* Et ita hujus urbis nomen etiam ſcribunt Virgilius, Suetonius,

Rutil.

Rutilius, Antoninus, Martianus Capella, aliique. Forſan & ipſe Vellejus lib. II. ubi tamen potior lectio fuerit, *Compſam*. Plerique alii *Coſſam* nominant; quod tantundem eſt, ut alibi monemus. Apud Obſequentem mendoſe legitur, *Conſa*. Idem tamen nomen etiam obtinet apud Epitomatorem Livii lib. XII. Sed recte quoque illic Sigonius, ac Cluverius, *Coſſa* emendarunt. Vossius.

CCC.] Jure hic illud *ferme* repetit, cum deſint tres anni ad juſtum numerum CCC. ſupplendum. Raphel.

Beneventum.] Colonia cum *deduceretur, adpellari coeptum, melioris ominis cauſſa, namque eam urbem antea* Μαλόεντα *adpellarunt*. Feſtus, & ibi divine Scaliger. Schegk.

Poſtque XXII.] Lego XVII. Manut. Legendum eſſe XVII, monuerunt Sigonius & Manutius, atque etiam ſeries annorum evincit. Nam ab initio Punici belli, quod anno CDLXXXIX. coepit, Appio Claudio & Fulvio Coſſ. ad Manlium Torquatum, C. Sempronium Blaſum II. Coſſ. ſunt anni XXI. quot Vellejus numerat. Popma. *poſtque* XVI. annum placet Pighio Annal. A. U. C. DVI.

Fregellaeque.] *Fregenaeque* Sigonio ad Liv. lib. XIX. placuit. Schegk.

Fregellaeque poſt biennium.] *Anno poſt biennium* prima editio, & recte forſan. hoc eſt, anno proximum biennium ſubſecuto. mox *ducta Valentia*, non *deducta* in eadem editione, quod & probum arbitror, etſi minus uſitatum: ne toties *deducendi* verbo utatur. & poteſt videri alluſiſſe ad ſulcos, qui ducebantur, cum conderetur colonia. ſic *vallum* & *foſſam ducere* veteribus quoque in uſu. *parietes ducere* Tullius, *muros* Maro dixerunt. Heins.

Valentia.] Quae *Vibo Valentia* dicta. vid. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 49.

M. Fulvio.] *Et Fulvio*, & mox *Aquilia*, Edit. Rhenani.

Salernumque.] *Falernumque* Edit. Rhenani.

CLXXXVII.] Emenda CLXXXV. Burm. *in marg.*

Caſſius cenſor.] Conſentiunt Vellejus & Appianus lib. I. Bell. Civil. Uterque Cenſori Caſſio theatri aedificationem, Scipioni Conſuli demolitionem tribuit. At Valer. Maximus lib. II. cap. 4. a Meſſalla & Caſſio Cenſoribus theatrum inchoatum, Epitoma Liv. lib.

LVIII. & Faſti Capitolini, a Scipione Naſica dirutum poſt conſulatum, circa annum DCII. Auguſtinus de civitate Dei lib. I. cap. 32. a Scipione pontifice deſtructum refert: quem ratio temporum refellit. Nam Scipio, qui fuit Pont. Max. anno DCXX., quinquennio poſt Conſulatum, quem cum Bruto Gallaico geſſit, habuit cognomen *Serapionis*, cujus Pater P. Scipio Naſica a quibusdam *coreulum* appellatur, vir Cenſorius, triumphalis, bis princeps Senatus lectus, bis conſul, primum cum C. Martio Figulo, anno DXCI. iterum poſt ſeptem annos cum M. Claudio Marcello II. ante Vinicium Conſulem annos CLXXXIV., ut Vellejus notat. Ad hunc pertinet demolitio theatri a Caſſio exſtructi: cujus etiam meminit, ni fallor, Sempronius Aſellio lib. XI. Hiſtoriarum. *tam pulchrum opus, tamque artificioſe factum, paſſus eſt dirui.* ſed illud opus perpetuum & lapideum, an ſubitaneum e ligno fuerit, parum conſtat. ego lapideum fuiſſe exiſtimo, eo quod Vellejus *demoliendi*, Sempronius *diruendi* verbo utitur. nam lignea dixiſſent *ſublata, disjecta.* POPMA.

A Lupercali in Palatium verſus.] Genus loquendi antiquum, quo optimi auctores utuntur. Salluſt. *Catilina in Galliam verſus.* Cicero in Laelio: *primum inſtituit in forum verſus agere cum populo*, quod Plutarchus, in Gracchis dixit, πρῶτον τότε στραφεὶς ἔξω πρὸς τὴν πρὸς ἀγορὰν δημηγορῆσαι. ſed Cicero C. Craſſo, Plutarchus C. Graccho tribuit. POPMA. τὸ *in* videtur redundare, ut ſaepe alibi. adeantur annotata lib. I. cap. 66. 68. ſic lib. II. cap. 101. refingendum reor, *& omnibus ad Orientem verſis provinciis*, non *verſus*. Livius lib. XXXIX. cap. 51. *omnibus ad Orientem verſis regibus*, ſi integra eſt ſcriptura. Vide Voſſ. opere Grammatico de Analog. lib. IV. cap. 22. *in Palatium* tamen *verſus* tuetur Popma aliis exemplis. mox pro *cui in demoliendo*, lege, *cui inde moliendo* pro deinde. Nam quod volunt *demoliri* poſitum pro *moliri*, in eo fallunt & falluntur. Nec felicius a Lipſio caſtigatum, *in emoliendo.* miror equidem tot tantosque viros hic dormitaſſe. HEINS. V. Manut. ad Cicer. IV. ad Famil. 12. Juſt. V. 9. *ſi demiſſa in Piraeeum verſus brachia*, in MSS. Frontin. I. IV. 11. *In Italiam verſus:* ubi vid. Oudend. & ad Caeſ. Bell. Gall. VII. 8. Riv. ad Sall. Cat. 59. BURM. *in marg.*

Thea-

Theatrum facere.] Lapideum, cum antea tumultuarium ex ligno, ajunt docti viri, exſtrueretur. quibus non adſentio. Valerius ecce, cum Livio lib. XLVIII. Oroſio lib. IV. cap. 21. Auguſtino lib. I. de civitat. Dei, cap. 31. tradit excogitatam & inchoatam hanc rem ab his cenſoribus: ceterum auctore Scipione Senatusconſulto cautum, ne quis in urbe propius ac mille paſſus ſubſellia poſuiſſe, ſedensve ludos ſpectare vellet. Et absque his, vel forte argumentum, quo inter omnes conſtat C. Mummium principem temporarium e ligno exſtruxiſſe theatrum. Moventur doctiſſimi viri auctoritate Auſonii, cujus verſus propter elegantiam, & quia clara lux huic loco, adſcribo:—

--- & Atticis quoque,
Quibus theatrum curiae praebet vicem,
Noſtris negociis ſua loca ſortito data.
Campus comitiis, ut conſcriptis curia,
Forum atque roſtrum ſeparat jus civium.
Una eſt Athenis, atque in omni Graecia
Ad conſulendum publici ſedes loci.
Quam in urbe noſtra ſero luxus condidit.
AEdilis olim ſcenam tabulatam dabat,
Subito excitata nulla mole ſaxea.
Muraena ſic & Gallus. nota eloquor.
Poſtquam potentes, nec verentes ſumtuum
Nomen perenne crediderunt, ſi ſemel
Conſtructa moles ſaxeo fundamine,
In omne tempus conderet ludis locum:
Cuneata crevit haec theatri immanitas,
Pompejus hanc, & Balbus & Caeſar dedit
Octavianus, concertantes ſumptibus.

Non pugnat hic locus, magis a nobis. ante illa theatra fuiſſe negamus, non poſt illa; quae Auſonius aperto ſenſu intelligit, & de quibus. ut ſtatim poſt ludos deſtruerentur, leges latas Tertullianus in Apologetico docet. hoc tralaticie mihi obſerva in Auſonii verbis, theatrum Graecis plerisque pro curia fuiſſe. reſpicit eo Apul. Miles. VI. *Quo metu ſtatim completo caeleſti theatro* &c. immo & pro foro comitioque. Livius lib. XXV. *Poſtero die alii aliis locis ad obſidenda itinera claudendosque oppidanis exitus pars maxima ſuper theatra circaque, aſſueti & ante ſpectaculis concionum, conſiſtunt.* ſubdit:

dit: *alii ad exitus theatri conferti obſiſtunt.* Apulej. Miles. III. *propter coetus multitudinem, quae preſſura nimia denſitate periclitaretur, judicium tantum theatro redderetur.* idem ſtatim: *Et ecce laetitia delibuti, meque reſpectantes, cuncti theatro faceſſunt.* Juſtin. lib. XXII. 2. *Agathocles velut remp. firmaturus, populum in theatrum ad concionem vocari jubet.* SCHEGK.

Cui in demoliendo eximia civitatis ſeveritas, & conſul Caepio reſtitere.] *In demoliendo*, dixit, pro, *ut demoliretur.* Vel lege, *moliendo*, ut ſit: *Molienti theatrum Caſſio conſul. Scipio, civitatisque ſumma ſeveritas reſtitit.* hiſtoria patet ex Valerio, Appiano, Epitome Liviana, Auguſtino de Civitate Dei, Oroſio. Quod tamen *Scipioni conſuli* (ſic enim legendum puto, non *Caepioni*) Vellejus & Appianus tribuunt, id ex Epitome, & Faſtis Capitolinis, poſt conſulatum eſſe factum, plane conſtat. MANUT. Non placet ſane mihi, & diſplicitum aliis, derivatum pro primaevo: nec ſcribo tamen cum iisdem. Simplicius ac nulla mutatione, conglutinatis ſaltem, quae diſſiliere, ſyllabis malo, *Cui inde moliendo*: id eſt, cum jam in eo eſſet, ut moliretur, παθητικῶς. Ita I. Aen. Maro:

Triginta magnos volvendis menſibus orbes
Imperio explevit.

Eclog. item:

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Idem Georgicis:

Uritque videndo Foemina.

Propertius item lib. IV.

Creſcit enim aſſidue ſpectando cura puellae.

Nec aliter Cicero ad Attic. lib. IV. epiſt. I. *Quo S. C. recitato cum continuo, more hoc inſulſo & novo, plauſum, meo nomine recitando, dediſſet.* Illud denique veterum ſcriptorum, *ad imperandum*, de quo Tullius Epiſtola ad Paetum, eſt patiendi eodem ſenſu. Ne mirere autem paſſivum etiam *moliri*, exemplum tibi ecce e Juſtino lib. XVIII. *Quod ubi Ariarathes junior moliri cognovit* &c. poſſit quoque ſi velit, *cui inde molienti*, ſed in priore mecum acquieſces. ACIDAL. Sententia clamat, legendum *emoliendo.* Coeperat moliri theatrum: emoliri non potuit, civitate & Scipione reſiſtente. LIPS.

Ni-

Nihil propius vero, quam illud *in demoliendo* natum ab interpretum vulgo. certe ſi abjiciatur, nihil deceſſerit ſententiae, niſi crux ingeniorum. GRUTER. Derivativum, pro primo, *moliendo*. Sic, *Deamo te Syre*, pro, *amo:* Terent. Heaut. Act. IV. ſc. VI. *Detexere*, pro texere, Virgil. Eclog. II. & Sulpitius in Satyra. Ita etiam, *partum non deformatum*, pro, *non formatum* dixit Sulpitius Hiſt. Sac. lib. I. Qualia paſſim apud auctores obvia. Unum jam modo Livii exemplum producam, quod viros eruditos hactenus vexavit. Libro XXXIV. cap. 4. de pugna ad Thraſymenum: *Id tantum hoſtium, quod ex adverſo erat, adſpexit: a tergo, ac ſuper caput detectae inſidiae.* Glareanus, cum monuiſſet *detectae*, poſitum pro ſimplici *tectae*, hominum doctiſſimorum cavillos effugere non potuit. At ne quid ei poſthac oggannjant, audiant ipſum Livium eodem libro cap. 28. loquentem, *Ager omnis medius erat prima ſpecie inutilis inſidiatori: quia non modo ſylveſtre quicquam; ſed ne vepribus quidem veſtitum habebat: re ipſa natus detegendis inſidiis*, &c. VOSS. Corrupta lectio eſt, ſi *demoliri*, diruere interpreteris, ut apud Salluſtium Hiſtor. lib. IV. *Plateas reſcindit ac munitiones demolitus*; ſcribendum tunc fuerit cum Lipſio, *emoliendi*. Quid ſi tamen *de* augendi poteſtatem habeat, hoc loco, ut in *decertare*, *depraeliari*, *delaxare*, aliiſque id genus? diſpiciant eruditiores. BOXHORN. Lipſius *emoliendo* ſubſtituebat. Acidalius, *cui inde moliendo.* Gruterus illa verba *in demoliendo*, plane abjicit. Sed fortaſſe ſimpliciſſime *demoliri* pro *moliri* accipimus. BOECLERUS. Miror pertinaciam quorundam, in tuenda vitioſa lectione, quum nullo idoneo exemplo probent, *demoliri* pro *moliri* unquam uſurpatum. & Voſſius duplici loco Livii, inauditum quoque illud *detegere*, pro *tegere* defendit, ſed ad priorem conſulendus Gronovius, in altero *tegendis* habent optimi codices. nobis placet Lipſii emendatio, *cui in emoliendo*, nam hoc verbum notat aliquid conando magno labore velle peragere, quod inſtituimus facere. Riguez legit, *in eo moliendo*, *de* mutato in *eo*. BURM.

Scipio.] Rhen. [& Onuph.] *& COS. Caepio.* Quis acri pectore, non videt legendum; *& conſularis Scipio.* Non animadverterunt docti viri, τὸ *COS.* veteri libra-

prario, *Conſulem*, *Conſularem*, *Conſulatum* denotare. Clarum exemplis infra: *Merula autem, qui ſe ſub adventum Cinnae Cos. abdicaverat.* Hic vir doctus male, *conſulis*, cum flagitante hiſtoria, *conſulatu* legendum. Et de Lucullo; *Qui ante ſeptem annos ex Cos. ſortitus Aſiam.* vera ſcriptura, *conſulatu*, non *conſule*, ut quidam. Dolabella; *atque inſignia corripuiſſet Coſ.* legend. *conſularia*, ut recte edidit Manutius, non *conſul*, ut Gryph. Dixit *in demoliendo*, derivatum pro primaevo, veteribus Grammaticis notatum genus. Burerius hic campas loquitur & nugas. Schegk. Vulgo *Caepio.* Scribendum, *Scipio;* idque certum eſt: ſed an tunc *Conſul?* Conſularem eum fuiſſe & jam abiiſſe honore illo, Epitoma Livii & Faſti evincunt. Nam de Scipione Naſica ſermo eſt, qui Conſul ſecundum fuit, biennio ante Valerium Meſſallam & Caſſium Longinum Cenſores. Quomodo ergo Conſul id impedierit? tamen haud temere in Vellejo mutem, qui tempora fortaſſis Cenſurae hujus aliter digeſſit. Praeſertim cum Appianus pro eo I. Civil. Τῷ δὲ αὐτῷ χρόνῳ, inquit, Σκιπίων ὕπατος καθεῖλε τὸ θέατρον, οὗ Λεύκιος Κάσσιος ἤρχετο: *Eodem tempore Scipio Conſul diruit theatrum, quod coeperat Lucius Caſſius.* Lips.

Inter clariſſima publicae voluntatis argumenta.] Sic libro II. cap. 8. *voluntatem peccandi intuebantur.* Heins.

Seſtio Calvino.] Scribendum, *Sex. Calvino.* nam *Sextus* familiae nomen eſt, non praenomen. Sex. autem Domitius Calvinus Conſul fuit cum C. Caſſio Longino. A. P. R. C. dcxxx. Ursinus.

Sallues.] Gryphii liber, [& Onuphr.] *Sallyes.* nos *Salyes*, e Strabone lib. iv. & Obſequente. Plinius tamen lib. iii. cap. 4. *Salyos* nominat; Florus, & epitome Liviana *Salvios.* Manut.

CLVII.] Emenda cum Lipſio, clii. Raphel.

Scylacium.] *Scolatium*, Edit. Rhenani.

Ut praediximus.] Nec dixit, nec opportunitatem dicendi ullam ſupra habuit. Raphel. Verba, *ut praediximus*, omnino inepta: neque enim praedixit, aut praedicendi occaſionem habuit. Non dubitem itaque ejicere, & leviſſima mutatione locum priſtinae ſanitati ita reſtituere: *Carthago, quae in Africa, prima extra Italiam colonia condita eſt.* Niſi forte quis malit, *Car-*

tha-

thagoque, quae in Africa, &c. Ratio utriusque conje-ctúrae in contextu. Voss.

Narbo Martius.] Vetus Marmor apud Ortelium: *NARB. MART.* extollitur ab Auſonio Catalogo illu-ſtrium urbium, & Sidon. Apoll. SCHEGK.

M. Porcio, D. Marcio Coſſ.] Sic alii emendarunt. In editione Rhenani fuerat: *Portio Marcoque Coſſ.* Repone ergo, *Porcio Marcioque Coſſ.* Voss. [*M. Porcio, Q. Marcioque* Onuphr.]

CLIII.] Lipſ. credit leg. CXLVI. RAPHEL.

Tres & viginti.] Lege, XVIII. MANUT. Error cal-culi manifeſtarius, vel legend. *tres de viginti.* Nam XVII. intercedunt anni inter M. Porcium Catonem, Q. Martium Regem Coſſ. anno DCXXXV. & C. Marium VI. L. Valerium Flaccum Coſſ. anno DCLIII. POPMA. Le-gendum arbitror: *deducta colonia, & poſt duo deviginti annos in Bagiennis Eporedia.* Quod primo diſtinctionem mutaverim, & pro *eſt* repoſuerim *&*, facile probabit, qui coloniarum hunc catalogum legerit: mox etiam ſcribendum, *duo de viginti*, non, *duo & viginti.* Quod monuerant etiam Pighius in Annalibus Romanorum, & Philippus Cluverius in Italia Antiqua. Ab iis igitur fundamentum hujus lectionis petatur. Pro *Vagiennis* etiam ſubſtitui *Bagiennis*: non ſolum fide codicis MS. ſed & veteris lapidis, Ptolemaei, & aliorum. Rectius quoque pro *Eporaedia*, repoſui, *Eporedia*; cum in MS. fuerit, *Eporedi.* Ceterum caſtigatores decepit Strabo-nis auctoritas, apud quem libro XV. Geograph. Ἐπoραιδία legitur. Sed non dubito, quin apud eum ſcriben-dum ſit, Ἐπoρεδία, ex Plinio, Ptolemaeo, ac reliquis. Voss.

Vagiennis.] *Bagiennis*, Burer. & Sigonius. *Baciennis* Rhenan. [Onuphr.] varietas nata ex promiſcuo uſu B. & V. SCHEGK.

Eporedia Mario.] *Eporaedia ſexcies, Mario ſexcies.* Edit. Rhenani. ſed primum *ſexies* in vetuſto exemplari non exſtare teſtatur Burerius.

Niſi militaris.] Videtur ergo duo genera Coloniarum facere, Civilem & Militarem. Illam dicere, quae ex civibus togatis & miſcellis deducta: hanc, quae e le-gionibus cohortibusve, cum militia ſcilicet defunctae collocabantur in oppidis & agris, & id quaſi praemium ha-

habebant ſanguinis pro rep. fuſi. Sed tamen Vellejus, quidquid excuſet, ne togatas quidem illas cum cura ſatis enumeravit. Video omiſſas in hoc recenſu colonias ad XIX. & quasdam ex iis vel maxime illuſtres. E Livio diſces. LIPS. An, *Neque facile memoriae mandarim, niſi militares poſt hoc tempus deductas?* HEINS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 27.

Cum haec particula operis velut form. prop. exc.] Egreſſioni, qua *jam exceſſiſſe ſe formam propoſiti*, id eſt, praeter modum arctioris ſcripturae, calamo indulſiſſe, fatetur, aliam *egreſſionem* conjungit; nec ſine *praefatione* tamen *veniae*: quam ea ipſa teſtatione, tum eximia utilitate cognitionis & jucunditate, de qua ſupra, omnino meretur. BOECL.

Ad liquidum.] Verbum elegans, & non e vulgo, Livius lib. XXXV. *Et ſi quid novi adferret, argui poſſet, donec ad liquidum veritas explorata eſſet.* Hinc bonis auctoribus; *Liquido jurare. Indicibus, formula;* N. L. Jurisconſultis; *ad liquidum diem & conſulem exquirere.* SCHEGK. *ad certum redigere* dixit Livius XLIV. 15.

In eam formam & in idem artati temporis congruens ſpatium.] Hinc ſi quis expedire ſe poteſt, miror, nam ſunt depravata; magis, neminem emendaſſe ante me, tam ſunt omnino difficilia. lege a principio: *Quis enim abunde mirari poteſt, quod eminentiſſima cujusque profeſſionis ingenia in eamdem formam & idem artati* (vel *artata*) *temporis congruant ſpatium?* ACIDAL. Non male vir doctus *arctata*. SCHEGK. congrua magis lectio, *in eandem formam*, itemque *congrua*: velim etiam interrogatione clauſulam attolli. LIPS. bene Rhenanus *eandem*, nec male, *unam* Lipſius. RAPHEL. Valde haec & ſequentia fracta ſunt, neque quis facile redintegrarit ſine codicibus authenticis. ſuſpicabar aliquando reſcindendam vocem primam, & penultimam, legendumque: *Quis enim abunde mirari poteſt eminentiſſimi cujusque profeſſionis ingenia, in eandem formam & in idem artati temporis ſpatium.* Quamvis etiam retenta voce penultima commode legas, *& in idem artati temporis congruiſſe ſpatium;* verum valeant vana ſuſpicionum. GRUTER. Forte legendum, *in eandem formam, & in idem artati temporis congruerint ſpatium. Formam* vocat characterem & modum orationis, vel proſae vel aſtrictae numeris. POPMA. Haec, &

ſequentia, vehementer corrupta ſunt. Quae ut recte reſtitueremus, opus fuit doctiſſimorum virorum conjecturas noſtris miſcere. Quod monere viſum, ne quis nobis id vitio vertat. Integrum autem locum, & caſtigatum apponam, ut ita facilius partibus, ſimul univerſa conſpici queant: *Quis enim abunde mirari poteſt, quod eminentiſſima cujusque profeſſionis ingenia, in eandem formam, & in idem artati temporis congruerint ſpatium; & quemadmodum clauſa capſo, aliove ſepto diverſi generis animalia, nihilominus, ſeparata alienis, in unum quaeque corpus congregantur; ita cujusque clari operis capacia ingenia in ſimilitudinem & temporum, & profectuum ſemetipſa ab aliis ſeparaverint?* Unum addo; *capſo* me reſtituiſſe fide codicis MS. Notat autem *capſus*, *ſudem*, vel *locum ſeptum*. Quod ad Flavium Vopiſcum, egregie obſervat vir incomparabilis Cl. Salmaſius. A quo omnino huic loco lux petenda eſt. VOSSIUS. Locum male cohaerentem & corruptionis manifeſtum facile equidem fuerit interpolare conjecturis. quod & a plerisque factum eſt. Sed, ut quod ſentio dicam, nulla hactenus reſtitutio mihi talis videtur, ut Vellejanam ſcripturam reſtauratam exiſtimem. Cujus quis fuerit ſenſus, omnes vident. Sed illum ſuppleri interpretando a quovis, quam verbis auctoris redhiberi ab ullo poſſe, promtius crediderim. BOECLERUS. Scribe, *in eandem formam*, cum Lipſio & Popma. deinde, *in idem artata temporis congruere ſpatium*; &c. vel *congruunt.* Sic apud Livium lib. XXIX. cap. 6. *Bruttiis ſuopte ingenio congruentibus in eum morem.* deinde, *ſeparata ab alienis, in unum quodque corpus congregantur: quemadmodum, clauſa capſa* &c. *Unum quodque corpus*, ut apud Tullium in Orationibus, *leviter unumquodque tangere; in unum quaeque corpus* Lipſius etiam non male. Livius XXIV. cap. 3. *ubi omnis generis ſacrum Deae paſcebatur pecus ſine ullo paſtore, ſeparatumque egreſſi cujusque generis greges nocte remeabant ad ſtabula.* libri ſcripti meliores non agnoſcunt τὸ *greges*, & *egreſſus* habent. lege *ſeparatumque egreſſi ſui quisque generis.* τὸ *congruere* reſpondet τῷ *ſeparaverunt* in ſequentibus. HEINS.

Quemadmodum clauſa capſa.] Cum reſtaret in autographo *capſo*, divinabam aliquando *ſaxo.* ut ſcopulo comprehenſa voluerit circumdato aqua/ de qua re ſcripſit

 quon-

quondam in ſuſpicionum libellis, ſed nunc ne mutire quidem audeo. GRUTERUS. In manuſcripto Rhenani, qui Vellejum primus publico dedit, erat *capſo*. Unde Gruterus nimis inepte formabat *ſaxo*. De conjectura vel potius emendatione noſtra, quae *cavea* reponit, noli ambigere. BOXH. *Capſus* eſt ſeptum ſudibus factum. Heſych. Κάψοι, οἱ τοῖχοι. Adi Salmaſ. in Spart. Hadr. cap. 12. & in Vopiſci Proculum. CELLARIUS.

Alioque ſ.] Leg. *aliove* cum Lipſ. Acid. & Voſſ. BURM. *in marg.*

Alienis.] idem vir doctus *ſeparata ab aliis*, niſi fortean *alienis* pro *alienigenis* poſitum ſit. SCHEGKIUS. Ea vero ſuperioribus multo vitioſiora, neque corrigi ita facilia, periclitemur tamen ingenium: *Et quemadmodum clauſa capſa, aliove ſaepto diverſi generis animalia, ſeparata quoque alienis, nihilominus in unum corpus congregantur: ita cujusque clari operis capacia ingenia in ſimilitudinem & temporum & profectuum ſemetipſa ab aliis ſeparaverint?* Trajectionis aliqua licentia opus fuit, ſine qua locum qui conſtituet, is equidem rex eſto; illud vero acute *in ſimilitudinem ſeparaverint*. Vult autem, in diverſis quibusque artibus, uno tempore, profectu ſimili ad eandem praeſtantiam eminentiamque clara ingenia ſimul omnia perveniſſe, ut quamvis profeſſu diverſiſſima, profectu alia aliis invicemque ſibi omnia videantur quam ſimillima. Ita diſſimilitudine quadam ſimilia, & ſeparatione a ſe, inter ſe fuere comparata. Locus hic certe non vulgaris, quem ita recte me correxiſſe non diffido: quamquam & alia poteram ingredi via, ſi libertate liberet uti paullo majore. Sed ne hoc quidem te celabo, ſi forte probabis impenſius. Ergo igitur omnia tibi ſic reſcribe, mihi modum priorem relinque: *Quis e. a. m. p. e. c. p. i. in eamdem formam & in idem artati temporis congruens ſpatium, ut, quemadmodum clauſa capſa aliove ſaepto diverſi*; & reliqua deinceps, ut praemiſi. non enim fruſtra chartam implebo. ACIDAL. Neſcio, an non ſana ſit vulgata, & hic ſenſus: quemadmodum multa animalia diverſi quidem generis, in unum locum concluſa, nihilo minus tamen ſeparata ſingula unius generis ab alienis, id eſt aliis diverſi generis, ſe ſolent in unum corpus ſui generis congregare, ita quoque diverſarum artium & diſciplinarum capacia ingenia ſeparave-

runt

runt ſe ab aliis, & in unum coierunt; prout erant ſimilia temporibus & profectibus. Sic Tragici fere omnes in unum tempus congruunt, comici in aliud, philoſophi deinde & reliqui. ut enim in ſeptis multa ſunt ſeparata clauſtra, quae ejusdem generis animalia continent, ſeparata ab aliis, ſed in unum quaeque corpus ſui generis congregata, ita Hiſtoria haec omnes viros doctos uno ſepto includit, ſed aequales temporibus & eadem arte florentes in ſeparatis quaſi clauſtris concluſos conſiderat. Hanc mentem eſſe puto Velleji, licet comparationem non admodum ingenioſam, decoram, aut acutam, credam. cum Lipſio vero *quaeque* accipiendum cenſeo, & ſi liceret, mallem quoque, *in ſuum quaeque genus congregantur*. Licet ex vulgata idem fere ſenſus oriatur. Sed alterum elegantius. Vid. Gronov. ad Liv. III. 22. *Separata* vero *alienis*, pro, ab alienis: ut apud Quinct. Decl. XII. 15. *moram tuam itineribus ſeparo*. BURM.

In unum quoque.] Scribe *quaeque*, & paullo ante *aliove*. LIPSIUS.

Aeſchylum, *Sophoclem*, &c.] Hi, veluti principes carminis Tragici, etiam a Cicerone conjunguntur III. de Orat. 7. Quintil. X. Inſtit. orat. I. Iſac. Tzez. in prolog. ad Lycoph. vide Gyrald. Hiſt. Poët. dialog. 6. & 7. BOECLER.

Priſcam illam.] Nam *Media* inter veterem & novam Comoedia veluti *tranſitus ad Novam*; aut *inchoatio Novae* videri poteſt. itaque ferme paſſim *Vetus* & *nova* tantum nominatur. Conſulendi Jul. Scalig. Poëtic. I. 7. Pontan. Philocal. X. 12. Cl. Heinſ. diſſertat. ad Horatii de Plauto Terentioque judicium. *Comicos* hoc diſcrimine & exemplo ita commemorat Iſacius Tzezes in prol. ad Lycophr. Κωμῳδοὶ πραττόμενοι, Ἀριστοφάνης, Κρατῖνος, Εὔπολις, Φερεκράτης, καὶ ἕτεροι, καὶ νέοι, Μένανδρος, Φιλήμων, Φιλιστίων, καὶ πλῆθος πολύ. *Horat.* I. *Satyr.* 4. ubi *interpretes*. BOECLER.

Tragoedias.] Forte *Tragoediam*. BURM. *in marg.*

Ac novam.] Lege *at*. MANUTIUS.

Novam comicam.] Ejicio *comicam*, qua voce quid opus, nullo cum intervallo praeceſſerit *comoediam*. ACIDAL. Vox *comicam* redundat, & aſcititia eſt. Statim, *imitandam*, pro *imitanda* ſcribe. LIPS. Vox *comicam*, ut Aldus monuit, eſt a gloſſemate. VOSS. τὸ *Comicam* delent

 Aldus

Aldus & Lipſius. Tu ſcribe, *at nova Comica.* Ita quippe corrigendum ſatis evincit ſubſequens *imitanda:* pro quo perperam illi *imitandam.* *Comicum* quicquid ad comoedias pertinet. ſic *comicum artificium* Ciceroni. Heins.

Neque imitanda reliquere.] Eſtne quisquam ita hebes animo ſive, ſive oculis, *imitandam* qui videre nequeat ſcribendum? Acid. Fruſtra emendant, *imitandam.* Nam illud, *imitanda*, capiendum, ac ſi neutri ſit generis, ut ſubaudiatur *opera.* Sic paullo poſt: *reperiet eminentia cujusque operis artiſſimis temporum clauſtris circumdata.* Quamquam & ille locus mangonum manus effugere non potuerit. Ita & ſupra cap. II. *inviſum*, pro *re inviſa*, dixit Vellejus: *Neque ante inviſum eſſe deſinit, quam eſſe deſiit.* Quod recte ibidem, contra Lipſium, monuerat etiam Gruterus. Voss. Recte Voſſius. nam poſt duo plurave feminini generis nomina, etiam neutrius adjectivum ſubjungere veteres, docuimus ad Quinctilian. lib. VII. cap. 4. & ita ipſe Vellejus lib. II. 85. *citius vitam veniamque promiſit, quam illis, ut ea precarentur, perſuaſum eſt.* Immo mutationes illas generis, etiam uno feminino praecedente, etſi non ſapiant ad Grammaticorum regulas, non minus Grammaticis ſapere putat Gronov. ad Senec. II. de Clement. 3. Burm. Warburton in Bibl. Brit. T. VII. p. 264. legit *emendandam.* Forte *immutandam*, quippe quae obtinuit deinde; nec, ut priſca, mutata tranſiit in novum genus. Burm. *in marg.*

Philoſophorum quoque ingenia Socratico ore defluentia, omnibus, quos paullo ante enumeravimus.] Et hic poſtrema delenda putem: quando enim aut ubi philoſophos enumeravit? aut legam, *quos quando enumerabimus?* Neque hoc ſententiae diſconveniat, ſi ſcripturae conveniat paullo magis. Tamen nec nimium mihi indulſi: & ſuſpicatus aliquando ſum, ipſam philoſophorum, de quibus ait, enumerationem periiſſe: ut lacuna heic ſit facienda, defectus index, quod nunc difficile eſt ut mihi probem. Bene namque oratio ex ſuperioribus apta, & connexa mutuo videtur. Unde fit, ut vel exterminanda verba paucula iſta ſint, vel corrigenda. quod ſi quis me felicius poterit, liceto. Acidal. Ubi enumeraſti? nusquam in iis, quae nunc ſunt. Periit ea quoque pars, & doleo. Lips. In iis haud dubie, quae perierunt. Boecler.

So-

Socratico ore] Ego legam, *rore*. BOXHORN. Manilius lib. II. de Homero;

—— *Cujusque ex ore profuſos*
Omnis poſteritas latices in carmina duxit.

Fruſtra igitur mutant, *rore*. VOSSIUS. Optima, nec tentanda lectio. Cic. I. de orat. 10. vocatur *fons & caput Philoſophorum Socrates*: de Nat. Deor. 34. *parens Philoſophiae*, cum quibus ceterorum paſſim elogia conſentiunt. Hieronymus plane ad Noſtri figuram congruit *in apolog. pro lib. adv. Jovin. Legite Platonem, Theophraſtum, Xenophontem, Ariſtotelem, & reliquos, qui de Socratis fonte manantes diverſis cucurrere rivulis.* BOECLER.

Quid ante Iſocratem.] Unde Ciceroni II. de orat. 3. *Pater eloquentiae* dicitur: & c. 22. *communis magiſter oratorum ejus temporis, ex cujus ludo meri principes prodierint.* BOECLER.

Adeo quidem artatum anguſtiis temporum.] Nec iſtud ſanum: hoc erit forſan: *Adeo quidem artati ii anguſtiis temporum*: aut propter vocalium concurſum, traductim, *artati ii temporum anguſtiis*. De cetero, *nequiverit*, an *nequiverint*, legat, parum mihi curae. Nec in eo enim ſitae Graeciae fortunae. ACIDAL. Lubet legere, *adeoque iidem artati*. LIPS. Lege: *artati illi anguſtiis temporum*. Acidalius *artati ii anguſtiis*, &c. Quod duriuſculum, propter ejusdem vocalis concurſum. VOSSIUS. Lipſio lubet legere, *adeoque iidem artati*: Acidalio, *adeo quidem artati*. Eſt, qui cum complexu, ad praecedentem formulam refert: *quod clarum in orat.* Cenſebam aliquando: *adeo quidem artorum anguſtiis temporum*, ut a verbo *fuit* ſuſtinerentur ſequentia, quod tamen pridem non ſatis placet. Poſſemus haud paulo liquidiore conjectura uti, ſi certam haberemus lectionem ſuperioris, qui corrupte legitur in hoc capite, loci; *in eandem formam, & in idem artati temporis congruens ſpacium.* BOECLER. Puto, *adeoque idem artatum.* vel, *adeoque id.* ſic lib. II. cap. 125. ſcribendum, *plurimoque idem igne emicans*: pro *plurimo quidem*: tum malo *audiri nequiverint*, quam *videri*; quomodo paulo poſt loquitur. ut ταυτολογία evitetur. Lipſius, *adeoque iidem artati anguſtiis temporum.* HEINS. v. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 27.

Ut nemo memoria dignus.] Duae negationes pro una, Graecorum more, *nemo nequiverit*, pro nemo quiverit,

Varro de vita Pop. Rom. Lib. 1. *Quod a rege munera eorum noluerit nemo accipere*, pro nemo voluerit. Idem de Re Ruſt. 1. *Nec ſi eum ſervare non potuiſſet*, pro etſi non potuiſſet. Plura exempla notavi lib. 11. cap. 19. de uſu antiquae locutionis. POPMA.

Nequiverint.] Lege, *nequiverit*. MANUT. Vulgatam tamen non damnat Sylburgius. RAPHEL. Neque hic mutandus numerus. Ita enim ſolent Latine loquentes, ubi *alter* geminatur. ſic infr. 11. 19. *Cum Marius adſpiciens Carthaginem, illa intuens Marium, alter alteri poſſent eſſe ſolatio*. Livius XL. 46. *nec tantum republ. proſit, quod omnibus nobis egregie placetis, quam quod alter alteri diſplicetis, noceat*. Juſtin. XV. 2. *dum auxilium ferre alter alteri volunt*. Virg. 11. 667.

Alterum in alterius mactatos ſanguine cernam.

Ovid. in Ep. 11.

Alter in alterius jactantes lumina vultum,
Quaerebant taciti, noſter ubi eſſet amor.

Et ita *alius alio more viventes*, Salluſt. Catil. 6. recte vindicavit Rivius & illuſtravit exemplis. BURM.

In Accio circaque eum Romana tragoedia eſt.] Primo vetuſtus codex *in Accio* exhibebat, quod retineri debuit. Nam Accius & Pacuvius principatum tragoediae ſub illa tempora ſibi vindicabant. Quin immo horum dramata multo poſt Neronianis quoque temporibus quotidiana in ſcenis exhibebantur, non ſine multo applauſu, ut ex Suetonio patet. Quanquam, poſt Pomponii Secundi & Annaei Senecae dramata exhibere in theatris ſub eandem tempeſtatem coepta, frigere paullatim magis ac magis coeperunt ac contemni. Innuit & Martialis non defuiſſe ſua aetate, qui hos ipſos multum admirarentur;

Attonitusque leges terrai frugiferai,
Accius & quicquid Pacuviusque vomunt.

Ipſi tamen Pacuvio Accium aliquanto duriorem viſum e Gellio liquet Noct. Att. libro XXII. cap. 2. Ceterum utrumque & alii conjungunt, Gellius in primis frequenter. noſter ipſe libro 11. cap. 9. quomodo & illic ſcribendum: *Clara etiam per idem aevi ſpatium fuere ingenia, in togatis Afranii, in tragoediis Pacuvii atque Accii, usque in Graecorum ingeniorum comparationem evecta*. non *evecti*, ingenia nimirum. deinde prima editio membranam ſecuta, *circaque eorum*. Ni fallor, dederat Velle-

jus,

jus, *in Accio circaque decorum Romanae tragoediae*, hos enim non dubitavit comparare cum Graecis, ut paullo ante jam vidimus. Columella quoque, qui Vellejo ſuppar aetate, *Accium & Virgilium* tamquam principes poëſeos Romanae conjungit. *Accium* & Naſo laudavit non uno loco. ut de Cicerone nil dicam, qui ejusdem aeque ac Pacuvii admiratorem ſe paſſim profitetur. Pari modo mox habebimus, *proſae eloquentiae decus*: & *decus publicum* cap. 13. ſupra. *decora Graecarum artium* Tacito An. XV. c. 41. Auctor de cauſis corruptae eloquentiae c. 20. *Exigitur enim jam ab oratore etiam poëticus decor, non Accii* (ſic lege) *aut Pacuvii veterno inquinatus, ſed ex Horatii & Virgilii & Lucani ſacrario prolatus.* vides *poëticum decorem.* Similis naevus Taciti Germaniam inſedit loco varie ab hominibus eruditis vexato. cap. 45. *Extremus cadentis ſolis fulgor in ortus edurat adeo clarus, ut ſidera hebetet. Sonum inſuper ſe mergentis,* (ſic bene Lipſius) *formaeque decoram & radios capitis aſpici perſuaſio adjicit.* Sic, inquam, caſtigandum videtur: omnia enim haec de uno agunt Sole. Vulgo perperam, *formasque deorum.* Unde alii minus feliciter, *formas equorum*: quamquam enim Soli ſuus aſſignatur currus quadrijugus a Poëtis Graecis ac Romanis, non ideo ſequitur Germanos iſtarum literarum rudes, pari opinione fuiſſe imbutos. Poſſis quoque *formaeque decorem.* uti Seneca de Beneficiis libro IV. cap. 23. de ſtellis: *Iſta, quae tu non aliter, quam in decorem ſparſa conſideras, ſingula in opere ſunt.* Sed ad rem. cap. 21. de Aſinio Pollione: *Pacuvium certe & Accium non ſolum tragoediis, ſed etiam orationibus ſuis expreſſit, adeo durus & ſiccus eſt.* etiam illic *Accii* nomen mendoſum. at decori obſervans Accius cum maxime Ciceroni viſus libro Offic. primo: *Ut ſi Aeacus aut Minos dicerent, Oderint dum metuant, indecorum videretur, quod eos fuiſſe juſtos accepimus: at Atreo dicente plauſus excitantur.* Accius itaque & Pacuvius ad Neroniana usque tempora habiti maximo in pretio. poſtquam vero Secundus Pomponius & Seneca Annaeus hoc in genere dramatum ſeſe exercuerunt, veteres illi, ut rudes, paulatim in contemtum abierunt. Nam Accii carmina ipſi Pacuvio duriora & acerbiora aliquanto viſa, Gellius nos docet. Noct. Attic. XIII. cap. 11. Ceterum elegans illud in primis *circa-*

que, ut ſubintelligatur *circa haec tempora.* apud Livium lib. xxv. *maxima ſuper theatrum circaque conſiſtunt.* ſic & ſupra cap. 2. forte caſtigandum in noſtro, *ſedem cepere Lesbum inſulam circaque.* ubi plura congeſſimus. idem, libro II. cap. 81. *Templumque Apollini, & circa porticus, facturum ſe promiſit.* Livius lib. I. 14. *locis circa denſa obſita virgulta obſcuris.* ubi mallem, *locis circa denſo oblitis virgulto ac obſcuris.* ſimili modo *juxtaque* Tacitus Ann. XI. cap. 31. *ipſa crine fluxo thyrſum quatiens; juxtaque Silius.* deinde tollendum verbum ſubſtantivum *eſt*, ut referatur ad *nituerunt*, quod ſequitur. *decorum Romanae tragoediae* & *facetiae nituerunt.* HEINS. *Circaque* jam Erasmus, expuncto τῷ *eum*, edidit.

Eum.] Vulgo, *eorum.* Lectum etiam teſte Rhenano, *circaque quorum Romana*, &c. Sed recte, uti editum eſt, emendavit Bureriys.

Per Caecilium, Terentiumque, & Afranium.] Ergo Plautum inter laudabiles Comicos omittis? quo tibi mens, quae ante recta? Sed judicio hoc factum, non neglectu aut contemptu: quia Plautus paullum iſtis major, nec fecerit ad Vellejanae opinionis firmamentum. LIPS. Vide omnino egregiam diſſertationem & judicium de Comicis Jani Rutgerſii Var. Lect. IV. 19. ubi hujus quoque loci Vellejani mentio & illuſtratio habetur. Plautum in hac enumeratione Noſtri auctoris miſſum plerique mirantur, aliqui, & Lipſius, factum hoc aetatis reſpectu, quo Plautus paulo ab his remotior erat. BOECLER.

Afranium ſub pari aetate nituerunt.] Scribe junctim, *ſuppari aetate.* Nam intervallo aliquanto ſe conſecuti ſunt, &, ut noſter alibi loquitur, gradibus quibusdam aetatis fuere diremti. Ceterum in hoc Comoediae cenſu Plautum non cenſeri miror, principem non vulgi, ſed principum eruditorum ſententia, cui quemadmodum multi, ſic noſter, ut eſt affectuum varius, ſaepe in alterutram partem nimius, iniquior fuiſſe videri poteſt. ACIDAL. Corrige *ſuppari.* LIPSIUS. Lipſius, *ſubpari*, legit: ut & Rutgerſius loco jam adducto, & Acidalius. Bene. BOECLER. Rectius ſit, *ſubpari aetate enituerunt.* infra quoque lib. II. cap. 9. ſimili modo peccatum. *enitere* Tacito aliisque hac notione in uſu frequenti. *ſubpar* pro *ſuppar* exaratum ſemper in antiquioribus membranis oc-

currit. deinde ſcribe, *ſed ut Livium quoque priorum aetati aſtruas*. nam membranae *& ut*. non *ut &*. poſſis etiam *ut ut*. Admonet peropportune me locus de *ſubpari aetate*, ut Hippolytum, e praecipuis Senecae tragoediam (quae *Phaedra* in optimis Mediceae bibliothecae membranis nominatur, poſt aliorum diligentem curam a me quoque excuſſis haud perfunctorie) inveterato liberem mendo; quod cum interpretes poëtae hujus ſane praeſtantiſſimi ad unum omnes, quique eum ex profeſſo illuſtrandum ſuſcepere, in ſe converterit atque exercitos haud parum habuerit, hactenus tamen minime eſt perſanatum. Verſus ſunt non longe ab ipſo tragoediae initio, ubi tractum agri Attici deſcribit, qui ſic vulgo circumferuntur:

Qua rorifera mulcens aura
Zephyrus vernas evocat herbas:
Ubi per glacies lenis Eliſſus,
Ubi Maeander ſuper aequales
Labitur agros piger, & ſteriles
Amne maligno radit arenas.

Quippe, ut nunc omittam a Juſto Zinzerlingo Periculis Criticis primo verſu videri recte reſtitutum e veteri membrana, *rorifera mulcens anima*, nullum in Attica flumini Maeandro locum eſſe jam ab hominibus eruditis ſat ſuper eſt adſtructum: unde ad varias conjecturas confugiendum ſibi duxerunt, dum hi verſum tertium, quartum illi expungunt. Nec ſtetit hic inane ſtudium: ſed aliae ex aliis conjecturae inſuper congeſtae, quas ſuo loco cum majori ex parte collegerit vir ſummus, &, dum vixit, in paucis mihi amicus, Johannes Fredericus Gronovius ſuis ad hanc tragoediam annotatis, ſupervacuum prorſus ſit, eaſdem hic denuo omnes perçenſere. Nec Etruſcae membranae, illae laudatiſſimae, quod mireris, adminiculantur hic nobis: niſi quod bene habet, tertium verſum, qui paene ab omnibus exſulat membranis, in iis exhiberi. ſic autem hunc legunt,

Ubi per glaciles lenis Illiſſos.

Verſum autem proxime in vulgatis ſubſequentem huic praeponunt. Subſcribit membranis Joſephus Scaliger de Iliſſo verſum non agnoſcentibus, quem a paedagogulis eſſe cenſet vir maximus profectum. *Quid enim eſt*, inquit, *flumen per glacies ire? flumen glaciatum poteſtne ire?*

ire? Nec metri lex admittit Lipſianam *glaream*. Piget reliquorum interpretum commenta anxium in modum perſequi. Hos exceperunt Johannes Meurſius commentarii de Athenis Atticis lib. II. cap. V. & Solinianis Exercitationibus Claudius Salmaſius p. 836. Meurſius in *glareas* poſt Lipſium denuo impingit:

Ubi per glareas lenis Iliſſus,
Uti Maeander, ſuper aequales
Labitur Agras.

Et *Agras* tuetur ex Strabone, ſed *labi ſuper Agras*, Latine ſatis dici vix perſuadet mihi. Salmaſius vero ſic conſtituebat locum:

Ubi par glacie lenis Iliſſus;
Ut Maeander, per inaequales
Labitur agros.

Interpretamenta ejus audiamus: *Parem glaciei Iliſſum dicit, quod adeo lenis fluat, ut ſtare veluti glaciatum putes. Inaequales agri, quos flexuoſo curſu inaequalis reddit Iliſſus.* Verum quis, non dicam leniter labentes fluvios, ſed ſtantes & immobiles lacus, glaciei poëta comparavit ex antiquis? Deinde *inaequales agri* plerumque dicuntur Latinis protuberantes & clivoſi, non quos Salmaſius hic nobis proponit. ſic *inaequales berillo phialae* apud Juvenalem: quod berilli, incluſa phialis, prominerent in illis. Livius lib. VII. cap. 24. *quod editiſſimum inter aequales tumulos occurrebat, Arcem Albanam petunt.* lib. VIII. *claves ſecum ferreos portantes, qua per inaequaliter eminentia rupis poterant, ſcandunt.* Pomp. Mela lib. III. *ad occidentem inaequalis admodum.* Plinio Nat. Hiſt. lib. XXX. cap. 13. *carnes excreſcentes in aequalitatem redigere.* Curtius libro IX. cap. 9. *utcumque inaequale terrae faſtigium occuparunt undae.* Jam quod ait in omnibus ſcriptis codicibus a ſe inſpectis legi *ſuper inaequales*, diſſentit omnino unus inſtar omnium Mediceus, qui ſtat pro vulgata ſcriptura. Et ſane non Maeander & Iliſſus tantum, ſed quicquid ubicumque amnium eſt leni meatu prorepentium, per planos & aequales labuntur agros. Denique V. Cl. Gaſpar Barthius ad Papinianae Thebaidos librum IV. vſ. 52. conjecturae Salmaſianae quodammodo ſubſcribit, niſi quod mavult ille:

Ubi

Ubi per graciles lenis Iliſſus,
Ut Maeander ſuper aequales
Labitur agros piger.

Sed de omni hoc loco actum ſibi in Adverſariis libro CXXXIII., qui non exſtat, ubertim teſtatur. Scribendum autem *Eliſſos* ſive *Heliſſos*, ἀπὸ τοῦ ἑλίσσειν, quo manifeſte alludit. ut & Papinius Thebaidos IV. vſ. 52.

—— Quos pigra vado Langia tacenti
Lambit, & anfractu riparum incurvus Heliſſos.

At vero, ne operoſius aliorum ſententiis refellendis immoremur, proponamus tandem caſtigationem noſtram, in qua minimum nobis permiſimus:

Subpar gracili lenis Eliſſos
Ubi Maeandro ſuper aequales
Labitur agros piger, & ſteriles
Amne maligno radit arenas.

Subparem gracili Maeandro Iliſſon facit, quod flexuoſus Maeandri in modum prorepat valde. quapropter & recte cum Maeandro Phrygiae fluvio comparatur. *gracilis Maeander*, non tumidus aut inflatus, verum *tenuis*, ut alii ſcriptores loquuntur. nec mirum magis *gracilem Maeandrum* Senecae dici, quam *exilem & macrum Timavum* Melae Pomponio, & *macram paludem* Virgilio Catalectis. ſic & *gracilis Achelous* Hercule Oetaeo eidem Senecae:

Nos Acheloi ſolitae tecum
Pulſare vadum, cum jam tumidas
Vere peracto poneret undas,
Gracilisque gradu ſerperes aequo.

Minimum itaque aberrarunt a ſcopo, qui *per graciles agros* in Senecae loco corrigebant: niſi quod tunc minus commode procedit comparatio Maeandrum inter & Iliſſon. Nam Maeander non per campos Phrygiae ſteriles, ut per Atticos Iliſſus, infecundos plane, ſed per arva frugis opima labitur. de ſterilitate agri Attici cum alios ſcriptores, tum apud Livium ipſos oratores Athenienſes Romam miſſos audire eſt conquerentes, lib. XLIII. cap. 6. *frumenti ſibi centum millia imperata: quod quamquam ſterilem terram arent ipſosque etiam agreſtes peregrino frumento alant, confeciſſe.* Parum autem indulſimus nobis, pro *Ubi per* reponentes in Seneca *Subpar*, cujus vocabuli prima littera cum extrita eſſet aut omiſ-

ſa, anſam loco praebuit interpolando. *Subpar*, non *ſuppar*, tribus quatuorve locis exaratum liquido inveni in vetuſtiſſimo Voſſianae bibliothecae Auſonio, etiam in Apuleji codicibus frequenter. ut Met. VI. *Venus ſuavi Muſicae ſubpari greſſu formoſe ſaltavit*, ubi vide ne ſcribendum ſit, *ſubpari geſtu*. *geſtus* enim eſt proprie manuum, in quibus ſaltationis vis praecipua apud antiquos conſiſtebat, uti pluribus ad Naſonem memini monere. *formoſe ſaltavit*, hauſtum e Propertiano illo de Cynthia:

Quantum, quod poſito formoſe ſaltat Iaccho.

Diſerte ſaltare auctor dialogi de cauſſis corruptae eloquentiae. In ejusdem Apuleji codice περὶ ἑρμηνείας, qui eſt in Leidenſ. bibliotheca, paſſim quoque *ſubpar* videas exaratum. Jam tollebam manum de tabula pertaeſus quodammodo digreſſionis plus aequo productae, cum recordatus ſum Naſoniani loci Triſtium ſecundo ad Auguſtum Caeſarem, ubi *ſubparis* vocabulum etiam reſtituendum:

Non tua carminibus major ſit gloria, nec quo,
Ut major fiat, creſcere poſſit habet.
Fama Jovis ſupereſt. tamen hunc ſua facta referri,
Et ſe materiam carmini eſſe juvat.

Corrigo, inquam, *Fama Jovi ſubpar*, cum τὸ *ſupereſt* ſenſum ſatis commodum haudquaquam efficiat. Auguſtum nimirum Jovi comparat, ut alibi frequenter. τῷ *ſubpar* ſuperſcripſerat nonnemo τὸ *eſt* interpretamenti loco. unde is error poſtea profluxit, ut pro *ſubpar*, reponeretur *ſupereſt*. apud Columellam libro V. cap. 5. *At ſi teneram ulmum maritaveris, onus non ſufferet, ſi vetuſtam vitam applicueris, conjugem necabit, ita ſubpares eſſe aetate & viribus arbores viteſque convenit.* ita optimae S. Germani membranae, perperam vulgo *novam ſufferet*, & *ſibi pares eſſe*. Gellius libro XVII. cap. 14. *Publius mimos ſcriptitavit, dignusque eſt habitus, qui ſubpar Laberio judicaretur.* Rarius eſt *ſeparis* vocabulum, quod apud Valerium Flaccum occurrit. Et haec quidem hactenus. Quod ſi locum Senecae vexatiſſimum aſſerui non infeliciter, poſt irritos conatus tot principum in hac litteratura virorum, eſt ſane cur me haudquaquam curae intentioris poeniteat. Sin minus, ſpero equidem fore, ut alii inter eruditos, quibus ſaeculum hoc ſpectatur, meo invitati exemplo, induſtriam ſuper eodem

loco

loco acuant, eamque meliore cum ſucceſſu experiantur. Heins.

Hiſtoricos (ut & Livium quoque priorum aetati adſtruas) &c.] Ita emendarunt, cum in MS. inveniſſent: *Hiſtoricos & ut Livium quoque*, &c. Reſcripſerim potius, *Hiſtoricos etiam (ut Livium quoque*, &c. Notiſſimum, & lineola ſupraſcripta valere, *etiam*. Qui fons eſt erroris. Vossius. De Hiſtoricis Voſſium adi in memorabili de Hiſtoricis Latinis opere. Boecl.

Pace P. Craſſi, &c.] De quibus *Tullius in Bruto*, id eſt, in *Critico Oratorio*, eximia judicia pronuntiat. Boeclerus. & libro II. cap. 8. L. Craſſum inter Oratores praecipue commendat. cap. 8. Craſſum ſimpliciter commendat. ubi notata vide. Heins.

Tullio.] Idem Quinctiliani judicium eſt XII. inſtit. orat. 10. Et cujus non? Eſſet enim hoc in clariſſimum ſolem mortale lumen inferre, ſi quis auderet Ciceronis ſupremam in dicendo gloriam demonſtrare. Boecler. Sic & Seneca pater praefatione Controverſiarum: *poſſis aeſtimare quantum quotidie ingenia decreſcant, quicquid Romana facundia habuit, quod inſolenti Graeciae aut opponat aut praeferat, circa Ciceronem effloruit.* quo loco τὸ *circaque* paullo ante a me reſtitutum in Vellejo confirmatur. Heins.

Ut delectari ante eum pauciſſimis.] Sic expreſſum cum Aldino: recentiſſimum exemplar: *ante eſt.* qui lapſus operarum videtur, *etſi* cogitantium. Acidal.

Hoc idem eveniſſe.] De quibus rurſum Quinctil. XII. 10. differit. Boecler.

Grammaticis.] *Geometris* emendat Warburton Bibl. Brit. T. VII. p. 264. An *Gromaticis?* Burm. *in marg.*

Quisquis temporum.] Rhenan. aliis, & *quisque temporum i. n. r. eminentiam cujusque o. a. t. c. circumdatam.* Schegk. In MS. *ſcalptoribusque visquisque temporum*, &c. Puto legendum: *Scalptoribusque quisque temporum inſtiterit notis, reperiet, & eminentia* &c. Poſteriora enim ſana eſſe, paullo ante monui. Voss. Lege *Scalptoribusque, ſi quis temporum inſtiterit notis*, vel, *ut quisque temporum inſtiterit notis.* Heins.

Eminentia.] *Et eminentiam circumdatam.* V. C. addita copula, rectiſſime. Ut & Aldus emendavit. Raph. ita & Erasmus.

Me-

Memolumentum] Inſpicienti legendum mecum videbitur, *emolumentum*. Nam hoc ait, Ingenia congregari a quoque ſaeculo & in idem ſtudium, & in parem fere effectum. Volunt idem, & idem fere emoliuntur. Tamen & vulgatum fero, ac capio. Lips. *Hujus ergo praecedentisque ſeculi ingeniorum ſimilitudines, congregantis & in ſtudium par, & in emolumentum.* Ita alii, ſatis licenter profecto, Velleji verba repurgarunt. In autographo legebatur: *Hujus ergo recedentis inque ſeculum ingeniorum ſimilitudines congregantisque ſe & in ſtudium par, & memolumentum*, &c. Unde ſcribendum, conjicio: *Hujus ergo, praecedentisque ſeculi, ingeniorum ſimilitudinis congregantis, quaſi & in ſtudium par, & in emolumentum*, &c. Vossius. Nihil his tam ſimile, quam verba Fulgenti Planciadis prooemio ad Cantium vel Cantianum, ut in nonnullis codicibus ſcriptum offendo, presbyterum, in librum Mythologiae primum: *Quamvis inefficax petat ſtudium res, quae caret effectu, & ubi emolumentum deeſt negotii, cauſſa ceſſet inquiri.* Boxhorn. Non dubito, locum hunc corruptum eſſe; ſed inter doctorum conjecturam haec facilior viſa eſt, quam expreſſimus, certe, pro *emolumento*, *emolimentum* (ab emoliendo) hic ſubſtitui, nimis quam quaeſitum apparet. Boecler. Vetuſtus liber: *Hujus ergo recedentis inque ſaeculum ingeniorum ſimilitudinis congregantisque ſe & in ſtudium par, & memolumentum.* Forte, *Hujus ergo praecedentisque, inquam, ſeculi ingeniorum ſimilitudinis congregantisque ſe & in ſtudium par & in emolumentum, cauſas cum ſemper requiro*, &c. *Emolumentum* cum vulgatis libris ſi tuemur, videtur capiendum pro eo, quod ſupra dixerat *profectum*, *in ſimilitudinem temporum & profectuum*, ut vocabulum id hic loci haudquaquam ſollicitandum a Lipſio fuerit: praeſertim quo & alibi non ſemel noſter ſit uſus. Gloſſae veteres Labbaei, *Emolumenta*, τοὺς χρηματισμοὺς, *Emolumenti*, χρημάτων. *Emolumentum*, ὠφέλεια, κέρδος, ἐπίνοια, ὄνησις, ὠφέλημα. vides non unam ejus vocabuli ſignificationem, infra libro II. *emolumentum victoriae* & *emolumentum triumphi* occurrunt. apud Juvenalem *emolumenta ſacramentorum* & *laborum emolumenta*. apud Fulgentium initio Mythologiae *emolumentum negotii*, quod Gloſſa MSS. Codicis Leidenſis *profectum* vel *lucrum* interpretatur. Fuit nihilominus

lominus, cum & ego *aemulatum* reponerem pro *emolumento*, quod ſequentia ſic viderentur requirere. Habes de aemulatu non diſſimilia apud Gellium libro XIV. cap. 3. ſub finem, & Quinctil. I. 2. *Aemulatio alit firmiores profectus in literis.* Sed verius omnino & tutius eſt, ut minori mutatione ſcribamus *in molimentum*, quo vocabulo, pro molitione ſeu molimine uſus etiam eſt Livius libro V. cap. 22. *Motam certe ſede ſua parvi molimenti adminiculis, ſequentis modo accipimus levem ac facilem translatu fuiſſe.* libro XXXVII. *Eo minoris molimenti ea clauſtra eſſe, quod in fluminis modum longum & anguſtum & vadoſum oſtium portus ſit.* mox, *Cui dubium eſſe, quin hoſtes minore molimento aperturi portum ſint, quam obſtruantur. Congregantisque. que* ac & ſaepe elegantiae cauſa redundare apud Vellejum dixi jam ſupra cap. 8. ceterum *ſimilitudinis congregantis ſe* refert ad τὸ *cauſſas*, quod ſequitur. ſed & *inquam ſaeculi*, pro *inque ſeculum*, caſtigari poteſt. τὸ *inquam* orationi paullo longius extenſae aut repetitae ſive iisdem ſive ſimilibus verbis eleganter interjicitur, ut quod dicitur, ſerio dictum videatur. libro II. cap. 66. *Nihil tamen egiſti, Marce Antoni, (cogit enim excedere propoſiti formam operis erumpens animo ac pectore indignatio) nihil, inquam, egiſti.* Livius libro XXX. cap. 30. oratione Hannibalis ad Scipionem: *Poteſt victoriam, inquam, malle, quam pacem animus.* Ita complures ſcripti, & vere, ut puto. Referenda autem haec ad illud, quod intervallo nonnullo praeceſſerat, *Tuam & adoleſcentiam & perpetuam felicitatem ferociora utraque, quam quietis opus eſt conſiliis, metuo.* ſic & alii ſcriptores paſſim, oratores praeſertim ac comici, idque confirmant, quae paullo ante praeceſſerunt. mox malo, *cauſas nunquam reperio, quas eſſe veras confidam, ſed fortaſſe veris ſimiles, interque eas has maxime.* Jacobus Perizonius, (Ep. Syll. T. IV. p. 785.) quod in ſcripto exemplari eſſet & *molumentum* conjectabat, & *ſimile molimentum*, vel *emolimentum*, locumque omnem ſic conſtituebat, *Hujus ergo recedentis in quaſi ſaeculum ingeniorum ſimilitudinis congregantisque ſe & in ſtudium par & molimentum.* τὸ *recedentis* tuebatur ſic ex illo Ciceronis lib. VIII. familiar. ep. 14. *ſic ili amores & invidioſa conjunctio non ad occultam recedit obtrectationem, ſed ad bellum ſe erumpit.* Suſpicatur & τὸ *unum* excidiſſe; ſed

per-

pergamus in Vellejo. HEINS. Vellem conſtantius in priori ſententia perſtitiſſet Heinſius: nam *emolimentum* minime movendum eſt; eſt enim ſaepe idem, quod aliis *molimentum* vel *emolimentum* volunt eſſe, ſive molitionem & perfectionem rei magnae & difficilis. Sic Juſt. IX. 1. *bellum toti Graeciae inferre ſtatuit, ad cujus emolumentum egregie pertinere ratus, ſi Byzantium* &c. *in poteſtatem redegiſſet*, ubi itidem *molimentum* reponere tentant perperam: idem enim eſt, ac ſi dixiſſet, *ad quod bellum emoliendum.* [infra II. 105.] Caeſ. I. de Bel. Gal. 34. *Praeterea ſe neque ſine exercitu in eas partes Galliae audere venire, quas Caeſar poſſideret, neque exercitum ſine magno commeatu, atque emolumento in unum locum contrahere poſſe.* Varro III. de R. R. 14. *Nec de cochleis ac gliribus quaero, quod reliquum eſt, neque enim magnum emolumentum eſſe poteſt.* Id eſt magnum negotium & multiplex. BURM. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 345.

Sed fortaſſe veriſimiles, inter quas has maxime.] Concinnius, *interque eas has maxime.* Mendas ſimiles binas infra ſuo loco notavi. Omnium earum originem cernere cuivis facile eſt, & erit. ACIDAL. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 27. 363. V. IX. p. 242.

Alit aemulatio ingenia, & nunc invidia, nunc admiratio imitationem (apage, *incitationem*) *accendit: naturaque, quod ſummo ſtudio petitum eſt, aſcendit in ſummum.*] Quid hic, *natura?* lege, *matureque.* uti ſaepe & ubique ſcriptorum, voces hae mutuiter errarunt. Sententia nihil clarius, nihil elegantius. ACIDAL. Idem vir doctus *imitationem* mavult. SCHEGKIUS. Lipſius, *Matureque.* RAPHEL. Minima quidem mutatione feceris, *imitationem:* ſed nihil ea neceſſe eſt. indicatur enim induſtria: modo rei pulcritudine, modo livore; cum aliquem ſibi aequatum cernit praelatumve, cui ſe parem ſentit. ut pluribus oſtendimus libro II. Ann. Tacit. cap. 38. ubi eſt, *langueſcet alioqui induſtria, incendetur ſocordia; ſi nullus ex ſe metus, aut ſpes.* Sic Plinius Paneg. *Hac mihi admiratione dignus Imperator non videretur, ſi inter Fabricios & Scipiones & Camillos talis eſſet; hinc enim imitationis ardor, ſemper melior aliquis accenderet.* GRUTER. Lipſius & Acidalius legunt *matureque.* Quae mutatio neutiquam mihi videtur eſſe neceſſaria. Ipſe Vellejus paullo poſt, *naturaliterque, quod procedere non poteſt,*

recedit. Haec autem, quae de ingenio Vellejus, translata arbitror ex iis, quae de Athletarum corpore ſcribit Hippocrates Aphoriſm. lib. I. §. II. Ἐν τοῖσι γυμναστικοῖσιν αἱ ἐπ' ἄκρου εὐεξίαι, σφαλεραὶ, ἢν ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἔωσιν· οὐ γὰρ δύνανται μένειν ἐν τῷ αὐτέῳ, οὐδὲ ἀτρεμέειν. Ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀτρεμέουσιν, οὐδέ τι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι, λείπεται ἐπὶ τὸ χεῖρον. *Athletarum boni habitus, ad ſummum progreſſi, periculoſi; ſi in extremo conſtiterint. Neque enim poſſunt in eodem ſtatu permanere, neque quieſcere. Cum vero non quieſcant, neque ultra poſſint in melius proficere; reliquum eſt, ut in deterius labantur.* Voss. *Imitationem* alii. puto *in imitationem accendit.* ſic *accenſae in arma nationes.* lib. II. cap. 98. hoc verum. ita & Tacito Hiſt. I. cap. 43. *in caedem ardere alicujus.* deinde *natura* ne mutetur in *mature.* namque & mox *naturaliter*, quod tantundem, habebis. Heins.

Difficilisque &c.] Vid. Calpurn. Declam. VIII. Burm. *in marg.*

Ubi aut praeteriti, aut aequari.] Fortuitam in meo libro mendam opinabar, cum poſtea in aliis & veterioribus eandem deprehendi, *praeteriti*: itaque nolui praeterire, ut notari indignam: quae dignior eo ipſo quod praeterita, nec notata aliis. nemo autem, cui paululum aceti ſit in pectore, *praeteriri* mecum non praeoptabit. Non enim hoc vult auctor, cum praeteriti nos ſumus, id multo minus, cum praeteriti illi ſunt: verum cum aut gradu illos antecedere, aut aequare nobis deſperatum eſt. Acidalius. Rhenani editio *praeteriti*, quod in aliquot editionibus incuria typothetarum. Gruterus. Immo *praeteriri* eſt in Rhenani editione, ſed vitio operarum *praeteriti*, in Aldina video exiſtere, ut & in Popmae, & Boxhorn. & aliis, turpi negligentia.

Aliquid in quo nitamur conquirimus.] *In quod enitamur* malim, uti amat loqui Vellejus alibi. Jacobus Perizonius, *aliud, in quo nitamur.* ſcilicet, *eminere*, ex proxime praecedenti. Ego *in quo eniteamus.* Vide not. lib. II. cap. 4. Heins.

Operis impedimentum] Reſiſto. Perfecti patratique operis quomodo aliquid impedimentum eſſe poteſt? nec Dii quidem, ut vetus verbum habuit, revocaverint aut impedierint facta. Vide num legendum *indicamentum*

ſit. Velleji mens ita ſuadet; qui jam ante dixit, *difficilem in perfecto moram eſſe*: & ingenia novae laudis ſtimulo aliorſum trahi, & quaerere illibatam materiam. Itaque nunc addit: maximum hoc eſſe perfecti operis indicium, tranſiri vulgo ad aliud opus. Lips. id eſt, in eo ipſo impeditur operis cujusque perfectio. quare nihil hic innovandum; nam quamvis praeceſſerit *difficilis in perfecto mora eſt*, loquitur ibi pro captu hominis, ulterius procedere deſperantis, alioquin tantum abeſſet, ut ars ulla conſummata dici mereatur, ut ſentiam cum Seneca, *id quod unum toto agimus animo nondum perfecimus, ut peſſimi eſſemus*: lib. VII. Nat. Quaeſt. 31. Gruterus. Lipſius *indicamentum* volebat: eo quod perfecti jam patratique operis nullum poſſit eſſe impedimentum. Sed omnino non eſt tentanda haec lectio, qua Vellejus nihil aliud, quam id exprimere ſtuduit: *dum homines, deſperantes aemulationem perfecti jam ab alio operis, alias ſibi vias ſubinde quaerunt, fieri, ut perfectioris operis gloria hoc pacto relicta diuturna non ſit*: cum alias, ſi praeclara ingenia *perſeverarent in eo eniti, in quo jam alios vident excelluiſſe, directa haec ad perfectionem operis vel conſervandam vel ornandam via foret.* Eſt ergo *impedimentum*, quo perfectio alicujus rei debilitatur, quo ἀκμὴ ad παρακμὴν inclinatur, adeoque faſtigium & praecellentia illa, quo minus aequaliter ſe & conſtanter habeat, impeditur. Boecler.

Tranſit admiratio ad conditionem.] Egerat de temporis, nunc urbium conditione: reſcribe igitur, *tranſit admiratio ab conditione temporum, & ad urbium.* Schegkius. Legendum docuimus, *ab conditione temporum.* Quod notatum quoque video Jac. Schegkio eximiae ſpei juveni, ſi manet in via recta. Nam immodeſtia multorum cogit me adoleſcentiam timide laudare. Lipsius. Scribe, *Tranſeat admiratio a conditione temporum, & ad urbium.* ſc. conditionem. uſitatus loquendi modus Paterculo noſtro. ſupra cap. 12. illa, *quam ullius ejus temporis noxa*, ad invidiam, quae praeceſſerat, referri oportere, diximus. *Tranſeat*, ut mox infra, *Neque ego hoc magis miratus ſim.* libro II. cap. 9. *Sane non ignoremus.* & mox, *Perſequamur notam ſeveritatem cenſorum.* & mille aliis locis. Viderunt ex parte verum Lipſius & Schegkius, dum reſcribunt *a conditione*, pro *ad conditionem*,

quod illis nondum inſpectis, mihi quoque jam in mentem venerat. HEINS.

Una urbs Attica pluribus annis eloquentiae, &c.] Si legas *eloquentia*, hoc totum minima mutatione reſtitues. MANUTIUS. Interpolata haec a variis varie. Ni mea ſcriptura verior eſt, pignus dabo in omnes fortunas meas. Totum locum ſic reſtituo: *Una urbs Attica pluribus annis eloquentia, quam univerſa Graecia operibus floruit: usque adeo, ut corpora gentis illius ſeparata hinc inde in alias civitates, ingenia vero ſolis Athenienſium muris clauſa exiſtimes.* Abolita quaedam literarum ſyllabarumque affinitate, quaedam alio traducta: omnia recte, ut ſpero, nunc & ordine repoſita. Athenas, inquit, longius dicendo, quam Graeciam univerſam agendo floruiſſe. Et certum, ut quidam vult, de eloquentia ſolum inſtitui comparationem: ſed inſtitui, quod neſcio idem ne ille putarit, cum rerum actione, lectio, quam adfert, id certe non exprimit, manifeſto & liquido noſtra. Sed pro rebus geſtis *Opera* ponere, Vellejo ut & aliis tralatitium. Ante paginas aliquot praeceſſit de L. Paullo: *Ut ſi quis eorum invideret operibus ac fortunae ſuae.* De Athenis meam bene ad ſententiam Cicero, Bruto: *Nam antequam delectata eſt Athenienſium civitas hac laude dicendi, multa jam memorabilia & in domeſticis & in bellicis rebus effecerat. Hoc autem ſtudium* (eloquentiae) *non erat commune Graeciae, ſed proprium Athenarum.* In de oratore, idem: *Atque illas omnium doctrinarum inventrices Athenas, in quibus ſumma dicendi vis & inventa eſt & perfecta.* Sed ille quidem &, alibi innumeris locis. Juſtinus lib. v. *Patriam communis eloquentiae* vocat: de eademque idem ſic lib. II. *Literae certe ac facundia & hic civilis ordo diſciplinae, veluti templum Athenas habent.* ACIDAL. Placet doctiſſimi viri correctio, magis tamen mea: *Una urbs Attica pluribus annis eloquentia, quam univerſa Graecia operibus floruit.* Mitto veteres editiones, certum quod ſolummodo comparationem inſtituat de eloquentia. Adpoſite Seneca pater Suaſoriarum: *Omnibus ſua decora ſunt. Athenae eloquentia inclitae ſunt: Thebae ſacris: Sparta armis.* SCHEGK. Scribebam: *eloquentiae, quam u. G. operibus effloruit.* Vel magis: *eloquentia quam u. G. uberiusque floruit.* Duo ce-

ſebrat in celebribus illis Athenis, quod & diutius illic eloquentia, & quod copioſius provenerit. LIPS. Inſignis emendatio Lipſii. VOSS. Lego, *operibus usque floruit adeo.* Tmeſis uſitata etiam hiſtoricis. Salluſt. Catilina: *Cujus rei libet ſimulator.* Livius: *Venum a principibus datos.* *Eloquentiae opera.* ut ſupra, *ſub principe operis ſui Tullio.* POPMA. Pro *operibusque* Lipſius repoſuerat, *uberiusque*, bono concinnoque ſenſu. quem non dubitavimus in textum recipere. Quanquam Acidalius exiſtimaverit *eloquentiam. Atticorum*, cum *operibus ceterae Graeciae*, i. e. rebus geſtis comparari; idque tanta fiducia, ut dicat: *Ni mea ſcriptura verior eſt, pignus dabo in omnes fortunas meas.* Periculoſe locutus eſſet, ſi quis impetum animi, ſuis conjecturis nimium faventis, pro ratione accepiſſet. Quis enim ex toto contextu non videt, ingeniorum tantummodo & ſtudiorum, non etiam operum fieri comparationem? Mihi ſatis liquet, & contentionum minus & plus auctoritatis in his ſtudiis fore, ſi pars φιλολογίας στοχαστική, modeſtius (ſine praeſidentia, ſupercilio, contemtu aliorum, arrogantia) tractaretur. Nam fidem ſuis conjecturis per dejerationes facere, quam ſit anceps, ratio cuivis, & exempla monſtrant eorum, qui valde infeliciter *ex incertis certa facere* ſe poſſe crediderunt. BOECLER. *Eloquentia.* Lipſius *uberiusque.* Sed cur non, *eloquentia, quam univerſa Graecia, ope uberiusque?* pro eo, quod ſequitur, *quae urbes talium ſtudiorum fuere ſteriles*, vetuſtus codex habebat; *quae urbes & in Italia.* ſcribe, *quae urbes, ut in Italia*, &c. nec multum Gruterus abludit, qui tamen locum adulteratum eſſe arbitratur. etiam Lipſius tria verba expungit. Atqui ſi de oratorio ſtudio haec dicta accipis, quo certe videntur referenda, veris ſunt veriora; id quod unice Athenis, apud Graecos; Romae apud Latinos floruiſſe conſtat. Pari utique modo ſupra cap. 17. noſter: *Neque hoc in Graecis, quam in Romanis evenit magis.* ubi gentis utriusque fatum pari modo componit. Sed mirum, quod de Pindaro & Alcmane ſubjungit: cum major poëtarum pars Graecorum nec Athenis, nec Romae Latinorum fuerint nati. Oratores, philoſophos, poëtas tragicos ac comicos pleroſque ſibi vindicant Athenae, fateor: ceterorum paucos omnino. Non

He-

Heſiodum, non Archilochum, Callimachum, Antimachum, Philetam, Apollonium, Alcaeum, Sappho, Simonidem, non mille alios. Nam de Homeri natalibus in certamen Attici cum ſex urbibus venere fruſtra. HEINS. Vid. Gron. II. Obſ. 23. Miſc. Obſ. V. IX. p. 346.

Separata ſint.] Liquidior proceſſerit oratio, ſublata vocula *ſint*. GRUTER.

Ingenia ſolis Athenienſibus.] Juſtin. lib. II. 6. 6. *literae certe ac facundia, & hic civilis ordo diſciplinas veluti templum Athenas habent.* ubi adnotata Berneggerianae editionis vid. BOECLER.

Quae urbes talium ſtudiorum fuere.] Magis ridet, *ut multae aliae.* cui tamen lectioni neminem adſtrinxerim, ne me ipſum quidem. ACIDAL. Tria haec poſtrema *& multae aliae* ab aliena manu eſſe arbitramur: eoque inducenda. LIPSIUS. Vexant ſe in hoc loco homines, non circa verba Velleji, verum conjecturas Burerii; is enim de ſuo nobis obtruſit, *quae urbes & multae aliae*, cum repperiſſet in membranis illis unicis, *quae urbes & initalia talium ſtudiorum.* At quis non videt, voluiſſe librarium, *quae urbes & in Italia*, quod tamen & ipſum eſt ſplenium, indicans idem fatum fuiſſe Italiae, ſi diis placet, quod Graeciae. GRUTERUS. MSS. lectio erat, *exiſtimatumque urbes, & initalia talium ſtudiorum fuere ſteriles*, unde forte legendum, *Exiſtimatum. Quae urbes etiam, ut aliae, talium.* Gruterum voluiſſe video *& in Italia* &c. Quae lectio ferri melius poteſt, ſi unica litera mutata ſcribamus, *ut in Italia* &c. ſed non video quomodo haec cum praecedentibus apte ſatis cohaereant: nam de Graecis ſolum ſermo fuit. VOSS. Non exiſtimandum eſt, illa verba (*& multae aliae*) plane irreptitia eſſe. fuit enim in mſc. *& initalia*, ex quo non nemo fecit, *& multae aliae.* Quae conjectura licet nemini poſſit usquequaque probari, tamen nec illa parum difficultatis in ſenſu adfert, ſi retineamus: *& in Italia*: vel, *ut in Ital.* BOECL. *Et multae aliae*, deſunt Rhenani, Eraſmi & Steph. Editionibus. BURM. *Et enitentes alias* Warburton Bibl. Brit. T. VII. p. 268. Quod vix intelligo; an *alias* ſit accuſativus, an adverbium. Si illud, ſoloeciſmus eſt: ſi hoc, pro *aliter* debet ſumi. *In Italia* &c. non male,

ut urbes Graecae in Italia ſive Graecia magna intelligantur. Idem in marg.

Nam Alcmana Lacones.] Alii *Lydum* fecere. Quam litem dirimit *Cl. Salmaſius Exerc. Plin.* pag. 579. *principio partis*, ex veteri epigrammate, quod ap. *Plutarchum* πρὸ Φυγῆς extat, unde patet *Lydium* origine, parentes Sardibus oriundos habuiſſe, *Spartae* educatum, eoque nomine *civem Spartae* habitum fuiſſe. Boecler.

Haec ad primum librum habui, lector: quae quia modica ſunt, ne parum videar liberalis, alia inſuper quaedam aſpergam tibi corollarii vice: pauca tamen & ipſa, & quae in ſolum venient. Terentii primum locus occurrit. Heautontim. Act. iv. Sc. i.

SO. Meminiſtin' me eſſe gravidam & mihi te maxumo opere interminatum,
Si puellam parerem, nolle tolli? CH. ſcio quid feceris:
Suſtuliſti. SY. ſi ſic factum eſt domina, ergo herus damno auctus eſt.
SO. Minime: ſed erat heic anus Corinthia haud impura, &c.

Quibus in verbis quis de vitio ſuſpicatus eſt? ineſt tamen; nec leve. ſed ita latet, haud facile ut ſe cuivis prodat. Ego forte quadam vidi, neque aliis invidebo, quin monſtrem, & e latibulo protraham, adeoque procul ejiciam. Sic ſcribendum igitur edico omnibus:

SY. ſic factum eſt: domina ego, herus damno auctus eſt. Ita belle, ita feſtive, nihil ut Terentiana ſcena dignius. Cum de verbis uxoris ſublatam filiam conjiceret Chremes, quam interimi voluiſſet; aſtutus ſervulus & mores mulierum optime doctus, idem ſtatim conjicit, & ſecum, ſive adeo ad ſpectatores, plane iſtuc eſt, inquit: mihi hera nova nata eſt, domino malum. Licentia emendationis, ut vides, minima, immo ferme nulla eſt. Nam τὸ *ſi* ex manuſcripti, & veteris Veneti, quo & Muretum uſum video, auctoritate deletum. *Ergo* in *Ego* unius literulae ablatione converſum: cujus jactura quanto ſententiae pulcherrimae lucro penſatur? Interponuntur Syri verba velitationi Chremetis & Soſtratae; haecque non ſervo reſpondet. *Minime*, ſed marito. Retineri etiam poſſit, *Si ſic factum eſt.* quomodo idem Syrus infra: *Noſtra eſt, ita ſi eſt.* de quo, ut quisque voluerit.

fuerit. In eadem fabula, eodem actu, ſc. 7. perſonarum diſtinctio laborare mihi videtur.

C. Quaeſo, quid hominis? M. quid? C. Jamne oblitus es,
Inter nos quid ſit dictum de fallacia,
Ut eu via abs te argentum auferretur? M. ſcio.
C. Ea res nunc agitur ipſa. M. quid narras Chreme?
C. Imo haec quidem, quae eſt apud te, Clitiphonis eſt
Amica. M. ita ajunt. C. & tu credis. M. omnia.
C. Et illum ajunt velle uxorem, ut cum deſponderim,
Des, qui aurum ac veſtem atque alia quae opus ſunt,
comparet.
M. Id eſt profecto: id amicae dabitur.

Si diligenter omnia atque ordine conſideres, omnino, non probabis, ut Chremes de Clitiphonis ſui amica prior ultro excipiat. Nam contentio certe omnis ita languet. Nec alia item conveniunt: in quibus refellendis ne longus ſim, ponam tantum, ut vere emendari judico:

C. Ea res nunc agitur ipſa. M. quid narras Chreme:
Imo haec quidem, quae eſt apud me, Clitiphonis eſt
Amica. C. ita ajunt, & tu credis? M. omnia.

Simulabat adverſum Chremem Syrus, Cliniae ſe argentum fallacia ſua auferre ab Menedemo, cum operam vero daret Clitiphoni, ut ab ipſo. Nihil ſuſpicatus autem ille aliter, ad Menedemum venit, quo cum interlocutus erat antea, clam ut ſervuli aſtu argentum Cliniae pateretur ab ſe, quod cupiebat etiam maxime ipſius, abſtrahi. Nunc Menedemus amicam eſſe Clitiphonis Bacchidem, & Cliniam ſuam recens inventam Chremetis filiam uxorem cupere, id quod res erat, perſuaſus, mentionem de filia cum hoc inſtituit: qui quidem ex Syro paullo ante id futurum, etſi tenuiſſet, intellexerat. Suſpicaciſſimus igitur & cautiſſimus ſenex, qui argentum jam tamen Clitiphoni ad Bacchidem ferendum, etſi aliam, ac valde quidem illam probabilem ob cauſſam, dederat; nunc balliſtam in Menedemum intendi ratus, orantem eum de filia increpat: & quid hominis es? inquit, an illius fallaciae oblitus, de qua ante inter nos, ut pecunia circumducereris? Nam hoc nunc quidem agitur, & jam ſub cultro es, ut te attondeant. Tum ille, Qui vero hoc poteſt; cum amicam filius nullam habebat, uxorem tuam poſcat filiam? etenim quae nunc ad me eſt Bacchis, amica tui Clitiphonis eſt. Ita quidem illi

ajunt, Chremes inquit: ſed tu ne audes credere? Hic Menedemus, Quidni credam? ut illi mihi quidem omnia tam perſpicue atque ordine narrant. Suſcipit Chremes, At ne fallaris, o bone, illum tuum Cliniam uxorem velle ajunt, ne cum filiam ego deſponderim, tu argentum numeres affatim, quo aurum, veſtes, alia omnia ad nuptias comparet ſcilicet. Hae illae autem technae, ut cum obtinuerint, amicae ſtatim detur. Ita ergo reſipiſcit alter: etſi falluntur utrique in proceſſu comoediae, & hic quidem magis, qui quam maxime caviſſe, itaque firmiter ſe praemuniiſſe rebatur, ut fallaciis nullis peti poſſe, jam petitus tamen, & petendus porro amplius, videretur. Etiam alia e Terentio pro mantiſſa ſupra conſtitutum adjiciam. Eunucho Act. 5. ſc. 1.

TH. Sceleſta, ovem lupo commiſti, diſpudet,
Sic mihi data eſſe verba. quid hominis illic eſt?
PY. Hera mea tace, obſecro: ſalvae ſumus: hominem
Habemus ipſum. Th. ubi is eſt? PY. hem, ad ſiniſtram,
non vides?
En. TH. video. PY. comprehendi jube, quantum poteſt.

Et hic perſonarum collocatio peccat. quod non obſervatum a quoquam hactenus, miror. Nam quid ita manifeſte contra omnem rationem, quam Thaidem iſta loqui, *Quid hominis illic eſt?* quae quidem poſt ſtatim ex ancilla quaerit, *ubi is eſt?* & hac monſtrante demum ait, *vides.* Diſtingue igitur:

Sic mihi data eſſe verba. PY. quid hominis illic eſt?
Hera mea tace, obſecro: ſalvae ſumus: &c.

Dum Thais ſtomachatur & queritur, ecce interim Pythias advenientem commodum Chaeream eminus videt: ac ſecum primo noſcitabunda, quis illic homo eſt? mox agnito, ad heram, tace, tace hera mea, adeſt homo; opportune in nos ipſa praeda incidit. Hoc quidem ita clarum, ut vel Thamyrae omnes non poſſint non videre, quod legentes per otium ego & Bucretius meus, pariter uterque animadvertimus: nec intereſt, utri debere potius lector velit. Ibidem quod ſtatim ſequitur:

TH. Quid illi facies, ſtulta? PY. quid faciam, rogas?
Vide amabo, ſi non, cum aſpicias, os impudens
Videtur. TH. non. PY. tum, quae ejus confidentia eſt.

In eo quoque lapſus forte & diſtinctionis eſt & ipſius lectionis. Nam quid, quod reſpondet Thais, *non?* quam

vero apte illi ancillulae ſequentia inferuntur? Veteres habent, *non eſt:* vitioſe ipſum quoque, ſed e quo parvus nobis radius obſcurae veritatis allucet. Scribo enim:

Vide amabo, ſi non, cum aſpicias, os impudens
Videtur. monſtrum, quae ejus confidentia eſt?

Velut ſcena proxima: *Monſtrum etiam ultro deriſum advenit.* Facile quidem ex tribus illis, *non eſt tum*, conſit *monſtrum*, & ſenſui non diſcrepat: non tamen aſſeverare auſim germanum. quia latere aliud etiam videtur, & habeo alias quoque ipſe plures conjecturas. enimvero earum nulla dum rei ſatis, vel magis, quam iſta, facit. Ejusdem comoediae Act. IV. ſc. 6. de illo dubitavi:

T. O mi Chreme, te ipſam exſpectabam:
Scin' tu turbam hanc propter te eſſe factam? & adeo ad te attinere hanc
Omnem rem? C. ad me? qui? quaſi iſtuc.
T. quia dum tibi ſororem
Reddere, &c.

& potius judicavi: C. *ad me? qui quaeſo iſtuc?* quod notare viſum, etiam ſcitam ἀποσιώπησιν alteram non plane abnegem, neque quid intelligi Chremes velit, neſcium.

Eram adjecturus plura ejusdem generis: ſed ad alios auctores deſcendens, vereor, ut redire ſatis maturo queam: neu copia te ampliore in faſtidium dem & languorem. Sed & haec tibi ſatis, vel etiam nimia ſunt. Itaque ne ſiniſtra liberalitate uti videar, hic modus eſto. Forte erunt etiam, immo vero futuros certo video, qui me & hujus auctarii nomine, & aliorum omnium, quae ſparſim aliunde Vellejanis inſerui, graviter accuſabunt. Sermones enim quorumdam jam percipio, qui aliena me nimia, & nimis alieno loco tractare inter ſe conſuſurrant. Et ſane his quid reſpondeam, ambigo: niſi me cum aliorum exemplo, quod idem feciſſe plurimos notum omnibus eſt, tum ea ratione tuear, quam initio duplicem poſui: quippe veritum me, ne jejunus labor in uno eſſet, ac voluiſſe eandem auxilii opem aliquam pluribus afferre. Quod conſilium nemo, niſi ingenio malus, aut voluntate in nos malivolus, contemnet. Praeter hoc tamen, alio quoque me impulſum nunc, etſi diſſimulare antea conſtitueram, fatebor.

Quaedam ſub ſignis diutius eſſe pati non potui, & his locum, ubi ſe non obtulit, etiam ſponte quaeſivi. Id vero, mi lector, ambitionem aut oſtentationem interpretari cave. Urgebant me duo, gravia ſane, & quae animum quantumvis modeſtum ultra limites agere non minus merito debuerunt, quam facile potuerunt. Etenim nec omnem emendationum noſtrarum farraginem coacervare unum in locum, eoque reſervare inſtitutis meis aliis conveniens erat: & periculum mihi faciendum fuit undequaque judicii doctorum, quod tentari non ita paucis, neque iis unius tantum generis, oportuit. Denique quid de loco illi tantopere turbant? Nos ſuo quaeque loco, ut volunt, tractare: id eſt, quae in quemque auctorem habemus, ad quemque ſeorſim dicere, non poſſumus: neque eſt, ut poſtulari id a quoquam debeat. Nec autem, meo animo, refert multum, ubi quidque emendetur, dummodo emendetur. Neque tu aliter ſentis, ſcio, intelligens lector: quem mihi item non diffido patrocinio tuo adverſus Livoris & Inſcitiae calumniam adfuturum. Et hac te lege nunc mitto, ut reſpires paullum, ad reliqua plura acceſſurus alacrior. Acidalius.

VARIORVM INTERPRETVM NOTAE AD C. VELLEII PATERCULI HISTOR. ROM. LIB. II. CAP. I.

Liber ſecundus.] In Rhenani editione, *poſterius volumen.* HEINS.

Potentiae Romanorum prior Scipio viam aperuerat, luxuriae poſterior aperuit.] Inter eximia Hiſtorici munia quoque numeraverim; *cum temporis eventuumque ſerie, fatorum publicorum ſortem connectere, praecipuaque cumprimis momenta tam incrementorum, quam decrementorum pragmatica demonſtratione ſignare.* Eſt autem valde celebris apud Scriptores paſſim haec inclinatae Rom. fortunae, ut ſic dicam, epocha, *Excidium Carthaginis.* Plinius XXXIII. II., plane ad Noſtri mentem: *Pariter luxuria nata eſt & Carthago ſublata: ita congruentibus fatis, ut liberet amplecti vitia, & liceret peccare ex dignatione.* Florus quoque *a Carthaginis, Corinthi, Numantiaeque excidiis* omnia retro ſublapſa notat III. 12. 3. Atque ita factum eſt, quod prudentiſſimus Scipio Naſica praeviderat, cum excidium Carthaginis diſſuaderet: *ut metu ablato aemulae urbis, luxuriare felicitas Urbis inciperet*, ap. Flor. II. 15. 5. ubi Freinsh. annot. Non incommode extuleris rationem Naſicae verbis Alcibiadis apud Thucyd. VI. Τὴν πόλιν, ἂν μὲν ἡσυχάζῃ, τρίψεσθαι τε αὐτὴν περὶ ἑαυτὴν, ὥσπερ καὶ ἄλλοτι, καὶ πάντων τὴν ἐπιστήμην ἐγγηράσεσθαι· ἀγωνιζομένην δὲ, ἀεὶ προσλήψεσθαι τὴν ἐμπειρίαν, καὶ τὸ ἀμύνεσθαι οὐ λόγῳ, ἀλλ' ἔργῳ μᾶλλον ξύνηθες ἕξειν· παράπαν δὲ γιγνώσκω πόλιν μὴ ἀπράγμονα τάχιστ' ἂν μοι δοκεῖν ἀπραγμοσύνης μεταβολῇ διαφθαρῆναι. *fore, ut civitas, ſi otioſa ſit, in ſe ac per ſe atteratur, ut alia multa, omniumque adeo diſciplina conſeneſcat. at per certamina fore, ut aſſidue proficiat*

ſiciat experientia, tuendique ſe ſcientiam non verbis ſed reipſa conſuetam habeat. denique ſic ſentio: civitatem negotioſam, in otium mutatam, confeſtim, meo quidem judicio, deſtrui. Auguſtin. III. de C. D. 21. *Ultimo bello Punico uno impetu alterius Scipionis, qui ob hoc etiam ipſe Africanus cognomen invenit; aemula imperii Romani ab ſtirpe deleta eſt. ac deinde tantis malorum aggeribus oppreſſa Romana Reſpublica, ut proſperitate ac ſecuritate rerum, unde nimirum corruptis moribus mala illa congeſta ſunt, plus nocuiſſe monſtretur, tam cito everſa, quam prius nocuerat tam diu adverſa Carthago.* Adde cumprimis, quae II. de C. D. 18. ex Salluſtio diſſerit. Hoc voluit in ſubtili ſententia Salluſtius Catil. 2. *Quod ſi regum atque imperatorum (gentiumque) animi virtus in pace ita ut in bello valeret, aequabilius atque conſtantius ſeſe res humanae haberent, neque aliud alio ferri, neque mutari ac miſceri omnia cerneres.* ſcilicet bellorum diſcrimine motuque acuuntur ingenia hominum, ſecuritate pacis reſolvuntur: adverſis virtus intenditur, rebus proſperis negligitur. itaque ergo *fortuna cum moribus mutatur.* In quo Salluſtiano dicto vera & praecipua cauſſa omnis fragilitatis, mutationis, converſionis in rep. continetur, ut plane caeci ſint exiſtimandi, qui forte caſuque talia evenire, aut neceſſitate invidiaque fati (ſicut auſi ſunt olim loqui) humanis rebus immitti credidere. Boecl.

Luxuriae poſterior.] Huc pertinet Q. Metelli ſententia, quam refert Val. Max. lib. VII. cap. 2. vide etiam elegantem hac de re diſputationem apud Salluſtium in Jugurtha. Putean.

Remoto Carthaginis metu.] Cicero enim contra Rullum 2. affirmat, Romanos tantum Carthaginem, Capuam, & Corinthum in terris propter domicilium imperii, metuiſſe urbeis. Schegk. *Metum Carthaginis* dixit, quo Carthago metueretur, ut Salluſt. Hiſtoriar. I. *Remoto metu Punico.* ibidem, *id bellum excitabat metus Pompeji victoris.* Gellius l. II. cap. 12. Popma. Ita & mox cap. V. *ab alterius nos metu, alterius vindicavit contumeliis.*

Metu.] Dignum eſt, quod ſeorſum inculcetur juventuti, Divinae Providentiae conſilium, quae potentiſſimas quasque gentes alia veluti oppoſita potentia, i. e.

metu

metu alienae virtutis opumque in officio continet. Egregie Thuanus lib. I. *ita divino conſilio proviſum arbitror, ut tot magni principes eodem tempore orbem terrarum moderarentur, ut quiſque eorum aemulatione aut metu aemuli in officio ſe contineri, & alterius virtute, quo minus licentioſa evagatione ſe effunderet, inhiberetur.* Hoc ἀντίῤῥοπον & ἰσόῤῥοπον non una ratione inclinatur. interdum enim aemulorum alter, cujus vitia jam invaluere, Deo ultionem immittente, ab altero opprimitur; interdum impotentiam impotentia, vitia vitiis puniri cernimus, ita tamen ut paulo poſt oppreſſor flagitioſus opprimatur & ipſe. qua de re nunc non eſt amplius dicendum. BOECLER.

Non gradu, &c.] *Ex quo tempore*, ait Salluſtius apud Auguſtinum de civitate Dei lib. II. cap. 18. *majorum mores non paulatim, ut antea, ſed torrentis modo praecipitati, adeo juventus luxu atque avaritia corrupta eſt, ut merito dicatur, genitos eſſe, qui neque ipſi habere poſſent res familiares, neque alios pati.* Totus in hoc idem in Catilina, Jugurtha, & hiſtoriarum I. Recte igitur Florus lib. IV. *Poenorum hoſtium imminentem metum diſciplinam veterem continuiſſe* ſcribit: hinc perpetuae contentiones Scipionis cum Catone, diruendae ejus auctore. SCHEGK.

Ad vitia tranſcurſum.] Ferre poſſem, jugulari hanc ultimam vocem *tranſcurſum*: nam ſi deſcivit Roma praecipiti curſu a virtute ad vitium, quid opus addere tranſcurriſſe ipſam ad vitium? porro notabile eſt, fatum idem urbes urgere, quod & homines perſequitur, qui ubi neminem habent, quem metuant, quem revereantur, vix poſſunt, *aequa commoda mente pati*, ut diximus largo ore ad Tiberianum elogium Tacit. lib. VI. cap. 51. GRUTER. Gruterus jugulari mallet vocem ultimam. Cui non aſſentio. Nec enim Vellejo in animo fuiſſe conciſo genere ſermonis uti, arguit, quod nulla pagina occurrat, ubi non plurimas voces reſecare potuiſſet. VOSS. Praeludia haec fuiſſe ſecutae luxuriae, interpretatur Lipſius: quippe quae non *ad tempus ſublatae Carthaginis*, ſed *ad remotum Carthaginis metum* pertineant. Atqui Vellejum, non aliud *remoti metus* intelligere tempus, quam *exciſae Carthaginis*, nimis clarum eſt. Fuerit itaque alia ratio quaerenda, & fortaſſe ex ſe-

ſequentibus: e quibus ſatis patet, Scipionis & Metelli opera *non ad luxuriam, degenerantis diſciplinae vitia, ſed ad publicam magnificentiam;* ſine notatione vitii referri: ſimul tamen indicari, facilitatem & occaſionem a magnificentia in luxuriam prolabendi, de qua mox dicetur. Boecler. Ovid. II. Met. 354.

Perque gradus, uterum, pectusque, humerumque, manusque Ambit.

Albinovanus Pedo ad Liviam de exceſſu Druſi:

Non ex praecipiti dolor in tua pectora venit,
Sed per mollitos ante timore gradus.

Seneca Epiſtola LXXV. *Quid ergo? Infra illum nulli gradus ſunt: ſtatim ad ſapientiam praeceps eſt.* mox *converſa civitate* malim, quam *civitas.* Heins. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 28. 363. Vol. IX. p. 243.

Tum Scipio.] Quando? an everſa Carthagine? minime, ſed remoto tamen ejus metu. Cum jaceret Carthago, inſurgere luxus apud Romanos coepit: & ſtructa haec, quae dicit. Scipio quidem porticus has fecit Cenſor, ut ipſe paullo poſt adnotat; hoc fuit decem circiter ante everſam Carthaginem annis. Simile de Metello, & de Octavio. *Tum* igitur, benigne interpretabere: & quaſi dixiſſet, ſub id tempus. Lipsius. Diſſentit a ſe ipſo Vellejus, cum hic refert Scipionem Naſicam porticus in Capitolio feciſſe poſt excidium Carthaginis: mox cap. 3. *Cenſorem porticus fuiſſe.* At is cenſor fuit anno DXCIV. cum M. Popillio Laenate, decem annos ante bellum Punicum tertium. Popma.

Metellus.] Porticus Metelli ad finem circi Flaminii. Varro, Vitruvius, Plinius lib. XXXIV. Schegk. vid. lib. I. II.

In circo Cn. Octavius.] Quae a veteribus duobus adpellata nominibus, *Corinthia*, a ſtructura, *Perſei* ſive *Macedonica*, ob regem Perſea devictum, & triumphum, in quo haec talia fercula. Plinius in Flaminio ponit. meminit Cicero in officiis. Scheck. Plinius lib. XXXIV. cap. 3. Putean.

Amoeniſſimam.] Ita Rhenani editio: perperam *amoeniſſima* plures ediderunt.

Publicamque magnif. ſecuta privata luxuria eſt.] Inſigni ſententia & obſervatione hoc a Vellejo judicium additur. cui geminum eſt illud Taciti III. Ann. 55. 2. *Dites*

olim familiae nobilium, aut claritudine inſignes, ſtudio magnificentiae prolabebantur. Scilicet, dum in decus gentis ac orbis ſuae certant magnificentia illuſtres viri, paulatim ad luxuriam pervenitur, prava imitantium aemulatione, qui publici decoris laudem parum intelligentes aut curantes privatim affectant; quae niſi publica ſint, laudari non poſſunt. Qua in re, magno rurſum exemplo monemur, quam difficulter ferat magnarum opum felicitatem humanus animus. BOECLER.

Triſte deinde.] Flor. II. 17. 15. quique ibi Camertis induſtria indicantur Scriptores, praeſertim Appian. Hiſpan. BOECLER.

Adverſa.] Victis praetoribus duobus M. Vetilio, C. Plantino, & Cl. Unimano. Florus, Cicero II. Offic. Valerius lib. VI. Plinius lib. VIII. Oroſius, Eutropius, alii. SCHEGK. *Romanis adverſa* debuit dixiſſe. Itaque ſcribe, *Romano re gereretur adverſa.* vel *a Romano. Romano*, pro *Romanis.* ſic Tacitus Ann. XII. cap. 58. *Romanum Troja dimiſſum.* Adi Gronovium ad Livium lib. II. cap. 3. apud Florum paſſim *Romanus, Tarentinus, Germanus, Bruttius, Appulus, Lucanus*, ſimiliaque. ita & Livius frequenter. Poſſis & *Romana re gereretur adverſa.* Livius lib. XXIV. 18. *nec minore animo res Romana domi, quam militiae gerebatur.* lib. XXX. cap. 2. *viginti omnino legionibus res Romana eo anno geſta.* lib. XXVI. cap. 4. *inde equitatu quoque ſuperior Romana res fuit.* Sic vetuſtiſſimus liber Puteanae bibliothecae, non *Romanae acies.* atque ita is paſſim. Tum dele paullo ante τὸ *eſt*, ne inconcinne prorſus repetatur, *bellum in Hiſpania* &c. *ſecutum, quod ita varia fortuna geſtum eſt.* HEINS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 28. V. IX. p. 346.

Fraude magis.] Virgilii illud *Dolus an virtus quis in hoſte requirit*, quatenus locum habeat in bello, oſtendimus ad prudentum verba, libro XLII. Livii cap. 47. *Interdum in praeſens tempus plus profici dolo, quam virtute, ſed ejus demum animum in perpetuum vinci, cui confeſſio expreſſa ſit, ſe neque arte, neque caſu, ſed collatis cominus viribus, juſto ac pio bello eſſe ſuperatum.* GRUTER. Merito perſtringit Vellejus degenerem & illicitam Caepionis fraudem in tollendo Viriatho. nam haec talia non poſſunt jure armorum tegi, ſed inter flagitia belli numerari debent. Videndus *H. Grotius de Jur. Bell. & Pac.*

III. 4. 18. cum annotatis in noviſſima editione. Boecler.

Numantinum gravius exarſit &c.] Flor. II. 18. ubi Camers & Freinshemius plures annotarunt hujus belli ſcriptores. Boecler.

Haec urbs nunquam X. plura, quam propria juventutis, armavit.] Legendum, *haec urbs nunquam plura, quam X. millia, propriae juventutis armavit*. Manut. Puto legendum, *nunquam X. plura, eaque propriae juventutis*. & vel ſic potius: *nunquam plura quam X. prop*. Puto etiam hic mendum eſſe in numero, niſi forte in eo ſcriptores inter ſe diſſentiant. Nam Appianus in Iber. ſcribit Numantinum ante bellum non fuiſſe amplius VIII. millia. Florus lib. II. & Oroſius lib. V. cap. 7. quatuor tantum millia Numantinorum, XL. millia Romanorum ſuſtinuiſſe, atque adeo viciſſe tradunt: poſtea vidi quosdam codices, in quibus ita legitur; *numquam X. milibus plura*. Putean. Manutii conjecturam contextui inferre non dubitavi; quid ea enim certius? aut vulgata lectione illa quid putidius? *numquam X. milia plura, quam propriae*. Acidal. Docti viri emendarunt, *nunquam plura quam X. millia*. Sed uſitatior modus loquendi & Vellejo familiarior poſtulat, ut legamus *numquam decem millibus plura*. Ursin. Transpoſita videntur, ordinandaque: *numquam plura quam x. propria*. Lips. Lectio integra, quam fruſtra mutat vir doctus. Dicit Numantinos, nunquam decem millia, nunquam plura, quam propriae juventutis armaſſe, id eſt externum militem non adſciviſſe. Firmat Appianus in libro de bellis Hiſpanienſibus, ubi refert Numantinos in bello adverſus Romanos ante excidium urbis, fuiſſe & equites & pedites ad octo millia: quem numerum Florus dimidia parte minuit: quod tamen vix eſt veriſimile. Popma. Aldus, ac Lipſius, transpoſitis verbis, legunt: *Haec urbs nunquam plura, quam x. propriae juventutis, armavit*. Sed Vellejana χρῆσις potius poſtulat *τὸ quam* induci. Et ita jam ab Marneffio, ac Stephano, aliisque excuſum video: idemque etiam probarunt Urſinus ac Claudius Puteanus. Porro hunc numerum binis milibus minuit Appianus: Florus autem, & Oroſius, plus demunt dimidio. Nam de quaternis ſolum milibus loquuntur. Sed utrumque id virtuti ſuae gentis dediſſe crediderim. Vos-

sius. Urſini eſt egregia haec emendatio, quam in textum recepi. Lipſius & Acidalius e vulgata, *nunquam* X. *millia plura, quam propriae juvent.* fecerant: *nunquam plura, quam* X. *millia.* Boeclerus. τὸ *quam* ex praecedenti *nunquam* a librario perperam conflatum eſt. quare cum Urſino & Puteano Voſſius delebat id jure optimo; Lipſius atque Acidalius ſic transpoſitis vocabulis medicinam tentabant, *nunquam plura, quam* X. *millia.* Popma pro vulgata ſtat lectione, ut voluerit Vellejus, numquam X. millia, nunquam plura quam propriae juventutis armaſſe, id eſt extraneum militem non adfuiſſe, quod & ipſum teſtatur Appianus. Sed nos ejus hic judicio non acquieſcimus, quin arbitramur τὸ *quam*, non ſolum eſſe eradendum, ſed legendum praeterea, *numquam plus decem millia.* vide nos infra ad cap. 110. Livius lib. xli. 12. *plus ſeptingenti capti.* mox, *amplius tria millia militum amiſſa.* lib. xxiii. 35. *hominum caeſa plus duo millia.* cap. 40. *hoſtium plus quinque millia caeſa*, & alibi idem, *plus trecenta vehicula amiſſa.* lib. xl. 3. *plus annum.* Nota ſunt illa Terentiana ex Adelph. *plus quingentos colaphos infregit mihi:* nam *plus* ponitur pro *plusquam.* Heins. Recte: ita Petron. lxii. *plus libram comedi.* vide Vorſt. ad Val. Max. lib. viii. 5. ſic & *minus* ponebant. Livius xxxv. 1. *non minus quinquaginta oppida defecerunt.* vid. Hottom. ad Cicer. 1. Verr. 47. & ita *amplius* conſtruxiſſe docet Daviſ. ad Hirt. Bell. Afric. 45. ſic cape illa Senec. 1. de Clement. 1. *nec umquam plus unum patiuntur.* ut eſt in optimis codicibus. Burm. Ita *amplius* infr. cap. 15. 4. & 110. 3. Vid. Vorſt. ad Sulpit. Sever. 1. 15. Frontin. 11. 1. 14. Waſſ. ad Salluſt. Catilin. 59. Idem. *in marg.*

Pompejum magni nominis virum.] Vide Appian. in Iber. Cicer. iii. de Off. & ii. de Finib. Putean. Neſcio cur hoc tribuat Pompejo Rufo; qui a Cicerone *homo per ſe cognitus*, pro Muraena *novus homo* appellatur, atque etiam in Verrina V. humili & obſcuro loco natus dicitur. Popma. *Q. Pompejum Aulum* vocatum notat hic Cellarius: ſed ſecutus Appiani mendoſos codices (notante jam Sigonio in Faſtis ad A. U. C. dcxii.) ubi Αὔλος dicitur pro Αὔλου υἱός, ſimili errore in antiquis Valerii M. editionibus lib. viii. cap. 5. §. 1. *Aufidius* dicitur pro *Auli filius.* Verum cognomen fuit *Nepos*, ut in

Faſtis a Noriſio publicatis vocatur. Burm.

Ad turpiſſima.] *Numantinum foedus horrenda ignominia maculoſum* vocat *Auguſtin.* III. *de C. D.* 21. *Quintilianus* etiam lib. III. 8. inter ea refert, *qui, quae turpia eſſe dubitare non poſſunt, utilitatis ſpecie ducti probent.* Talia plura apud alios Auctores. Boecler.

Hic primus e Pompejis conſul fuit.] Parenthesin hanc ſuo loco excidiſſe arbitror, in quem retraho, ſcriboque: *Tum Pompejum (hic primus e Pompejis conſul fuit) magni nominis virum, ad turpiſſima deduxit foedera, nec minus* &c. Cui ſenſus harum literarum aliquis eſt, a me penitus non diſſentiet. De hoc ipſo Pompejo primo ejus nominis conſule infra clarius, adhibita temporis luce: *Seu duae, ſeu tres Pompejorum fuere familiae, primus ejus nominis ante annos fere* CLXVIII. *Q. Pompejus cum Cn. Servilio conſul fuit.* Acidal.

Mancinum verecundia.] Num Mancinus impunitus fuit, quem Romani nudum, ac manibus poſt tergum religatis, Numantibus tradidere? atqui vel maxima ea poena fuit. Ita igitur concipe hunc locum: *Sed Pompejum gratia impunitum habuit. Mancinum verecundia, quippe non recuſando, perduxit huc,* &c. Inter alios, praecipue hoc firmat Cicero lib. III. Officiorum; *C. Mancinus* (ait) *ut Numantinis, quibuscum ſine ſenatus auctoritate foedus fecerat, dederetur, rogationem ſuaſit eam, quam L. Furius, Sex. Atilius, ferebant. Qua accepta, eſt hoſtibus deditus.* Voss. Si vellemus hunc locum diſtinctione quadam corrigere (*ſed Pompejum gratia imp. habuit. Mancinum verecundia, q. n. rec. huc perduxit,* &c.) in ſenſu quidem nihil erit incommodi, ſed illud (*quippe non recuſando*) valde inficeto maleque cum textu cohaerenti gloſſemati comparandum erit. Poſſet itaque fortaſſe lectio uſitata prorſus tolerari. At, inquis, *quomodo* impunitus *diceretur, qui hoſtibus deditus eſt?* Quia 1. in illa deditione non receptus. 2. priſtino honori reſtitutus. 3. ad novos honores admiſſus eſt. 4. adeo ut nec ipſe poenae loco duceret eam deditionis contumeliam: quippe qui *eodem habitu ſibi ſtatuam inſtituit, quo deditus eſt,* annotante Plinio XXXIV. 5. *Verecundiam* Mancini, quam Vellejus vocat, id eſt, agnitionem culpae & voluntariam ſuſceptionem poenae, laudat ac explicat Cicero III. Offic. 30. Boecler. *Mancinum verecundia,*

cundia, quippe non recuſando, perduxit huc. Sic diſtingue. mox dele τὸ fecerunt, aut muta in fecerant. Heins. An in illo quippe quod mox iterum repetitur, non lateat ulcus dubito. & forte legendum: *Mancinum verecundia, qui P. R. non recuſando, perduxit huc.* in quibus notis centies apud Vellejum aberratum adnotaverunt viri docti. fuit autem ipſe ſuaſor rogationis, a L. Furio & Sex. Atilio latae, ut ex Cicerone docuerunt interpretes. [Warburt. Bibl. Brit. T. VII. p. 269. *quae poenam non recuſando perduxit hunc.*] Burm.

Quem illi recipere ſe negav. dicentes, publici viol. fid. &c.] Valuiſſet haec ratio, ſi Numantini, legatis miſſis, cum S. P. Q. R. de pace ac foedere egiſſent. nunc nemo civis pro populo ſpondere potuit. Conſulendus eſt H. Grotius de jur. bell. & pac. II. 15. 16. Boecler.

Quippe Tib. Gracchus, &c.] De hac ſeditione vid. Flor. III. 14, nominatique a Camerte Auctores. Boecler.

Tantis denique adornatus virtutibus, quantas perfecta & natura & induſtria mortalis conditio recipit.] Formula gemina, propius ad libri finem: *Druſo Claudio, fratri Neronis, adoleſcenti tot tantarumque virtutum, quot & quantas natura mortalis recipit, vel induſtria percipit.* Quis contentione digna haec iſta neget? Acidalius.

Quantas perfecta & natura & induſtria mortalis conditio recipit.] Minus perplexa erit oratio, ſi ſcribimus, *perfecta & naturae & induſtriae mortalis conditio.* Seneca Ep. LXXI. *Multis videmur majora promittere, quam recipit humana conditio.* Epiſt. LXXXVII. *Noſtra enim actio eſt, quod nullius mortalium conditio recipit.* Noſter ſub finem operis, *ſi aut natura patitur, aut mediocritas recipit hominum.* Heins. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 28. V. IX. p. 346.

Omnibus ſtatum concupiſcentibus.] Nobis haec impura. Quid eſt *concupiſcere ſtatum?* aut quis ſic e priſco Latio? Quid hoc etiam ad Gracchi leges? Emendo; *omnium ſtatum concutientibus.* Et profecto verum eſt. Leges iſtae Tiberii, inquit, omnium fortunas & ſtatum concutiebant. Quomodo? quia agros jamdiu poſſeſſos, alienatos, venditos, in dotem datos, iterum vindicabant in publicum, & auferebant dominis priſcis. Itaque omnes in metu, & fortunae plurium incertae. Ap-

 pianus

pianus & Plutarchus pulchre hoc diducunt: ille primo Civilium, hic in Gracchis. Tu. vide. Quod ad phraſim, imo quod ad mentem, pariter Vellejus infra de Caji legibus: *Nihil immotum, nihil tranquillum, nihil denique in eodem ſtatu ſinebat.* Lips. Poſſet etiam reſcribi *ſtatim*: ſed revera nihil dilucidius Lipſiana emendatione: *ſtatum concutientibus.* quo ipſo innuit praeter publicam utilitatem hujusmodi introducta: prudenti enim imprimis inquirendum, *num coërcitio plus damni in rempub. ferat*, quemadmodum loquitur apud Tacitum Tiberius lib. III. Ann. 52. ubi nos de talium remediis morborum plura. Gruter. *Status* eſt conditio vitae certa ac ſtabilis. Ita & infra: *quippe nullum habentibus ſtatum, quilibet dux erat idoneus.* Nemo enim, paullo humanior, Sempronia lege agros plebi communicatos neſcit. De eadem hac lege Cicero in Sextiana: *Agrariam Ti. Gracchus legem ferebat: grata erat populo; fortunae conſtitui tenuiorum videbantur.* Non neceſſaria itaque emendatio Lipſii, *omnium ſtatum concutientibus.* Voss. Lipſius ad leges retulit haec verba, emendavitque, *omnium ſtatum concutientibus:* cum praeſertim de Cajo Graccho etiam Vellejus infra dicat II. 6. 3. *nihil immotum, nihil tranquillum, nihil quietum denique in eodem ſtatu relinquebat.* Approbavit hanc correctionem Gruterus. Sed retinui vulgatam lectionem, cum & infra Noſter II. 7. 5. dicat: *quippe nullum habentibus ſtatum quilibet dux erat idoneus.* ſicut enim ibi proſcripti, *nullum ſtatum habere* proprie dicuntur: ita hic paupercula & fortunis evoluta plebs, *quaſi ſtatu carere, ideoque de adipiſcendo ſolicita eſſe*, diceretur. Boecler. *Concutientibus* jam Lipſius eſſe ſcribendum viderat, ſed ab applauſu deſtitutus, quem merebatur, etſi ne ſic quidem perſanato loco. Lege, *omnem urbis ſtatum concutientibus.* apud Naſonem in Ponticis:

Cum ſtatus urbis erit, qualem nunc auguror eſſe,
Et nullus populi contrahet ora dolor.

Tacitus Hiſt. I. cap. 4. *Ceterum, antequam deſtinata componam, repetendum videtur, qualis ſtatus urbis, quae mens exercituum fuerit.* ſic & *civitatis ſtatus.* auctor de cauſis corruptae eloquentiae cap. 73. *Is optimus civitatis ſtatus habendus eſt, quo nil tale patimur.* atque ita paſſim ſcriptores. notum & axioma antiquum, *optimum eſſe*

civi-

civitatis ſtatum ſub rege juſto. Appoſite omnino Val. Max. IV. I. *haec oblivio concuſſum reipub. ſtatum in priſtinum habitum revocavit.* Idem de Gracchis: *quia ſtatum civitatis conati erant convellere, inſepulta cadavera jacuerunt.* Cicero Catil. I. *P. Scipio Ti. Gracchum reip. ſtatum mediocriter labefactantem interfecit.* Ampelius; *Decimus Brutus Callaicus Gracchum generum agrariis legibus reip. ſtatum turbantem cum Opimio Conſule oppreſſit.* ubi lege *C. Gracchum.* Idem denuo: *Prima ſeditio Tib. Gracchi, quem de judiciariis & agrariis legibus ſtatum civitatis moventem Scipio Naſica in Capitolio oppreſſit.* vides illis eſſe, *ſtatum turbare* & *movere*, & *convellere*, quod noſtro *urbis ſtatum concutere.* ſic & *turbare ſtatum civitatis*, Liv. III. cap. 21. XXXIV. 6. & III. 18. *Tuſculum de arce capta aeque turbatae urbis ſtatu nuntii veniunt? ſollicitare quietae civitatis ſtatum*, idem lib. XXI. cap. 10. ſic & lib. II. cap. 44. *Eosdem in bello tamen paruiſſe ducibus, qualicunque urbis ſtatu.* & lib. XXVII. 5. I. *Statum quoque civitatis ea victoria movit.* contra in antiquo marmore, *ob ſtatum optimum urbis Romae ab eo conſtitutum.* quid ſit *ſtatum urbis concutere* noſter docebit infra cap. 6. de Cajo Tiberii hujus fratre, ubi inter alia, *nihil immotum, nihil tranquillum, nihil quietum denique in eodem ſtatu relinquebat.* & Tacitus. Ann. III. cap. 28. *Sed altius penetrabant, urbemque, & Italiam, & quod usquam civium, corripuerant, multorumque exciſi ſtatus, & terror omnibus intentabatur.* noſter infra cap. 79. *Virum humana ope invictum graviter fortuna concuſſit.* & alibi. *convellere ſtatum reip.* dixit Cicero in Piſonem. *labefactare compoſitam civitatem* Florus lib. IV. cap. 23. Idem Cicero Philipp. II. *concutere Remp. concutere Romam*, Lucanus. Apud Senecam Oedipo:

Non expedit concutere felicem ſtatum.

HEINS. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 346.

Octavioque.] Cujus Cicero modicam & Reipub. tolerabilem, & plebi neceſſariam largitionem vocat. adi Plutarchum in Gracchis, Epitomen Livii. SCHEGK.

Coloniisque deducendis.] Colonias ergo deduxit Tiberius? Cave credas. Litterula ne te induxerit, quin magis tolle. Nam ſcripſit Vellejus, *colonisque.* Intelligit autem hos, quibus agri adſignati, quique in eos deducendi futuri coloni eorum ſive cultores. γεωργοὺς in-

inquam; οὐκ ἀποίκους: Lips. Non eſt neceſſe quidquam hic mutare, etſi nulli creati triumviri coloniis deducendis: ſicut enim *ſervitia* dicimus ipſos ſervos, *matrimonia*, ipſas matronas, *conjugia*, ipſas conjuges, ita & hic *colonias*, ipſos *colonos*: γεωργοὺς tamen, non ἀποίκους. Gruter. *Coloniſque ded.* legit ex fide hiſtoriae Lipſius. Ita malim ſane, quam cum Grutero hic *colonias* pro *colonis*, eodem ſenſu, accipere. Boecler.

Gracchum fratrem.] *C. Gracchum* Puteanus mallit, recte, nam per *G. Gajum* ſcribebant, quo facilius neglexit librarius iterationem ejus litterae. Sic & nos modo in Ampelio reſtituebamus idem praenomen. *Caeſar* pro *C. Caeſar* ſaepe occurit conſimili errore apud Scriptores, vide nos infra ad cap. 119. Heins.

Scipio Naſica.] Quid ergo ſibi vult vetus Scholiaſtes Juvenalis, dum ad Sat. III. 137.

Da teſtem Romae tam ſanctum, quam fuit hoſpes
Numinis Idaei,

iſta annotat? *Scipio Naſica, quem propter probitatem vitae ſenatus elegit, ut ſimulacrum matris Deûm de Phrygia allatum domi ſuae haberet, dum ei templum fieret. Hic eſt Scipio, qui oppreſſit Tiberium Gracchum, leges agrarias ferre conantem.* Certe non hic erat, ſed ejus nepos, ut recte Vellejus. Boecler.

Optimus.] Liv. XXIX. 14. It. XXXVI. 40. & alibi. elogium *quod ſibi quisque mallet, quam ulla imperia honoresve ſuffragio ſeu patrum ſeu plebis delatos.* ſicut recte judicat idem ſcriptor. Boecler.

Cenſor.] P. Scipio Naſica, cognomento *Corculum*, & autor & Cenſor Porticus Capitolinae fuit, in qua multo poſt Q. Metellus Scipio, ſocer Pompeji Magni, videtur poſuiſſe turmam ſtatuarum equeſtrium Scipionum familiae, qualis turma e ducibus & equitibus externis erat in Metellina porticū, de qua Vellejus lib. I. Cicero lib. VI. epiſt. 1. ad Atticum: *cum in turma inauratarum equeſtrium, quas hic Metellus in Capitolio poſuit, animadvertiſſem in Scipionis ſubſcriptione imaginem Africani.* & paulo ante, *Scipio hic Metellus proavum ſuum neſcit cenſorem non fuiſſe.* Ita enim legendum omnino eum locum, addita negationis particula, docui in commentario epiſt. ad Atticum: ubi in eadem epiſtola quoque propoſui opinionem meam de Myſteriis Romanis.

Quam

Quam qui non probat, is nunc alteram a me accipiat, & ſequatur. *Myſteria Romana* videntur eſſe Liberalia, Sacra Liberi patris, quae XXI. Cal. April. celebrabantur: Ut enim in Myſteriis Graecorum Bacchus, id eſt, *Dionyſius*, una peragebatur, ut Plutarchus tradit, & id faſcino ac vanno ſignificabatur: ita in Liberalibus vannus & ovum myſtica ratione praeferebatur. Unde Virgilius: *Et myſtica vannus Iacchi.* Cicero de natura Deorum III *Liberi etiam, hunc dico Liberum Semele natum, non eum, quem noſtri majores auguſte ſancteque Liberum cum Cerere & Libera conſecraverunt: quod quale ſit ex Myſteriis intelligi poteſt.* Eum autem diem Cicero ſcire volebat, quoniam conſtituerat Quinto Ciceroni, fratris filio, dare togam puram, quam pueri ingenui Liberalibus ſumebant, ut ex Ovidio conſtat. POPMA. *Qui cenſor porticus in Capitolio fuerat.*] Aut legendum *fecerat*, quomodo alibi ante (nec exemplum adſcribo; quo quid eſſet jejunius?) aut inſerendum, *molitus*, vel tale quid aliud. ſed hoc tamen prae ceteris, quod paullo ſuperius eadem in re eodem iſto uſus eſt. ACIDAL. Legendum, *fecerat*, ut priori libro etiam loquitur Vellejus. Et ita e conjectura jam ab aliis editum. VOSS. *Ejus qui cenſor porticus in Capitolio fecerat.* Ita reſtituerunt. ſed *fuerat*, non *fecerat* praeferebat antiquus codex. Aut igitur ſcribendum *locaverat*, ut omiſſae a feſtinante librario priores duae ſyllabae, quas in praecedenti *Capitolio* habes. (*locare* Cenſores opera publica conſueverant, ſic Livius frequenter, quem vide.) aut quod propius ſcriptam accedit lectionem, *porticus in Capitolio voverat.* Vovit igitur has porticus, cum Cenſuram gereret; ſed non dedicavit in Cenſura. Nam & templorum cura ad cenſores pertinebat. Cicero de Leg. III. *cenſores urbis templa, vias, aquas, &c. tuentor.* *Vovere* hac ſignificatione apud Livium ac Naſonem in Faſtis frequenter occurrit. *vovere aedem* bis apud Tacitum An. II. cap. 49. In vetuſto lapide: NUMINIB. DEORUM. AUG. JOVI. OPT. MAX. VOTO. SUSCEPTO Q. LEPIDUS, M. F. M. CURIUS. M. F. COSS. III. S. P. Q. R. appoſite Seneca Nat. Quaeſt. lib. V. cap. 17. *Divus Auguſtus templum Circio vento, cum in Gallia moraretur, & vovit & fecit.* Nihil occurrit frequentius apud Livium libro I. cap. 55. *Tarquinius Superbus templum Tarpejum perfecit, quod*

voverat Priſcus Tarquinius. libro XXIX. cap. 2. *M. Marcellus aedem virtutis dedicavit ſeptimo decimo anno poſtquam a fratre ejus vota erat.* HEINSIUS. Illud *fuerat* unde profluxerit neſcio. certe Rhenani editio *fecerat*, nec Burerius ejus mentionem facit, quare errori operarum adſcribo editionis alicujus; quem ſecuti expreſſerunt. Legitur in Manutii, Lipſii, & aliorum editionibus. BURM.

Pronepos autem Cn. Scipionis, celeberrimi viri, P. Africani patruus.] Manifeſtum mendum. nam, ſi eſt pronepos Cn. Scipionis, qui cum Publio fratre, Africani majoris patre, Hasdrubalis inſidiis in Hiſpania oppreſſus, interiit, non video, qui poſſit eſſe patruus P. Africani minoris: qui cum ab Africani majoris filio fuerit adoptatus, ita pronepos fuit P. Scipionis, quem in Hiſpania caeſum diximus, ut hic Naſica ejus Cn. Scipionis, qui cum fratre ſuo Publio occiſus eſt. Puto igitur legendum: *P. Africani patrui, is privatus, & togatus*, &c. ut intelligatur de Africano ſuperiore: cujus patruus fuit Cn. Scipio, hic, qui a Vellejo vir celeberrimus appellatur, abavus hujus Scipionis, quo auctore Ti. Gracchus eſt interfectus. Nam, quod ad loquendi genus attinet, quod, cum dixiſſet Vellejus, *P. Scipio Naſica*, aliquot verbis interpoſitis, de eodem intulerit, *is privatus*, uſitatum eſt non Vellejo tantum, verum etiam Ciceroni. Vellejus quidem paucis poſt verſibus, *Ariſtonicus*, inquit, *qui mortuo rege Attalo, a quo Aſia populo Rom. hereditate relicta erat, ſicuti relicta poſtea eſt a Nicomede Bithynia, mentitus regiae ſtirpis originem armis eam occupaverat, is victus a M. Perperna.* Ciceronis autem tale iſtud eſt ep. 28. lib. XIII. *Illud, quod ſupra ſcripſi, id tibi confirmo, in meque recipio.* Et in I. Tuſculana: *Illud, quod non modo facile credendum eſt, ſed, eo conceſſo, quod volunt, conſequens, id certe non dant, ut, cum animus diu permanſerit, ne intereat.* MANUT. Et hic Manutii lectionem amplexus ſum lubens, ſed & merito. quo enim usque legitimorum ſedem ſpuria iſta obſidebunt? ACIDALIUS. *P. Africani patrui* edidi, ſecutus emendationem Manutii certam & veram. *P. Scipio Naſica, Serapio* cognominatus ob ſimilitudinem formae cujusdam victimarii, fuit filius P. Scipionis ejus, qui a quibusdam *Corculum* appellatur & porticus in Capitolio fecit, nepos P. Scipionis ejus, qui

vir optimus judicatus eſt, pronepos Cn. Scipionis Calvi, qui Cos. fuit cum M. Marcello anno DXXXI. & fratrem habuit P. Scipionem Conſulem quadriennio poſt; patrem Africani majoris. Hoc ergo Cn. Scipione Calvo, celeberrimo viro, patruo Africani, orti ſunt Scipiones Naſicae. Vidend. Cicero, Livius, alii. POPMA. Legendum *patrui*. Ita optime primus emendavit ſive magnus Eraſmus, ſive alius, qui ſexennio poſt ejus exceſſum, editionem Baſileenſem anni CIƆIƆXLII. nomen Eraſmi praeferentem, procuravit. Et ſane Cn. Scipionem, Africani majoris patruum fuiſſe, ex Vellejo infra, & aliis, conſtat. Hoc notandum fuit, quia Aldus id parum candide videtur diſſimulaſſe. VOSS.

Privatusque & togatus, &c.] Propinquus Ciceroni in Laelio. Si Canones auctorum juris ſequeris, *ſobrinus*, non *conſobrinus* fuit. Sed hoc tralatitium, his promiſcue uti, notavit doctiſſimus ſui aevi Junius in Nomenclatore ex Cicerone. Quod notandum propter largum peccatum eruditiſſimorum virorum in ſtirpe Scipionum. Deinde opponit togatum ſive privatum, qui in magiſtratu eſt, vel fuit. infra: *Sed Hiſpanis in triumphum & Pontificatum adſurgeret, fieretque ex privato conſularis.* SCHEGK.

Patriam cognationi praeferens.] Ita in Juſtino legatus ad Antiochum Popillius, de quo ſupra, oblato a rege oſculo, *faceſſere interim privatam amicitiam jubet, cum mandata patriae intercedant.* lib. XXXIV. ACIDAL.

Ob eas virtutes primus omnium abſens pontifex Maximus factus eſt.] Ut haec tota verborum comprehenſio apte congruat, legendum exiſtimo: *ob quas virtutes*. Quod ſcilicet talis eſſet, ea mente erga patriam praeditus, quam antea quoque multis in rebus teſtificatus, propterea pontificatum abſens, quaſi ſuae praemium integritatis, accepiſſet. MANUTIUS. In his, *ob eas virtutes*, nihil mutandum eſt. PUTEANUS. Non potui non reprobare vulgatum, *ob eas*, prae hoc Aldino. Scilicet antique *cas* fuerat ſcriptum, conſuetudine *c* pro *q*, & contra, mutandi: id mox deinde ab inſciis in *eas* errore facillimo deformatum. Abhinc altera linea, *circumdata* quoque ejuſdem reſcripſi, altero manifeſte vitioſo in marginem, ut in his talibus quisquiliis ſoleo, exturbato. Sic pariter & vera Vellejo paullatim reſtituuntur, & vulgaria

garia ſi quis requirat, etſi falſa, ei tamen exhibentur. Acidalius. *Ob eas virtutes*, haec verba incluſi parentheſi, ſine qua periodum turbant & interrumpunt. Factus autem abſens Scipio Naſica. Pontifex quinquennio poſt conſulatum, id eſt, anno DCXX. quo Tiberius Gracchus occiſus. Unde Appianus hanc hiſtoriam narrans vocat Naſicam Pontificem Maximum. Popma. Nulla neceſſitate adigebamur, ut cum Aldo & Acidalio reſcriberemus, *ob quas*. Boeclerus. Verba haec neceſſario parentheſi includenda ſunt. Neque enim neceſſe reponere, *ob quas virtutes*, &c. Vossius. V. Cup. Ep. Syll. T. II. p. 726.

Factus eſt.] Tolle verbum ſubſtantivum cum Claudio Puteano. Heinsius.

Circumdata.] Quod vulgo legitur, *cum data laevâ brachio togae lacinia*, mendo non vacat, nec difficilis correctio videtur, ipſa enim ſententia, *circumdata*, reponendum oſtendit. Quod Valerii, lib. III. cap. 2. hanc hiſtoriam recitantis, confirmat auctoritas. Manut. Lege *circumdata*, ex Val. Max. III. 2. Plutarch. & Appian. ſcribunt Naſicam togae fimbriam capiti impoſuiſſe; qui vero eum ſequebantur, circumvolutas brachio togas habuiſſe. Puteanus. Praepoſitio *cum* παρέλκως poſita, vel legend. *circumdata*, ex verbis Valerii Max. hanc hiſtoriam narrantis lib. III. cap. 2. *ac deinde laevam manum parte togae circumdedit.* ubi *pars togae*, quae Vellejo & Appiano *lacinia*; ea eſt adſumentum panni in extrema parte veſtimenti, ſic ut attrahi, vel rejici, aut concuti poſſit. Petronius: *Laciniam extremam concutere*, & *detraxitque humeris laciniam*. Serv. Aeneid. VII. *Cinctus Gabinus eſt toga ſic in tergum rejecta, ut una ejus lacinia a tergo revocata hominem cingat.* Popma. Non *cum data*, ſed *circumdata*, ut egregie emendabat Aldus. Moris enim fuit, ut in repentinis turbis imperator laciniam togae, exerto dextro brachio, ita ſiniſtrorſum in tergum rejiceret, ut ea revocata illum cingeret. Atque hunc habitum cinctum Gabinum vocabant. Quae colligere poſſis ex Servio ad VII. Aeneidos, Iſidoro lib. XIX. cap. 24. ac vetere Scholiaſte Perſii ad Satyram V. Utebantur etiam eo, qui ſacris belli cauſa operabantur. Quod obſervatum Turnebo Adverſariorum lib. XXIII. cap. 20. Item, qui urbem eſſent conditurі. Quod do-

cuit me Cato apud Servium ad v. Aeneid. *Condituri* (inquit,) *civitates, taurum in dextra, vaccam in ſiniſtra jungebant: & cincti ritu Gabino, id eſt, toga partem capitis velati, partem ſuccincti, tenebant ſtivam obliquam, ut glebae omnes intrinſecus caderent*, &c. Ita locus hic ſcribendus eſt. Eodem habitu etiam indutus apud Corippum lib. IV. Juſtinus, cum de Senatoribus ditandis agitâret, Verba ejus ita conſtituenda ſunt:

Purpureos augens habitus, ritusque Gabinos;
Cujus Hydaſpaeis radiabat purpura gemmis.

Corruptiſſime editum eſt:

Cujus id aſpiciens radiabat purpura gemmis.

Error ex eo, quia *Idaſpaeis* ſcriptum erat. Voss. Communi conſenſu doctorum valuit haec emendatio, cum fuiſſet, *cum data.* cauſſam hujus habitus reddit triplicem Appian. I. bell. civ. ſive *quod voluerit multitudinem ad ſe hoc ſigno contrahere;* ſive *pugnae teſſeram proferre,* ſive *reverentia Deorum ſua coepta velut obtegere.* Quartam ex *Plutarcho* colligas: ut *facilius per obvias perrumperet hoc habitu*, quo & ceteri eum ſequebantur. Boecler. Bene Manutius, *circumdata laevo brachio togae lacinia*, de quo plura nos ad fragmentum Petronii Traguriarum, Heins. Reſpicit cap. 63. vide & ad ejusdem Petronii cap. 80.

Qui ſalvam vellent rempublicam, ſe ſequerentur.] De formula hac vide Servium ad initium VIII. Aeneidos, Voss. Ita Aurel. Victor exprimit 64. *ſequi ſe juſſis, qui ſalvam remp. vellent.* & Valer. Max. III. 2. 17. *Qui remp. ſalvam eſſe volunt, me ſequantur.* Appian. I. bell. civ. ἐβόα ἕπεσθαί οἱ τοὺς ἐθέλοντας σώζεσθαι τὴν πατρίδα. Plutarch. in Gracch. οἱ βουλόμενοι τοῖς νόμοις βοηθεῖν, ἀκολουθεῖτε. Haud dubie autem reſpicitur his verbis ad morem & ſolennia *decernendi praeſentioris in ultimis caſibus auxilii*, nimirum ne quid *reſp. detrimenti caperet.* Quale decretum a ceteris ſenatoribus poſtulatum eſſe, diſerte teſtatur Valerius: cunctis cenſentibus, *ut Conſul armis remp. tueretur* (eadem enim vis eſt hujus ſententiae, ac ſi dixiſſet, *videret conſul ne quid. reſp. detrimenti caperet.* Confer Salluſt. Catil. 29. Caeſar. I. bell. civ. Cicer. Orat. Catil. 1. cap. 1. & 2. Dion. XLVIII.) *negavit Scaevola ſe quidquam vi eſſe acturum.* Boecler.

Cum catervis ſuis.] *Nam Gracchus domo cum proficiſceretur,*

retur, nunquam minus terna, aut quaterna millia hominum ſequebantur. Aſellio apud Agellium lib. II. cap. 13. SCHEGK.

Vitam quam glorioſiſſime.] Vide egregium Tacitum lib. III. Annal. 66. de Brutidio, ubi nos non pauca accumulavimus ex omni hiſtoria. GRUTER.

Hoc initium in urbe Roma civil. ſang.] Egregia obſervatio, de noxa exempli, cum deſignatione fatalis periodi, unde perpetua certamina civilia usque ad converſum reip. ſtatum licet numerare. Plane in hunc modum Plutarchus: *ταύτην πρώτην ἱστοροῦσιν ἐν Ῥώμῃ στάσιν, ἀφ' οὗ τὸ βασιλεύεσθαι κατέλυσαν, αἵματι καὶ φόνῳ πολιτῶν διακριθῆναι. τὰς δὲ ἄλλας οὔτε περὶ μικρῶν γενομένας, ἀνθυπείκοντες ἀλλήλοις, φόβῳ μὲν οἱ δυνατοὶ τῶν πολλῶν, αἰδούμενοι δὲ τὴν βουλὴν ὁ δῆμος, ἔπαυον.* Pertinet huc eximius locus ex oratione Caeſaris apud Salluſt. Catil. 51: *omnia mala exempla ex bonis initiis orta ſunt: ſed ubi imperium ad ignaros, aut minus bonos pervenit, novum illud exemplum ab dignis & idoneis ad indignos & non idoneos transfertur.* Vide omnino, quae ſequuntur, ubi exemplis illuſtrat, *exempla non conſiſtere ibi unde coepere;* ſicut Noſter loquitur. BOECLER. Poterat abeſſe *Roma*, tamen noſter & infra pari modo cap. CXI. HEINS.

Jus vi obrutum.] Quid mirum? cum audiamus e Tiridate: *Id in ſumma fortuna aequius, quod validius, & ſua retinere privatae domus, de alienis certare regiae laudis eſt,* ut retulit Tacitus lib. XV. cap. I. ubi nos gnomam illam excuſſimus. GRUTER.

Conditionibus] Pactionibus & conventionibus. *Conditionem* definit Donatus in Andria, *eſſe pactionem, in ſe certam legem continentem.* non tamen diſſimulo ſcripturam Bonhom. *condictionibus,* etiam non male. *Condicere* enim veteribus denunciare. Hinc Feſto, *condictio in diem certam ejus rei, de qua agitur, denuntiatio;* & Duodecim tabulis; *condictus dies, judicii cauſa conſtitutus.* Uſi Plautus Curculione, Apulejus, Cic. I. Offic. SCHEGK. In libro Cujacii, *concionibus.* PUTEANUS. Pro *conditionibus* Magnus Cujacius, teſte Puteano, *concionibus.* Sed fruſtra. infr. cap. 7. ubi agit de ſeditione Gracchana: *Fulvii Flacci filius, quem pater legatum de conditionibus miſerat.* Sic & apud Livium lib. III. 52. de re eadem, quod

quod maxime ad rem facit: *tum Valerius Horatiusque miſſi ad plebem conditionibus, quibus videretur, revocandam.* & lib. VI. 42. *Per dictatorem conditionibus ſedatae diſcordiae ſunt.* idem lib. III. 33. de ſeceſſione plebis; *ac deinde de concordia coeptum, conceſſumque in conditiones.* noſter denuo cap. 108. *finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus juris ſui fecit.* cap. 65. *tunc inter Lepidum Caeſarem, & Antonium conditionum facta mentio.* rurſus apud Livium lib. IX. 15. *aliquot populos aut vi ſubegit, aut conditionibus in ſocietatem accepit.* plura Gronov. ad Liv. lib. XXXIV. cap. 23. & 59. HEINS. V. & Gron. ad Liv. XIII. cap. 6.

Non conſiſtunt exempla.] Haud pauca protulimus ſententiae iſti firmandae ad illa Corn. Taciti lib. XIII. Ann. 16. *& parricidii exemplum intelligebat.* GRUTER.

In tenuem recepta tramitem.] Vide quae adnotavimus ad Phaedr. l. III. prolog. BURM.

Ariſtonicus.] Non juſto matrimonio, ſed ex pellice Epheſia cithariſtae cujusdam filia genitus. Juſtinus lib. XXXVI. Florus, Livius & Strabo lib. XIX. SCHEGK. Flor. II. 20. 4. *regii ſanguinis juvenem* vocat. Quod de *origine extra conjugium, adeoque de filio naturali* Eumenis accipiendum eſt. Nam Vellejus de legitima & civili ratione ſtirpis ſentiens, merito *mentitum*, ait, *regiam ſtirpem*, ut Aſiam, *veluti paternum regnum*, invaderet natus ex pellice. vide Juſtin. XXXVI. 4. 6. BOECLER.

Ariſtonicus, qui mortuo rege Attalo, &c.] Delendum, *qui*. PUTEAN. Correctorum licentia exulat dicto *qui*: quae eſt in V. C. Nos potius integrum locum ita ſcribendum putamus: *Ariſtonicus (qui mortuo, &c. armis eam occuparat) victus a M. Perperna*, &c. VOSS. Vetuſtus liber, *Ariſtonicus, qui mortuo Rege Attalo, a quo Aſia P. R. hereditati.* nec tolli debuit τὸ *qui*, etſi ſic jubente Puteano. ſed ſcribendum inferius, *occuparat victus*, excluſo τῷ *is*: certe prima editio, *occupaverat*, non *occupat*. *Ariſtonicus, qui mortuo rege Attalo, a quo Aſia P. R. hereditate relicta erat, ſicut relicta poſtea eſt a Nicomede Bithynia, mentitus regiae ſtirpis originem, armis eam occuparat, victus a Marco Perperna*, &c. HEINSIUS. *qui* jam Erasmus ejecit, eumque ſecuti reliqui. *hereditate* vero rectius, quam *hereditati*: ſic Flor. II. 20. *Relictae regiis hereditatibus opes, & tota inſimul regna veniebant,*

Quinctil. decl. cccxi. *Servus aut domi natus eſt, aut relictus hereditate, aut emptus.* [decl. cccvi.] & ita *hereditate poſſidere, hereditate venire*, id eſt, jure hereditario. Cicer. de Invent. i. 55. & alii. Burm.

Hereditate.] Romanos doli mali in adeunda hereditate Attali inſimulat Mithridates apud Salluſtium, & Horatius Oda 18. Carm. ii.

—— *neque Attali*
Ignotus heres regiam occupavi.

Schegk. Itaque Romani ſe juſtiſſimo titulo poſſidere Aſiam gloriabantur. Et ſane, *alienari quaedam imperia poſſe*, exemplis compluribus (inter quae etiam haec noſtra) oſtendit H. Grotius de jur. bell. & pac. partim i. 3. 12. partim in *Annotatis* ad illum locum. Boecler.

M. Perperna.] Qui conſul ante quam civis, Valerius lib. iii. cap. 5. Et quem triumphaſſe cum noſtro, ſi vulgatam ſequimur, innuere videtur contra mentem reliquorum auctorum, qui in provincia mortuum relinquunt. Schegk. Perperam in multis editionibus; ut Rhenani, Eraſmi, Stephani & aliorum, *Perpenna* ſcribitur, pro *Perperna*. & ita Glandorpius omnes ex hac familia *Perpennas* vocat. ſed apud Gruter. mlxxxiii. 5. c. clavdio. m. perperna. cos. Qui lapis integrior a Reineſio *claſſe* i. 288. exhibetur. *Perpennas* etiam multos dictos ſcio, & eosdem eſſe: ſed olim *Perpernas*, poſtea *Perpennas* Vinetus tradit ad Flor. ii. 20. [V. Serv. ad Virg. vii. Aen. 728.] Burm.

Sed M'. Aquilio.] *Sed a M'. Aquilio*, legendum e Strabone lib. xiv. Val. Max. & Juſtino lib. xxxvii. Manutius. Dictio *ſed* abundat, legendumque *ductumque in triumpho a M'. Aquilio, capite poenas dedit.* Ursin. Sana lectio. Scripſerat Vellejus, Ariſtonicum a Perperna victum; deſiderabatur, ut de eodem triumphaſſe illum diceret. Id falſum erat. quia Perperna in provincia erat mortuus. Sed cum ei ſucceſſor eſſet datus M'. Aquillius, is, reliquiis belli confectis, egit triumphum; quem Perperna meruerat. Ob hanc cauſam τὸ *ſed* adjectum. Reticetur vero *a*, frequenti Vellejo more. Ita infra: *expulſum civitate L. Saturnino:* & deinde: *cum proxima regio caſtris Pompejo retinetur:* item, *proruto vallo militibus receptus eſt:* poſteaque, *hoc M. Antonio acto illis legionibus ſaluti fuit.* Niſi tamen dandi caſu haec intel-

ligere

ſigere malis. Et hoc verius. Illud vero, *capite poenas dedit*, nequaquam ad Aquillium referri debet. Nam Ariſtonicus, ut Eutropius, Oroſiusque, referunt, ſenatus juſſu in carcere eſt ſtrangulatus. Caeterum *τὸ cum* ſtrangulationis illius cauſam reddit. Quae non monuiſſem, niſi locus hic vehementer viros doctos vexaſſet, atque acriter etiam ab iis eſſet vexatus. Voss. Ut hiſtoria congruat, Aldus & Urſinus ita legunt: *is victus a M. Perperna, ductus in tr. a M'. Aquilio, capite poenas dedit.* Nam hiſtoria diſtincte haec jubet accipi, *victum a Perperna, triumphatum ab Aquillio, denique juſſu ſenatus ſupplicio affectum.* Non abnuerim ſane poſſe eundem ſenſum retenta lectione priſtina, interpunctione tantum immutata paululum, obtineri; quod valde probabiliter eruditorum nonnemini placet. propior interim ſum exiſtimanti, locum corruptum eſſe. Licet enim rectiſſime ita poſſit dici, *ductum in triumpho M'. Aquilio*, in tertio caſu pro *a M'. Aquilio ductum* &c. obſervo tamen, illam loquendi formulam in locis Auctorum ſanis clarius & concinnius tum verborum concurrentium, tum contextus coaleſcentis reſpectu uſurpari, quam Vellejus hic poneret, qui certe, quantum in ſe erat, non uno modo orationem aſperaſſet & obſcuraſſet. Ita cum infra (II. 82. 3.) legitur: *Hoc M. Antonio acto illis legionibus ſaluti fuit*; dabunt mihi veniam viri docti, ſi nunquam perſuaderi mihi patiar, Vellejum ita ſcripſiſſe. Boecler. Ut tollatur loci perplexi obſcuritas, caſtigato, *ſub Manio Aquillio*, pro *ſed Manio. Victus a Marco Perperna, ductusque in triumpho ſub Manio Aquillio, capite poenas dedit.* Aquillius enim, non Perpenna, de Ariſtonico triumphavit. Sigonius ad Faſtos U. C. DCXXIV. *ſed a M'. Aquillio*, quod longius abit. is illic videndus. *ſub Aquillio*, autem, ut cap. 79. *Bella ſub eo imperatore coepta.* Heins. Pontanus Analect. I. *is victus a M. Perperna ductusque in triumphum poſt a M'. Aquillio, capite poenas dedit.* Pigh. in Annal. ad A. U. C. DCXXVII. citat: *Is victus a M. Perperna, ductusque in triumpho, ſed a M'. Aquilio; capiteque poenas dedit*, &c. Burm. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 456.

— *M'.*] Recte. Non M. ut vulgo. ſane *Manius* dicitur non ſolum Val. Maximo, ſed & in Faſtis. Atque ita etiam apud Strabonem lib. XIV. in editis olim exemplaribus

ribus legebatur. Quod non bene in ſua editione mutavit maximus Caſaubonus. Apud Juſtinum tamen lib. XXXVI. *Marcus Aquillius* dicetur. Sed *Manius* reſcribendum. VOSSIUS.

Craſſum Mucianum.] Apud Agellium (ſive A. Gellius eſt,) lib. I. 13. ait Sempronius Aſellio, quinque habuiſſe rerum bonarum maxima, & praecipua; quod eſſet ditiſſimus, quod nobiliſſimus, quod eloquentiſſimus, quod Juriſconſultiſſimus, quod Pontifex max. Hunc conſulem, miſſum Cicero II. Philipp. Juſtinus, Oroſius, Livius, & ſequentibus conſulibus, hoc eſt, proconſulem interemtum, noſter cum Obſequente narrant. in eo variat Florus lib. II. cap. 20. qui non occiſum, ſed captum vult. SCHEGK. *Craſſum Mucianum* vocat proconſulem, ut & Julius Obſequens. Cicero Philippica II. Livius in Epitoma, Oroſius, Strabo *Conſulem*; Florus *Praetorem*. De illius caede hoc amplius refert Cn. Gellius Annal. lib. XXX. *Calvariaeque ejus ipſum oſſum expurgaverunt, inauraveruntque:* quod factum in contumeliam & opprobrium avaritiae, cujus poenas morte dederat. Juſtinus lib. XXXVI. 4. *Intentior Attalicae praedae, quam bello, cum extremo anni tempore inordinata acie praelium conſeruiſſet; victus poenas inconſultae avaritiae ſanguine dedit.* POPMA. Diſſentiunt auctores ſuper morte hujus Craſſi. Strabo lib. XIV. epitomator Livii lib. LIX. Eutropius lib. V. praelio victum, & interemtum, narrant. Valerius lib. III. cap. 4. Florus lib. II. cap. ultimo, Oroſius lib. V. cap. X. tradunt, a Thrace (quorum maximus numerus erat inter praeſidia Ariſtonici) occiſum. Neutiquam vero ita ſuper dignitate ejus pugnant auctores, ut ad Florum Vinetus, ad Juſtini libr. XXXVI. arbitrabatur Bongarſius. Nam Strabo, epitomator Livii, Juſtinus, Oroſius, loquuntur de profectione ejus in Aſiam, cum conſulem vocant. At Vellejum de reditu ejus loqui conſtat. Nam addit, *decedentem ex Aſia proconſulem.* Itaque conſulatus tempus ſine dubio exſpiraverat. Et ſic etiam capiendus Florus, qui *praetorem* dicit. Nam *praetoris*, & *proconſulis* appellatio promiſcue ſumi ſolet. VOSS. Livius, Cicero, Juſtinus, Oroſius, *conſulem* vocant: Flor. *praetorem* II. 20. 5. ubi Vineti annot. vide. BOECLER. Malo, *proconſule.* etſi alterum quoque dici haud ignoro. HEINS.

Et.]

Et.] Deleo *&*, repetitum e verbi praecedentis ultima ſyllaba, *intermiſiſſet*. Acidal. Malim *At P.* &c. Voss.

Fortunae virtutique expertae in Africa reſp.] Ita noſter infra II. 74. 4. uſus Caeſar *virtute & fortuna ſua*. II. 97. 4. Nero bellum *ſua & virtute & fortuna* adminiſtravit. II. 121. I. *Eadem & virtus & fortuna*, ſubſequenti tempore ingreſſa animum imperatoris Tib. fuit. Equidem *haec duo in ducibus praecipue ſpectari & conjunctim laudari*, exemplis oſtendit P. Faber Semeſtr. I. 19. Quae ad excidium Numantiae pertinent, petenda ſunt e ſcriptorib. ſupra indicatis. Boeclerus. Vid. inf. ad cap. xviii.

Reſpondit in Hiſpania.] Tollendum omnino, *in Hiſpania*. eſt enim ſuperfluum, cum *miſſusque in Hiſpaniam* modo praeceſſerit, ut videmus. Heinsius. Sed tunc & tollendum in *Africa*, quod his opponitur. in Vellejo tollere, quae ſupervacua videntur, periculoſum, qui amat cumulare ſaepe eadem. Burm. V. Miſc. Obſ. V. ix. p. 347.

Clariori urbium excidio.] Sic Florus libro II. cap. 18. *Poſt illa duo clariſſima urbium incendia*, &c. Ubi male quidam emendant, *clariſſimarum*. Voss. Lege *clarior urbium excidio*, cum prima editione, & paullo ante *treis menſes*, id eſt, *tris*. nam ſic ſcribebant. Heinsius. Sed *clariori* habent Edit. Rhenani, Eraſmi & Stephani.

Tribuno Carbone.] Homine eloquentiſſimo, & ſtellionis ad modum perverſe nequam. Cicero in Bruto: *Utinam in Tiberio Graccho, Cajoque Carbone, talis mens ad Rempubl. gerendam fuiſſet, quale ingenium ad bene dicendum fuit; profecto nemo his viris gloria praeſtitiſſet.* De contentione cum Africano idem in Miloniana, & l. II. de Orator. *Cum L. Opimii cauſam defendebat apud populum audiente me* (Antonius loquitur) *C. Carbo conſul, nihil de C. Gracchi caede negabat; ſed id jure pro ſalute patriae factum eſſe dicebat; ut eidem Carboni Trib. pleb. alia cum mente Rempubl. capeſſenti, P. Africanus de Tib. Graccho interroganti reſponderet, jure caeſum videri.* & idem hunc cum C. Catone Gracchum ſecutum ſcribit. Poenam itaque non effugit. accuſatus a L. Craſſo, annos XIX. nato, auctore Tacito de Oratoribus, cantharidas ſumſiſſe dicitur. Cicero Epiſtola ad Paetum. Schegk.

Jure caeſum.] Diſerte hanc hiſtoriam exſequitur Val.

Max. VI. 2. 3. adde Liv. epit. 59. Plutarch. apophth. Quid autem; *jurene caeſus Tib. Gracchus, ſicut exiſtimavit Scipio*, qui & apud Numantiam ſtatim cum inaudiviſſet de exitu Gracchi, Homericum illud protulit:

Ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος ὅ τις τοιαῦτά γε ῥέζοι.

Auctoritatis ſane non parum eſt in dicente, ſive prudentiam ejus ſpectamus, ſive cum Graccho neceſſitudinem, de qua Valerius. Unde Martianus Capella lib. v. de argumentis agens, *ab auctoritate* peti argumentum, nobili hoc exemplo monſtrat; *Africanum dixiſſe, jure caeſum eſſe Tiberium Gracchum.* Dubitandi autem rationem ſuggerit Plutarchus, quod *conſpiratione divitum oppreſſus ſit*: & Noſter Vellejus, qui cap. praecedenti *videtur deplorare hanc caedem, tanquam initium civilis perturbationis*; & Fab. Quinctilianus, qui v. 13. inſtit. orat. *ſi Naſica poſt occiſum Gracchum defendatur exemplo Halae, a quo Melius eſt interfectus*, dici poſſe monet, *Melium regni affectatorem fuiſſe, a Graccho leges modo latas eſſe populares; Halam magiſtrum equitum fuiſſe, Naſicam privatum eſſe.* Excuſatur tamen illa caedes & inter exempla praeſentius vindicatae ſeditionis refertur a Politicis, magnificeque commendatur a Val. Max. v. 3. 2. quippe cum de ſeditioſo Gracchi animo factoque dubitari prorſus nequeat: niſi quod hoc ipſum exemplum cautionem debet ſuppeditare circa ſeditiones compeſcendas: ubi in honorem ſalutis publicae multa ſane ſeveritas conceſſa exiſtimanda eſt, ſed ſeveritas illa nec ab uno in rep. libera pendere debet, nec quovis modo adhibita proderit. Digna profecto morte commiſerat Gracchus, atque illa mors, auctoritate ſupremae legis, id eſt, ſalutis publicae, citra obſtaculum aliarum legum, irrogari poterat: ſed a Naſica, non exſpectato ſenatus decreto, ſpreta conſulis contradictione, commiſſas in publica concione civium manus eſſe, id non cariturum parva conſequentia, ut loquuntur, multi prudentum, nec citra rationem, verebantur. Pro Scipione equidem eſt, quod ſenatores plerique *armis tuendam remp.* cenſuerant, quibus Conſul reſiſtere non videbatur debuiſſe: ſed quaedam remedia praeſentiora ſunt, quam ut illa capiat publicae tranquillitatis & civilis ſocietatis libertatisque teneritudo. BOECLER.

Cum omnis concio acclamaſſet.] Alii cum Lipſio malunt

occlamaſſet. RAPHEL. Vir doctus reponit *occlamaſſet*, aſſentiente auctore vir. Illuſtr. ego contra omneis, quas contendi editiones, nec muto. *Ob* etiam pro *ad*, & contra, ſolens auctoribus uſus. conſule Feſtum & nuperum V. N. Jan. Duzae Centurionatum, nec objiciat tempus. plurima haec talia apud Vellejum. SCHEGK. *Occlamaſſet* nonnulli volunt, quod improbatur ab Acidalio ad lib. 1. 9. *occlamitare* certe apud Plautum habemus. Fuit cum ſcribendum arbitrarer, *ſucclamaſſet*, quomodo fere Livius, cum de diſſentientibus aut orationem improbantibus agit, ut libro XLIV. cap. 45. Valerius Maximus lib. VI. cap. II. 3. in hac ipſa de Graccho narratione, *jure enim caeſum videri reſpondit, cui dicto cum concio tribunitia furore inſtincta violenter ſucclamaſſet.* tamen *acclamare*, ne quid temere mutetur, in utramque partem, aeque ac *ſucclamare*, ſumi videas nonnunquam: ut in illis Curtianis lib. X. cap. 21. ubi Alexander ad milites: *Equidem cum alios dimittere in patriam, alios mecum paullo poſt deportare ſtatuerim, tam illos acclamantes video, qui abituri ſunt, quam hos, cum quibus praemiſſos ſubſequi ſtatui.* Vides *acclamari* a diverſi ſtudii concione, ut Acidalio non accedam, qui *occlamantes* corrigendum in Curtio contendit, etſi in Vellejo ſcriptionem vulgatam amplexus, ſuffragatorem tamen habet Raderum. Ceterum *occlamat*, qui verba facientem interpellat obſtrependo; *ſucclamat*, qui finita concione clamando aut aſſenſum praebet, aut dicta improbat. *Acclamatur* etiam diſſentiendo, nonnumquam dum verba fiunt. Sic Aſcon. Ped. in Cicer. Milonianam in argum. *Cicero cum inciperet dicere, exceptus eſt acclamatione Clodianorum, qui ſe continere ne metu quidem circumſtantium militum potuerunt; itaque non ea, qua ſolitus eſt, conſtantia dixit.* HEINS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 456.

Noverca.] Similiter Petronius in Eumolpiano carmine, quod vulgo inſcribitur de mutatione Reip. Rom.

Aut qui ſunt, qui bella jubent? mercedibus emtae,
Ac viles operae: quarum eſt mea Roma noverca.

ACIDAL. Invidioſe notat concionem, quaſi multitudinem collectam ex operis mercenariis, non a matre Italia genitam ad bella: ſic Caeſar in Oratione apud Petronium: *quorum eſt mea Roma noverca.* Nimirum urbs, aut regio eſt novercae alienigenarum, qui in eam confluxerunt,

at indigenarum, merito mater & cenſetur, & appellatur. Popma.

Abhinc annos cl.] clix. reponendum. Manut. Non eſt accurata haec annorum ſupputatio: nam ab illis Coss. ad Vinucii conſulatum clix. anni numerantur; niſi forte librariorum ſit error, quod magis puto: nam paullo ante a Mucio & Calpurnio Coss. ad Vinucium Cos. clii. numeravit, a quibus quadriennio poſt M'. Aquilius, C. Sempronius Coss. fuerunt, ut ex faſtis conſtat & auctoribus. Putean.

Poſt duos conſulatus.] Cur omittit Cenſura & Auguratum? quae utraque in priſco lapide:

P. CORNELIVS. PAVLI. F. SCIPIO. AFRICANVS. COSS. II. CENS. AVGVR. TRIVMPHAVIT. II.

Lipsius.

Mane in lectulo repertus eſt mortuus, &c.] Vide de morte tanti viri Appian. bell. civ. i. Cic. Lael. 3. Val. Max. v. 3. 2. & iv. 1. 2. Liv. epit. lix. Conſentiunt omnes in eo, *nefaria vi inſidiisque exſtinctum Scipionem*, quoniam agrariis legibus graviter adverſabatur, apud Tullium ep. ad Q. Frat. ii. 3. machinationem eam, quae alias Semproniae uxori Scipionis tribuitur, Carboni tribuit Pompejus, in illis verbis: *Reſpondit ei vehementer Pompejus, Craſſumque deſcripſit, dixitque aperte, ſe munitiorem ad cuſtodiendam vitam ſuam fore, quam Africanus fuiſſet, quem C. Carbo interemiſſet.* Itaque Nicolaus Locnſis Epiphyll. iii. 9. Ciceronem, tanquam contra Hiſtoricorum teſtimonia ſentientem operoſe refutat; ſtudio minime quidem, ut arbitror, neceſſario. *Primo* enim non Ciceronis ibi, ſed Pompeji verba habentur. *deinde*, mirum non eſt, ſi Carboni invidia hujus necis tribuatur, qui veriſſimo elogio a Val. Max. vi. 2. 3. *ſepultae Gracchanae ſeditionis turbulentiſſimus vindex*, *idemque orientium civilium armorum fax ardentiſſima* dicitur; ad quem propterea valde credibile eſt pertinuiſſe Agrariorum de Scipione per familiares aut percuſſores interficiendo conſilia. Boecler.

Corpus velato capite.] Aurel. Vict. 58. *obvoluto capite elatus eſt, ne livor in ore appareret.* vide doctiſſ. Kirchm. de funerib. Rom. ii. 9. Addit Appianus: καὶ οὐδὲ δημοσίας ταφῆς ἠξιοῦτο, μέγιστα δὴ τὴν ἡγεμονίαν ὠφελήσας, οὕτως ἡ παραυτίκα ὀργὴ τῆς ποτὲ χάριτος ἐπικρατεῖ, καὶ τό-

δὲ ὂν τηλικοῦτον, οἷα πάρεργον ἐπὶ τῇ Γράκχου στάσει συνέπεσε, *ne publice quidem funeratus eſt vir, qui reip. tantum profuerat. tanto plus valuit praeſens indignatio quam praeterita gratia. atque hoc quantumcunque fuit, auctarium ſeditionis Gracchanae fuit.* BOECLERUS. Nota morem antiquum. Qui ſua morte obierant, illorum cadavera palam ferebantur, ita ut unusquisque defuncti faciem poſſet cognoſcere: ſed Africani corpus capite velato elatum fuit, ne livor in ore appareret, quod veneno ab uxore necatus eſſet, ut Autor de viris illuſtribus refert. Plutarchus tamen aliter in Romulo, Scipionis Africani cadaver oculis fuiſſe omnium expoſitum, praebuiſſeque facto ſuſpicionem, & ſenſum. POPMA.

Supra totum terrarum orbem Roma extulerat caput.] Imitatus eſt illud Principis Poëtarum de Roma:

Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta ſolent inter viburna cypreſſi.

BOXH.

Seu fatalem.] Id eſt naturalem. in Vet. Gloſſis Latino-Graecis, *fatalis mors*, redditur ἴδιος θάνατος. vid. Gell. XIII. I. & Turneb. XIII. Adv. 9. de Africani morte vide Plut. in Rom. & Gracc. Appian. I. Ἐμφυλ. Cicer. pro Milone & in Laelio, Oroſ. lib. v. 10. & Epitom. Livii LIX. PUTEAN.

Conflatam inſidiis.] Variae ſuſpiciones de hujus obitu. Appianus lib. I. Bellor. civil. veneno ſublatum teſtatur: Plutarchus in Fulvium rejicit; Cicero Epiſtola ad Paetum in C. Carbonem: Plin. l. VI. cap. 44. in Metellum Macedonicum: Livii Epitoma cum Cicerone in Somnio, in Semproniam uxorem, Gracchorum ſororem. SCHEGK.

Praeterquam avito fulgore.] Simplicius dixiſſet, *quae nullo, niſi avito fulgore*, vel *nullius, niſi avi fulgore vinceretur.* HEINS.

Anno ferme LVI.] Metae temporum, quas Vellejus mox ponit, evincunt ſcripſiſſe eum LIV. LIPSIUS. Lipſius emendat LIV. Antonius Bendinellus potius ſequentia corrigit, & legit, *in quem creatus eſt anno* XXXVIII. (*pro* XXXVI. quod in libris erat) loc. controv. VIII. BOECLER.

In quem creatus eſt, anno XXXVI.] Atqui ſive a Conſulatu Paulli patris, cum quo ille conſule teſte Livio lib. XLIV. bello Macedonico interfuit, anno aetatis XVII.

 ad

ad priorem Africani conſulatum; ſive retro a morte ipſius, quae in annum aetatis LVI. incidit, de quo omnes conſentiunt, ſive, inquam, hoc modo, ſive illo, annos numeres, reperies Africanum anno XXXVIII. primum conſulem factum eſſe. PUTEAN.

Ita dubitare deſinet.] Irreptitiae videntur hae voces tres, ſi exterminaveris, nihil deceſſerit ſententiae. GRUTER.

A. Bruti.] Is eſt, qui de Gallaecis, & Luſitanis ex ulteriore Hiſpania triumphavit, *Decimus*, non *Aulus*, a Cicerone, & aliis nominatus. Ut vel mendum ſit hic in praenomine, vel, adoptatus ab A. Poſtumio Albino, praenomen, ex vetere conſuetudine, ſumpſerit, quod nummus indicat argenteus patricii Veneti nobiliſſimi, Andreae Lauretani, ſic inſcriptus: A. POSTUMIUS. ALBINUS. COS. BRUTI. F. MANUT. Omnino *D. Bruti* legendum eſt, non *A. Bruti.* nam A. Poſtumius Albinus Bruti filius, qui habetur in argenteo denario, non ad eum, de qua hic agit Vellejus, ſed ad D. Brutum, Caeſaris percuſſorem refertur, qui M. Bruti conſanguineus fuit, & ab A. Poſtumio Albino Cos. ut videtur, adoptatus, BRUTI F. ex adoptionis formula dictus eſt. Vide Plutarchum & Dionem. URSINUS. Hic apud alios omnes auctores *Decimi* praenomen habet. nec ideo tamen mendum hic eſt. de quo vide Sigonium in Faſt. ad Ann. V. C. DCXV. PUTEANUS. Omnino cum Urſino reſcribendum eſt: *D. Bruti.* Quamvis hunc *Sextum* appellet Appianus. Et peccant Aldus, ac Sigonius, quod vulgatam lectionem defendere nitantur ex inſcriptione hac numiſmatis: A. POSTUMIUS ALBINUS COS. BRUTI FILIUS. Nam inſcriptio haec Caeſaris percuſſorem ſpectat, quem ab Albino adoptatum fuiſſe, clarum ex Plutarcho, ac Dione. VOSSIUS. Aldus recte conjecerat, *D.* pro *A.* legendum. nam quod de adoptantis A. Poſthumii Albini praenomine poſtea ſuſpicatus eſt, merito refutavit Urſinus. Florum conſule II. 17. 12. ibique Camerti & Freinshemio annotata. ſicut & de Contrebia, quae mox ſequuntur, ad II. 17. 10. BOECLERUS. Hic denuo ab interpolatoribus praeter rem inculcatum eſt *in Hiſpania.* ut & mox. *Contrebiam nomine in Hiſpania.* nec multo poſt. *diſciplina in Hiſpania fuit clariſſimus.* HEINS.

Ur-

Urbiumque potitus numero.] Illud *numero* Lipſio ſuſpectum eſt, tanquam gloſſema, niſi adverbialiter *numero*, ſit pro cito, celeriter. RAPHEL. Qui minus hic *vim* & *numerum* cumulari patiemur, atque inf. c. LXX. *multitudinem & vim hominum?* BURM.

Audita.] Quidam libri, *adita erant.* de Gallaecis vide Strabonem lib. III. SCHEGK.

Q. Macedonici.] Metelli. vid. Valer. Max. lib. II. cap. 7. Frontin. IV. cap. 1. Flor. II. Epit. Livii, lib. LIII. & eundem Valer. lib. VII. cap. 4. PUTEAN.

Contrebiam] Quae Floro & Valerio Maximo eſt *Trebia*. SCHEGK. Valerius lib. II. cap. eod. & Florus vocant *Trebiam*, auctor de viris illuſtribus *Contebrium* oppidum. ego Velleji ſcripturam integriorem arbitror, & urbem eandem eſſe, quam Ptolemaeus & Antonius *Conteributam* nominant, & collocant in Baetica. POPMA. Ita enim hanc urbem vocat Florus lib. II. 17. non *Trebiam*, ut ait Schegkius: Imo & Aurelius Victor: apud quem tamen, *Contebria* male ſcribitur vulgo. Nec diffiteor, *Trebiam* legi apud Valerium Maximum lib. VII. cap. 4. Sed & illic, *Contrebiam* agnoſcunt codd. optimi. At cave, ne Colero auſcultes, qui in Animadverſionibus ad Valerium, *Contrebiam*, urbem Hiſpaniae, cum Trebia Italica confudit. VOSS.

In procinctu.] Vocabulum Muſaeum, & varie veteribus uſurpatum. Apud Agellium lib. X. cap. 15. Fabius Pictor *claſſem procinctam*, interpretatur *exercitum armatum*: Et Apulejum libro II. *procinctus pompae*, adparatum pompae denotat. Et, *habere in procinctu*, idem, quod habere in mundo ſive promtu. Quinctilianus pro Milite: *Neque in militiam graviſſimo aſperrimoque bello ita venit, ut neſciret ſibi mortem in procinctu habendam.* Seneca lib. I. de Clementia cap. I. *Nemo non, cui alia deſint, hominis nomine apud me gratioſus eſt: ſeveritatem abditam, clementiam in procinctu* (vulgo *in promtu*, ut & notavit doctiſſimus Modius) *habeo.* Et, *reverſus e procinctu*, idem Ammiano libro XIIX. quod *ex bello.* Adi Ciceronem lib. I. de Nat. Deor. Agellium, Feſtum. SCHEGK. De hac formula aliqua ad hunc locum Schegkius. Quem non audio, cum dicit, Fabium Pictorem apud Agellium lib. X. cap. 15. *Claſſem procinctam*, interpretari, *exercitum armatum.* Fabii verba haec ſunt: *Equo Dialem*

flaminem vehi religio eſt: claſſem procinctam extra pomoerium, id eſt, exercitum armatum, videre. Sane myops, ſi non omnino caecus eſt, qui non videat, verba illa, *id eſt, exercitum armatum*, ſi non Gloſſatoris alicujus, certe ipſius Agellii eſſe, ideoque uncis includenda. Idem judico de illo, quod mox apud eundem ſequitur: *ignem e flaminia, id eſt, flaminis Dialis domo, niſi ſacrum efferri jus non eſt.* Nam media illa Fabii eſſe, putidum credere. Omnino itaque uncis includendum eſt interpretamentum, ſi ab Agellio eſt: ſin ab librario, plane furcillandum. Voſs. Flor. III. 10. 12. de Arioviſti bello loquens; *Itaque tantus*, inquit, *gentis novae terror in caſtris, ut teſtamenta paſſim etiam in principiis ſcriberentur.* vide indicem Vellej. voc. *Teſtam.* BOECLER.

Non deterritus propoſito, perſeverantia ducis.] Ut haec aptius cohaereant, videtur ſcribendum, *non deterriti propoſito perſeverantia ducis.* Niſi mavis cum Jacobo Perizonio, juvene perquam erudito, *non deterritus eſt propoſito. Perſeverantia ducis q. m. m. m. victorem recepit*, vel etiam omiſſa τὸ eſt. HEINSIUS. Mallem, *non deterrita propoſito perſeverantia ducis:* amat enim Vellejus has locutiones; pro *perſeverans dux.* [Daviſ. ad Cic. III. Tuſc. I. delet *perſev. ducis.*] BURM.

Quem moriturum miſerat, militem victorem recepit. tantum effecit mixtus timori pudor, ſpesque deſperatione quaeſita.] In ultimis deſperatio ſaepe in virtutem venit militi, eſtque

Una ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.

Unde illud jam in vulgi ore:

Heu quam timendus ille eſt, qui mori tutum putat?

Sed Juſtinus inſigne Locrenſium exemplum memorat; cujus pauca verba non eſt alienum adſcribere. lib. XX. *Omiſſa ſpe victoriae in deſtinatam mortem conſpirant, tantusque ardor ex deſperatione ſingulos cepit, ut victores ſe putarent, ſi non inulti morerentur. Sed dum mori honeſte quaerunt, feliciter vicerunt: nec alia cauſſa victoriae fuit, quam quod deſperaverunt.* Tacite huc quoque forſan reſpicit in Didone ſua Maro:

Verum anceps pugnae fuerat fortuna: fuiſſet.
Quem metui moritura?

quod minus eſſe, quam dixi, ipſe tamen ſentio. ACIDAL. Nam *ſaepe deſperatio ſpei cauſſa eſt*, inquit Curtius V. 4. 31.

31. ubi Freinſhemius Noſter, plura ad hanc ſententiam comparavit. Verumenimvero de quaerenda intendendaque per deſperationem ſpe, duplex eſt conſideratio: *vel* enim res & locus & tempus admovet deſperationem; & deſperantium animos irritat; *vel* conſilium ducis ultro deſperationis imagine objecta militum virtutem exſtimulat. e. g. Maximos quosque duces videmus, ea militibus ſuis haud raro mandaſſe, quae effici poſſe nemo interim militum credebat, niſi quod Ducis imperio etiam cum deſperatione obtemperandum eſſe omnes videbant. ita ſaepe incredibili ſucceſſu res geſta, maximaque moles profligata eſt. Indiget tamen (nam ideo huc digredimur) illa praeſentioris conſilii imperiique fiducia, magna cautione. Ratione ante omnia niti decet, non alacritate tantum ac ſpiritu imperatoris. Videndum deinde; an Duci tanta imperii exercendi adſit auctoritas: nam ſi ſolo metu inſtigetur obedientia militum, rem periculi plenam duxerim. itaque in Heroibus ferme aut viris Heroica fortitudine ac fortuna praeditis, hanc vim imperii majeſtatemque cum admirabili conjunctum efficacia cernimus: denique facilius in minoribus excuſatur id conſilium; ſummam rerum neceſſitati abſque neceſſitate objicere, temeritati quam virtuti ſimilius fuerit. BOECLER.

Moriturum.] Animo, nam morituri non erant, ut explicat Servius illa Virgilii XI. Aeneid. 741.

Equum in medios moriturus & ipſe
Concitat.

Val. Flac. VII. 266.

Per tibi ſi quis, ait, morituri protinus horror.

Vid. ad Petron. c. CXIX. & aptum quoque huic rei verbum *recepit*, id eſt, jam amiſſum, ut veroſimile videbatur, incolumem recuperavit. ita Horat. II. Od. 7.

Recepto
Dulce mihi furore eſt amico.

Virgil. VI. Aeneid. 111.

Eripui his humeris, medioque ex hoſte recepi.

Ubi Servius, *liberavi*. BURM. Add. Propert. IV. 9. 38. Ovid. V. Met. 572. Valer. Flacc. VII. 285. Claud. Bell. Get. 618. IDEM *in marg.*

At Fabius Aemilianus.] De hujus diſciplina vide Appian. in Iber. ejus patrem Paullum diſciplinae militaris retinentiſſimum fuiſſe ſcribit Plutarch. in Paullo. Pu-

TEAN. Lipſius haec ita legit ac diſtinguit, *Fabius Aemilianus Paulli* (ſc. filius) *exemplo diſciplinae in Hiſpania*, &c. RAPHEL. Noli audire Lipſium, qui ſic malebat diſtingui: *At Fabius Aemilianus Paulli*, *exemplo diſciplinae*, &c. Paulli enim diſciplina laudatur paſſim Livio, Plutarcho, & cui non? Vulgata praeterea lectio multo magis ad guſtum Velleji. Sic alibi, *acer belli*, *munificentiae effuſiſſimus*, *laetus animi*. Ita & Virgilius in IV. Aeneidos, *furens animi*: & X. *animi miſerata*: item Terentius Eunucho Act. II. Sc. III. *falſus animi*. Ubi hanc auctorum ἀντίπτωσιν notat etiam Donatus. Nec dubitem ſimiliter, ex noſtro optimae notae MS. reponere apud Lucretium lib. I. de Rerum Natura:

Nec me animi fallit Grajorum obſcura reperta
Difficile illuſtrare Latinis verſibus eſſe.

Ubi vulgo, *animus fallit*: quod perperam retinet Giffanius. Quibus adde, ut ad Velleji verba revertar, quod nemo veterum facile in proſa oratione dicturus fuerit, *Fabius Aemilianus Paulli*, pro Pauli filius. Quamvis non ignorem, helleniſmo hoc Poëtas aliquando uſos. VOSS.

Diſciplinae in Hiſpania.] Aut delenda vox *ſeveritate*, aut legendum eſt *diſciplina*. PUTEAN. Perperam Cl. Puteanus, *diſciplina clariſſimus*, id ratus commodum magis. vide nos ad cap. LXXXVIII. omnia vero haec de bellis in Hiſpania non uno tempore geſtis accipienda, quae noſter uno tenore conjunxit. ſic libro I. 14. *quod facilius cujusque rei in unum contracta ſpecies*, *quamvis diviſa temporibus oculis animisque inhaereat*. ita enim ſcribendum, ubi nos vide. HEINS. Vid. Heinſ. ad Claud. Bell. Get. 583.

Decem deinde.] Flor. III. II. ubi Camertis nota. BOECLER.

Occupavit.] Forte ſcripſerit Vellejus *occaecavit*. quo verbo aliquoties uſus eſt Livius. ita Catul. LXIV. 197. *amenti caeca furore*, & ita paſſim alii. & hinc poſtea *errorem* vocat, qui proprie caecorum. [Front. II, II, 8.] BURM. At vid. Vell. l. II. c. 50. Oudend. ad Caeſ. III. B. G. 109. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 28.

Eloquentiaque.] Contra omnium tamen ſententiam Tiberium fratrem facile principem eloquentiae laudat Florus. SCHEGK.

Lon-

Longe majora & acriora repetens.] Mutaturus eram *reputans*, mox preſſius aliquanto formula ſermonis conſiderata, me repreſſi. Eſt enim cuſum iſtuc idem cum primaevo ſuo, *petens*: quod vel ex eo perſpicias, non longe poſt quod ſequitur interpretamento quaſi praecedentis; *aeque prava cupientem.* Et ſolemne bonis auctoribus, compoſitum ejusmodi pro ſimplici uſitare: neque tantum in vario ſignificatu veteribus *Re* praepoſitio, quod bene alii notarunt: ſed aliquando etiam, ſi recte ita quod ſentio eloquar, nullo. Addita namque verbis, eorum ſaepe vim nihil mutat, ut compoſitum inde ſi quod audias, ſenſum non niſi ſimplicis percipias. Paret hoc ex eo ipſo *Reſtituere*, de quo ad Vellejum is, quem dixiſſe me ſentio, eruditiſſimus juvenis, Germaniae noſtrae futurus ornamentum ſingulare, monuit: paret ex τῷ *Reddere*, quod locis paene infinitis Apulejo, nec infrequenter aliis, eſt tantum *dare.* qui idem Apulejus *Reſurgere* quoque ſic poſuit, ut aliter non intelligas, quam *ſurgere*. lib. v. Metam. *At Pſyche ſtatim reſurgentis ejus crure dextro manibus ambabus arrepto.* Idem etiam *Recipere*, quod nec aliis infrequentius, pro *capere*. Apol. I. *Audi ſis Tannoni Pudens, quam multa neſcieris, qui de piſcibus argumentum Magiae recepiſti.* Denique *Repetere* ipſum, cujus cauſſa alia notamus, exemplum eſt hujus rei clariſſimum, ut plura ſim omnino fruſtra collecturus. ACIDAL. Acutius veriusque: *& acrior repetens.* Ipſe, inquit, Cajus majora molitus eſt quam frater, & eodem illo acrior. Ita eſt. vis ingenii & oris apud Cajum multo major. LIPS. Haud diſplicet Lipſianum *acrior*. GRUTER. Lipſius maluit *acrior*, adprobante Grutero. Sed fortaſſe nulla ratio eſt, cur potius id nobis placere debeat, quam *acriora*: ficut intuenti planum exiſtimo eſſe. BOECLERUS. Puto, *longe majora, ut acrior appetens. & acrior repetens* Lipſius. Vir Ampliſſimus Cuperus dividit verbum, *re petens.* Vult Vellejus Cajum Gracchum acrioris ingenii fuiſſe quam Tiberium, ac majora proinde aggreſſum. quod ipſum alii quoque teſtantur. Epitome Livii lib. LX. *C. Gracchus Tiberii frater, tribunus plebis, eloquentior, quam frater, pernicioſas aliquot leges tulit.* Eloquentiam ejus extollit A. Gell. quoque libr. x. cap. 3. lib. XI. c. 13. idem teſtatur non defuiſſe, qui hunc M. Tullio anteferrent, ubi

& *acrioris* vocabulo uſus eſt. *Fortis & vehemens orator exiſtimatur eſſe C. Gracchus : nemo id negat. Sed quod nonnullis videtur ſeverior, acrior, ampliorque eſſe M. Tullio, ferri id qui poteſt?* fuiſſe ingenii aliquanto vehementioris idem Gellius innuit libro I. cap. II. *repetendi* verbo potuit tamen uſus eſſe Vellejus, quod Cajus non primus remp. conturbarit, ſed ſecutus fraternum exemplum. HEINS. *Acrem* dici Gracchum facile patior, ſed *acriora repetere*, an recte dicatur, dubito. quare mallem; *longe majora & acriore vi repetens*, non contentus legibus a fratre Tiberio latis, majora, & ſimul acriore vi repetebat. *vi* ſaepiſſime vitio librariorum excidiſſe obſervarunt Critici, quod hic facile potuit fieri, ſi *acriori* fuerit ſcriptum. *repetens* vero eſt iterum eadem, quae frater petierat, petens, nimirum regnum, vel principatum. de quo verbo jam aliquid notavimus ad Quinct. X. 3. ſed plura ad Ovid. IV. Met. 463. [Vid. Epiſt. ad Heinſ. Syll. T. II. CDXXXIX.] *vim acriorem* Florus lib. III. cap. 15. firmat, qui dicit, *non minore impetu incaluiſſe* Cajum. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 29. 364. V. IX. p. 243. 347.

Plus D. jugeribus.] Idem tradunt Plutarchus, Appianus, Aurelius Victor, aliique. Atque ita etiam apud epitomatorem Livii legendum eſſe, docuerunt Sigonius, & Antonius Auguſtinus. Sine dubio itaque in mendo cubat Siculus Flaccus de conditione agrorum: *Gracchus* (inquit,) *legem tulit, ne quis in Italia amplius, quam ducenta jugera poſſideret*, &c. Omnino legendum eſt: *quingenta jugera*. Hinc quoque apparet, corruptam eſſe Columellae lectionem lib. I. de R. R. cap. III. ubi ait: *Criminoſum tamen ſenatori fuit, ſupra quinquaginta jugera poſſediſſe. Suaque lege C. Licinius damnatus eſt, quod agri modum, quem in magiſtratu rogatione tribunitia promulgaverat, immodica poſſidendi libidine tranſcendiſſet.* Nam & hic ſimiliter reſcribendum, *quingenta*. VOSS.

Conſtituebat portoria.] Naula interpretatur, quae viatores dant iis, qui trans amnem vehunt, interpres Pariſinus Riguez. imperite. vide quae nos olim cap. V. de Vectigalib. P. R. collegimus. BURM.

Judicia a ſenatu.] Fuſe hiſtoriam praeter Valerium lib. VI. Plinium lib. XXXIII. Auguſtinum lib. III. de

civit.

civit. D. Appianus & Plutarchus. De judicibus triga hic diſcordantium opinionum. Epitome Livii lib. LX. ſexcentos equites, trecentis ſenatoribus admiſtos adfirmat. Plutarchus trecentis ſenatoribus trecentos equites ait adſcriptos, hoc eſt, inter utroſque communicata judicia. Verior, & majoribus tibicinibus nixa opinio, qui cum noſtro a ſenatoribus ad equites translata prodere inſiſtunt, Varro, Cicero, Appianus, Paedianus. Haec conciliare eorum; qui nobis legum aeternae urbis tenebras clariſſima ingenii dextra alite face diſcuſſerunt. Manutium dico, Hottomannum, & Ant. Auguſtinum. SCHECK.

Frumentum plebi dare.] Lege Sempronia frumentaria, quam tulit C. Gracchus Trib. pleb. M. Fulvio, M. Plautio Coss. anno DCXXVIII. ut ſemiſſe & triente frumentum menſtruum plebi ex publico viritim daretur, Cicero pro Sextio, Tuſcul. III. in Bruto, Appianus lib. I. Bell. Civil. POPM.

Dare inſtituerat.] Vetus editio, *dari inſt.* RAPHEL.

Hunc L. Opimius, &c.] Facto ſc. SCto, quo jubebatur Cos. Opimius σώζειν τὴν πόλιν ὅπως δύναιτο, καὶ καταλύειν τοὺς τυράννους, ſive, ut Latini efferunt, *videre ne quid reſp. detrimenti capiat.* quae poteſtas *Dictatoria* eſt, ut recte animadvertit Plutarchus in Gracch. & explicat Salluſt. Catil. 29. primum conſuli tum conceſſa, & vice Dictaturae poſtea uſurpata, niſi quod aliquando ad plures magiſtratus, quam ad coſſ. pertinebat, ſicut ex Jul. Caeſ. I. bell. civ. intelligimus. Quod conſilium veluti arcanum tuendae adverſum ſeditioſos publicae majeſtatis, laudat Cic. I. Catil. 2. BOECLER.

Utraque Fulvium Flaccum.] Epitome Livii & Appianus, Fulvium Flaccum, & C. Carbonem creatos agro dividundo produnt. Cicero praeter C. Carbonem & C. Catonem, (ſi libri non mendoſi) Tiberium ſecutum dicit. apud Plutarchum ſolius Fulvii mentio. De Carbone mirum. novimus enim Opimium a Q. Decio poſtulatum Carbone hoc defendente abſolutum. SCHECK.

Quem C. Gracchus in locum Tiberii fratris Triumvirum nominaverat, eumque ſocium regalis aſſumpſerat potentiae.] Legendum, *Quem* &c. III. *virum nominaverat*, *& ſocium r. a. p.* URSIN. Puto legendum, *atque ſocium*, &c. Niſi *eum* ſit πάρελκον. VOSS. *Eum ſocium*, vetus liber.

ber. Lege *eoque ſocium.* ſic cap. LX. ſub finem, *inter diſſimillimos creſcebat odium, eoque C. Caeſar juvenis quotidianis Antonii petebatur inſidiis.* cap. CIX. *Eratque etiam eo timendus, tanquam in omnes ſemper venturus.* cap. XV. *Immunes adhuc clade belli, & eo feroces ac truces.* Livius libro XXXIII. cap. 37. *Magno circuitu per aperta, eoque tuta loca ad collegam pervenit.* Nihil magis obvium apud optimos ſcriptores. Tacito id ipſum non ſemel reſtituimus. HEINSIUS. Forte, *dein ſocium*, &c. vel *denique*. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 29. V. IX. p. 347.

Armatos.] Eadem vetus editio, *armatus*. RAPHEL.

Gracchus profugiens, cum jam comprehenderetur, &c.] Parum accurate, ut ſolet, hiſtoriam hanc perſequitur Florus lib. III. cap. 15. Mitto, quod verba illius deformiora etiam ſint, quam ullus interpretum animadvertit. Sic autem ſcribi debent: *Capitolium invaſit. Inde proximorum caede pulſus, cum ſe in Aventinum recepiſſet, undique obvia ſenatus manu ab Opimio conſule oppreſſus eſt.* Ita lib. IV. cap. ultimo. *Barbarus undique infeſto exercitu oppreſſus*, & ibidem; *undique ſimul adeunte Romano.* Pro *undique*, hactenus male editum fuit; *inde quoque.* VOSS.

Euporo.] Auctori virorum Illuſtr. *Euphorus*. Plutarcho *Philocrates*, & Valerio Maximo *Euporus*, an *Philocrates* vocitatus. SCHEGKIUS. Ita & Victor. Plutarcho dicitur *Philocrates*. Sed, veterem de hoc nomine diſſenſionem eſſe, liquet ex Macrobio lib. I. cap. XI. VOSS.

Pomponii.] Valer. Max. lib. IV. cap. 7. & auctor de viris Illuſtr. id *Laetorio* tribuunt. PUTEAN. *Laetorium* huic comitem dant Valerius, Oroſius, & Victor. Quem Plutarchus *Licinium* appellat mendoſe. VOSS.

Qui more Coclitis ſuſtentatis in ponte hoſtibus ejus gladio ſe transfixit.) *Hoſtibus ejus*, ſic diſtinguendum, hoſtibus *ejus*, ſcilicet Gracchi. PUTEAN. Bene politiſſimus Graevius, (Ep. Syll. T. IV. p. 404.) *ſuſtentatis in ponte hoſtibus ejus, ſe gladio transfixit.* Sed hoc jam ante monuit Puteanus. Nec incommode τὸ *ejus* deleri poterit, quod otioſe inculcatum a mala manu apud Velléjum occurrit haud infrequenter. HEINS.

Mira crudelitate.] Quam & Plutarchus perſtringit. Licet enim adverſum pernicioſos cives nihil crudeliter fieri poſſe videatur, tamen diligenter conſiderandum eſt, quid

quid populi animos vel in praeſens ſpecie ſupplicii, vel in poſterum memoria nobilitatis & miſeratione irritare poſſit. Ex temporis conſideratione, ceterorumque momentorum ita loquor. Erant enim tum tanta publicae lateque fuſae conſternationis mala operienda potius moderatione, quam oſtentanda terrore. Alias ſcimus in Majeſtate Reip. vindicanda non inutiliter uſurpari acerbitatem ſuppliciorum & contumeliam. BOECLER.

In Tiberim dejectum eſt.] Humanitatis ſane nunquam erant obliviſcendum, *ſiquidem ne hoſtes quidem ſepulturam invident*, ut prodit ore Vibuleni lib. I. cap. 22. Ann. Tacitus, ubi nos de lege hac naturae plura. GRUTER.

Viva adhuc matre Cornelia.] Non omittatur ob raritatem, exemplum feminei roboris. Seneca de Conſol. ad Martiam: *Ex una tibi familia duas Cornelias dabo. Primam Scipionis filiam, Gracchorum matrem, duodecim illa partus totidem funeribus recognovit. Et de ceteris facile eſt, quos nec editos, nec amiſſos civitas ſenſit: Tiberium Gracchum & Cajum, quos etiam qui bonos viros negaverit, magnos fatebitur, & occiſos vidit & inſepultos. Conſolantibus tamen miſeramque dicentibus, numquam, inquit, non felicem me dicam, quae Gracchos peperi.* LIPS. Delendum *Africani filia.* Cum enim Gracchos Africani nepotes jam dixerit, ſuperfluum eſt repeti denuo, natos ex Africani filia hos ipſos fuiſſe. HEINS.

Optimis ingeniis male uſi.] Salluſtius tamen in Jugurtha, Gracchos veram gloriam injuſtae potentiae anteposuiſſe adfirmare videtur. & Cicero II. in Rullum, Gracchorum conſiliis & ſapientia multas Reipub. partes conſtitutas non negat. SCHEGK.

Scelus unicum.] Recte accipe, pro ſummo, & unici velut exempli. quod monuiſſe ſatis, aut etiam forte ſuper eſt: nimius ut certe futurus ſit vel minimus aliorum locorum in explicationem apparatus. ACIDALIUS. Acidalius pro ſummo & unici exempli ſcelere habet. Mihi rectius videtur Vellejum ex Vellejo interpretari, atque hunc locum cum ſimili & ſenſu & negotio comparare, de quo II. 6. 5. *Id unum nefarie ab Opimio proditum*, &c. ut enim ibi taxatum pretio caput Gracchi; ita hic innocentis adoleſcentis ſupplicium ſceleris nomine damnat: Cetera utrobique aſpere quidem & crudeliter, ut loquitur, non tamen ſceleſte geſta intelligens. *unice cavit concordiae*

cordiae. Cicero, valde, praecipue, 11. 48. 2. BOECLER.

Immuniſque delictorum paternorum.] Inde & illae preces Piſonis, ad Tiberium pro filio. Tacit. lib. III. Ann. 16. ad quem locum haud paucis probavi, *nullam legem punire innocentes*, uti loquitur Quinctil. Declam. CCCLXVI. GRUTER.

Immunis delictorum.] Minime fuiſſe immunem & jure caeſum fuiſſe oſtendit Rupertus.

Quem pater legatum.] Et quidem altera vice: cum demum Opimius in vincula eum dedit. Alias rectiſſime reſponderat Opimius primae legationi: *Non per legatos debere ipſos cum ſenatu agere, ſed ut cives venire ad ſatisfaciendum ſenatui & dicendam cauſſam.* Argumento vere pragmatico, negabat *convenire iis jus mittendi legatos nuntiosque ad ſenatum*; quorum tractationem ſi admiſiſſet, jam de Majeſtate publica aliquid imminutum eſſet, cui ad parendum ſe ſiſtere ut ὑπεύθυνος πολίτης, non occurrere ad paciſcendum debet, quisquis inter cives & membra civitatis cupit haberi. ſicut nec ex diverſo ad tumultuantes cives legatos mitti decorum eſt Reip. ſed nec tales legationes hoc nomine, ſi proprie loquamur, appellandae ſunt. Egregius eſt locus apud Dion. in orat. Cicer. adverſus Anton. lib. XLV. *πῶς μὲν γὰρ οὐκ αἰσχρὸν, κήρυξιν ὑμῖν καὶ πρεσβείαις πρὸς τοὺς πολίτας χρῆσθαι; τοῖς μὲν γὰρ ἀλλοφύλοις καὶ ἐπικηρυκεύεσθαι καὶ διαπρεσβεύεσθαι δεῖ πρότερον καὶ ἀναγκαῖόν ἐστι, τοῖς δὲ δὴ πολίταις τοῖς ἀδικοῦσί τι, παραχρῆμα τὴν τιμωρίαν ἐπάγειν, ἂν μὲν ὑπὸ ταῖς ψήφοις αὐτοὺς λάβητε, δικάζοντας· ἂν δὲ τοῖς ὅπλοις, πολεμοῦντας*, & quae ſequuntur. *Quomodo non ſit turpe, praeconibus nos & legatis uti ad cives? Nam cum extraneis quidem per nuntios ante omnia legatosque agi par eſt ac neceſſarium: Civibus autem nefariis poena ſtatim infligenda eſt; judicio quidem, ſi ſententias ferre integrum eſt: ſin vero ad arma confugerunt, bello perſequendi ſunt.* BOECLER.

Haruſpex Tuſcus.] Herennius Siculus. Sed aliter Valerius lib. IX. cap. 12. MANUT.

Amicus.] Forte qui haruſpicinam docebat eum, ut moris fuit. Vid. Valer. Max. I. I. I. BURM. *in marg.*

Quin tu hoc potius, inquit, facis?] Anne potius erit, *agis?* Non adfirmem: quamquam protritum illud, & quod in ore omnes habent, nemo aut pauci in mente,

te, HOC AGE, ſic ſuadere videatur. ACIDAL.

Pontem lapideum.] Legendum *poſtem lap.* MANUT. Emendaram, *poſtem*, ex Valerio Maximo lib. IX. cap. 12. Quod etiam Aldo in mentem veniſſe, poſtea comperi. VOSSIUS. An *in frontem lapideam?* quamquam nec diſplicet Voſſianum illud *in poſtem.* Quomodo Valer. Maximus IX. cap. 12. de Herennio Siculo: *Cum in carcerem duceretur, in ejus poſtem illiſo capite in ipſo ignominiae aditu concidit.* HEINSIUS. Ex hoc loco Donatus de Roma lib. II. 19. colligit ponte aditum Tullianum fuiſſe. tanti intereſt, emendatas editiones ſequi. BURM.

Crudelesque mox.] Puto, *Crudeles aeque mox quaeſtiones in amicos clientesque Gracchorum habitae ſunt.* non *crudelesque.* poſt facinus crudele de Fulvii Flacci filio, alia aeque crudelia ſubjicit de amicis clientibusque Gracchorum. HEINSIUS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 30.

Damnatum poſtea publico judicio.] Quod a Jugurtha muneribus acceptis corruptus fuiſſet. vid. Salluſt. in Jugurth. & Plutarch. in Gracchis in fine. PUTEAN. Ob acceptas a Jugurtha pecunias. Sed indigne. Cicero pro Seſtio: *Unus in hac civitate, quem quidem ego poſſum dicere, praeclare vir de Republ. meritus, L. Opimius indigniſſime concidit. cujus monumentum celeberrimum eſt in foro, ſepulcrum deſertiſſimum in littore Dyrrachino relictum eſt. atque hunc tamen flagrantem invidia propter interitum C. Gracchi ſemper ipſe P. R. periculo liberavit, alia quaedam civem egregium iniqui judicii procella pervertit.* In ejusdem laudibus ſaepe in Bruto, de Legib. & in Piſonem. SCHEGK.

Rutilium.] *Rupilium*, repone. MANUT. & PUTEAN.

Rei tantae parum.] Melius fuerit, *rei tantae parva.* LIPS. Fors dederit noſter: *Rei tantae, etſi parum ad notitiam pertinens interponatur.* ſic ſolet noſter. ita lib. I. cap. 17. ut illic caſtigavimus, *tranſeat admiratio a conditione temporum*, ubi vide annotata a nobis. HEINS.

Opimiani vini.] *Vini*, pro *vici*, repoſui. quam mihi conjecturam attulit antiquitatis obſervatio. Nam Cicero in Bruto, *ſi quis*, inquit, *Falerno vino delectetur, ſed eo nec ita novo, ut proximis conſulibus natum velit, nec rurſus ita vetere, ut Opimium, aut Anicium conſulem quaerat.* Accedit Plinii teſtimonium, his verbis, lib. XIV. cap. 4. *L. Opimio conſule ea caeli temperies fulſit,*

quam coƈturam vocant, ſolis opere, natali urbis DCXXXIII. *durantque adhuc vina ducentis fere annis, jam in ſpeciem redaƈta mellis aſperi: (etenim haec natura vinis in vetuſtate eſt) nec potari per ſe queunt, ſi non pervincat aqua, usque in amaritudinem carie indomita.* Et eodem libro, cap. 4. *Apothecas fuiſſe, & diffundi vina ſolita anno* DCXXXIII. *urbis, apparet indubitato Opimiani vini argumento, jam intelligente ſuum bonum Italia, nondum tamen iſta genera in claritate erant. itaque omnia, tunc genita, unum habent conſulis nomen.* Vide & Plutarchum in C. Graccho. MANUT.

Quod jam nullum eſſe.] Plinius lib. XIV. cap. 4. ſuo etiam tempore, & per annos ducentos ferme duraſſe teſtatur. *Durantque adhuc*, inquit, *vina ducentis fere annis, jam in ſpeciem redaƈta mellis aſperi*, &c. ACIDAL. Incogitanter, & non ſatis vere hoc ſcribit Vellejus. nam autor fidus, & multo poſterior aetate, Plinius tradit vinum etiam tum duraſſe ducentis fere annis: & Petronius Arbiter, inter cujus aetatem & conſulatum Opimii intercеſſerunt anni plus minus CLXXX. in coena Trimalcionis opponit vinum Opimianum ante annos centum in amphoras defuſum. POPMA. Teſtatur tamen Plinius Nat. Hiſt. lib. XIV. cap. 4. Opimiana vina ſuo aevo adhuc durare: Martialis etiam ea paſſim laudat. Miſere itaque, virorum doƈtorum judicio, hic fallitur Vellejus. Sed illi mihi mentem Velleji, etſi minime obſcuram, non adſecuti videntur. Haec enim eſt ejus ſententia: ſeculo ſuo eſſe, qui Opimiano vino ſe jaƈtent: ſed ingens temporum intervallum facile arguere, id non eſſe ex illo veteri. Probabili ſane argumento uſus eſt. Et quidni credamus, impoſitum Plinio, Martiali, aliisque, qui tanto poſt Paterculum floruere ſpatio? Ego non aliter exiſtimo. Unum addo, mirari me Plinii locum corruptum, ut eſt, ab eruditis adponi. Ego eundem adſcribam, & tentabo, quod ab iis praetermiſſum eſt. *In reliquis* (ait) *claritas generi non fuit alicui. Anno fuit omnium generum bonitas C. Opimio conſule, cum C. Gracchus tribunus, plebem ſeditionibus agitans, interemptus, ea coeli temperies fulſit, quam coƈturam vocant ſolis opere, natali urbis* DCXXXIII. Quo quidem loco codices MSS. legunt, *bonitatis*. Itaque minima mutatione reſtituendum arbitror: *Annus fuit omnium generum bonitatis, L.*

Opi-

Opimio conſule, cum C. Gracchus, &c. *interemptus. Ea coeli*, &c. Quod non diſpliciturum ſpero iis, qui cum cura Plinii locum inſpexerint. Voss. Vid. ad Petron. cap. xxiv.

Anni CLI.] Lege, CL. MANUT.

Viſa ultio.] Vox *ultio* inconcinne repetitur: me arbitro, delenda, faciendumque: *& viſum privato odio m. q. p. vindictae datum.* Quid *viſum*: factum nempe Opimii. LIPS. Nec hic aliquid mutandum. Notavimus jam ante, familiare eſſe Vellejo, unam vocem in eadem ſententia geminare. Voss. Malo, *quo inimicitiarum quaeſita erat ultio*, vel, *quod eo.* deinde, *ut viſum privato odio magis, quam publicae vindictae dari.* Nam *ultio* perperam geminatur, ut & Lipſius vidit. HEINS. V. [Wopk. Lect. Tull. II. 5.] Miſc. Obſ. V. VIII. p. 30. 365. V. IX. p. 242. 347.

Viſa ultio.] Ita certe plerumque fit, quemadmodum luculenta exemplorum copia palam facimus ad iſta Taciti lib. XV. cap. 44. *Unde, quamquam adverſus ſontes & noviſſima exempla meritos, miſeratio oriebatur: tanquam non utilitate publica, ſed in ſaevitiam unius abſumerentur.* GRUTER. Non tam res ipſa & vindicta Gracchani furoris, quam modus vindicandi, quaeque acceſſere, citra vindictae neceſſitatem uſumque toto hoc capite perſtringuntur. Ita ferme *Salluſtius Jugurth.* 16. *L. Opimius Cos. C. Graccho & M. Fulvio interfectis, acerrime vindictam nobilitatis in plebem exercuerat. vindictam nobilitatis* vocat, & *odium in plebem* innuit. *Debet autem omnis animadverſio, non ad ejus qui punit aliquem, ſed ad reip. utilitatem referri*, inquit Cic. I. Off. 25. itaque affectus privati vel maxime hic compeſcendi ſunt. BOECLER.

Vindictae data.] Flor. IV. 2. *Pompeji caedem partium fato, non Caeſari dederat.* [Luc. IV. 688.] BURM.

Marcio.] *Martio*, & mox Narbo *Martius* Rhenanus, Eraſmi, Stephani, aliorumque editiones. Sed recte Voſſius & Heinſius *Marcium*, conſulem, urbem vero *Martium* Narbonem ſcribunt, a legione enim *Martia* habet nomen, non itidem *Marciorum* gens, quae a *Marco*, *Marcia* dicta, & in nummis & lapidibus *Marcia* ſcribitur. Colonia vero *Narbo Mart.* apud Gruter. CCXXIX. & in nummo apud Goltzium: ceterum putem totam hanc de Narbone colonia delendam periodum; & huc trans-

latam ex lib. I. cap. 15. nam quid huc faciat, non video. Burm.

Cato conſularis.] Gryphii liber, *M. Cato conſ.* *C. Cato conſ.* ex Ciceronis in Verrem actionis v. lib. iv. & ex Bruto. Geſſit conſulatum cum M. Acilio Balbo, anno U. DCXXXIX. Manut. Lipſius *C. Cato*, quo modo edidit Schegkius. Raphel. Lege cum Aldo *C. Cato Conſularis.* Voss. *Quippe Cos. C. Cato Conſularis*, Ed. Rhenan. [*Cenſorius* Rob. Titius Controv. loc. Lib. xxi. Cap. 11. inedit.] Burm.

Cum lis ejus IIII. *M. aeſtimaretur.*] Nimium exilis haec ſumma viro ſummo Franciſco Hotomano. Reſtituit cccc. M. id eſt, quadringentis millibus. cui vix accedo: nam ſequentia verba aperte modicam deſignant ſummam. Et Cicero H. S. xviii. millia agnoſcit in Verrin. lib. iv. Act. 2. *C. Cato*, inquit, *duorum hominum clariſſimorum nepos, L. Paulli, & M. Catonis, & P. Africani ſororis filius, quo damnato tum, cum ſevera judicia fiebant, H. S.* xviii. *millibus lis aeſtimata eſt.* Schegk. Non grandis omnino haec mulcta judiciaria, uti ſeries & ſcopus indicat Vellejani ſermonis. Tamen Franc. Hotomanno viſa juſto minor, reſcribitque: *quadringentis millibus.* Non aſſentior. Quid? Cicero duobus locis an pari fiducia corrigitur, qui minoris ſummae auctor? Ille ſic iii. in Verrem: *Qua in civitate C. Carboni clariſſimo homini H. SS.* xviii. ∞. *lis aeſtimata ſit.* Iterum iv. in eandem: *Quo damnato* (Catone) *tum cum ſevera judicia fiebant, H. SS.* xviii. *millibus lis aeſtimata eſt.* Si quid ergo hic mutandum (certe opinor) Ciceronis numeri obtineant, & reponantur. Lipsius. Numerus corruptus ita reſtituendus xiix., nam quatuor millia ſeſtertiorum nimis exilis ſumma eſt: at octodecim millia modica, qua Catonis litem aeſtimatam teſtatur Cicero in Verrem Lib. iv. Popma. Legendum xiix. ex Ciceronis Philipp. iii. & iv. Quod alii jam monuerunt. pro *ejus* autem Scaliger libello de re nummaria legebat *ei H. S.* quod infra a nobis refelletur. Vossius. Adi Sigon. de judic. ii. 27. In ſumma variant: plerisque exiſtimantibus ex Cicerone *HS.* xviii. *mill.* reſcribi oportere. Nam Fr. Hotomanni conjectura *quadringent. mill.* nullo teſtimonio nititur. Boecler.

Adeo illi viri.] Severe, ſed hercle vere: neque conſtant

ſtant aliter illa tremenda Juſtitiae ſacra. Non abſimiliter, *in maleficiis etiam cogitata ſcelera, non perfecta adhuc, vindicari; cruenta mente, pura manu: & ſufficere ad poenam vel meditari punienda*, ait IV. Florid. Apulejus, paene vel ob hanc vocem alta voce exclamarim, noſter. Acidal. aequitas hujus judicii unde petita, declaravimus in hiſtoria Liviana. Gruter.

Factaque ad conſilium dirig. &c.] Senſus iſte: *quae quisque feciſſet, ad conſilium & προαίρεσιν facientis, tanquam ad regulam referebantur, delictique aeſtimatio non ex modo pretii ac rerum, ſed ex voluntatis ad peccandum determinatione, ut ſic dicam*, conſtituebatur: *quid*, ad ſpeciem delicti; *in quantum*, ad modum rei, pretiique pertinet. Boecler.

Metelli fratres.] Foedum mendum ſententiam contaminavit: qui enim antiquas notas, II. quibus, *duo*, ſignificatur, ignorarunt, M. repoſuere. Duos porro Metellos fratres ſimul triumphaſſe, Marcum de Sardis poſt annum, quam conſul fuerat, Cajum, cui Caprario cognomen fuit, ex Thracia in conſulatu, teſtatur Eutropius, his verbis: *C. Caecilio Metello, & Cn. Carbone Coſ. duo Metelli fratres triumpharunt, alter ex Sardinia; alter ex Thracia.* Manutius. *Circa eadem tempora Metelli fratres uno die.* Ita edidi, ſecutus Gryphii libros, minime quamvis diſpliceat doctiſſimi Manutii conjectura ſana e libris inſanis, quem vide. Schegk. Legit Pighius (Annal. ad A. U. C. DCXL.) *M. & C. Metelli.* Malim, omiſſa copula, *M. C. Metelli fratres.* Sic Ciceronem in Bruto dixiſſe memini: *Tum C. L. Memmii oratores fuere mediocres*, &c. Voss. *M. Metelli* editio Rhenani. [*Tempora Marci* (ſcilicet Catonis) *Metelli* Rob. Tit. Contr. loc. Lib. XXI. C. II. inedit.] Burm. V. Simſ. Ch. ad a. 3892.

Non minus clarum.] Colligit paria fratrum, qui eundem ſimul honorem geſſerunt, ut Q. Fulvius Flaccus, & L. Manlius Acidinus Fulvianus fratres germani, Coſſ. eodem anno DLXXIV., C. Metellus Caprarius, & Q. Metellus Numidicus, fratres patrueles, ſimul fuerunt Cenſores anno DCLI. Ante hos Scipiones duo fratres germani eodem anno ſimul Aedilitatem geſſerunt, L. Scipio Aſiaticus & P. Scipio Africanus major, ut teſtantur Fragmenta, quae Polybio adſcribuntur. Popma.

Popma. *An fratribus in eodem aedilium, praetorum, conſulumve, aut aliorum magiſtratuum collegio apud Romanos eſſe licuerit*, disquirit, & poſtea negat Langlaeus Semeſtr. VII. 3. nam quod perſonis, e. g. in gratiam Scipionum conceſſum ſit, in exemplum non trahi, nec ad alias perſonas produci debere: Et cum Vellejus notanter limitet, (in verb. *ſed alterius in adoptionem dati*) ſatis planum eſſe, non ejusdem amplius familiae cenſendum, qui adoptione in aliam tranſierat. *Mutiorum praeturam* diverſa jurisdictio abſolvere videtur. Ceterum Clapmar. II. 12. inter arcana Ariſtocratica hoc refert, *ne duo ex una familia, vivo utroque, non ſolum magiſtratus ſint, ſed ne quidem uno tempore in ſenatu*, Boecl.

Adhuc unicum.] Bucretius meus, has literas doctiſſimus juvenis, indubitanter ſcribit, *& ad hoc unicum*. Nota jam e Salluſtio, & plerisque omnibus aliis haec locutio, pro praeterea: neque tamen non in multis etiamnum depravata ignoratur. In Madaurenſi Philoſopho eandem nos ſuo loco a corruptela vindicabimus. Acidalius. Vide de τῷ *ad hoc* Salmaſ. ad Flor. III. 9.

Ejus qui Capuam ceperat.] A. U. C. DLXIV. idem quoque notatum in faſtis Capitolinis fratres hos germanos fuiſſe. hoc autem eodem anno duo quoque fratres Q. & P. Mucius Q. F. Scaevolae praetores fuerunt. Putean.

In collegio conſulum.] Faſti Capitolini huc mire conferunt:
L. MANLIUS. L. F. L. N. ACIDINVS FVLVIANVS. Q. FVLVIVS. Q. F. M. N. FLACCVS. HEI FRATRES GERMANI FVERVNT. Schegkius. *Dati. In collegio Cos. fuit adoptivus.* Ed. Rhenan.

Acidini.] Vulgo, *Acidiani. Acidini*, legendum videt, quicumque ſit paullo humanior. Quod etiam Faſti Capitolini declarant, anno U. DLXXIV. Manut. Lege *Acidini*, quod Aldo, Sigonio, & aliis etiam obſervatum. Voss.

Nam cenſura Metellorum.] *Nam cenſus* in editione prima erat. cur id immutatum? *cenſus* enim & *cenſura* promiſcue confunduntur; cap. 36. *nam vivorum, ut magna admiratio, ſic cenſura difficilis eſt.* pro aeſtimatione videtur poſitum. Non enim id agit in hoc opere Vellejus, ut cenſuram aut in mortuos exerceat, aut in vivos. Heins.

Quod

Quod ſolis contigerat Scipionibus.] An, ut fratres germani duo Scipiones cenſuram ſimul gererent, quod proxima videntur indicare ſuperiora verba? nulla mentio, nullum omnino veſtigium in hiſtoriis. Quid igitur? hoc fortaſſe. Cum Vellejus colligat fratres eundem ſimul honorem aſſecutos, fieri poteſt, ut quemadmodum de triumphantibus Metellis, conſulibus Q. Fulvii filiis, cenſoribus rurſus Metellis, poſtremo narrationem ſuam concludat, exemplo duorum fratrum germanorum, qui aedilitatem, eodem anno adminiſtrarint. hi fuere, P. Scipio, qui poſtea Hannibalem devicit, & Lucius ejus frater, quod Polybius initio lib. x. plane declarat. Hoc notandum putavi, falſa quorundam admonitus conjectura, qui, *Caepionibus*, legendum exiſtimant, quorum fratrum alter ante Metellos, alter poſt, cenſuram geſſit: cum Vellejus eos commemoret, qui eodem anno ſimul honorem eundem adepti ſunt. MANUT. Non eſt, quod Aldus in hujus loci illuſtratione tantopere ſibi placeat; nam haec cum ab aliis pridem, tum ab Onufrio in comment. ad Faſtor. A. U. C. DCLII. prolato Polybii loco, explicata fuere. PUTEAN.

Scipionibus.] Sed poſtea etiam *Lucullorum exemplum* habemus in Plutarchi Lucull. BOECL.

Tranſcendere Rhenum.] Pro trajicere aliquando hoc vocabulo utuntur, ut Lucan. III. 59.

Curio Sicanias tranſcendere juſſus in urbes.

Valer. Flacc. IV. 220.

Faxo Bebrycium nequeat tranſcendere puppis
Ulla fretum.

Juſtin. XXIII. I. *in Italiam tranſcendit.* Solinus cap. 18. *Euripus, quam M. Alexander potiundi orbis amore tranſcendit.* magis tamen obvium de itinere terreſtri, & per montanas regiones. BURM.

M.nucii, &c.] Sigon. comment. in faſt. & triumph. Rom. ad an. DCXLIII. BOECL.

Qui porticus, quae hodieque celebres ſunt molitus.] *Qui porticus, hodieque celebres molitus eſt*, brevius poterat dixiſſe, & dixit, ſi quid video. HEINS. V. Wopk. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 30.

E Scordiſcis.] *Ex Cordiſcis*, Rhenani editio.

Eodem tractu temporum nituerunt oratores.] Cum ornа-

namento & uſu ſcriptionis Hiſtoricae fieri exiſtimandum eſt, quod clarorum virorum nominibus notitia temporum rerumque geſtarum ſignatur & diſtinguitur: cum & hoc videatur ad *τὸ ὁμοχρονεῖν* ſua quadam ratione pertinere. Vid. ſupr. ad. I. 17. Boecl.

Nituerunt.] Malim *enituerunt*, quam *nituerunt*. Sic enim noſter, Tacitus, & alii paſſim. Vide nos ſupra lib. I. cap. 17. Heins.

Namque Mucius.] Erratum hoc: illud recte; *Nam Q. Mucius.* Manut. quod non improbo. Forte idem error nomine apud Florum lib. III. cap. 2. *Namque Mucius Scaevola Pontifex Veſtales amplexus aras, tantum non eodem igne ſepelitur.* Florentinus enim. *Nam cum Mucius.* e quo conjicere cuivis facile: *Nam Q. Mucius.* Quippe *τὸ cum* non aliunde eſt, niſi e *τῷ Quin* dimidiato. Acidali. Lego, *Nam Q. Mucius*, & *proprie*, ut ſit *ἐπίρρημα*. Lips. Non omnem ei laudem dicendi omnes detrahunt: quem Tullius quidem in Bruto *juriſperitorum eloquentiſſimum*, ſatis quam magnifice praedicat: oratorum tamen in numero non collocat. Sed quid *propria eloquentia* heic ſonat? Forte verius legerim, *juris ſcientiae prope quam eloquentiae nomine celebrior.* Forte, poſui. nam nunc jam video, ſic me poſſe interpretari: ut eloquentiae ſtudium, ſic laudem minus illi propriam, quam juris ſcientiae fuiſſe. Quod ut ſit, ut eſt quidem certe, non decero tamen eadem trajectione, nulla alia mutatione, ſic reſcribere: *juris ſcientiae propriae, quam eloquentiae nomine.* Denique ſi nihil velis mutare, ſaltem *ſcientiae* legere ſuſtineas, utcunque de cetero ſtatueris. Acid. *Quam proprio eloquentiae nomine.* Puto, hoc eſt ipſa eloquentia. Plinius lib. IX. Ep. 23. *Exprimere non poſſum, quod nomina noſtra, tanquam literarum propria reddantur.* Hoc ſignificatu *proprie* non numquam apud Livium, ut lib. XXX. cap. 26. *Utrum ingenio cunctator, an quia bello proprie quod gerebatur aptum fuerit.* Deinde probe Lipſius, *nam Q. Mucius*, cum Aldo Manutio, & Puteano. Heins. Quam hic fundit incaſſum verba Riguez, nec ſe expedire poteſt; unice verum eſt, quod Lipſius reſtituit, *proprie*: de quo nos ad Quinctil. Declam. XII. 3. agimus, & notum quam librarii varie *e* ſimplex & diphthongum *ae* confuderint. Burman. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 347.

Atti.] *Acci*, Edit. Rhenan. *Accii*, Eraſmi, Heinſii, & aliorum. Vid. ſupr. I. 17.

Comparationem evecti.] *Comparationem ejus aetatis.* Edit. Rhen.

Magnumque inter hos ipſos facientis operi ſuo locum.] Excidit haud dubie nomen *Ennii* hoc loco: *magnumque inter hos ipſos facientis operi ſuo locum Ennii.* cur enim tam celebris poëtae non meminiſſet inter complures alios minoris famae, quos huc congeſſit? & tamen ſecuri interpretes hunc ſcopulum praeternavigarunt. Confirmant ſequentia: *ut in illis plus limae, in hoc paene plus videatur fuiſſe ſanguinis.* Nam in Ennio ab antiquis requirebatur lima. unde & *rudis* dictus ut plurimum, & *arte carens*, certe apud Statium Lucani Genethliaco:

Cedat Muſa rudis ferocis Enni.

Et apud Naſonem Triſtium ſecundo:

Ennius ingenio maximus, arte rudis.

In Amoribus apud eundem:

Ennius arte carens, animoſique Accius oris.

Valerius Maximus libro VIII. cap. 14. *Superior Africanus Ennii poëtae effigiem in monumentis Corneliae gentis collocari voluit, quod ingenio ejus opera ſua illuſtrata judicaret: vir Homerico, quam rudi atque impolito praeconio dignior.* ubi fruſtra Barthius Adverſariorum lib. XIX. cap. 15. *Rudio eoque impolito praeconi* reponi velit. Non meminit quidem Ennii noſter libro I. cap. 17. ubi de Accio, Caecilio, Terentio, & Afranio agit: ſed cauſam praemittit: *nam niſi aſpera ac rudia repetas, & inventi laudanda nomine.* Quod ad Ennium eique ſuppares referri debet, qui *aſperi & rudes*. ita & mox noſter *Pomponium ut verbis rudem* culpat. hoc in numero & Lucilius, ut *rudis*, a noſtro cenſetur. unde fit, ut ne ejus quidem ſupra meminerit. nam & Auſonius epiſtola ad Tetradium Muſas ejusdem *rudes* dixit:

Rudes Camenas qui Sueſſae praevenis,
Aevoque cedis, non ſtilo.

Patria enim Sueſſanus Lucilius. Livius lib. XXVII. cap. 37. *Virgines longam induere veſtem, carmen in Junonem reginam canentes ibant, illa tempeſtate forſan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens & inconditum, ſi referatur.* Livii Andronici poëtae carmen fuiſſe dixerat paulo ante. libro VII. cap. 2. *Feſcennino verſum ſimilem,*

incompoſitum temere, & rudem alternis jaciebant. Porro nec alio, quam ad Ennium, referenda Horatiana illa Sermonum lib. I. Sat. x.

Fuerit Lucilius, inquam,
Comis & urbanus: fuerit limatior idem,
Quam rudis & Grajis intacti carminis auctor,
Quamque poëtarum ſeniorum turba.

Quis enim in hiſce literis, & in omni antiquitatis ſtudio adeo eſt tiro, ut Ennium Lucilio vetuſtiorem eſſe, atque ab eodem Satyras fuiſſe conſcriptas, quas Grammatici veteres in teſtimonium vocent frequenter, ignoret? Verum prodeunte in hanc ſcenam Lucilio, Ennianae Satyrae, ut duriores multo impolitioresque, ſordere coeperunt: aeque ac Luciliana poſt Horatium hoc in genere ſcribendi omnium feliciſſime verſatum. Quamquam ex Auſonii loco jam producto, e Martiali, aliisque liquet, non defuiſſe ſuis etiam temporibus, qui Lucilium in pretio haberent; ac ad imitandum ſibi proponerent in Satyris ſcribendis, cui & Quinctilianus adverſus Horatium patrocinatur quodammodo. Apud Graecos quoque Aeſchylus, ut Tragicorum antiquiſſimus, ita *rudis* & *incompoſitus* habebatur, teſte Quinctiliano. Miror interim in hoc Flacci loco, tanquam in vado, haeſiſſe virum exquiſitae eruditionis Dionyſium Lambinum. Nam quod Lucilium Satyrae inventorem idem Flaccus paullo ante facit, liquet inde Satyras Ennianas contemtim, ut rudes nimis ac impolitas, nec in argumentis Satyrici inſtituto perſiſtentes ſemper, ab illo habitas: ita & Vellejus noſter Pomponium hic loci Atellanarum inventorem facit, cum Livius Andronicus in ſcena jam publice actas teſtetur fuiſſe ſub annum U. C. CCCXC. *rudis* enim ſecundi caſus eſt, & ad carmen reſpicit, ſic Naſo Triſtibus:

Quicquid in his igitur vitii rude carmen habebit.

Hoc eſt carmen illimatum. *rudis & incultus ſermonis horror*, apud Pacatum in elegantiſſimo Panegyrico cap. I. Livius initio operis, *ſcribendi arte rudem vetuſtatem* dixit, & antiquos vocat, *rudes artium homines* lib. I. cap. 7. Apud Plinium quoque lib. VIII. Epiſt. 5. *ſcripta rudia*, pro inchoatis illimatisque ponuntur. Nec *intactum Grajis carmen* alio referri poteſt, quam ad Satyram, Romanorum inventum. *Satyra tota noſtra eſt*, inquit Quinctilianus. Ut *rudis* igitur *Ennius* peculiari quadam nota

a Romanis deſignatur. unde & manifeſtum ſit, *Rudium* pro *rudi* in Horatiano loco non eſſe reſtituendum, quod nonnemini videbatur. Cum ut *cura carentem* Ennium hunc ipſum alibi idem Flaccus notarit, quod tantundem eſt. Nec diſſentit noſter, qui in eo *limam* requirit, ut videbamus modo. Paulo ante ſcribendum, *fuere ingenia &c. in Graecorum ingeniorum comparationem evecta.* Certe in hiſce Ennius omitti haudquaquam debuit, quem *ingenio maximum* antiquis habitum ex Naſone jam obſervavimus. HEINS. Cellarius hanc de Ennio conjecturam Voſſio adſcribit, unde ejus diligentia cognoſci poteſt, quam edendis tot auctoribus probavit.

Juvenis.] An non *Juvenes* praeſtet? BURM.

Sub eodem Africano.] Videri queant haec adhuc a librariis; neceſſario enim ſubintelliguntur, cum ſequatur, *in iisdem caſtris*, praeceſſerit vero, *quo quidem tempore.* GRUTER.

Hiſtoriarum auctor.] Videndus Voſſius de Lat. Hiſtor. BOECL.

Belli civilis Sullani.] Vetus Editio bene habet *Sullanique* id eſt, belli, quod cum Mithridate geſſit Sulla. RAPHEL.

Fuit Coelius.] Eſt L. Coelius Antipater, de quo Cicero in Bruto. Ejus nomen in Coecilium tranſiit Strabonis lib. V. Κἀὶ ὁ Καικίλιος ὁ τῶν Ῥωμαίων συγγραφεύς, ubi legendum Κέλιος. POPMA. Hunc *Coelium* Antipatrum, in *Coecilium* ſaepe per librarios tranſiiſſe vidimus ad Quinct. lib. VIII. Inſt. Orat. 3. BURM.

Rutilius.] An iſte Rutilius, qui hiſtoriam Romanam Graeca conſcripſit lingua, auctore Athenaeo lib. IV.? annuit vir litteratus in Emendationum libris. vereor, ut largiter erret. is enim, de quo Athenaeus lib. IV. vixit tempore Apicii, cujus opera & in exſilium miſſus. At Apicii aevum quis ignorat? Verius igitur Phoenix Juriſconſultorum Cujacius lib. II. Obſervat. cap. 27. eum intelligit, qui Aſconio Quaeſtor, ſive legatus Mucii Scaevolae procoſ. Aſiae fuit, & quem noſter infra damnatum repetundarum tradit. De hiſtoricorum choro eos vide, qui fragmenta ſedulo & laborioſe anquiſiverunt. SCHEGKIUS. Hic eſt ille P. Rutilius Rufus, vir totius aevi, non modo ſui ſaeculi, inter Romanos optimus. De quo & ceteris hiſtoricis, plura diximus ad

fra-

fragmenta Hiſtoricorum a nobis collecta & recenſita. Popma.

Pomponium.] Scil. *Atellanarum ſcriptorem.* itaque praemittit: *ſane non ignoremus*, q. d. dum in his temporibus ſignandis verſor, non omittendus eſt Pomponius, diverſorum quidem ſtudiorum, ſed ejusdem aetatis ſcriptor. Euſeb. Chron. I. de iisdem temporibus: *L. Pomponius Bononienſis Atellanarum ſcriptor clarus habetur.* Boecl.

Celebrem.] Warburton legit *celerem*, Bibl. Brit. T. VII. p. 270. Burm. *in marg.*

Verbis rudem, & novitate inventi a ſe operis commendabilem.] Lipſius legendum putat, *ſed novitate*. Raphel. Ut apertior ſit ἀντίθεσις, lege, *at novitate*, vel, *ſed novitate*. Nam particulam hanc in optimis MSS. per *t* ſubinde ſcribi, notum. Falluntur autem vehementer, qui putant a Vellejo Pomponium ferri inter hiſtoricos, quia hiſtoricorum nomina ſunt, quae praeceſſere. Nam alius eſt ſcopus Vellejo, qui temporum potius, quam ſtudiorum, ſpectat ſimilitudinem, ut manifeſtum ex eo, quod dicat: *novitate inventi a ſe operis commendabilem.* Ubi, Atellanas eum intelligere, clarum eſt. Voss.

Inventi a ſe operis.] Neſcio an vere Atellanarum inventionem Pomponio tribuat. Nam Livius lib. VII. circa annum urbis CCCXC. fabellas Atellanas in ſcena actas refert: & Novius Atellanarum ſcriptor celeberrimus, fuit vetuſtior hoc L. Pomponio Bononienſi, quem Vellejus aequalem Siſennae, Euſebius in Chronicis ait floruiſſe Olympiade CLXXII. anno urbis DCLXII. Meminerunt ejus Cicero, Seneca, Macrobius, & alii, ut notavi ad Varronis de L. Latina lib. V. Popma.

Perſequamur notam ſeveritatem.] Quid vulg. *Proſequamur notam ſimultatem Caſſii Longini Caeſarisque quae abhinc annis* CLVII. *L. Ae. a q. s. m. ae. c. a. i. at nunc ſi quis tanti habeat, vix ut ſenator.* Omnia impure, praeter τὸ *habeat*, certatim a melioris notae auctoribus pro eodem cum habitare uſurpatum. Schegk. Lipſius *Proſequamur.* alii libri habent, *Proſequamur notam ſimultatem Caſſii Longini Caeſarisque, quae abhinc.* Raphel. Vide ſupr. I. x. 6. Boecl. *Proſequamur* revocandum e prima editione. Heins.

Abhinc annos CLVII.] Lege CLIV. Manut. Locus vi-

videtur mendoſus: nam ab his cenſoribus anno ſcil. ab U. C. DCXXVIII. ad Vinucium Coſſ. CLV. tantum anni ſunt. itaque hic puto legendum: illas vero notas II. ex Aemilii Lepidi praenomine eſſe conflatas, ac huic numero conglutinatas: quodnam vero hujusce Lepidi praenomen fuerit, neſcio. PUTEAN.

Lepidum Aelium.] Cui dubium eſt, *Aemiliae gentis*, non *Aeliae* cognomen Lepidum fuiſſe? Magna haec olim videbantur: nunc illuſtrata Romanarum rerum ſcientia paene contemnuntur: ſic vita fert, nova placent, & expetuntur, communicata flocci fiunt. MANUT. Bene, judice Lipſio, Aldus CLV. *Lepidum Aemilium*, ut etiam edidit Schegkius. In gente enim Aelia cognomen *Lepidi* non reperitur. RAPHEL.

Adeſſe.] Verbum ad hoc ſollemne, immo & Senatus. Livius lib. I. *Quandoque major pars eorum, qui aderant, in eandem ſententiam ibant, bellum erat conſenſu fieri ſolitum.* Igitur apud eundem lib. XXVI. de rogatione L. Attilii Trib. Pleb. ubi omnium doctorum confeſſione peſſime vulgatur. *De iis rebus, quid fieri velitis, jubeatis, vos rogo Quirites. Plebs ſic juſſit. Quod ſenatus* * *jurati maxima pars qui adſidetis* (alii, *adſident*) *id volumus, jubemusque.* non male ſi quid cenſeo, repono, *Quod ſenatus jurati maxima pars cenſet, qui* (ſive *quae* illud antique.) *adſit id volumus.* Vide Lipſ. lib. V. Epiſt. Quaeſt. 7. SCHEGK. Locutio ecliptica pro *adeſſe in judicio. Adeſſe* verbum fori, ut *adeſſe* dicuntur judices, ut cauſſam cognoſcant; amici & advocati, ut advocationem praeſtent, litigatores uti in judicio compareant. Cato pro L. Antonio, *adeſſe juſſiſti in diem.* Cicero ad Atticum II. *judicem, qui non adfuerit, compellaturum.* Seneca De Beneficiis lib. V. cap. 8. *Nemo, quamvis pro ſe dixerit, affuiſſe ſibi dicitur.* POPMA. Cicer. I. ad Verr. I. *ad judicium adeſſe* dixit. BURM.

Si quis tanti habitet.] Livius lib. XLV. *Et eos, qui praedium praediave ruſtica pluris ſeſtertium* XXX. *haberent, cenſendi jus factum eſt.* Et Cicero pro Caelio: *Triginta millibus dixiſtis eum habitare.* adjunge de Craſſo & Domitio Plinii locum lib. XVII. cap. I. qui tamen in mendo cubat. SCHEGK. Videtur Tiberium notare, qui Senatori latum clavum ademit, quem cognoviſſet, ſub Kal. Jul. demigraſſe in hortos, quo vilius poſt diem aedes in ur-

be conduceret, teſte Sueton. in ejus vita cap. 35. PUTEAN.

Tanti habitet.] Vulgati libri *tanti habeat.* RAPHEL. Non vidi editionem, quae *habeat* exhibet, nec pro *habitare* voluiſſe Vellejum eo verbo uti arbitror.

Agnoſcitur.] Lipſius malit, *agnoſcatur.* RAPHEL.

Domitii ex Arvernis.] Ille Bituitum ſive Betultum regem eorum perfide vinxit, Valerio ſi fides lib. IX. cap. 6. hic, cum iſto felicius pugnavit. Vide Caeſarem lib. I. Belli Gal. Et quod noſter Domitium ex Arvernis, Fabium ex Allobrogibus tradit, diſſentiunt Strabo lib. IV. Oroſius lib. III. cap. 13. Florus lib. III. cap. 2. De cognomine *Allobrogis*, Paedianus. SCHEGK.

Ut clariſſima, ita artata numero felicitas.] Itane vero artata numero, quae in ſeptenarium proceſſerit? aut laudationi convenit, quod uti magnum quiddam extollas, id parum eſſe ſimul dicere? Lego, nec quidquam haeſito, *ſacrata numero felicitas.* Septenarius numerus ſacer & myſticus, e quo conſtare omnia Pythagorici tradebant. Hinc & Lucius noſter in aſini etiamnum facie, ante preces nocturnas, purificandi ſtudio, marino ſe lavacro tradens, ſepties caput fluctibus ſubmergit: *quod eum numerum*, ait, *praecipue religioni aptiſſimum divinus ille Pythagoras prodiderit.* Eum locum poſui, magis quia memoriae a recenti ejus auctoris & ſatis diligenti lectione maxime erat obvius, quam quod ex aliis alium anquirere, aut adeo ullum ponere, in re nota, neceſſum arbitrarer. ACIDAL. Corrigunt *ſacrata numero felicitas*, & ad ſeptenarium numerum Pythagoricum referunt. ingenioſe, non nego, ſed contra hiſtoriae fidem. *artata numero felicitas*, quod *ſingulis parentibus geniti tot Domitii ad conſulatum omnes pervenere. ſingulis parentibus geniti* dicuntur (nam cave *ſinguli parentibus geniti* reſcribas cum Lipſio, in ceteris hujus loci illuſtrandis feliciter prorſus verſato) qui unici ſunt parentibus ſuis. *ſingulos parentes*, hoc eſt patrem matremque, dici Vellejo, quam Livio *patres familias ſingulos* haud magis mirum. Is libro XXVI. cap. 37. *quibus uxor filiaeve ſint, ſingulas uncias pondo auri relinquant. aeris ſignati quina in ſingulos patres familias relinquamus.* lib. XL. cap. 4. *in viduitate relictae filiae ſingulos filios parvos habebant.* τὸ *artata* vocabulum Vellejo eſt familiare: ſic *artati tem-*

poris

poris ſpatium lib. I. cap. 9. & *artata anguſtiis temporum* ibidem. & *in tranſcurſu artati operis* lib. II. cap. 86. *ſingulis parentibus genitos* tantundem eſt, inquam, ac ſi dicas omnes fuiſſe parentibus ſuis ſingulos ac unicos. de quo loquendi modo complura ad fragmentum Traguriaum Petronii congeſſimus. Fruſtra igitur praeter Lipſium, Puteanus quoque corrigebat *ſinguli*. Heinsius. Recte vindicabat veterem ſcripturam Heinſius, ita enim optimi ſcriptores utuntur voce *ſinguli*. Livius lib. VII. 37. *Milites in praeſenti ſingulis bobus, binisque privis tunicis donati*. pro ſinguli milites uno bove. Suet. Aug. 40. *Tribulibus ſuis die comitiorum ſingula millia nummum a ſe dividebat*. cap. 46. *iis, qui filios filiasve approbarent, ſingula millia pro ſingulis dividebat*. ubi *pro ſingulis* abeſſe malebat Torrentius, me non refragante. Nam a gloſſatore appoſitum puto, qui explicare *ſingula millia* volebat. ſimili gloſſemate liberandum Curtii locum puto, lib. X. I. *ſingulos equos ab iis ſingulis talentis emi*. cum legendum ſit, *ſingulos equos talentis emi*. Suetonius Tiber. 48. *largitus praetorianis ſingula millia denariorum*. vide ad Petron. cap. 65. Burm.

Uti ante hunc, nobiliſſimae ſimplicitatis juvenem, Cn. Domitium, fuere, ſingulis omnino parentibus geniti.] Saepe loco locus explanatur, aut emendatur: ut hic pro *uti*, VII. legendum eſſe, ſi quis Tranquilli verba in Nerone de Domitiis animadvertat, facile conjiciet. ſunt autem haec. *Functi conſulatibus* VII. *triumpho cenſuraque duplici, & inter patricios allecti*. Manut. Videtur mendoſus hic locus: & ſane puto illud *uti* in locum numeri alicujus irrepſiſſe, quod etiam vidit Rhenanus. Sciri quidem poteſt ex Faſtis Conſularibus, quot ex Domitiis Conſulatum geſſerint: ſed incertum eſt, ſint illi *ſingulis omnino geniti parentibus*, vel quot. Dubium quoque eſt, an in univerſum de Domitia gente, cujus duae familiae fuerint, Calvinorum una, Ahenobarborum altera, an vero de Ahenobarbis tantum hic Vellejus agat, quod magis eſt: Nam & hic Domitius, qui de Arvernis triumphavit, quique Vellejo Domitiorum claritatem notandi occaſionem dedit, ex Ahenobarbis fuit, qui ex Domitiis praecipue honoribus floruerunt; de quibus Tranquillus in Nerone. Et hic Vellejus Domitiam *familiam* dicit, non *gentem*.

Quod

Quod autem ait, *ante hunc nobiliſſimae ſimplicitatis juvenem*, pertinet ad Cn. Domitium Neronis, ut puto, Imperatoris patrem, qui biennio poſt M. Vinicium Coſſ. (cui hiſtorias ſuas inſcripſit Paterculus) conſulatum geſſit. de quo infra cap. 72. ſcripſit. *Cn. Domitius, pater L. Domitii nuper a nobis viſi, avus hujus Cn. Domitii clariſſimi juvenis.* Puto autem, ut huic potiſſimum Domitio gratificaretur, qui gratia apud Tiberium plurimum valebat, haec de Domitiorum amplitudine inſeruiſſe Vellejum. cum vero ſcribit Domitios ad triumphi inſignia perveniſſe, non tam exſtantis reipubl. in qua illi praecipue floruerunt, quam ex Imperii Caeſarum, hoc eſt, ſuorum temporum conſuetudine locutus eſt, ſed ne triumphaſſe quidem, quemquam ex illis praeter eum, quo de hic agit, patere auctores tradiderunt. Puto autem hic pro *ſingulis*, legendum eſſe *ſinguli*. PUTEAN. Locus, quem haud temere tranſeam, a verbis corruptum, ab hiſtoria involutum. Quid illud *uti*? corrigunt VII. & receptum id jam in libros, quaſi certum. Ego miror. Nam ad veſtigia ſcripturae haud improbum hoc fateor: quid tamen ad Velleji mentem, aut hiſtoricam fidem? Ecce Vellejus ait, *peculiarem quamdam & artatam numero felicitatem Domitiae familiae ſe notare.* Ubi ea hic? quodne ſeptem in ea conſules? nam illuc referunt. Ridiculum. ego triginta gentes Romanas dabo, in qua longe plures: dabo unam Claudiam, in qua viginti octo. Denique quomodo fides conſtabit, de ſeptem triumphis? nam hoc additur, *omnes paene ad triumphi inſignia perveniſſe.* Atqui volve, revolve Annales, duos modo Triumphos in Domitia gente reperies, quod Suetonius notat diligens & fidus obſervator talium rerum. Haec incommoda in iſta correctione ſunt. Nos ergo legimus IV. *ante hunc*, id eſt, quatuor, iſta mente. In una familia fuiſſe quatuor ſingulis parentibus genitos, ipſosque ſingulos (nam hoc illud rarum quod intelligit, ex unicis unicos ſemper natos:) & eos omnes ad conſulatum perveniſſe, ad Triumphum paene omnes. Velim igitur etiam ſcribi: *ſinguli parentibus geniti*, clarius ad hanc ſententiam exprimendam, non *ſingulis*. Quod tamen ſi retines, eodem trahe. Ab hac noſtra correctione Velleji verba ſunt, *artata numero felicitas*: & de pau-

cis

ctis oſtendit ſe loqui. Etiam Suetonii Domitianum ſtemma, quod initio Neronis legis. Ibi enumerat ab Domitio Allobrogico, quatuor parentibus ſuis unicos, ad Domitium usque patrem Neronis: qui eſt iſte ipſe Vellejanus *nobiliſſimae ſimplicitatis juvenis*. Haec ergo liquent: & omnes iſti conſules. Sed de Triumpho quid? ubi quattuor? Nego eſſe debere. nam dixit Vellejus (cujus verba *jure* penſito) *paene omnes*. Ergo pervenerint, uno minus. Sed hos ipſos tres quomodo expedio? Ex eodem Vellejo: qui dixit non *Triumphos*, ſed *Triumphi inſignia*. Ergo ſunto duo triumphi, alter Domitii Allobrogici notus; alter Domitii Calvini de Hiſpanis; anni DCXXI. Tertius autem Domitius, avus Neronis, donatus eſt ſub Auguſto *ornamentis triumphalibus*, *ex Germanico bello*. Suetonius auctor. Jamne tenebroſae notulae lux facta? mihi videtur. LIPSIUS. Placet emendatio Lipſiana; IV. *ante hunc*. Quam ille multis erudite firmavit in Animadverſionibus ſuis. VOSSIUS.

Ad triumphi autem paene omnes.] Hoc eſt falſum, & fictum in gratiam Tiberii. Nam triumphi inſignia ante oppreſſam a Caeſaribus rempublicam, non concedebantur, & Domitii duo tantum triumphaverunt: Cn. Domitius Calvinus, & Cn. Domitius Ahenobarbus, Procos. ex Hiſpania poſt Conſulatum anno proximo DCCXIX. de quo hic loquitur Paterculus. POPMA.

Per Q. Metellum.] Vetus Editio *perque Metellum.*

C. Marius.] Conſule Salluſtium in Jugurtha. & ſtatim pro, *morandique imperiis*, quidam *immorandique imperiis*: SCHEGK.

Natus equeſtri loco.] Alii originem viliorem Mario tribuunt, ut auctor de viris illuſtribus: qui ait, *humili loco natum*. Ut Plutarchus, qui ſcribit γενόμενον γονέων παντάπασιν ἀδόξων, αὐτουργῶν δὲ καὶ πενήτων: *natum parentibus plane ignotis, & operariis atque pauperibus*. Et Juvenalis: VIII. 245.

— *Volſcorum in monte ſolebat*
Poſcere mercedes alieno laſſus aratro.

LIPS. Forte: *natus agreſti loco*. Sane ipſe Paterculus ſub finem voluminis ait: Marium, *obſcuro loco natum*. Plinius vero lib. XXXIII. cap. II. *aratorem Arpinatem* nominat. Cum quo conſentit Juvenalis Sat. VIII. Item Julius Celſus, qui eum *ruſticanae, ac ne Romanae qui-*

 dem

dem originis, fuiſſe aſſerit. Denique Valerius Maximus, Plutarchus, omneſque alii viliſſimam ei originem aſſignant. Voss. Alii plerique obſcuram originem tribuunt. Ipſe ſe *hominem novum* vocat, apud Salluſt. LXXXV. in qua eadem oratione cum de fiducia generis, quae nobilibus adeſſet, praemiſiſſet, addit: *mihi ſpes omnes in memet ſitae: quas neceſſe eſt & virtute & innocentia tutari.* Hinc etiam videtur, *illud odium invidae nobilitatis in Marium*, rurſumque *Marii vehementia adverſum nobiles*, originem habere. Boecler. Falſiſſimum hoc; ſuſpicor a manu antiqua fuiſſe olim *eſtri loco*, vel *reſtri*. Hoc eſt *rureſtri*: ruri enim mercenarium fuiſſe Marium, in eo ſcriptores conſentiunt: non diſſimili errore alibi apud noſtrum librarii dederant, *crepantes* pro *diſcrepantes*, omiſſa prima ſyllaba. *rureſter* & *ruralis* dicebatur, *lares rurales* in antiquo marmore apud Gruterum p. CCLI. nec male Voſſius *agreſti loco*. Heins. *Silveſtri loco*, profert Pigh. Annal. ad A. U. C. DCXXIX. Cl. Waſſe ad Salluſt. Jug. 67. conjicit, ex *quaeſtuario loco*, id eſt, ex officina ferraria; ſed prius voci, *quaeſtuarius*, deberet hujus ſeculi auctoritas conciliari. Et ſi jam admitti poſſet, magis notaret ex meretricia domo, vel lupanari prodiiſſe, quam ex officina fabri. & hoc ipſa lex 4. §. 1. ff. de his qui not. infam. (nam eo modo citat Waſſe, ut conjectura opus ſit ad indaganda loca) adducta docet, *Lenocinia facit, qui quaeſtuaria mancipia habuerit*, & ita alii. [V. Periz. ad Aelian. V. H. XII. 6.] Burm.

Quantum bello optimus.] Sic quoque Livius lib. LXXX. de eodem loquens. *Haud facile dictu utrum bello melior, an pace pernicioſior fuit.* Puteanus. Duo iſta frequenter convenire in unum eundemque hominem, exemplis patefecimus ad Livium. Gruter. Genus locutionis infrequens, cui par illud Salluſtii Hiſtor. I. *Quam quisque peſſime fecit, tam maxime tutus eſt.* Terent. Heauton. V. 2. *Quam in minima ſpe ſitus erit, tam facillime patris pacem in leges conficiet ſuas.* Popma. Vide Freinsh. not. ad Flor. III. 5. & adde exemplum Belonis apud Curt. VI. II. I. *qui manu ſtrenuus, pacis artium & civilis habitus rudis erat.* Boecler.

Immodicus gloriae, inſatiabilis.] Puto diſtinguendum, *immodicus, gloriae inſatiabilis.* & *immodicum* interpretor, qui linguae non temperabat, ſed nobiles ſemper

de-

trectabat; ſe vero jactabat, ut notum. Ita *immodicum dictis*, Val. Fl. v. 597. ubi plura dicemus, vel, non *verbis tantum, ſed & rebus immodicum*, ut Domitianum deſcribit Sueton. cap. 12. *Inſatiabilis* vero rectius *gloriae* jungitur, ut paſſim avidi, cupidi gloriae dicuntur: *inexplebilem famem honorum* Mario dat Florus III. 21. Sed Salluſt. LXVII. de Mario, *domi modicus, libidinis & divitiarum victor, tantummodo gloriae avidus*. Unde forte hic excidiſſe vocem, quae *gloriae* opponatur ſuſpicari liceat. O*pum* (vel *pecuniae*) *modicus*, ſed prius mallem, cujus ultimae literae *um* abſorptae ab *im*. BURM. V. Act. Lipſ. 1721. p. 117. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 31. 365. V. IX. p. 245.

Naturalem nobilitatis ſuperbiam.] Sic quoque Salluſt. in Jugurtha, eandem rem tractans, *ſuperbiam commune nobilitatis malum* vocat. PUTEAN. Hanc fere maculam nobilitatis ingenitam diximus, etiam ad Livium libris prioribus. GRUT. Mallet quis *nobilitati*. ſed nihil muto. ita *inſita gentis ſuperbia* apud Juſtin. v. 3. quod probat & exemplis firmat Gron. ad Liv. XXVIII. 24. BURM.

Morandique in imperiis.] *Immorandique*, pro diverſa ſcriptura liber antiquus, quod praetulerim. τὸ *in* redundat more antiquo, niſi quod id hoc quoque loco, ut aliis compluribus ſupervacuum, & profectum ab interpolatore arbitrari malumus. HEINS. *In* addi verbo ex eadem praepoſitione compoſito, vidimus ad Quinctil. II. Inſtit. Orat. 17. in fine. BURM.

Commeatu petito.] Miſſione petita dicere debuit, non enim commeatum petebat Marius, ut ad conſtitutum in caſtra rediret, ſed miſſionem cauſariam, ob petitionem ſcilicet Conſulatus, de qua Salluſt. in Jugurth. POPMA.

Triumphus.] Vide Sigon. comment. faſt. & triumph. Rom. ad ann. DCXLIV. BOECLER.

Et meritum, virtutique, &c.] Inducta copula *que*, ſententiam patefacit. MANUT. Maluiſſem rejecta voce poſtrema, *& meritum virtute cognomen Numidici*, ut ſubintelligatur *clariſſimum fuit*. GRUT. Puto, legendum, *virtuti quoque*; non, *virtutique*. Ita autem loquitur Vellejus, quia jam de altero Metello praedixerat: *Quintus Metellus, cui ex virtute Macedonici nomen inditum eſt.* VOSS. Lege, *emeritumque ei virtute cognomen Numidici*

inditum. emereri pro *mereri.* ſic *emeritus triumphus* lib. II. cap. 4. & 47. *quid emeruiſſent*, cap. 66. quod illic ſollicitari non debet. nec aliter Naſo, Propertius, atque horum temporum ſcriptores. ſic & forte ſcribendum cap. 81. *Agrippa ſingulari virtute emeruit.* & cap. 116. *honores excellenti virtute emeruit.* Johannes Ortuinius non male, *& meritum virtute ei cognomen inditum.* venit mihi aliquando in mentem, *& meritum virtute ei utique cognomen Numidici inditum.* Vere, ut opinor. HEINS. Copulam *que* expunxit etiam Sigonius in faſtis ad A. U. C. DCXLIV. legendum vero, *& meritum virtute cognomen*, cum Grutero docet ſimilis locus infra cap. 15. *qui meritum cognomen Pii conſecutus erat.* BURM. V. Graev. Ep. Syll. T. IV. p. 383. Miſc. Obſ. V. IX. p. 248.

Quippe intra XII. *ferme annos.*] Nempe Q. Metelli Numidici, neque enim ad Velleji tempus haec vox referenda eſt. Notat autem Onuphrius Caeciliam gentem Pontificatus Max. IV. Dictaturas II. Magiſteria Equitum totidem, Conſulatus XX. Cenſuras VII. Triumphos IX. intra annos CCL. adeptam fuiſſe, quibus honoribus functi ſunt viri XIX. Naevius Poëta, ut eſt apud Aſconium, *fato Metellos fieri Conſules*, dixit, ad quod reſpexit Cicero in prooemio I. Act. in Verrem. PUTEAN.

Amplius XII.] Iterum in obſervatiuncula iſta haeremus. Si verba, ut poſita ſcriptaque, accipis, falſa ſunt. Non enim profecto intra tot annos, *amplius* XII. Conſules aut Cenſores aut Triumphales fuere. Quid ſi notulas detrahas, ſcribasque, *amplius* X? Id certe verum ſit: & reperio ab anno DCXXXIII. ad annum DCLVI. (qui ſunt anni XII.) reperio inquam in gente Caecilia Conſules quinque, Cenſores duos, Triumphales quattuor. Ergo *undecim*, niſi quid in veſtigando me fugit. Corrige me, non corripe, ſi ita eſt. LIPS. Aut librariorum eſt error, aut ipſius Lipſii. nam ab A. U. C. DCXXXIII. ad annum DCLVI. non ſunt anni XII. ſed XXIII. *niſi me* calculus decipit. quare forte Lipſius ſcripſerit, ſunt anni XXIII. ſed facile eſt reperire numerum XII. Metellorum, quos Coſs. Cenſores & Triumphales, ita ex faſtis digeremus, initium facturi ab A. U. C. DCXXX.

CON-

CONSULES.

A. U. C. 630. Q. Caecilius Metellus Balearicus Macedonici Fil.
634. L. Caec. Met. Metelli Calvi Fil.
636. L. Caec. Metel. Diadematus, vel Delmaticus.
638. M. Caec. Metel. Macedonici Fil.
640. L. Caec. Metel. Caprarius Maced. Fil.
644. Q. Caec. Metel. Numidicus.
655. Q. Caec. Met. Nepos Balearici Fil.

CENSORES.

633. Q. Caec. Met. Balearicus.
638. L. Caec. Met. Calvi Fil.
651. Q. Caec. Metel. Numidicus.

TRIUMPHALES.

632. Q. Caec. Met. Balearicus, de Balearibus.
637. L. Caec. Met. Delmaticus, de Delmatis.
640. M. Caec. Met. de Sardis.
C. Caec. Met. Caprarius, de Macedonibus.
644. Q. Caec. Met. Numidicus, de Jugurtha.

Ita Conſulatus ſeptem, Cenſuras tres, Triumphos quinque Caeciliorum habemus. Non ergò numerus ille XII. (quem non *duodecim*, ſed *duodecies* in Vellejo pronuntio) eſſet minuendus; ſed annorum, intra quos haec decora genti evenere, augendus: nam haec minime intra XII. annos contigerunt, & debuiſſet ſcribere Vellejus *intra* XX. vel XXV. *fere annos*. Rupertus ad Pomponium de Origine Juris lib. II. cap. 6. dicit, ſe intra XVI. annos poſſe Conſules ſex, duos Cenſores, Triumphales quinque invenire. Sed ſi Velleji vulgatum numerum ſervare volumus, & intra XII. fere annos reperire totidem, id eſt, XII. dignitatum inſignia, numerare incipiamus ab A. U. C. 630. ad A. 642. & exibunt quinque Conſulatus, duae Cenſurae, & quatuor Triumphi, & unus modo numerus deerit, quem defectum ſupplebit *τὸ ferme*: ſi enim modo excedamus ad A. 644. duo accedent. Sed captaſſe videtur Vellejus aequum illum annorum XII. & dignitatum XII. in eandem gentem congruentem numerum. Vid. & Pigh. Annal. ad A. U. C. 633. ut autem uno aſpectu celeberrimae gentis decora appareant,

 quae

quae omnia contigere duorum fratrum, nempe Q. Metelli Macedonici, & L. Metelli Calvi filiis, tale ſtemma ſubjicio.

Q. METELLUS MACEDONICUS.

Q. Metel. Balearicus Conſ. 630. Cenſ. 633. Triumph. 632.	L. Met. Delmat. Coſ. 636. Triumph. 638.	M. Metel. Coſ. 638. Triumph. 640.	C. Metel. Caprarius. Coſ. 640. Triumph. 640.
Q. Metel. Nepos. Conſ. 635.			

L. METELLUS CALVUS.

L. Metellus. Coſ. 634. Cenſ. 638.	Q. Metel. Numidicus. Coſ. 644. Triumph. 644. Cenſ. 651. BURM.

Quemadmodum urbium, &c.] Vide ſis praeclara multa iſtis illuſtrandis apud eruditionis omnis honeſtae antiſtitem Petrum Fabrum libro Semeſtrium primore. GRUTER. Inprimis eſt erudita & elegans diſſertatio Petri Fabri I. Semeſtr. 9. qua oſtendit uſitatum eſſe bonis ſcriptoribus, ut dicant *civitates mori*, *naſci*, *vivere*, *reviviſcere*, *aegrotare*, *matresque habere*, *ut homines*. Apud Appian. Punic. Scipio deletam Carthaginem aſpexiſſe & fortunam tum hujus Urbis, tum Ilii, Aſſyriorum item Medorum Perſarumque fata cum hominum fatis comparaſſe legitur. ἐπὶ πολὺ δὲ ἔννους ἐφ' ἑαυτοῦ γενόμενός τε, καὶ συνιδὼν ὅτι καὶ πόλεις καὶ ἔθνη καὶ ἀρχὰς ἁπάσας δεῖ μεταβαλεῖν, ὥσπερ ἀνθρώπου δαίμονα, *diu multumque cogitans conſiderabat civitates etiam gentesque & imperia mutationibus obnoxia eſſe omnia haud ſecus, quam fortunas hominum.* Seneca ep. 71. *Certis eunt cuncta temporibus: naſci debent, creſcere, extingui*, & paulo poſt: *omnes, quae usquam rerum potiuntur urbes, quaeque alienorum imperiorum magna ſunt decora, ubi fuerint, aliquando quaeretur, & vario exitii genere tollentur.* Expreſſit hanc veterum mentem diſerte Thuanus I. hiſt. *Etſi non ignorem, ut homines, ſic imperia naſci, creſcere, decreſcere, ac tandem mori*, &c. Hoc itaque, quod in urbibus impe-

periisque videmus accidere, etiam ad familias & gentes, nobilitatisque fata rectiſſime accommodat Vellejus. Equidem ſicut Deus ſaepe unum aliquem populum ceteris vult & patitur anteſtare, ita nunquam deſunt in populis certae familiae, quae claritudine reliquas multum ſuperent. Sicut item alterius imperii diuturnior eſt fortuna, alterius brevior: ita nobilitas hujus quidem familiae longiſſima celebritate perennat; illius caduca gloria eſt. Talia plura, prorſus congruente parallelismo fatorum, adferre liceret, niſi cujusvis cogitationi ſupplere iſta facile eſſet. Praeſertim autem notatu dignum eſt, quod ſicut urbibus imperiisque vel fatalis mors venit, vel violenta ingruit pernicies: ita illuſtres familias vel fortuita orbitas aut poſterorum ſegnities extinguit, vel tyrannica ſupplicia & crudelitate perdelet. Boecler.

Ut praecaventibus fatis.] Credo haec duo inſerta propter neceſſitudinem, & ſummam conjunctionem Quaeſtoris cum ſuo praeſide, de qua Cicero de Divinatione & Epiſtolis ad Memmium. Schegk. Tentabam: *patriae caventibus fatis*: quaſi compendio ſcriptum verbum fuisſet. nec nunc poenitet. Haec autem referenda ad neceſſitudinem, quae more priſco inter Conſulem & Quaeſtorem eſt, qualis inter patrem filiumque. Cicero non uno loco. Lipsius. Satis obſcura eſt haec ἐπεμβολή, quomodocunque accipiamus. Si enim accipias, *fata jam tum illa inter praeſidem & quaeſtorem neceſſitudine velut praecavere voluiſſe futuras diſcordias & bella civilia*: ſive, Lipſiana correctio (*patriae caventibus fatis*) eodem ſenſu, *aut conſulendi* ſignificatu, & ita explicetur, *quaſi illis* rerum Marii ope geſtarum praeludiis veluti ad majorem Cimbrici belli fortunam ac reip. liberationem conſultum Romanis fata voluerint, ſicut in deſcript. bell. civil. Florus, *actum erat*, inquit, *niſi Marius illi ſaeculo contigiſſet* (quod tamen durius erit inconcinniusque) non ſatis apte haerebunt textui illa verba. Boecler. Locus haud dubie mendoſus. Lipſius, *patriae caventibus fatis*. ſed τὸ *ut* ſatis demonſtrat neſcio quid dicti inſolentioris hic latere. Ego olim, *ut praecipitantibus fatis*. quomodo apud Florum lib. iv. cap. 11. *Sic praecipitantibus fatis praelio ſumta eſt Theſſalia.* Forte, *ut praevaricantibus fatis*. *Praevaricantur* judices, qui cum reo colludunt. Marcello ad SC. Turpilianum *praevari-*

cari accuſator dicitur, qui vera crimina accuſati abſcondit. Ita *praevaricari fata* hic dicuntur, quae favent hominibus in perniciem reip. natis. Lucanus de Mario hoc ipſo lib. III. *Vir ferus & Romam cupienti perdere fato ſufficiens.* Romam velle perdere, quam ſingulari favore in ſummum terrarum culmen evexerat, praevaricantis eſt fati. ſic & Tacitus Hiſt. I. cap. 50. de Othone & Vitellio: *Tum duos omnium mortalium impudicitia, ignavia, luxuria deterrimos, velut ad perdendum imperium fataliter electos non ſenatus modo & eques, ſed vulgus quoque palam moerere.* ubi malim *fataliter evectos*. neuter enim electus, aut a Senatu, aut a praedeceſſore. ſed ad rem. *praevaricator cauſae publicae* in epiſtola Coelii ad Ciceronem lib. VIII. ep. II. Verum de *praevaricandi* verbo ejusque ſignificatu non uno copioſe praeter caeteros egit vir, ſi quis alius, de antiquitate omnique re litteraria pulcherrimum meritus in modum, Aegidius Menagius Juris Amoenitatibus. Habet & nonnulla ad Solinum Salmaſius. In Gloſſariis Labbaei, ἡ ἀπόστασις, *praevaricatio*. quae in aliis eſt, *rebellio, ſegregatio, abitus, defectio, ſpatium*: denuo: *Praevaricatio*, προδοσία, παράβασις, καθύφεσις. *Praevaricantes*, παραβαίνοντας, παραβάτας. *praevaricat*, διασκελίζει, *praevaricatio*, ἡ ἀπόστασις, παράβασις. *praevaricator*, καθυφέτης, πλαστοκατήγορος, προδότης, παραβάτης. HEINS. Nihil puto apertius τῷ *praecaventibus*, quae voluerunt jam tum concordiae, ſi potuiſſent, fundamenta ponere in quaeſtura. illa reliqua ſunt ἀπροσδιόνυσα. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 457.

Copulatum.] Eſt enim maxima Conſulis & Quaeſtoris neceſſitudo. PUTEAN.

CXXXIIX.] Lego, CXXXIV. MANUT. Immo CXXXVI. anni nempe a devicto Jugurtha ad Vinucii conſulatum numerari debent. PUTEAN.

Conſulatus initio.] Recte *initio.* ſtante Repub. deſignatus conſul inibat conſulatum more majorum Kal. Januar. qui, ſubſecuto Imperatorum aevo, *Ordinarius* dicebatur; quia ex tunc in ſingulos annos plures Conſules creari inoleverat. Caſſiodorus & Apollinaris. SCHEGK.

Effuſa immanis vis Germ. gent. quibus nomen Cimbris ac Teutonis erat.] Notati hujus belli ſcriptores ad Flor. III. 3. a Camerte & Freinshemio. BOECLER.

Cim-

Cimbris ac Teutonis.] Nota Ciceronem de provinciis Conſul. & Salluſtium in Jugurtha hos Gallorum generali nomine concelebrare. SCHEGKIUS. Florus quoque lib. III. 3. *ab extremis Galliae profugos* dixit, ſed confudiſſe ſaepe veteres Galliae & Germaniae limites ſatis conſtat. vide mox Voſſium, & alios ad cap. 19. BURM.

Cum Caepionem,] Emendandus igitur Salluſtius, in quo vir doctiſſimus contra hiſtoriae veritatem *Q. Scipionem* recenſere peroptavit. poſt alios, Agellium, Strabonem, Oroſium, Juſtinum, Paedianum in Cornel. Eutropium viſe. SCHEGK.

Manliumque.] *Manilium*, repono, ex Caſſiodoro, & Obſequente. MANUT. Nihil muta, ſi ſapis. Tacitus in Germania: *At Germani Carbone & Caſſio & Scauro Aurelio, & Servilio Caepione; M. quoque Manlio fuſis vel captis, quinque ſimul conſulareis exercitus populo Romano.* facit Epitoma Livii LXVII. Salluſtius Jugurtha, Oroſius lib. V. cap. 16. Caſſiodorus. aliis *Mallium* arridet. Sciant hoc Graecum, illud Latinum. In praenomine diſſenſus. Salluſtio & Tacito *Marcus*, Livio & Oroſio *Cajus*; aliis *Cneus*. SCHEGKIUS. Sigonius in Faſtis ad A. U. C. DCXLVIII. *Mallium* legit, & *Manlios* diverſos a *Malliis* fuiſſe cenſet. ita apud Quinct. Decl. III. cap. 4. legendum, *Servilii Malliique bina cum tot legionibus caſtra perdidimus*, ut ex Wittiano codice edidimus. male vero *Conſulem* multae editiones, cum *Conſules* ſit legendum, vel ut in prima Eraſmi, Stephan. & aliis, *Coſſ.* [*Coſ.* Fabric. ad Oroſ. V. 16.] BURM.

Silanumque.] *Syllanumque.* editio Rhenani.

Scaurumque Aurelium Coſ.] Legatum fuiſſe, cum captus & occiſus eſt, M. Scaurum, oſtendit epitome Liviana. Itaque legendum puto, *conſularem.* triennio enim ante conſulatum geſſerunt, anno U. DCXLV. Et Oroſius, *in ea*, inquit, *pugna M. Aurelius conſularis captus, atque interfectus eſt.* MANUT. Quod vir doctus *Aurelium conſularem* mavult, nollem factum. conſul enim, e Tacito notum, male pugnavit, legatus conſulis triennio poſt captus, aque Belo rege occiſus eſt. Livius dicto loco. SCHEGK. Legendum puto *conſularem*, neque enim Coſ. occiſus eſt. Itaque Oroſius hoc ipſum tractans *conſularem* vocat, Livius *Legatum* conſulis. PUTEAN. Vide Pigh. Annal. ad A. U. C. CCXLV.

Populus crearet.] De hac lege Cicero II. in Rullum. Sueton. in Nerone, alii. PUTEAN. Advocando minorem ejus partem. Cicero in Rullum. abrogavit poſtmodum Sulla, reſtituit Labienus, Dio l. XXVII. De collegio Cicero in Epiſtola 10. ad Appium: *Ampliſſimi ſacerdotii collegium; in quo non modo amicitiam violari apud majores noſtros fas non erat, ſed ne cooptare quidem ſacerdotem licebat, qui cuiquam ex collegio eſſet inimicus.* SCHEGK. *Pontifex* maximus, *& rex ſacrificulus & flamines a populo creati, pontifex quidem tributis comitiis, rex centuriatis, flamines curiatis, tum cum reliqui ſacerdotes a collegiis cooptarentur. quos omnes poſtea Cn. Domitius ad comitia populi tributa tranſtulit anno* DCLI. *Mario & Oreſte Coſſ. quam legem poſt a Sylla ſublatam, & iterum a T. Labieno tr. pl. Cicerone Coſ. relatam, iterum M. Antonius Coſ. poſt Caeſaris Dictatoris necem abrogavit. qua inſequenti anno una cum ceteris Antonianis legibus Sc. ſublata, res rurſus ad populi comitia rediit.* Libuit haec ex Sigon. I. de antiq. jur. civ. Rom. 19. adſcribere. BOECLER.

Amplius CL. *millibus hoſtium.*] Ducenta millia caeſa fuiſſe ſcribunt Epitome Livii & Oroſius & Eutrop. amplius CL. millia Plutarchus. PUTEAN. Bene *poſtero die:* & tunc iterum pugnatum. Plutarchus aliique conſenſu tradiderunt. Oroſio quid viſum diſſentire, ſic ſcribenti? *Quarto die rurſus productae utrumque in campum acies, usque ad meridiem paene pari pugnavere diſcrimine*, Non poteſt, ut haec res fuit, de quarto die. Audacter emendo: *Orto die.* LIPS.

Gensque exciſa.] Mallem copulam transferre alio. & legere, *ampliusque* CL. *millibus*, &c. *gens exciſa Teutonum.* BURM.

Quibus nomen erat Raudiis.] Magna eſt varietas apud auctores in hoc nomine. Apud Plinium de viris illuſtribus Cod. quidam habent, *Claudium campum*, alii *Laudium;* quomodo & ſcriptos quosdam habere Vinetus teſtatur. quidam veteres *Savidum* apud Flor. lib. III. vulgares Cod. *Claudium* edunt. Scripti autem *Raudium*, quomodo hic quoque legendum puto. PUTEANUS. Monitum ante me, veteres quosdam *Raudium* exhibere. quod ego pro nihilo minime habeam. Eſt ea loquendi forma, de qua lib. XV. cap. 29. Gellius: allato e L.

Pi-

Piſonis Annalib. exemplo. *L. Tarquinium collegam ſuum, quia Tarquinium nomen eſſet, metuere.* Quod & ipſe eſt imitatus lib. XVII. cap. 5. *Hiſtrio in terra Graecia fuit fama celebri, qui geſtus & vocis claritudine & venuſtate ceteris antiſtabat. nomen fuiſſe ajunt Polum.* Nec ſecus de illo Senecae mihi videtur: ep. 12. *Ideo Heracletus, cui cognomen Scotinon fecit orationis obſcuritas.* Acidal. Florus *Claudium*: veteres eruditiſſimi Vineti *Raudium*, nec numerus caeſorum convenit. vide Livium, Oroſium, Euſebium, Florum. Schegk. Vulgatam lectionem retineo: & ſic etiam apud Florum lib. III. cap. 3. cum codicibus MSS. legendum cenſeo. Apud Aurelium Victorem legitur: *in Campio Caudio*: ſed & variant ibi codices. Nam, ut notatum Andreae Schotto, in nonnullis eſt, *Savidio*, in aliis *Rhaudio*. Quod verum eſt. Videtur autem inde id nomen fuiſſe corruptum, quod librariis notius fuerit Caudium oppidum Hirpinorum. Voss. *Raudis* Edit. Rhenani, Eraſmi, Steph. Manutii, Gruteri, Popmae, & alior. Quod vero *Raudium* quosdam veteres exhibere Acidalius notat, de Floro & aliis verum eſt, ſed huic loco Velleji minime conveniens; cum elegantius dicatur, *quibus nomen erat Raudiis*, quam *Raudium*, Juſtin. lib. XIII. 7. *Ariſtaeus, cui nomen Batto fuit.* Ita lege apud Tacitum V. 1. *Rubellio & Fabio Coſſ. quorum utrique Geminis cognomentum erat.* non *Geminus*. ut lib. XV. 37. *Cui nomen Pythagorae fuit.* & ita ſemper Livium ſolere loqui notat Gronov. ad lib. I. 1. & 3. Burm.

Decertavere praelio.] Deeſſe videtur *cum Cimbris*, vel quid ejusmodi: haec enim pugna cum Cimbris pugnata eſt, cum ſuperiori Teutoni deleti omnino fuiſſent. Putean. Vir doctus exiſtimabat, deeſſe, *cum Cimbris*. Cui non adſentio. Vera lectio haud alia, ac vulgata. Nec periculum fuit, ne de aliis, quam Cimbris, haec caperentur. Nam Cimbros ſolum, & Teutonos, ſedibus ſuis egreſſos, narravit Vellejus. Teutonorum autem gens jam excîſa erat, ut paullo ante memoratum. Satis clarum itaque, ad Cimbros hoc referendum; etiamſi nomen eorum non exprimatur. Voss.

C. M. *hominum.*] Epit. Livii lib. LXVIII. Eutrop. lib. V. Flor. lib. III. Oroſ. lib. V. CXL. millia caeſa ſcribunt, Plutarch. in Mario CXX. millia. Capta autem

LX. millia omnes ſcribunt. quo fit, ut hic putem ſcribendum, *amplius* CC. M. *hominum*. Putean. Ut alii ſummas caeſorum captorumve concipiunt, videatur geminanda centenaria hic nota: CC. M. *hominum*. Lips.

Ac bona malis repenſaſſe.] Fortaſſe facilius legeres; *mala bonis repenſaſſe*, ſicut alii loquuntur. quanquam hunc ſenſum etiam uſitata lectio ſuſtinere poteſt. Magnum oppido & reip. periclitanti ſalutare cumprimis facinus: ſed quae merita poſſunt contra ultimam turbatae patriae impietatem nominari? Et ſi recte rem putamus, plus eſt quod nocuit patriae Marius, quam quod profuit. Boecler. *Bona malis repenſaſſe*, idem notat, ac ſi dixiſſet, *mala bonis repenſaſſe*, ut hic quosdam legere, notat Vorſtius ad Juſt. lib. V. 2. ſic & infr. cap. 21. *cujus interitus voluptas, amiſſorum aut gladio aut morbo civium pene damno repenſata eſt.* eſt enim *repenſare* idem, quod *aequare*, ſic & *compenſare*, Ovid. Epiſt. III. 51. vide ad cap. 88. Burm.

Servilii.] *Servili* editio Rhenani.

Conſul armis compeſcuit.] Abundare putem vocem *Conſul.* quid enim ita opus erat, *conſulatus*, *quo conſul?* aut reponendum, *conſilio & armis*. Sed tertia conjectura veriſſima eſt: *conſularibus armis*. Nimirum heic quoque, ut pluribus noſtri locis, pridem animadverſis, decurtatio illa vulgaris fraudem frauſa eſt. Coſ. enim nota, non *conſulem* tantum, ſed & *conſulatum*, *conſularem*, quaeque inde alia, omnia inquam iſta veteri ſcriptura ſignavit: e qua poſt novi exſcriptores *Conſul* tantummodo concinnarunt. Ejus exempla dat aliqua doctiſſ. Schegkius: quem heic facem nobis alluxiſſe, ingrati aut invidi ſimus, ſi negemus, immo vero etiam ſi taceamus. Acidal.

M. Livius Druſus.] At ex Val. Max. lib. IX. cap. 5. Aſcon. in Cornel. & Auctore de Vir. Ill. liquet, hunc Druſum fuiſſe ambitioſum, profuſum, ſuperbum & audacem. Puto autem Vellejum hoc loco, ut Tiberio adularetur, quia a Liviis maternum genus trahebat (de quo Suet. in Tiber. & Val. Max. lib. II. cap. 9.) Vellejum, inquam, in hoc Livio laudando ſolito longiorem fuiſſe. Putean. Cicero pro Milone, Plutarchus Catone. Non fuit ille, ut nuper quidam ad Orationem pro Milone falſo putavit, qui C. Gracchi pernicioſis conatibus

reſtitit; cujus mentio apud Plutarchum, Suetonium, Appianum, Ciceronem de Finibus, ſed ejus filius, de quo C. Carbo apud Ciceronem in Oratore: O *Marce Druſe* (loquitur de patre) *tu dicere ſolebas, ſacram eſſe rempub. quicunque eam violaſſet, ab omnibus ei eſſe poenas perſolutas. patris dictum ſapiens, temeritas filii comprobavit.* De temeritate Valerius lib. IX. cap. 5. ſeditionis cauſſam invenies in Epitoma LXX. Flori lib. III. Cic. II. de Oratore, aliis. SCHEGK. De M. Druſi ingenio, moribus, actionibus longe aliter judicat Cicero in Oratore. Sed Vellejus ſervit adfectibus ſuis, & in gratiam Tiberii Caeſaris, cujus mater Livia Druſilla, omnem motuum illorum culpam confert in ſenatum: ſicut Salluſtius in Optimates, Epiſt. II. de repub. ordinanda ad C. Caeſarem. POPMA. Egregie explicabit Vellejum Florus III. 17. nominatique a Camerte ſcriptores. Juventuti haec ſcribimus, in cujus manibus verſari illum Auctorem ſcimus: neque nobis repetere libet alibi aliis notata. BOECLER.

Senatui priſcum reſtituere decus.] Haec verba caute accipias velim. Non enim Senatui priſcum reſtituebat decus, niſi ex parte: neque judicia prorſus ad eum referebat, ſed aequaliter cum eo, & equitibus communicabat. Rualdus in animadv. ad Plutarch. p. 114. HUDSON.

P. Rutilium.] *Rufum.* Eſt ille ipſe hiſtoricus, de quo ſupra, Conſul cum Manlio. vita Socraticum probavit. certatim in eo extollendo ſcriptores. Minutius in Octav. *Quod ſi mundus divina providentia & alicujus numinis auctoritate regeretur, numquam mereretur Phalaris & Dionyſius regnum, nunquam Rutilius, & Camillus exſilium, numquam Socrates venenum.* Damnatus Smyrnam commigravit litterarum ſtudio. Ovid. lib. I. de Ponto; *Et grave magnanimi robur mirare Rutili, Non uſi reditus conditione dati. Smyrna virum tenuit:* —— SCHEGKIUS. Fallitur vehementer Schegkius: (ſupra ad cap. 9.) qui aſſerere conatur, alium hunc eſſe ab illo, quem hiſtoriam Romanam Graece ſcripſiſſe lib. quarto teſtatur Athenaeus. Contrarium verum eſſe, jam docuit parens lib. I. de Hiſtoricis Graecis, cap. 22. Voss. Etiam Liv. epit. LXX. *ſumma innocentia virum* vocat. Senec. epiſt. 79. *Rutilii innocentia ac virtus lateret, niſi accepiſſet injuriam: dum violatur, effulſit.* Eſſe eundem, quem ſupra,

pra inter Hiſtoricos nominavit Vellejus II. 9. 4. probat Gerard. Jo. Voſſ. I. de Hiſt. Graec. 22. Boecl.

In iis ipſis, quae pro ſenatu moliebatur.] Notabilis eſt Salluſtii locus Orat. 2. de rep. ord. *M. Livio Druſo ſemper conſilium fuit, in tribunatu ſumma ope niti pro nobilitate: neque ullam rem in principio agere intendit, niſi illi auctores fierent homines factioſi, quibus dolus atque malitia fide cariora erant. Ubi intellexerunt, per unum hominem maximum beneficium multis mortalibus dari, videlicet & ſibi quisque conſcius, malo atque infido animo eſſe, de M. Livio Druſo juxta ac de ſe exiſtimaverunt. Itaque metu, ne per tantam gratiam ſolus rerum potiretur, contra eum nixi, ſua ipſius conſilia diſturbaverunt.* Boecler.

Ineſcandae illiciendaeque multitudinis.] Fieri iſtud plerumque oſtendimus ad illa Livii lib. V. 2. *Hoc illud eſſe dictitantes, quae aera militibus ſint conſtituta, nec ſe fefelliſſe, id donum inimicorum veneno illitum fore.* Gruter. In his verbis continetur inſigne *arcanum Ariſtocraticum adverſus plebem* (ita enim ratione latiſſimi uſus exiſtimo) quod *ſimulacris imperii* etiam accenſet Clapmar. de arcan. VI. 14. Boecl.

Ut minoribus perceptis.] Fortaſſe *praereptis.* Lipſius. Raphel. Haec vetus lectio, non *praeceptis*, ut volunt. Voss. Concinnius, *minoribus praeceptis.* ut alii jam monuerunt. ſed & corrigendum *majora permitterent.* ut tollatur ambiguitas orationis. *permitterent*, plebs ſcilicet. tum dele mox τὸ *ejus. quam optime ab ipſo cogitata.* aliter Lipſius. Heins.

Optime cogitata.] Vide ad Ovid. Ep. VII. 29. & recte *optime* addit, nam & *male cogitare*, pro res novas moliri, dicitur: & Graev. ad Cicer. I. de Off. 8. & ſupr. ad lib. I. 10. Sic Antonius apud Cicer. XIV. ad Att. 13. *ſi humaniter, & ſapienter, & amabiliter in me cogitare velis.* Burm.

Ab ipſo.] Voces, *ab ipſo*, ſuperfluere cenſeo. Lips.

Male cedebant.] Lipſius malit *cadebant.* Raphel. Non invenuſtum fateor, ſed quid opus mutare veteris codicis ſcripturam, quae aeque bona. ut abunde docebunt notae Heinſ. ad Ovid. II. Faſtor. 380. Et hic male novari probat ſimilis locus infr. cap. XVIII. *& bene conſulta ei male cederent.* Burm.

Immenſa illa & incognita.] Mei res arbitri ſit, *incon-*

dita multo malim. Tu quoque cogita, lector, & non noles, intelligesque turbam, quae temere & gregatim circumfuſa comitabatur. Acidal. Poſſis etiam *incondita*. Lips. *Incondita*. nec dubitare Lipſius debuit, Taciti ſui hic oblitus. Is Annal. lib. II. cap. 52. & Hiſt. IV. cap. 67. *inconditam turbam* parili modo dixit. Annal. lib. II. cap. 12. *Audiri fremitum equorum, immenſique, & inconditi agminis murmur*. Ann. III. cap. 42. *inconditam multitudinem disjecit*. cap. 45. *inconditique ac militiae neſcii*. Livius lib. XXIV. cap. 29. *quae legatio peropportuna viſa ad multitudinem inconditam & tumultuoſam exonerandam*. lib. XXV. 13. *inconditam inermemque turbam adveniſſe*. cap. 15. *inconditam turbam in fugam averterunt*. XLIV. 45. *multitudo incondita plurium ſimul gentium*. Curtius lib. III. cap. 8. *incondita multitudo*. lib. IX. 2. *non nunc primum inconditam ſuſtinetis turbam*. atque ita ſaepe cum ille, tum alii ſcriptores. Heins.

Cultello percuſſus.] Sic Livius lib. LXX. Appian. lib. I. Auctor de Vir. Illuſtr. Senec. de Brevit. Vit. Oroſ. lib. V. At Cicer. de Nat. Deor. ejus percuſſorem *Q. Varium* nominat. Plin. lib. XXVIII. 9. ſcribit eum *caprinum bibiſſe*. Putean. A C. Vario. Cicero III. de natura Deor. ambigunt tamen auctores. Senecam de brevitate vitae conſule, Pliniumque lib. XXVIII. cap. 9. Leges ejus tanquam contra auſpicia latae conſule Philippo referente uno SC. ſublatae. Paedianus, & Cicero III. de Legib. Schegk. Florus, quaſi de fatali morte, *Druſum*, inquit, *aegrum rerum temere motarum matura, ut in tali diſcrimine, mors abſtulit*. Ceteri tamen percuſſoris manu (Ciceroni C. *Varius, homo importuniſſimus*, vocatur) periiſſe conſentiunt. Senec. de brev. vit. 6. Diſputatur, an *ipſe ſibi manus attulerit. ſubito enim vulnere per inguen accepto, collapſus eſt: aliquo dubitante an mors voluntaria eſſet, nullo, an tempeſtiva*. Idem Conſol. ad Marc. 16. *intra penates interemtum, incerto caedis auctore* memorat. Boecl.

Deceſſit.] Gruterus & Voſſius ediderunt *diſceſſit*, perperam ſine dubio.

Effudit vocem.] Sic Graeci χέειν βοὴν dicunt, Lycophron Caſſand. verſ. 5. Ἀλλ' ἄσπετον χέασα παμμιγῆ βοήν. Ubi Tzetzes, τροπικὴ λέξις, καὶ μεταφορικὴ ἀπὸ τῶν χεομένων ὑδάτων. Boxh. In utramque partem utuntur

hoc

hoc verbo, & de dicto memorabili, ut hic, & apud Virgil. v. 48. *Iſte ſuper tales effundit pectore voces.* & alibi: & de inconſiderato & temerario ſermone. Gell. II. 22. *rationesque omnium, quia plus paullo adbibi, effudiſſem.* Valer. Flacc. VII. 434. *prima cupiens effundere voce omnia.* BURM.

Ecquando ſimilem mei.] Sic Alexander moriens apud Juſtin. lib. XII. 15. *Amicos circumſtantes percunctatur, videanturne ſibi ſimilem reperturi regem.* in prima editione hic eſt, *ecquandone.* BURM.

Aedificaret domum.] *Templum.* Edit. Rhen.

In Palatio in eo loco.] Alterum *in* redundat. HEINS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 32. 366. V. IX. p. 246.

Cenſorini.] Puto eſſe C. Marcii Cenſorini, qui conſul fuit A. U. DCCXLVI. quem laudat infr. c. 102. & ad quem Horatii Ode 8. lib. IV. Siſenna vero eſt T. Statilius Siſenna conſul A. DCCLXIX. de quo vide Ryck. ad Tacit. II. Annal. I. BURM.

Libera a conſpectu.] Quis non videt ſuperfluere tanquam interpretamentum ſequentis ſermonis? *libera a conſpectu.* itaque tollatur. GRUTER.

Immunis ab omnibus hominibus.] Putavi aliquando legendum eſſe *luminibus. Lumina* autem vocant juris auctores, quibus coelum videtur & aër excipitur, qua etiam voce Tullius utitur. Sed Rhen. in V. C. *ab omnibus arbitris*, legi teſtatus, quam ego lectionem mirifice amplector, ut elegantem & Vellejo noſtro dignam. *Arbiter* enim, praeter vulgatam & notam ſignificationem, is eſt, qui quid ſpeculatur & inſpicit, apud Plautum, Apulejum, & alios. Cicero autem eodem fere dicendi genere in v. Verrin. 31. dixit, *locum amoenum, & ab arbitris remotum.* & XV. ad Att. 16. *loca abdita & ab arbitriis libera.* Hanc hiſtoriam refert Plutarchus πολιτικ. παρεγγέλμασιν. PUTEAN. Rhen. & Ald. *immun. ab omnibus hominibus.* noſtra auctorem agnoſcit Burr. MS. eleganter apud Plautum *loco libero* perpetuo opponi illum, *ubi arbiter*, notum, quibus Plautinae epulae ad ſtomachum. SCHEGK. Prima editio optime, *ab omnibus arbitris. Arbitri* ſunt inſpectores, cenſores, quique facta tua aut verba arbitrentur. Plautus Poen. III. 3. — *Potare, amare vult, ne qui ſciat, Neve arbiter ſit.* Iterum: Capt. II. I. *Secede huc nunc jam ſi videtur procul, Ne*

arbi-

arbitri dicta noſtra arbitrari queant. LIPS. Legendum cum MSS. *arbitris eſſet*, nihil certius. VOSS. Prima editio. *Immunisque ab omnibus hominibus.* Pricaeus ad Apol. Apulej. p. 106. *ab omnium luminibus*, corrigebat: *immunisque* vero eſt in Rhen. Edit.

Neque quisquam in eam deſpicere poſſet.] Non heic pertendam ſuſpicionem, quae me initio prehenderat, *eſpicere* legendum. Video enim nunc propius, illud alterum quid velit: etſi antiquum hoc plerumque ſic interpolatum ſcio. Sed exemplorum vim hic mihi non quaeram, quibus jam tum alius eſt a me locus deſtinatus. E Juſtino tamen haud parco bina promere, dubia mihi, ut eruditorum judicio vel erigantur, vel evertantur. lib. 11. *Interea rex velut ſpectator pugnae, cum parte navium in litore remanet.* In veteribus legi *exſpectatae* monuit vir maximi nominis, & cui ille ſcriptor, quod alii fecerat, paene idem paſſus, integritatis & ſalutis ſuae maximam partem debet, Jacobus Bongarſius. inde fortean *exſpectator* verius ſit. Idem lib. XIII. *exſpectabant* in vulgatis omnibus ſpectari notavit eo loco, ubi nunc: *Sed nec amici Alexandri fruſtra regnum ſpectabant*: ut ſuſpicari & heic liceat, *exſpectabant* fuiſſe ab auctoris, alterum a deſcriptoris manu. Facilis enim ad mendam lapſus e ſcribendi conſuetudine priſca, quam *x*, pro *s*, & contra poni nihil prorſus intererat. Hoc etiam cum alibi prolixe ago, tum hic breviter uno Ciceronis exemplo libabo. Tuſcul. quaeſt. I. multa ex Platone converſa, quae ad judices morti jam addictus Socrates dixerat, in diſputatione Tullius recenſet: poſt illa, ſua pauca infert: *Et hoc quidem hoc modo: nihil autem melius aeſtimo.* Hic Lambinus *extremo* reponit: ego hac uſus literarum inter ſe, ac diphthongi ſimul cum vocali ſimplici permutatione, ſcribo, *extimo*, quod eſt idem cum *extremo.* Qua de correctione dubitandum quidem arbitror nemini: de ſuperioribus diſpiciant me ſuperiores, & in iis ipſe prae caeteris Juſtini juſtiſſimus arbiter Bongarſius. ACIDAL. Gloſſema eſt a liberalitate exſcriptorum. BOXH. Non ait idem, quod in praecedentibus, Vellejus. Nam *deſpicere* valet, ab alto inſpicere. Falluntur itaque, qui verba haec pro gloſſemate inducenda eſſe contendunt. VOSS. Verum eſt quidem *deſpicere*, notare ab alto inſpicere, ut apud Horat. III. Od. 7. *in*

vias deſpicere, & paſſim, ſed hic ſimpliciter capere licet, pro inſpicere, a quacumque parte, ſive ab alto, ſive a latere, aut plano. nam *deſpicere* etiam pro videre uſurpatum veteribus videbis probatum a Cl. Graevio ad Ciceron. pro Roſc. Amerin. 8. & hoc probant ſequentia *ab omnibus* (non tantum vicinis, qui ſupra habitant) *perſpici.* quare ſibi ne placeat Riguezius, qui rariorem hujus verbi acceptionem ex illo Ciceronis loco captans, interpretatur, oculos avertere, viſum alio detorquere, cum plane Cicero contrarium velit. Vix tamen a tautologia hic excuſari poſſe Vellejus mihi videtur. BURM.

Compone domum meam.] Nullam video emphaſim in poſtremis verbis duobus, vixque eſt, ut non debeantur curioſitati librariorum. GRUT. Hudſonius male hanc notam Gruteri retulit ad illa *ſi quid in te artis eſt*, quaſi illa voluiſſet eſſe a Gloſſariis.

Ut quicquid agam.] Vir vere antiquus Romanum ad morem. *Nam, ut ait Cato, & in atrio & duobus ferculis epulabantur antiqui:* Unde Juvenalis: I. 94. — *qui fercula ſeptem Secreto coenavit avus? Ibique etiam pecuniam deponebant, unde qui honoratiores ſervierant, liminum cuſtodes adhibebantur.* & quae ſequuntur in Servio ad hoc Virgilii; I. Aeneid. 725. — *vocemque per ampla volutans Atria.* —— Et Valerius lib. II. cap. 5. *Nam maximis viris prandere & coenare in propatulo, verecundiae non erat: nec ſane ullas epulas habebant, quas populi oculis ſubjicere erubeſcerent.* Huc reſpexiſſe Gracchum apud Livium lib. XXIV. facile accredo. *Beneventani*, ait, *omnes, turba effuſa cum obviam ad portas exiſſent, complecti milites, gratulari, vocare in hoſpitium. Parata convivia omnibus in propatulo aedium fuerant: ad ea invitabant, Gracchumque orabant, ut epulari permitteret militibus. Et Gracchus ita permiſit, in publico epularentur omnes.* Et Auguſtum apud Suetonium cap. 64. *Filiam & neptes ita inſtituit, ut etiam lanificio aſſuefaceret: vetaretque loqui aut agere quidquam niſi propalam, & quod in diurnos commentarios referretur.* SCHEGK.

In legibus Gracchi.] Sed quorſum hic Gracchanarum legum Paterculus meminit? Nempe quia earum nonnullas Druſus retulit, ut de coloniis deducendis, teſte Appiano lib. I. Unde manifeſtum eſt, quaedam hoc loco de iſta Druſi lege deſiderari. PUTEAN. Nihil deeſt, ſed ma-

maluit Graccho, quam Druſo invidiam facere; adulatum enim Tiberio ſupra adnotaverunt Viri Docti.

Quod extra Italiam colonias poſuit.] Sigon. de antiq. Jur. provinc. I. 2. Eſt autem laudabili obſervatione hic a Vellejo animadverſum & comparatione nobilium exemplorum veluti commentario illuſtratum, illud Romanorum *de coloniis extra Italiam non deducendis arcanum.* qui profundo conſilio, ut in plerisque imperii artibus, ſedem ſui imperii majeſtatemque non parum hac ratione firmabant. BOECLER.

Byzantium Mileto.] At Philoſtratus, Stephanus & Euſtathius Byzantium Megarenſium eſſe coloniam ſcribunt. Juſtin. lib. IX. a Pauſania conditum tradit Spartanorum rege. De Mileto nemo, quod ſciam, tradidit praeter Vellejum. PUTEAN.

Vitaverant, ut cives Rom.] Oratio concinnior eſt, ſi & pro *ut*, mox *revocaverant*, pro *revocaverint* legas. Aut quod nunc primum incidit, ſi relativam voculam immittas: *ut qui cives Romanos.* Ac tum quidem *ut* pro *utpote*, quomodo frequenter, erit. *Qui* vero facile ſequentis ſyllabae contagione periit: cum ἀρχαϊκῶς ſcriptum eſſet, *ut ei cives.* ACIDAL. Forte, *ut & cives R.* BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 32.

Ut C. R. ad cenſendum.] In Provinciis enim multi cives R. verſabantur, partim aratores & pecuarii, partim publicani & negotiatores, ibique ſedem ſuarum fortunarum habebant, quod compluribus Ciceronis locis adductis probarunt Hottom. de verbis juris, & Sigonius de Jur. Civ. R. lib. II. cap. 10. & de Jur. Prov. I. 2. hi autem non fere Romam, niſi cenſendi cauſſa veniebant; quod praeter Vellejum hoc loco indicat etiam Cicero ad Attic. lib. I. ſub finem. Malim autem has notas C. R. explicare, *Civeis Romanos*, quam ut Sigonius *Cives Romani.* ſic enim hunc locum adducit ille. PUTEAN.

Prima autem extra Italiam colonia, Carthago condita eſt.] Parum abeſt, quin totum hoc exturbandum dicam; totidem enim verbis lib. priori legitur. VOSS.

Mors Druſi.] Flor. III. 18. ibique *Camers.* vidend. Sigon. de antiq. jur. Ital. III. I. BOECLER.

Italicum.] Sic dictum, quia caput imperii ſui Corfinium legerant. *Sociale* Floro, *Marſicum* Straboni. Scripſerunt hoc bellum Appianus I. bell. civil. Strabo lib. V.

Livius lib. LXXI. & LXXXII. Plinius lib. XXXII. cap. 1. Eutropius, Oroſius, Macrobius Saturnal. I. SCHEGK.

P. Rutilio.] *Pompejo Rutilio* ed. Rhen.

Abhinc annos CXX.] Lege CXIX. MANUT.

Cum id malum in universa Italia, ab Aſculanis eſſet, &c.] Hoc totum ſi reſtitueretur hoc modo, planum eſſet: *Univerſa Italia, cum id malum ab Aſculanis ortum eſſet.* Ut illud, *univerſa Italia*, ad illud referatur, quod pone ſequitur, *arma adverſus Romanos cepit.* Quod alioqui unde pendeat, non habet, nec poteſt ipſum per ſe conſiſtere. Hanc opinor Vellejo mentem fuiſſe: in verbis fortaſſe non nihil potuit a noſtra conjectura diſſentire. nec mihi a veteribus libris deſtituto, affirmare quidquam licet. tantum, quid ſentiam oſtendo, ſtudio, & propenſione quadam animi ad litteras adjuvandas. MANUTIUS. Sic puto legendum hunc locum. *Univerſa Italia, cum id malum ab Aſc.* PUTEAN. Tò *ortum*, reſtitui e Rhen. Gryph. & Bonhom. Lectio *eſſet* Aldi eleganter, certe commode ellipſi Salluſtiana & Cornelia ferri poteſt. SCHEGK. Vel delenda eſt vocula *eſſet*, vel potius ſequar exemplar ſcriptum, quod verbo auctius, *ab Aſculo ortum eſſet.* GRUTER. In MS. fuit, *ab Aſculanis ortum eſſet.* Scribe cum Aldo: *Univerſa Italia, cum id malum ab Aſculanis ortum eſſet.* Florus lib. III. cap. 18. *Aſculo furor omnis erupit.* Belli ea origo fuit, quod Aſculani cives Romanos interemiſſent inter ludos. Julius Obſequens; *Aſculi per ludos Romani trucidati.* Ita lego. Peſſimo, imo nullo ſenſu hactenus editum fuit, *A. Syloper per ludos*, &c. Una opera apud eundem paullo poſt reponimus, *Rutilius Lupus*: non, *Lucilius*, ut circumfertur. VOSS. *Ab Aſculanis ortum eſſet*, quae lectio nititur MS. auctoritate, qua recepta cetera quoque poterunt & intelligi & retineri. BOECLER. *Aſculanenſibus*, legendum putat Cluverius in Ital. Antiq. lib. IV. cap. 8. & Camill. Peregrin. in apparatu ad Antiq. Capuae, pag. 51. HUDSON. Multum ſibi permittunt ſaepe critici, & ſaepe ſequuntur inconſiderate priores. Manutii & Puteani tranſpoſitionem verborum receperunt recentiores, & ipſe Heinſius, Eraſmus, Stephanus, Popma & Voſſius, Rhenani editionem expreſſerunt, niſi quod, Manutius, Gruterus, Lipſius & Voſſius omiſerit *ortum*. Sed totus locus intricatus videtur, nam ſi veterem le-

ctionem

ctionem retineas, unde pendebunt, *arma adverſus Romam cepit?* poſt quae iterum illud ſequens *quorum*, quo referas? Nam *ad Romanos*, noluit Auctor, nec praecedit alia vox, cui aptetur. forte ita conſtituendus locus. *Cum id malum in univerſam Italiam, ab Aſculanis iſſet*, &c. *Arma adverſus Romanos* (ſc. Italia) *cepit. Sociorum ut fortuna*, &c. *iſſet* pro *eſſet*, repoſuimus leviſſima immutatione, & nota locutione; ſic Flor. IV. I. *iſſet ultra Alpes furor.* *ire* vero & *eſſe*, paſſim commutari in ſcriptis docuit Perizon. ad Liv. XXXVII. 23. Brouk. ad Tib. I. X. 36. & quos adducit Drakenb. ad Sil. XV. 151. poſſet & ſine detrimento ſententiae *ortum iſſet*, legi. ſenſus vero jam integer. cum id malum, ab Aſculanis ortum, iſſet in univerſam Italiam, *ea* arma cepit. quod pronomen ex Velleji conſuetudine etiam inſeri poſſet. Si quis *quorum* tueri velit, ſupereſt altera ratio defendendi, & exempla: ſic enim *Italia*, *quorum* dicetur, ut Juvenal. XIV. 240. *Dilexit Thebas*, &c. *In quorum ſulcis*. [Suet. Cal. 51.] Et nihil frequentius Auctoribus, ubi regionem vel urbem verbis poſuerint, ſenſu incolas intelligere, & illis verba ſequentia accommodare. millies ita Livius. vide Gron. ad lib. VIII. II. IX. 41. XXI. 39. & alibi ſaepius. Graecis idem uſitatum, docuit Muncker. ad Ant. Liberal. c. 38. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 33. 367. V. IX. 247.

Servium Praetorem.] Lege *Servilium*. MANUTIUS. Etiam Oroſius *C. Servium Praetorem* appellat: At Livii Epitoma *Q. Servilium Proconſulem*, uti & Appianus. LIPSIUS. *C. Servium* vocat Oroſius. [V. 18. ubi vid. Fabric.] At Epitome Livii, cum qua Appianus facit. *Q. Servilium Proconſulem.* Certe cum τὸ *quippe* paullo ante praeceſſerit, ac proinde hic loci parum concinne repetatur, forte ſcribendum ſit. *Qui Q. Servilium Procos. Fontejumque ejus legatum occiderant.* Nam Appianus Fontejum Servilii legatum facit. Videatur Freinsh. ad Flor. III. 18. HEINS. *Servilium*, Ald. non ita recte, ut cenſet Gronov. ad Livii Epitom. LXXII. HUDSON.

Ita cauſſa fuit juſtiſſima.] Ita Florus III. 18. 3. *ſocios jus Civitatis quam viribus auxerant, juſtiſſime poſtulaſſe*, ait. ſed ipſe ſe explicat dum praemittit: *Non minore flagitio ſocii intra Italiam, quam intra urbem cives rebellabant.* & III. 13. 2. cum de his cauſſis loquitur, *inerat*,

inquit, *omnibus ſpecies aequitatis.* Ergo *ſpecies aequitatis* intelligenda eſt, non ipſa aequitas: ſive, ut clarius dicam, *aequitas erat aliqua in petitione,* ſed *nulla aequitas in obtinendae petitionis modo.* BOECLER.

Tuebantur per omnes annos.] Sic puto diſtinguendum; *tuebantur: per omneis annos atque omnia bella,* &c. Non fuit autem perpetuum, quod ait Vellejus queſtos fuiſſe Italicos, qua de re vide Sigon. lib. I. de Jure Italiae cap. 4. PUTEAN.

Duplici numero.] Petrus Delbenius legend. putat, *duplici munere.* MANUT. Fruſtra vexatur hic locus, qui valet. Tamen legendum aliquis cenſet *duplici munere:* ab imperitia aut certe incogitantia moris priſci, qui fuit, ut ſocii duplum militum fere darent prae Romanis. Livius ſaepe ingerit, ut lib. XXXVI. 20. *Decretum ut novorum militum tria millia duceret, & trecentos equites: ita ut in iis duae partes ſocium Latini nominis, tertia civium Romanorum eſſet.* libro XXXV. 2. *Imperatum L. Quinctio, uti duas legiones civium novas ſcriberet, & ſocium ac Latini nominis viginti milla peditum, & equites octingentos.* En, manifeſto numero duplici: quoniam legiones tunc nondum ſex millium factae. Vulgata lectio rectiſſima eſt, *duplici militum equitumque numero fungi,* id eſt, duplicem numerum Romanis ad bella praeſtare: in qua ſignificatione M. Tullius ſaepe verbum illud uſurpavit, ut in Frumentaria, *cum tribus decumis pro una defungerentur,* id eſt, tres decumas praeſtarent, & Paullus J. C. in l. 22. §. ult. ad Municipal. *Omnibus patrimonii intributionibus fungi debent.* atque ex eo collationes & penſitationes publicae, *functiones* vocantur in Conſtitutionibus Imperatorum. PUTEANUS. libro etiam XL. *Novus exercitus Conſulibus eſt decretus, binae Legiones cum ſuo equitatu, & ſocium Latini nominis, quantus ſemper numerus,* XV. M. *peditum &* DCCC. *equites.* Ubi ambigo an non verius: XX. M. *peditum.* quia praemiſit, *quantus ſemper numerus,* aſpectu ſcilicet ad ſollennem duplicandi hunc morem. Exempla plura obſervabitis: atque ego alibi diſtinctius cum Deo, dicam. LIPS.

Militum equitumque.] Ergo equites ſejuncti a militibus? Ita; genere quodam loquendi. Nam *Pedites,* quia plurima & praecipua militiae pars, ἐξοχῇ quadam veniunt ſaepe ſoli in *Militum* nomen. Caeſar III. de Bel-

lo civili: *Cum ipſi numero militum equitumque praeſtarent.* Hirtius in bello Africo: *Advectis militum equitumque copiis.* Et alibi quoque in iis libris. Lips. *Milites* κατ᾿-ἐξοχὴν pro *peditibus* poni, vulgare eſt: & monuit ad hunc locum doctiſſimus Lipſius. Exempla itaque non congero. Contentus ero, ſi Eccleſiaſticorum puriſſimi Scriptoris, Sulpicii Severi, unicam maculam eluero. Legitur apud eum lib. II. Hiſt. Sacrae: *Ita Eupator cum centum millibus, & equitum viginti millibus, ſubſidio venit.* Non dubito affirmare, veram eſſe lectionem noſtram, *cum centum militum, & equitum viginti millibus,* &c. Voss. Liv. XXII. 37. *Milite*, ait, *atque equite niſi Romano Latinique nominis non uti populum Rom.* qui tamen poſtea mutavit, v. Herm. Hug. mil. equeſtr. II. 2. uſurpatur hic (quod obſervari debet) *miles* pro pedite, ut apud Vellejum Noſtrum *milites equitesque* dicuntur. Adi Sigon. de ant. jur. Ital. I. 21. Boecler. Vide Gronov. ad Liv. XXVI. 19. & XXVIII. I. Tennul. ad Frontin. II. V. 37.

Amplius CCC. *millia.*] Non dubito pro cladibus & caedibus, quas paſſim lego. In Eutropio tamen minor multo numerus: qui de bello Sociali & Civili ſimul, libro V. ſcribit: *Conſumpſerunt ultra* CL. M. *hominum, viros conſulares* XXIV. *Praetorios* VII. *Aedilitios* IX. *Senatores fere* CCC. Sed ego profecto ibi ſcribam adauctis notis, D. M. *hominum.* nec minus fuit in utroque illo bello. Lips. De numero occiſorum vide, quae hic notet Lipſius. Ego quoque obiter Julii Obſequentis locum caſtigandum puto, apud quem legitur: *centena millia hominum conſumpta Italico, Civilique bello, relata ſunt.* Scribo, *quingenta millia.* Voss.

Clariſſimi imperatores.] Alios complures enumerat Appian. lib. I, Ἐμφυλ. Putean.

Expulſum civitate L. Saturnino tribuno pl.] Lege, *expulſum civitate a L. Sat. tr. pl.* Manut. Val. Max. II. 8. 4. & V. 2. 7. Appian. bell. civ. Cic. pro Sext. 16. Flor. III. 16. 2. Boecler.

In leges ejus jurare.] Remoram hic injicit vir adprime has doctus litteras, ait, *more majorum in leges jurari.* movetur hoc, & Dionis lib. XXXIX. ſcriptoris virorum illuſtr. Apuleji, & Dionyſii lib. VI. locis. Sed errat tantum, ut hoc ſtatuant, ut mage contrarium omnes

videas penitius, & loqui praeter Halicarnaſſaei, de perniciosarum rerum auctoribus ſive tribunis, dabis, & hactenus facile conceſſerim. Cum enim ſuas leges firmare contra bonos & viros & cives legitimo modo non quiverint, huc, malo modo, nullo bonorum more deſcendiſſe quis negaverit? Halicarnaſſaei locus aperte de legibus ſacratis agit. Sed quid ad Livium lib. XXXI. *Quia Flamen Dialis erat*, ait, *jurare in leges non poterat*. Facile eludo ictum. loquitur de Diali, qui in magiſtratu. magiſtratum autem in ſuas leges juraſſe, ſe ſervaturum neque violaturum aequum fuit. cur non Dialis? quia iis jurare omnino nefas. Agell. lib. X. cap. 15. Quid plura? hoc certum, non arbitrarium, in leges non juratum, niſi ſcito cautum jurare. SCHEGK.

Conſenſu Reip.] Nemo, vel mediocriter in Romanis rebus verſatus, non intelligat, *conſenſu populi Romani*, legendum eſſe. Natus error ex litterarum ſimilitudine, ut alibi quoque. nam *Reſp.* ſic, *R. P.* Populus autem Romanus, *P. R.* ſcribebatur. quod jam pueris quoque notum eſt. MANUT. Malim legere *Populi Romani*; nam & Valer. M. lib. IV. cap. 1. *Maximo conſenſu ſenatus & populi*, ait, *reditum illi datum.* Error creatus eſt ex affinitate notarum, P. R. & R. P. quarum hac *reſpublica*, illa *Populus Ro.* ſignificatur. PUTEAN.

Nec triumphis.] Sic fere Cicero in Orat. pro Plancio dixit, *Metellum ob illam conſtantiam, qua illud voluntarium vulnus accepit, juſtiſſimos omnium Metellorum & clariſſimos triumphos gloriae laude ſuperaſſe*. PUTEAN.

Aut cauſſa exſilii.] Clarus fuit *exſilio* Metellus, quod a Rhodiis, apud quos exſulabat, ſumma benevolentia & obſervantia cultus ſit, ut ſcribit Plutarchus in Mario. *Reditu* autem, quia non ſuffecit integra dies gratulationibus ad portam eum excipientium, quod ſcribit Appian. lib. I. PUT.

Italicorum autem fuerunt.] Italici duces multo plures fuere, quam Vellejus recenſet, *Q. Popedius Silo, Hirrius Aſinius, Inſtitejus Cato, C. Ponditius, Pontius Teleſinus, C. Vettius, Marius Egnatius, C. Papius Mutilius, P. Neronius, P. Ventidius, M. Lamponius, C. Indacilius, P. Preſentejus, A. Cluentius*. In quibus hoc notandum, Italicos ſimul habuiſſe duo nomina gentilitia, quae Romanorum uſus non admittit, ut *Marius Egnatius*,

tius, *Hirrius Aſinius*, & *Minatius Magius*, *Decius Magius*. Popma.

Silo Poppaedius.] Ita legi poteſt: *Italicorum autem fuerunt celeberrimi duces*, *Silo Poppaedius*, *Hirnus Aſinius*, *T. Vettius Cato*, *C. Pontius Teleſinus*, *Marius Egnatius*, *Papius Mutilus.* Ita Appianus lib. I. Bell. Civil. profert haec nomina, & fortaſſe aliquanto emendatiora, quam nunc ſunt in Velleji codicibus. Illud certe, quod eſt in libris vulgatis, *Inſtejus Cato*, penitus diſplicet, pro quo Cicero in Philippicis, & Appianus libro ſupra memorato habet, *T. Vettius Cato*, quod placet. Ursin. Potuit Aldus admonere lectorem de varietate, quae eſt apud auctores in ducum nominibus efferendis, de *Popaedio* leg. Xylander in Plut. Mario. *Cajum Pontidium*, Appianus *Pontilium*, & *Egnatium*, *Ignatium* appellat. *Papius Mutilius*, Appiano, &c. *C. Papius Motilus*, Diodoro in Excerpt. lib. XXVII. *C. Aponius Motulus.* Corn. Tacit. lib. II. inter Senatores principatus Tiberii nominat *Papium Mutilum.* qui fortaſſe ab hoc oriundus eſt. Major varietas eſt in *Popaedi Silonis* nomine. de *Teleſino* vide Vellejum infra. Putean. Melius *Pompedius*: ex Diodoro, ac Oroſio. Apud Appianum eſt, Πομπάδιος: leviculo errore, pro Πομπαίδιος, aut Πομπήδιος. Ita enim aliquos ſcribere video: in his Joſephum Antiquit. Jud. lib. XIX. cap. I. Ubi tamen non hunc, ſed alium poſteriorem nominat. Dio quoque lib. XLVIII. Antonii ducem quendam Αὐπήδιον Σιλῶνα appellat. Sed lego, Πομπήδιον. Apud Senecam patrem Declamator quidam mendoſe *Pompejus Silo* vocatur: ac ita quoque hujus nomen corruptum apud Obſequentem. Plutarcho in Apophtheg. hic Πόμπιος, in Mario Πόπλιος dicitur. Utrobique ſcribendum Πομπήδιος, aut potius Πομπαίδιος, ut apud eundem in Catone Minore. In hunc modum Florus, Livii epitomator, aliique reſtituendi. Piget enim haec pluribus proſequi. Voss. *Silo Popaedius*, edit. Rhenani.

Herius Aſinius.] Livio lib. LXXIII. *Hirmius Aſinius Marrucinorum praetor.* *Inſteji*, & *Iſteji Capitonis* mentio apud Tacitum lib. XIII. Annal. & in lapide apud Cujacium lib. IX. Obſervat. c. 37. *Papius* Oroſio, *Papius Mutilus*; Diodoro, *Aponius Motylus.* Schegk. *Herium Petrium*, vel *Pettium* Nolanum Senatorem memorat Livius l. XXIII. 43.

Inſtejus Cato.] *Vettium* nominat Cicero Phil. xi. & alii. Manut. Urſinus legit, *Vettius Cato*; ex Appiano, & Ciceronis Phil. xi. Ego amplius deliberandum cenſeo. Nam unde *Inſteji* nomen paucis notum hic irrepſerit? Itaque haereo, an non *Inſtejus Capito* ſit legendum, ex Taciti xiii. Annal. ubi *Inſteji Capitonis*, ſed alterius, mentio. Si tamen Urſini lectio placeat, eo quod *Capitonis* alii in enumeratione ducum non meminerint, incertum erit, num *P.* an *T.* an *C. Catonem* vocitet Vellejus. Quantum enim ſcrutari potui, duo, vel forte tres Catones inter Italicos duces fuere. Primus, ut dixi, eſt *P. Vettius Cato.* Hunc Cicero Phil. xi. & Appianus, *P. Vettium* nominant. Alter eſt *Titus Vettius Cato.* Eum Eutropius *T. Vettium* appellat: uti & Cicero Phil. xi. ubi vulgo legitur: *cum P. Vettio Catone duce Marſorum.* Sed cum in optimae notae MS. Bibliothecae publicae hujus Amſtelodamenſis urbis invenerim, *cum P. Vectio, & Titio Scatone*: non dubito, quin legendum ſit, *cum P. Vettio, & Tito Catone.* Tertius eſſet, *C. Vettius praetor Marſorum*; cujus meminit Seneca de beneficiis iii. 33. Sed locus mihi ſuſpectus. Puto verius eſſe, *T. Vettius*; idque Cicerone praeeunte, ut vidimus. Voss.

Papius Mutilius.] Legendum *Mutilus*, quo modo Orosio appellatur, Diodoro *Aponius Motylus.* Raphel. Vulgo corrupte *Mutilus*, ut Appianus, P. Μούτυλος Plutarchus in libro περὶ τῆς Ῥωμαίων τύχης, perperam Μοῦμος. Sic enim locus ejus legendus eſt, οἷος ὕστερος Μουτίλιος, ἢ Σύλων ὁ θρασύς: intelligit duces Italicos Papium Mutilium, Popedium Silonem: de quorum ferocia in bello Sociali Florus, Appianus, & alii. Popma. Lege, *Mutilus.* Non affero Appianum, Oroſium, & alios, qui ita ſcribunt. Satis id firmant Faſti, qui ad annum urbis dcclxi. ex eadem gente conſulem conſtituunt M. Papium Mutilum. Mendoſe etiam apud Diodorum in excerptis lib. xxxvii. apud Photium ſcribitur, Γαῖος Ἀπώνιος Μούτυλος, pro Γαῖος Πάπιος Μούτυλος. Apud Plutarchum lib. de Fortuna Rom. eſt Μοῦμος. Ubi Μούτυλος legendum, non Μουτίλιος, quod volebat Popma. Voss. *Mutilius* Edit. Rhen.

Neque ego verecundia domeſtici ſangu.] Licet omnino hoc facere Hiſtorico, qui ut ſuorum vitia amicorum aut

pro-

propinquorum, ubi res & locus poſtulat, tacere non debet, ita nec laudes cogitur ſupprimere: dummodo dictis veritas conſtet. Pertinet autem in hoc genere ad ἦθος prudentiae illa προθεραπείας non tam figura, quam modeſtia, quali hic Vellejus utitur. Boecler.

Decii Magii.] De hoc vide Livium lib. XXIII. eſt autem legendum *Decimi*. Putean. Vir doctus hic legendum affirmat, *Decimi*. Eo impulſus, ut ait, quod neceſſario hic eſſe debeat praenomen. Sed fallitur. Nam Italicos duces duo gentilicia nomina quandoque habuiſſe conſtat. Ut *Minatius Magius*, *Marius Egnatius*, *Herius Aſinius*. *Decii* autem hujus meminit etiam Livius libro XIII. ac Silius Italicus lib. VIII. Ex quo apparet, Livii itidem locum fruſtra a Sigonio eſſe tentatum. Voss. V. ad Cic. IX. ad Attic. 13. Pro *Aſculanenſis*, *Aeculanenſis* Camill. Peregr. Camp. Felic. Diſſ. I. cap. 8. Burm. *in marg.*

Campanorum principis celeberrimi.] Diſtingue cum Lipſio, *Campanorum principis*, *celeberrimi & fideliſſimi*. Raphel.

Cum T. Didio caperet.] Hic eſt T. Didius, qui bello Marſico praetor & legatus Sex. Julii Caeſaris Coſ. fuit: poſt in Hiſpania ob res geſtas Imperator appellatus eſt. Salluſt. Hiſtor. III. de Sertorio: *Magna gloria Trib. militum T. Didio Imperatore:* in quem locum plura in ſcholiis dixi. Popma.

Coſamque occuparet.] Puto legendum *Coſſam*, quod eſt oppidum in Umbria, de quo Plinius, Stephanus, Mela, Livius, ac etiam Vellejus lib. I. Putean. Quidam legendum cenſent, *Coſſam*. Quae urbs Umbriae Livio, Melae, Plinio, Stephano: imo etiam, ſi vulgatis editionibus ſtamus, ipſi Vellejo lib. priori. Sed nihil hic mutandum, ſatis clarum eſſe poſſit ex iis, quae ibi notavimus. Quamquam magis inclinet animus, ut hic *Compſam* legendum putem, quae Hirpinorum urbs eſt, ut infra dicemus. Nam de Hirpinis hic loquitur Vellejus. Voss. Vide Harduini nummos illuſtratos pag. 599. Edit. Pariſ. Hudson. qui in recentiori editione omnia induxit prius dicta, novamque & ridiculam nummi interpretationem orbi erudito obtruſit. [Vid. Camill. d. l. diſſ. II. §. 23.] Burm.

Tum maxime dilucideque.] Lipſius legit, *tum maxime dilucide Q. Hortenſ.* Raphel.

Cujus pietati.] Editio vetus interſerit vocem *ille.* ex quo Lipſius legendum conjicit, *cujus ſcilicet pietatis.* Raphel. Vetus editio inſerit *ille.* forte *cujus in ſe pietati:* ſive, *cujus inde pietati.* Voss. Vetuſtus codex inſerebat *ille: cujus ille pietati.* Nec de nihilo id inſertum videri poteſt. Quare opinor excidiſſe litteras nonnullas, quomodo & alibi peccatum, ac ſcribi oportere, *hujus illibatae pietati. hujus*, inquam, quia *cujus* proxime praeceſſerat. ſic *illibatam magnitudinem* habes infra cap. 48. *nusquam ante libatis viribus Italiam aggrediendam cenſent.* Liv. xxi. 29. Gloſſae Labbaei: *Inlibata*, ἄχραντα, ἄθραυστα, ἄκτα ἀνάλοντα, ἀκίνητα, ἀκέραια, ἄφθαρτα, ἀκαταφρόνητος, ἀκαινοτόμητος, ἀνάσπαυστα, *inlibatus*, ἄθικτος. Caeterum cum τὸ *retulit* proxime praeceſſerit, *in annalibus ſuis retulit*, hic idem verbum intempeſtive repetitum videri jure optimo poteſt. Unde fit, ut prorſus adſentiar J. Perizonio, corrigenti, *gratiam reddidit*, aut τὸ *retulit* amolienti priori loco. Heins.

Ipſum viritim.] *Viritim*, id eſt nominatim, ſingillatim, ſeorſim: Civitas enim dabatur aut Oppidanis ſingulis, aut univerſis, atque illud honorificentius. ſic Cicer. ii. Philip. *Civitas non tum ſingillatim, ſed provinciis totis dabatur.* & in i. *Civitas data non modo ſingulis, ſed etiam nationibus & provinciis univerſis.* Hanc autem vocem *viritim* ſic uſurpavit Seneca Nat. Quaeſt. v. 7. *in univerſum de ventis diximus, nunc viritim incipiemus illos excutere.* ſic Tacit. lib. ii. Annal. *Ut non modo ſinguli viritim*, &c. Loquitur autem, ut hic, de civitate Cicero. Pro Balbo *ſigillatim* dixit. Putean. Id valet: ſolum & ſeorſum civem faciendo, non una cum aliis & in turba. Quod certe ad honorem ejus facit, & amorem ſimul indicat Romanorum. Volui aliquando ſcribere: *Ipſum Quiritium civitate donando.* nunc deſiſto. Lipsius. Fateor me ignorare quid ſit, *viritim civitate donare*, niſi eſt ſingulatim & ſeorſim uni viro donare: quomodo Seneca de Beneficiis lib. vii. cap. 5. *Poſſum donare ſapienti quod viritim meum eſt, licet illius ſint omnia.* Sed fortaſſis reſcribendum *Quiritem:* quod ad amplificationem dignitatis valde pertinet. Non eadem omnes civitate donati conditione ſunt uſi, ſed optima fuit Quiritum, qui pleno jure cives Romani erant, & tribum cum honorum petitione, aut ſaltem ſuffragiis habebant; incommodior

La-

Latinorum, poſt Latinos Italicorum, ut ex hiſtoriarum lectione ſatis liquet. *Quiritem* numero ſingulari etiam dixit Horatius, *qui te Quiritem.* & Perſius, *Quibus una Quiritem vertigo facit.* POPMA. Pulchre Lipſius *Quiritium:* etſi non ſunt prorſus contemnenda, quae Cl. Puteanus in patrocinium ſcripturae vulgaris profert. HEINS. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 348.

Cum ſeni adhuc crearentur.] Non niſi decennio poſt L. Sulla Dictator, latis novis quaeſtionibus, duos adjecit, ut eſſent octo, qui numerus Ciceronis tempore fuit. Porro de praetoribus, & ut eorum numerus auctus ſit, & a quibus, vide Onuphr. in Faſtis ad A. U. C. CCCXCIIX. PUTEAN. Non fruſtra hoc adjectum. brevi poſt, Sulla Dictator numerum vel ad IIX. auxerat Lipſio ad Tacit. I. teſte: vel ad decem, quod Pomponio Juriſconſulto titulo de Origine juris viſum, ſuffragante Cl. viro P. Pithoeo in notis ad Collationem Legum Moſaicarum, & Onuphrio Panvinio in Faſtis. SCHEGK. Pighius in annalibus ad A. U. C. DCLXXII. ex hoc loco duos praetores, *M. Minacium Magium*, & *C. Minacium Magium* ſola conjectura ductus facit. BURM.

Ut per biennium continuum.] Cum in antiqua editione ſit, *ut per biennium continuo*, poſſet legi, *ut per biennium continui*, &c. quod magis placeret. URSIN.

Utque ad ſaga iretur.] Sagum amictum militare Graecis, Gallis, Germanis, Hiſpanis uſitatum cum Romanis. Cicero, Plutarchus, Tacitus, Strabo, Nonius, Suetonius. Hoc Romae moris in dubio periculoſi Martis eventu ſumere, ut in tumultu, & triſti tempore civitatis ponere annulos, indicere juſticium, differre vadimonia, mutare veſtem. Livius, Tacitus, Suetonius, Juvenalis, Lucanus, alii. Et ſumtum (ad quod SC. vel lege opus Cic. Philipp.) non deponebatur, niſi ſpe laetiore, & Fortuna obſequente. Oroſius lib. v. *Conſulares*, tamen ait Cicero, Philip. VIII. *togati eſſe ſolent, cum civitas eſt in ſagis.* Ejus tria, ni fallor, genera. Unum lugubre, id eſt, luridum, nigrum, pullum, luctu fugaque dignum, ut Commentator Horatii ad Epod. 9. deſcribit, & de quo nos hic. Alterum gregale, militum dico, denſum & villoſum; cujus colorem diu anquiſivi, nec inveni: coccineum Commentator tribuit ſine ratione, & auctore. Scio, Romanis coccineam tu-

nicam

nicam ſupra praetorium extenſam futuri proelii ſignum fuiſſe. ſed quid huc? doctiſſimus vir confundit cum illo. ego haereo, & Strabonem lib. III. audio, tamquam novum quid tradentem, eſſe gentes, quae pullo ſive nigro utantur ſago. Tertium, Imperatoris, quod paludamentum proprie. Apulejus Apologia I. *Verum tamen hae, Diogeni, & Antiſtheni pera & baculus, quod regibus diadema, quod Imperatoribus paludamentum, quod pontificibus galerum, quod lituus auguribus.* Color purpureus ſeu puniceus, praeter exempla a doctis prolata ex Hirtii lib. I. Belli Africani probo: *Nam cum Scipio ſagulo purpureo ante adventum uti ſolitus eſſet, dicitur Juba cum eo egiſſe, non oportere illum eodem uti veſtitu; itaque factum eſt, ut Scipio ad album ſe veſtitum transferret.* Ex quo & hoc haut abſurde colligas, purpureum praecipue principem; album etiam eos, qui in exercitu alicujus dignationis & gradus, induiſſe. SCHEGK.

Corfinium.] Vid. Diodor. in excerpt. lib. XXXVII. & Strabon. lib. V. PUTEAN. Ex eodem codice legendum, *caput imperii ſui Corfinium legerunt Italicani. Paullatim,* &c. URSIN.

Appellarent.] Melius videtur Lipſio, quod in vetere editione eſt, *appellarant*. RAPHEL. Lege, *appellarunt Italicam.* Corfinium Italicam dictum, liquet ex Strabonis lib. V. & Diodori excerptis lib. XXXVII. apud Photium. Hinc Silius Italicus, hoc eſt, Corfinienſis. VOSS. Non video, quae ratio adiget, ut *Italicam* legamus. v. Sigon. de antiq. jur. Ital. III. I. BOECLER. *Quod appellatur*, puto. deinde pro *rempublicam* codex vetuſtus *rempublicam P. R.* hoc eſt, *remp. populi Romani.* bene. ſic paſſim loquuntur veteres. Vide Voſſium. HEINS. Edit. Rhen. *caput imperii ſui Corfinium legerantque Italica.*

Fluentem procumbentemque Remp.] Non optime ad metaphoram, quae continuari in his talibus amat, conjungi duo iſta, quae vocant, participia videntur. Itaque jam labebar, ut *ruentem* ſuſtituerem. Nihilominus Virgil. quoque memini; II. Aeneid. 196. *Ex illo fluere, ac retro ſublapſa referri Spes Danaûm.* Qui me inhibet & retinet. Sed commodum Senecae locus incidit, quem ex ea metaphorae ratione fortaſſis emendabo. Libro ad Serenum, *quod in ſapientem non cadat injuria.* cap. I. *Nihil humile concupiſcet, nihil flebit, qui rationi innixus*

innixus per humanos caſus divino incedit animo. Ex *flebit* veluti fragmento colligo, quod ſcripturae compendio amiſſum, *fluctuabit.* Nam tale quid illa poſtulant, quae ex oppoſito adjuncta, *innixus rationi, caſus, incedit.* Quoniam autem hic ſumus, alia quaedam ſimul eodem libro, vitioſa adhuc, ut videntur, perſanemus. cap. eod. *Si maximum illud, ultra quod nihil habent iratae leges, ac ſaeviſſimi domini, quod minentur, in quo imperium ſuum fortuna conſumit, aequo placidoque animo accipimus, & ſcimus mortem malum non eſſe, ob hoc ne injuriam quidem; multo facilius alia tolerabimus.* Antiquiores libri *quod* non agnoſcunt, agnoſcunt autem & *minantur*, non *minentur.* Unde primum ſuſpicabar; *ultra quod nihil jubent iratae leges, aut ſaeviſſimi domini minantur.* Quae ſtructura ſermonis habet non modo majorem elegantiam, ſed neſcio quam etiam vividiorem efficaciam: *leges jubent, domini minantur.* Deinde *impetum* fuit cum magis probarem, nunc non item: poſtquam alibi ſic quoque loquentem Senecam inveni: *In quo jus fortuna ſuum perdidit.* cap. 10. *Alia ſunt quae ſapientem feriunt, etiamſi non pervertant, ut dolor corporis & debilitas, aut amicorum liberorumque amiſſio, & patriae bello flagrantis calamitas.* Vidi ſcriptum alibi, *etiamſi non penetrant.* quod tum opinabar melius, ſed neque hoc nunc tamen certo. Illud certius cap. 11. *Praeterea cum magnam partem contumeliarum ſuperbi inſolentesque faciant & male felicitatem ferentes, habet quo illum affectum inflatum reſpuat, pulcherrimam virtutem omnium,* &c. Lego: *cum magnam partem contumelias ſup. inſol. fac.* quod corruperunt, qui *magnam partem* eſſe *plerumque*, ſive quod aliter dicitur, *magna ex parte*, ignorarunt. Gell. lib. 11. cap. 29. *Amici iſti magnam partem ceſſatores ſunt.* Illud poſtremo certiſſimum. cap. 9. *Quis omnium eſt, qui non poſſit contumeliam facere. ſi quisquam poteſt?* Scribo plane, *ſi quidquam poteſt.* Erant & alia non his graviora, ſed quae alibi referentur opportunius. ACIDAL. Ita Lucret. II. 68. *Et quaſi longinquo fluere omnia cernimus aevo.* Et ſic pro *ruere*, adſeruit *fluere* Gronovius Livio XXVII. 17. BURM.

Rempubl. reſtituentibus.] V. C. *rem. P. R.* PUTEAN. In MS. fuit: *Rempublicam P. R. reſtituentibus.* Nec putem mutandum temere. Aggenus de limitibus agrorum: *Eſt*

Eſt ager ſimilis ſubſecivorum, conditioni extra cluſus, qui ſi R. P. Populi Romani datus non eſt, &c. jure ſubſecivorum, in ejus, qui aſſignare potuerit, remanet poteſtate. Unde infra etiam forte legi debet: *Quod non Auguſtus poſt reditum in Urbem R. P. Populi Romani repraeſentari:* non autem, *R. P. Populoque Romano, repraeſentavit;* ut vulgo edunt. Vossius.

Niſi quae.] Lipſius, *niſi quod Nol.* Raphel. Lego, *qua. Qua*, pro *quatenus*, apud optimos quosque Scriptores paſſim obvium. Voss. vid. inf. cap. 37.

Romani victis afflictique ipſi exarmati, quam integris univerſis.] A valetudine metaphoram duci, innuere videntur iſta: *afflictis*, & *integris*, in qua perſiſtetur aptius, ſi *exanimati* legeris. Verum hoc inter ea cenſebis, quae levia ipſe & ſupervacua cenſeo: nec id minus, quod ſequitur. Acidal. An exarmati hoc bello Romani? forte. *Quo quidem Romani victis adflictisque, paene & ipſi exarmati, quam integri univerſis civitatem dare maluerunt. paene* frequentiſſimi uſus eſt Vellejo. *paene exarmati*, poſt longe plurimos ſuorum amiſſos. Heins. An *exorati*, vel *exarmati*, eodem ſenſu, ut millies? Burm. V. Miſc. V. viii. p. 33. 367. V. ix. p. 248.

Vir qui neque ad finem victoriae, &c.] Plane ad hanc ſententiam Valerius ix. 2. 1. *Sulla, quem neque laudare; neque vituperare quisquam ſatis digne poteſt: quia dum quaerit victorias, Scipionem ſe Populo Romano, dum ſaevitiam exercet, Annibalem repraeſentavit.* Boeclerus.

Ejus claritudo intermiſſa eſſet.] Si quae ad librum i. de agentium verborum patiendi ſignificatu dixi, probas; tuo periculo & hic lege, *intermiſiſſet.* Acidal. Sic Salluſtius in Jugurtha Sullam patriciae gentis fuiſſe ſcribit, ſed familia jam exſtincta ignavia majorum. Idem quoque tradit Plutarchus in Sulla in principio. Putean.

Cogitationem habere.] Car. Sigonius hunc locum citans legit *rationem.* atque forſan ita quidam libri habent. Putean. Legebat Sigonius, *ut nullam petendi conſulatus rationem habere videretur*, non *cogitationem*, quo tamen vocabulo Vellejus & alibi amat uti, ut c. 10. l. i. diximus. [Add. Cicer. i. Paradox. 3. *Num ullam cogitationem habuiſſe videantur, aut argenti ad aerarium, aut ſupellectilis* &c.] Heins.

Qua eminentiſſimos.] *Quae em.* Ed. Rhenani.

Pe-

Petenſque conſulatum, paene omnium civium ſuffragiis factus eſt.] Mihi neſcio quid rancidum haec ſcriptura ſapit, nec abnuam, quin meo periculo potius ſcribas, *aptus eſt*. Proculcatum jam ex antiquitate verbum *apiſci*. Acid. Aut omnia me fallunt, aut ſcribendum, *nactus eſt*. qui fingunt *aptus eſt*, prius docere debebant, tam antiquatum verbum convenire Vellejo. Grut. Reſtitue, *nactus eſt*. Quod Grutero etiam in mentem veniſſe, minime diſſimulandum putavi. Voss. Locus interpolatus. Scribe, *petenſque conſulatum, paene omnium civium ſuffragiis eum honorem undequinquageſimo aetatis ſuo anno aſſecutus eſt*. τὰ *factus eſt ſed* ab inſcito nugatore jam olim videntur aſſuta. paulo aliter Gruterus. Ceterum Johannes Georgius Graevius, vir mihi conjunctiſſimus, quo fit, ut ejus verecundiae detur, ne laudandus mihi hic operoſum, quod merebatur, veniat in modum, tum Thomas Munckerus, vir itidem pereruditus, arbitrabantur hoc in Vellejo loco τὸ *factus* minime amovendum eſſe, quod Ciceroni frequenter ſit in uſu haec ellipſis, cum de conſulatu agit. Scribendum igitur videri Munckerus contendebat, *petenſque conſulatum, paene omnium civium ſuffragiis factus, eum honorem undequinquageſimo aetatis ſuae anno aſſecutus eſt*. Caelius ad Ciceronem ep. 4. *Inde cuncti Hirrum non faciendum flagitare*. pro faciendum aedilem. Victor de Caeſaribus cap. 37. *poſt quem Probum in Illyrico factum accepere*. factum Imperatorem. Heins. Defendimus τὸ *factus eſt*, ad Quinct. lib. v. Inſtit. Orat. 10. noſter inf. cap. 92. *juravit, etiamſi factus eſſet Coſ. ſuffragiis Populi, tamen ſe eum non renuntiaturum*. Burm. Cic. Act. 1. in Verr. 7. *Qui conſul erat factus*. ubi de creatione etiam in comitiis. Idem in *marg*.

Undequinquageſimo.] Plutarchus, *quinquageſimo*. "Υπατος μὲν, inquit, ἀποδείκνυται πεντήκοντα ἔτη γεγονώς. Lips. Non iverim inficias, ita ſcribere potuiſſe Vellejum, ſed tamen elegantius fuiſſet, & brevius. *nactus, undequinquageſimo aetatis anno*, omiſſis illo, *& aſſecutus eſt*, &, *ſed eum honorem*. Gruter. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 34.

Mithridates, &c.] *Quippe cum quatuor Pyrrho*, XVII. *Annibali ſuffecerint, ille per quadraginta annos reſtitit, donec tribus ingentibus bellis ſubactus, felicitate Sullae, virtute Luculli, magnitudine Pompeji conſumeretur*. Flo-

 rus

rus lib. III. cap. 5. Appianus, Plutarchus in Sulla, Lucullo, Pompejo; Cicero pro L. Manilia, alii. Schegk.

Vir neque ſilendus, neque dicendus ſine cura.] Phraſis Salluſtiana, quam uſurpat Seneca de Beneficiis lib. IV. cap. I. *poteſt videri nihil tam neceſſarium, aut magis, ut ait Salluſtius, cum cura dicendum.* De tranquillitate cap. 14. *magnus vir & cum cura dicendus.* Popma. Senec. de de tranquill. an. 14. de Canio: *magnus vir & cum cura dicendus.* quam locutionem Salluſtianam eſſe & hic Lipſius, & alibi Seneca ipſe teſtatur. Boecler.

Aliquando fortuna.] Malim, *aliquamdiu.* Sed de magnitudine animi hujus regis, emendetur Salluſtianum fragmentum, apud Fabium, ſi memini: *Mithridates corpore ingenti, perinde & armatus.* Facito: *perinde & animatus.* Lips. Vir ſummus adducit heic fragmentum Salluſtii de eodem Mithridate: *Mithridates corpore ingenti, perinde & armatus:* exque eo facit *perinde & animatus.* forſan vere, ſi conſtaret nobis, quae verba huic fruſto annexa fuiſſent. id cum non liqueat, putarim ſuam eſſe energiam lectioni vulgatae. Sic Curtius lib. VIII. *Ipſe Porus humanae magnitudinis propemodum exceſſerat formam. magnitudini Pori adjicere videbatur bellua, qua vehebatur,* &c. Gruter. Nihil eſſe corrigendum in fragmento Salluſtiano oſtendimus ad ipſum Fabium lib. VIII. cap. 3. &, quod poſt jam deſcriptas typis notas vidi, confirmatur hoc dictum Salluſtii maxime ſimili loco Flori l. I. 13. ubi de Gallis, *ad hoc ipſa corporum mole, perinde armis ingentibus, adeo omni genere terribilis fuit,* &c. ex quibus Freinshemius recte etiam vindicat Salluſtianum dictum. Burm.

Necatisque in ea omnibus civibus R.] Memnon de Tyrannis Heracleae Ponticae, item Valerius Maximus lib. IX. cap. II. LXXX. millia Romanorum occiſa tradunt. Ut omnino ſit veriſimile, Plutarchum in Sylla errare; qui numerum usque ad C. & L. millia adauxit. Quamquam Appianus in Mithridaticis Plutarcho fidem adſtruere videatur. Centum enim & ſexaginta millia perempta fuiſſe, tradit. Sed Memnonis hic potior videtur auctoritas. Voss. Collegit exempla ejusmodi lanienarum improviſarum Camerarius op. ſubciſ. cent. I. cap. 38. Boecl.

Quos quidem eodem die atque hora, redditis civitatibus literis, ingenti cum pollicitatione praemiorum interimi juſſerat.]

ſerat.] Videtur & hic locus malam manum expertus. Malim, *redditae civitatibus literae* &c. *interimi juſſerant.* ipſius nimirum Mithridatis literae. vel, *redditis civitati cuique literis interimi juſſerat.* Heins. V. Miſc. Obſ. V. viii. p. 34.

Neque fortitudine adverſus Mithridatem, neque fide in Rom.] Sicut in ducibus *virtutem fortunamque* ſententioſe conjungi, ſupra diximus: ita *fortitudinem & fidem* in militibus requiri ſpectarique praecipue, adductis Scriptorum locis confirmat Pet. Faber Semeſtr. i. 19. Boecler. Et hinc Livius & alii, ubi de Imperatoribus agunt, ſemper eos *fortiter ac feliciter* res geſſiſſe, ſi de legatis, ſociis & auxiliis loquuntur, *fortiter & fideliter* res geſſiſſe ajunt. ut egregie obſervat Gron. ad Liv. xxviii. 9. & hinc in duce laudatur virtus & fortuna. vid. ſupr. ad lib. ii. cap. 4. Burm.

Aliosque.] Q. Oppium proconſulem intelligit. Plutarchus cl. millia Romanorum, Valerius lxxx. millia perfide interfecta docent. Schegk.

In unius Theophanis gratiam.] Idem ſcribit Plutarch. in Pompejo. Eumdem quoque Pompejus in concione militum civitate donavit. Cicer. pro Archia. Valer. viii. c. 14. Putean. Toti civitati prodeſſe civis unici bonas artes, non uno monſtravimus exemplo, ad Taciti Ann. xiv. c. 61. ubi Claudius in gratiam Medici Xenophontis Coos omni liberat tributo. Gruter. Plutarch. in Pompej. & Voſſius de Hiſt. Graec. i. 23. Apud Tac. xii. 61. 2. Cois in unius Xenophontis medici gratiam immunitas conceſſa. Apud Plutarch. adverſ. Colot. in unius Ariſtotelis gratiam Stagira excitata. qualia exempla alibi quoque, nec pauca reperiuntur. Boeclerus. Hujus *Theophanis* poſteritas inde, nomine Pompeji adſumto, claruit Romae. ut filius ejus, *Pompejus Macer*, & nepotes, *Pompejus Macer*, & *Pompeja Macrina.* v. Ryk. ad Tacit. vi. An. 18. quem morem, civibus novis uſitatum, Patronorum nomina adſciſcendi non animadvertiſſe videtur Magnus Gronovius ad Livium xxxix. 19. nec Manutius, qui argum. Orat. Cicer. pro Balbo Theophanem libertum Pompeji faciunt. ſed quem errorem egregie refutavit Fabret. ad Inſcript. ſuas commentario, p. 478. qui, & confuſos fuiſſe a viris doctis hunc *Theophanem Mitylenaeum*, & *Cornelium Balbum Theophanem*

Gaditanum, a primo Theophane adoptatum, docet, quod jam antea etiam erudite fecerat Triſtan. Comment. Hiſtor. Tom. II. p. 477. *Pompejum Macrum* filium Theophanis Poëtam illum *Macrum*, Ovidio & Tibullo familiarem faciunt, J. Bapt. Pius Annot. Poſter. cap. 184. & Achil. Statius ad Tibull. II. El. 6. quem alii *Aemilium Macrum* fuiſſe credunt, & egregie demonſtrat ad Tibulli locum, Brouckhuſius. BURM.

Velut poeniteret.] Haud ideo deſciſcendum a virtute, neque deſtituendum conſilium honeſtum, ſi fortuna in alia omnia inclinat, pluribus firmamus ad Tacitum. GRUT.

Punico.] Secundo. vid. Liv. lib. XXIII. PUTEAN.

P. Sulpicius.] De quo Paedianus. Valerius lib. VI. Cicero in Bruto. de bello cui non dictus Hylas? SCHEGKIUS. Idem retulerat Aſconius Paedianus ad Orationem Ciceronis pro Cornelio. Sed locus ejus etiamnum corruptus. Adſcribam ergo illum, ut, quantum in me eſt, repurgem. Ait autem de Sulpicio: *Ab initio bonarum actionum ad perditas progreſſus. Quod & initium bellorum civilium fuit, & propter quod ipſe Sulpicius Coſ. armis ire oppreſſus eſſe viſus eſt.* Lego, nulla fere mutatione: *propter quod ipſe Sulpicius, conſularibus armis jure oppreſſus eſſe viſus eſt.* Nam τὸ *Coſ.* antiquis librariis, & conſulem, & conſulatum, & conſularem notabat. Ex *ire* etiam fecimus *jure.* Vere, ut arbitror, & ex uſu hiſtoriarum. Quippe Sulpicium, Sylla conſule, in Laurentinis paludibus jugulatum, mox etiam prodit Vellejus. Cum quo conſentiunt Florus, Appianus, Oroſius, aliique. VOSS.

Diſertus, acer.] Cicero in Bruto. *grandem & Tragicum oratorem* vocat. PUTEAN.

Cum antea rectiſſima.] Sic quoque Paedianus in Cornel. ſcribit Sulpitium initiis bonarum actionum ad perditas progreſſum eſſe: Idem etiam ſcribit Cicero de Haruſp. reſp. PUTEAN.

Apud Populum maximam quaeſiſſet dignitatem.] Ut ſupra pro ſimplici compoſitum, ita hic pro compoſito ſimplex. *Quaerere* eſt enim acquirere: neque noſtro ſolum, ſed plerisque probatis omnibus. Juſtinus lib. II. *Imperium Aſiae ter quaeſivere.* lib. I. *Regnum quod fraude quaeſierant.* At hic quidem trecentis locis, quae cui bono quaeram? Propertius autem, qui *ſectari*, *teſtari*,

vagari, & alia talia, hoc pariter de Hercule: *Dextra quum quaereret urbes.* Maro etiam in hac figura non infrequens. Aen. x. *Auri atque argenti memoras quae multa talenta, Gnatis parce tuis.* Georg. IV. *Ultroque animam ſub faſce dedere.* Apulejus Apol. I. *Meminerat Homerum Poëtam multiſcium, vel potius cunctarum rerum apprime peritum, vim medicaminum non mari, ſed terrae ſcripſiſſe.* Idem Apol. II. *Improbo ac nefario homini per alienas literas falſum facere tentanti ne auſcultarent, ſibi potius audirent.* pro *adſcripſiſſe*, & *obaudirent.* Sed Propertii & Juſtini mentione, memoria mihi refricatur locutionis ſimilis in ùtroque. quam liceat hic mihi, quamquam ἀπροσδιόνυσον proponere. *Brachia muri* alter bis dixit lib. v. *Si demiſſa Pyreum verſus muri brachia dejicerent.* Ibidem. *In brachiis muri, quae diruta fuerant, habitare.* Alter *viae brachia* ſemel. *Scandam Theſaeae brachia longa viae.* Hinc nimirum, quod inſtar brachiorum porrecta in longum ſint, ut via, ſic & muri. Quin etiam Ovidius de Oceano in eundem modum: *Nec brachia longo Margine terrarum porrexerat Amphitrite.* Hanc mihi brevem peregrinationem benivole condona, lector: nunc ecce domum redeo, manſurus tamen non nimium diu. ACIDAL.

Omnia imperia &c. addixit,] Non puto vocem iſtam eum hoc loco habere ſenſum, quem omnes ſciunt, ſed illum minus notum, qui a Feſto explicatur. *Addicere*, inquit, *proprie eſt idem dicere & approbare dicendo.* in qua opinor ſignificatione in Augurali diſciplina aves tum dicuntur *addicere*, cum ratum faciunt auſpicium, & approbant facienda. Livius lib. XXVII. *Fabio auſpicanti aves ſemel atque iterum non addixerunt.* niſi ſi quis forte malit ita legere, *pravus & praeceps ſe Mario &c. addixit*, cujus lectionis fere eadem eſt ſententia, ſed illam magis probo: nam & ſic Lactantius hoc verbum uſurpat lib. I. cap. 7. *Quare*, inquit, *incredibilis eſt error illorum, qui cum aliquam ſectam probaverint, eique addixerint, ceteras damnant tamquam falſas & inanes.* PUTEAN. Malim *concupiſcenti ſe addixit.* vidit & veram ſcripturam Cl. Puteanus, ſed mutata ſententia e ſacris auguralibus *addicere*, neſcio quam bene, maluit interpretari. apud Lactantium quoque videtur ſcribendum, *eique ſe addixerint.* ſed & τὸ *tulit* paullo poſt, cum mox ſubſequatur, videtur expungendum. HEINS. *Addixit*, eſt ex auctio-

nibus deſumtum, & notat donavit, & regenda dedit, ut infr. cap. 25. & millies apud alios auctores. Sueton. Caeſ. 50. Horat. II. Sat. 5. Cicer. in Piſon. 35. pro domo. 41. Burm. V. Graev. Ep. Syll. T. iv. p. 643.

Inter quos Marium.] Certa divinatio, *interque eos.* Eadem menda Ciceroni quoque fortean inſedit, lib. vi. ad Att. ep. 3. *Quod ego nemini tribui negotiatori; non C. Vennonio meo familiari; non tuo, M. Laevio; & quod tibi Romae oſtenderam me ſervaturum, in quo perſeveravi.* Scribendum forte inquam: *quod & tibi Romae oſtenderam me ſervaturum, inque eo perſeveravi.* Niſi potius, ut cenſuit Bucretius noſter: *quod tibi Romae oſtenderam, me ſervaturum, & in quo perſeveravi.* Aut aliter quoque etiam, ut vir clariſſimus, ſummaeque eruditionis, Joannes Caſelius: praeter quem qui literarum hodie dignitatem & verum decus in Germania ſuſtineat, in tanta literatorum copia, vix habemus, cuique, ut praeceptori & amico omnem obſervantiam, & quaecunque a grato animo proficiſci queunt officia ac ſtudia, debeo. Sic ille igitur: *id quod tibi Romae oſtenderam*, &c. Et quoniam viri illius hoc foras eliminavi, ipſo quidem, fateor, inſciente, nec ſcio ſatis an & volente: neque enim ille hoc genus laudis affectat, quod etiam infra ſe exiſtimat, & ita omnes in hujusmodi auctorum loca cenſuras & obſervationes ſuas inter legendum ultro ac temere naſcentes, quas magno alii venditarent, premit, non promit; familiaribus tamen, aut ulli adeo, qui uti frui velit, qua eſt humanitate, & adverſum omnes obvia benivolentia, non invidet: ſed quoniam, inquam, ſemel furtim proferre iſtud non ſum veritus, non ero verecundior deinceps in proferendo ejusdem ex iisdem Atticis epiſtolis, quas ipſius olim commendatu ac mandatu primum amare ac volutare coepi, etiam altero. lib. x. ep. 5. *Quod mihi mandas de Q. regendo, ἀρκαδίαν, tamen nihil praetermittam.* Inibi Graecam vocem varie alii interpolant: qui hanc ipſam retinent, illud minus conſiderant, non denegare prorſus Ciceronem ſuam Attico operam: qua in re uſurpari ſolitum, quod afferunt, adagium. Caſelius igitur, οὐ ῥάδιον, reſcribit. ſed ecce etiam iterum Bucretius ex manuſcriptorum lectione, ἄρη λίαν, quam poſuit Cl. Turnebus, βαρὺ λίαν; iterumque ego, ut numerum expleam, ἀργαλέαν. Quae lectiones tres unum

omnes

omnes ſenſum pariunt. At Cicero quidem ſaepe de difficultate ejus negotii conqueritur. bis epiſtola ſequenti, *magnum* inquit *opus eſſe*; alia quadam, *in eo vim incredibilem moleſtiarum.* Harum igitur una vera & ſincera Ciceronis erit ſcriptura. De mea, cedo Caſelianae lubens merito: nec praeferri eidem ſe vult Bucretiana, qui enim debemus uterque aut poſſumus aliter? ACIDALIUS.

Caputque ejus erectum, & oſtentatum pro roſtris.] An potius fuit? *exectum & oſtentatum.* GRUTER. Grutero non diſpliceret, *exectum.* Quod an linguae Latinae uſus admittat, mihi dubium. Nec video, cur vulgata lectio mutari debeat. VOSS.

Annoque LXX.] Malim *annoſque*: vide paullo ante. PUTEAN. Placeret magis: *Marius poſt ſextum Conſulatum, annoſque* LXX. *nudus*, &c. nam illud, *annoſque*, ad dictionem *poſt*, quae praecedit, referendum eſt. URSIN. Poteſt eſſe a gloſſa, *annoque ſeptuageſimo.* nam aetatem illam expreſſit antea capite 18. GRUTER. Lego, *annumque.* Nam ſi Marius, ut ante Vellejo narratum, ſeptuageſimum annum jam fuerit egreſſus, cum Sulpicius legem ferret, neceſſe eſt illud, & magis quidem, locum habere illo jam pulſo: licet breviſſimum ſpatium interceſſerit. Quod ſatis colligere poſſumus ex inſcriptione rerum geſtarum Marii. Non adſcribam eam integram, quia longiuſcula eſt. Sufficiunt haec verba, quae ad inſtitutum noſtrum ſpectant: POST. LXX. ANNVM. PATRIA. PER. ARMA. CIVILIA. PVLSVS. ARMIS. RESTITVTVS. VII. COS. FACTVS. EST. VOSS.

Circa paludem Maricae.] Fortaſſe nomen ſilvae prope Minturnas. nam Meningem poſtea ſe contulit: ut ex Plutarcho liquet. MANUT. Aldus adnotat. Maricam eſſe fortaſſe nomen ſilvae prope Minturnas, quod dum lego, riſum tenere vix poſſum. Nam *Marica* Nympha eſt, uxor Fauni apud Virgil. lib. VII. eademque Dea litoris Minturnenſium juxta Lirim fluvium, quemadmodum ad illum Maronis locum Servius ſcribit. Unde Horatius eam oram *Maricae litora* appellat lib. III. Od. 17. cum ait. *Qui Formiarum moenia dicitur Princeps, & innantem Maricae Litoribus tenuiſſe Lirim.* Similiter Lucanus lib. II. —— *& umbroſae Liris per regna Maricae.* Plutarch. quoque in Mario auctor eſt ad Minturnas, locum fuiſſe Maricae ſacrum. Ita quam Velle-

jus Maricae *paludem*, Cicero, Livius & alii *paludes* appellant. Plutarch. enim ibidem ſcribit Lirim fluvium prope Minturnas in modum paludis ſeſe effundere. PUTEAN. *Marica* fuit Nympha, uxor Fauni, quae templum & nemus habuit infra Minturnas ſitum, juxta paludes, in quas Liris amnis exit, ubi Marius latuit. Plutarchus in Mario, & Strabo lib. v. etſi non nominat Maricam. Horat. lib. III. Carmin. Ode 26. *Innatantem Maricae littoribus tenuiſſe Lirin.* plura Servius in VIII. Aeneidos. POPMA.

In carcerem Minturnenſium.] Juvenalis Satyra x. *Exſilium, & carcer, Minturnarumque paludes, Et mendicatus victa Carthagine panis, Hinc cauſſas habuere.* —— Et Lucanus lib. II. *Cum poſt Teutonicos victos, Libycosque triumphos Exſul limoſa Marius caput abdidit ulva, Stagna avidi texere ſoli, laxaeque paludes Depoſitum fortuna tuum, mox vincula ferri Exedere ſenem, longusque in carcere paedor.* Eadem Ovidius IV. de Ponto, Valerius in privata domo Minturnis clauſum dicit. SCHECK.

Juſſu II. *viri.*] An potius II. *virum?* Duo enim certe in coloniis. LIPS. Nocuit loco ſcripturae compendium. fuit certe, *juſſu duumvirali.* GRUTER. Gruteri conjecturam in textum receperunt Heinſius, Hudſonius, & Cellarius. [Sed unus ex duumviris potuit juſſiſſe.] BURM.

Cum gladio.] Merum gloſſema, *cum gladio*: additum ab eis, quibus gnarum ſtatim ſequi; *abjecto gladio profugit e carcere.* at ideo mihi potiſſimum heic ſupervacuum videtur. idemque ſentio de illis, *e carcere*, quae modo produxi. GRUTER. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 35.

Natione Germanus.] *Cimber* Valer. *Gallus* Liv. & auctor Illuſtr. vir. recte ſupra monui, per auctores Gallorum nomine comprehendi Cimbros Teutonósque. Quis ſervus ſive actor publicus, erudite Lipſius in Electis, Tacitique Notis explicat. SCHEGKIUS. Gallum fuiſſe Livius & Appianus ſcribunt. Plutarchus autem equitem natione Gallum ſive Cimbrum, nam utrumque tradi. Cimbri vero Germaniae populi erant. PUTEANUS. *Cimbrum* fuiſſe, praeter Vellejum, tradunt etiam *Valerius*, & Lucanus. Livii tamen epitomator, Appianus, auctorque de viris illuſtribus, Gallum nominant. Plutarchus utrumque dici refert, Rhenanus, aliique eum ſecuti, nodum ſe ſolviſſe crediderunt, dicendo, veteres *Gallorum* vocabulo

cabulo etiam *Germanos* comprehendiſſe. Sed bene eorum errorem confutat Cluverius, Germaniae Antiquae lib. I. cap. 10. qui tamen fruſtra, ubicunque de Cimbris mentio, Gallorum nomen ex libris conatur evellere. Vix enim dubito, quin error ille ſit quorundam veterum, qui, cum ipſi eſſent ἀγεωγράφητοι, ſecuti ſint auctores, qui ante Galliam a Romanis penetratam dixere, quibusque Cimbrorum ſedes erant incognitae. Ita videmus Florum lib. III. cap. 5. Cimbros *in extremis Galliae* conſtituere. Ubi, ne quis audiat Cluverium, reponentem, *Germaniae*, addo, apud Rufum Feſtum, qui Florum ſaepe ſequitur, legi: *Marius Gallos de Italia expulit: & tranſcenſis Alpibus feliciter adverſus eos pugnavit.* Hinc Gloſſae noſtrae membranaceae: *Cimber, Gallus, civis de Gallia.* Atque alibi, *Bellum Cimbricum, Gallicum, quia Galli Cimbri dicuntur.* Ita enim lego ex certa conjectura, pro *Bicimbricum*, &c. Sic praeceſſerat, *Bellum Punicum, Africum*; item *Bellum Italicum, Romanum.* Primi itaque ignorantia locorum peccarunt; poſteriores etiam credulitate. Voss.

Ab imperatore eo.] *Ab* delendum conjicit Hudſonus, me prorſus adſentiente. non enim Imperatoris eſt, captivos manu facere & prehendere, niſi tamen quis mallet, *ſub imperatore eo.* Burm. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 35. 367. V. IX. p. 248.

Cum magno ejulatu expromenti.] *Cum* abeſt a V. C. ſed in quibusdam libris editis totus hic locus ita legitur, *ut agnovit Marium magno cum ejulatu ſe prodentem, indignatione caſu.* rectiſſime. Putean. Gryph. & Stephan. *Magno cum ejulatu ſe prodentem, indignatione caſus tanti viri.* Male, unde tanto Imperatori tam muliebre pectus? Cicero in Paradoxis: *Marium in ſecundis rebus ex fortunatis habeo; in adverſis unum ex ſummis viris.* Sane in Bruto plane virum laudat. Schegk. Quaecunque aliis, mihi vero mens ſedit, *expromens* vel *exprimens* legere. Vocis *indignationis* explicationem & exempla uberiora dabo alibi, niſi fata, meis usque adhuc ſemper adverſa conatibus, obſtiterint. Acidal. Minime legendum *expromens*, ut ſedet nonnullis: nam vox *expromenti*, non reſpicit ſervum Germanum, ſed vocem adſitam *ejulatu.* Gruter. Libri vulgati corrupte *expromenti*, neque enim hoc dicit de Mario, in quem virum fortiſſi-

mum non cadit ejulatus & indignatio caſus ſui: ſed de ſervo publico percuſſore Marii, de quo Plutarchus, Valerius, & Livii epitoma. POPMA. *Magno ejulatu expromenti indignationem caſus tanti viri*, planis literis in autographo lectum fuit. Senſus eſt: magnum illum ejulatum expromſiſſe indignationem caſus tanti viri. Quod bene Grutero obſervatum. Quamquam hoc ſenſu non pejor lectio erit, ſi ſcribas, *exprimenti*. Aliorum commenta tanti profecto non ſunt, ut mereantur refelli. VOSS. Puto, *magnos ejulatus exprimente indignatione caſus tanti viri.* Indignatio hujus caſus exprimebat ejulatus, non ejulatus indignationem. Valer. Max. lib. IX. cap. I. *Mugitus edere cogebantur, ut ejulatus eorum humanae ſono vocis expreſſi tyranni miſericordiam implorare poſſent.* Curt. lib. VI. cap. 4. *Itaque indignatione expreſſa vox indicum ſilentio excepta eſt.* ſic optimae membranae: *exprimere vocem militi*, eidem lib. IX. cap. 3. *Et voces ultima neceſſitate expreſſae.* Seneca in Excerptis: *Dolor clamorem exprimat, dum ſecreta non exprimit.* HEINS. *Cum magno ejulatu expromenti.* edit. Rhen. forte, *cum magno ejulatu, exprimente indignationem caſu tanti viri, abj.* &c. *cum magno ejulatu*, jungendum cum *profugit*; caſus vero tanti viri exprimebat illam indignationem. Val. Max. III. I. §. 2. *Expreſſa eſt itaque illa vox hominum, gratulemur nobis Latini & Socii.* Plin. Paneg. pr. *Abeant ac recedant voces illae, quas metus exprimebat.* BURM. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 348.

Indignationem.] Vide Cl. Freinshem. ad Curt. X. 8. 3. Valerius Maximus II. 10. 6. ad *Majeſtatem*, id eſt, amplitudinem & admirationem tanti viri retulit hunc ſervi timorem; tum ad memoriam cladis Cimbricae; denique ad fati providentiam: *Noſter de indignatione caſus tanti viri* loquens, partim ad miſerationem, partim ad priores duas, quas modo dixi, cauſſas rejicit. BOECLER.

Circa Taenariam.] Cod. quidem *Aenariam*. recte. Vide Plutarch. Siſenna lib. VI. Faſtor. apud Nonium V. *continuare. Marius oſtio Liris evehitur, atque Aenariam ſuos continuare jubet.* PUTEAN. Hoc diffuſe Plutarchus in Mario: ſed praeter filium, amicos quoque adſecutum refert: cui conſentit Siſenna lib. VI. Hiſtor. *Marius Oſtio Liris evehitur, atque Aenariam ſuos continuatur*; Ubi plura dixi de Aenaria; quae inter ardentes inſulas refertur:

tur: ſicut inter ardentes campos *Arectae campi* prope Babyloniam, de quibus Tibullus lib. IV. etſi verſus ejus in omnibus libris corruptus eſt, quem ita emendandum cenſeo. *Ardet Arectaeis unda par hoſpita campis.* Unda *hoſpita* dicitur par campis, eo quod profluens e fonte bituminoſo divertebat in campos, & ibi advena pariter, quaſi *piſcina*, ardebat, ut teſtatur Strabo *lib.* XVI. Fruſtra *Scaliger* tentat refragantibus libris. *Ardet Arectaeos unda per hoſpita campos.* POPMA.

Filium.] Falſum hoc eſt, ſi Plutarcho & Appiano credimus, qui ſcribunt Marium non niſi in Africa filium recepiſſe, qui ad Hiempſalem confugerat. Livius quoque refert Marium filium in Africam trajeciſſe. Plutarchus autem ſcribit Marium in Aenaria inſula Granium privignum ſuum recepiſſe. Itaque forſan hic legendum eſt, *uxoris filium.* PUTEAN.

Cum Marius, &c.] Egregie exprimit & ſubjicit lubricum iſtud & incertum rerum humanarum. Placuit Lucano, lib. II. 91. & mutuatus eſt: — *Solatia fati Carthago Mariusque tulit, pariterque jacentes Ignovere Deis.* LIPS. Communis ſcilicet fragilitatis, qua e ſummo facile ad imum deſcenditur, exemplo, & ſimilitudine fati, de qua diximus ad II, 3. Tale ferme ex tali contemplatione ſolatium eſt, quod deſcribit Ser. Sulpicius ad Ciceronem l. IV. ep. 5. *Ex Aſia rediens, cum ab Aegina Megaram verſus navigarem, coepi regiones circumcirca proſpicere. poſt me erat Aegina, ante me Megara: dextra Piraeeus; ſiniſtra Corinthus: quae oppida quodam tempore florentiſſima fuerunt, nunc proſtrata & diruta ante oculos jacent. Coepi egomet mecum ſic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur, ſi quis noſtrum interiit, aut occiſus eſt, quorum vita brevior eſſe debet, cum uno loco tot oppidorum cadavera projecta jaceant.* & quae ſequuntur. BOECLER.

Hoc primum anno ſanguine Coſ. Rom. milit. imbut. man.] Sicut ſupra II. 3. 3. initium civilis ſanguinis, ἐπιστάσεως πολιτικῆς ἕνεκα, monſtraverat: ita nunc, quousque exempli noxa profecerit, vel ideo oſtendit, ut animadvertatur amplius, quouſque profectura ſit. BOECLER. Diſtingue, *ſanguine Conſulis, Romani militis imbutae manus.* ſed novumne hoc in Romano milite? Atqui jam olim interfecerat exercitus Poſthumium. Liv. IV. 50. Flor. I. 22. an Vellejus diceret eum Tribunum mil. conſulari

ſulari

ſulari poteſtate fuiſſe. non ita cauſſam agerem, vel, an ibi lapidibus, hic gladio ſaevitum. nec haec defenſio placet. BURM.

Ad exercitum Cn. Pompeji proconſulis, ſeditione, ſed quam dux creaverat.] *Ambitioſi ducis illecebris*, inquit Valerius, *corrupti milites, ſacrificare incipientem adorti, in modum hoſtiae mactaverunt.* Rhen. hic *ad exercitum.* deinde quidam, *τὸ creaverat*, conjectura Burrerii licenter in *excitaverat* mutarunt. SCHEGK. Malim *excitaverat.* BOXH. Mirari poſſet aliquis, cur optimam lectionem, quisquam correctione tentandam exiſtimaverit. BOECLERUS. *Quippe Q. Pompejus.* tum *ſeditione*, *quam dux civerat.* vel *concitarat.* non *creaverat. creare ſeditionem* parum Latinum eſt. nec male *exciverat* vel *excitaverat*, Burrerius. *ciere bellum, rixam, armatos*, alibi apud noſtrum. HEINS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 35. 368. V. IX. p. 249.

Non erat Mario Sulpicioque Cinna temperatior.] Pertinet haec comparatio ingeniorum ad ipſum civilis diſcordiae contextum & cauſſas. quae potiſſimum ex intemperantia hominum *σταϲιαϲτικῶν* & inquietorum aeſtimari debent. BOECLER.

Cum ita civitas.] *Τὸ ita* inconcinne geminatur. Puto, *cum ſic civitas It. data eſſet.* HEINS.

Civitas Italiae data eſſet.] Lege Julia, quam tulit Ser. Julius Caeſar Cos. cum P. Rutilio anno DCLXIII. ut civitas ſociis & Latinis omnibus, qui arma depoſuerant, daretur, ut novi cives in tribus diſtribuerentur. Cicero pro Balbo, Appianus, Eutropius, & nos ad Siſennae lib. IV. Hiſtor. POPMA.

Ut in octo trib. contrib. nov. civ. ne pot. eorum, &c.] Vide de re & hiſtoria Sigon. de antiq. jur. Ital. 3. 1. Annotatur autem hic a Vellejo ipſiſſima ratio *arcani ſive artis*, circa novorum civium admiſſionem uſurpari ſolitae. BOECLER.

Cinna in omnibus.] Quod antea tentaverat Sulpitius, teſte Livio lib. II. cap. 6. PUTEAN. Rurſus conſulendi ſcriptores ad Flor. III. 21. laudati. BOECLER.

Haec injuria homine, quam exemplo dignior fuit.] Paraphraſis iſta eſt: *Hanc ſeveritatem ademtae dignitatis merebatur ſane homo, ſed ad novas poenas (praeſertim in tali civitate, in perſonis talibus) decurrere, ſemper periculo-*

ſum

ſum eſt, *propter exemplum*, *quod datum ſibi credit & dicit*, *quisquis eo abuti cupit.* Ita de Clodii caede infra II. 47, 4. *exemplo inutili*, *facto ſalutari reip. jugulatus eſt.* confer ſupra II. 3, 4. Non fuit alia mens Taciti, licet verba plurimum videantur diſcrepare, I. A. 38. I. Ibi vexillarii ſeditionem coeptantes praeſenti duorum militum ſupplicio paulum repreſſi ſunt. *Juſſerat id Mennius* (ait Hiſtoricus) *caſtrorum praefectus*, *bono magis exemplo*, *quam conceſſo jure.* Clapmarius IV. Arcan. 22. refert hoc judicium Taciti ad *extraordinarium* adminiſtrationis civilis *modum*, *quo ea*, *quae lex omiſit*, *religio magiſtratus omittere non debet.* Quam interpretationem qui tueri volunt, non ad verba Taciti proprie, ſed ad ἐπίκρισιν totius negotii referant, neceſſe eſt. Illud enim accurate dicit Tacitus: *Mennii quidem factum non inutile fuiſſe*, *ad diſciplinae militaris imperiique auctoritatem vindicandam* (ſicut praeſertim Hiſpanus interpres declarat) *ubi*, *inſtar cujusdam teli*, *plerumque praeſentioris ſupplicii ſeveritas valere conſuevit*: *ſed egreſſum tamen eſſe praefectum caſtrorum ſuae poteſtatis modum*, *qua ſupplicia non continebantur.* qua ipſa in re non eſt nullum exempli periculum. ſed pro ratione & genere ipſius periculi, quod aliquando neceſſitate excuſatur, aliquando magnae utilitati condonatur, *etiam ſententiae Scriptorum*, *de exemplo quidem novo communiter*, *ſed modo lenius*, *modo gravius*, *modo transmittendo*, *modo increpando loquuntur.* Locum Taciti vox *exempli* obſcuravit. quam paulo aliter, ac Vellejus Noſter aliique, hic uſurpat. cum enim alias *exemplum facto* opponatur, hic verius *pro ipſo facto* ponitur. *Bono exemplo* ait: id eſt, *facto utili*, & *quod dignum eſſet*, *ut in poſterum exemplum inde caperetur*, *permiſſa magiſtratibus ad certos & ultimos caſus majori & extra ordinem poteſtate.* Concurrit ergo *cum facto* ſignificatio *exempli*: *non quod bono exemplo fecerit*, *qui fecit*; *ſed quod a facto*, *ratione facientis non habente bonum exemplum*, *poſſit quoad rem ipſam boni exempli occaſio exiſtere*: ὑποθετικῶς nimirum, & ſubintellecto legitimo exempli ſumendi ſive conſtituendi modo atque poteſtate. Dignus videbatur locus, nulla verſione, quod ſciam, penitus & ſatis expreſſus, quem hac occaſione explanaremus. BOECL.

Mox etiam ſpe largitionis corruptis militibus.] Ex quo lar-

largitio in caſtra irrepſit (contagio ſc. exemploque urbani ambitus, quo *venalis populus, venalis curia patrum* libertatem ſuam perditum ivit) diſciplina & omnis reverentia reipubl. ceſſit: perpetuumque novandis rebus inſtrumentum miles erat, qui cum docetur largitiones accipere, eadem opera venalis in ſcelera quaecunque eſſe docetur. ita perventum eo denique eſt, ut largitionibus crebris corrupti milites, imperium ipſum omnemque Romanam majeſtatem ſine omni cura fidei pietatisque ad ſe traherent, rurſumque ſine pudore flagitii, venale edicerent, imo vero Juliano cuidam venderent, teſte Herodiano II. 6. Videri poſſet hic terminus turpitudinis, & ultimum poſt praviſſima omnia praecipitium: ſed ecce novam & in majora ituram ex ultimo dedecore auſpicatur ſeriem graviſſimus Hiſtoricus: τότε δὲ (inquit II. 6.) καὶ πρῶτον ὑποδιεφθάρη τὰ τῶν στρατιωτῶν ἤθη, καὶ χρημάτων ἐδιδάχθησαν ἄπληστον καὶ αἰσχρὰν ἐπιθυμίαν, καταφρόνησίν τε τῆς πρὸς τοὺς ἄρχοντας αἰδοῦς. τὸ γὰρ μήτε τοῖς οὕτως ὠμῶς τετολμημένοις ἐν φόνῳ τῷ βασιλικῷ ἐπεξιέναι τινά· μήτε τὴν οὕτως ἀπρεπῶς ἐπὶ χρήμασι κηρυχθεῖσαν καὶ πραθεῖσαν ἀρχὴν εἶναι τὸν κωλύοντα, ἀρχηγὸν καὶ αἴτιον ἀπρεποῦς καὶ ἀπειθοῦς καταστάσεως, καὶ ἐς τὰ ἐπιόντα ἐγένετο ἀεὶ, τῆς φιλοχρηματίας αὐτῆς, καὶ τῆς τῶν ἀρχόντων καταφρονήσεως μέχρις αἵματος αὐξηθείσης. *Tunc primum videlicet corrupti militum mores* (non ſane tunc primum corrupti, ſed ex corruptiſſimis tum primum corruptiores facti, novam flagitiorum ſeriem auſpicabantur) *foedaque & inſatiabilis pecuniae cupiditas & contemtus imperatoriae majeſtatis inolevit. Nam cum neque vindex exiſteret ullus tam crudeliter interfecti principis, neque promercale factum imperium foedeque nundinatum quisquam prohibuiſſet, id vero initium cauſſaque militibus fuit, ut etiam in poſterum turpiſſimi contumaciſſimique evaderent: ſic ut avaritia in dies & principum contemtus etiam usque ad ſanguinem proveheretur.* Non piguit illuſtrem locum, cum politiſſima Politiani verſione huc adſcribere, ut uno quaſi contuitu obſervarent, quibus commodum eſt, a quibus initiis largitio (inter ordinarias dominationis parandae artes a cupidis imperandi, e. g. hic a *Cinna*, tum a *Sulla*, *Antonio*, *Octavio ceteriſque* adhibita) ad quae dedecora, ad quas reip. non dicam labes, ſed ruinas progreſſa ſit. BOECLER.

Opus

Opus erat partibus, auctoritate, gratia cujus augendae C. Marium.] Mirum ni rectius diſtingues *partibus, auctoritate, gratia: cujus augendae.* quamquam ſcio relativa noſtrum ſaepe poſtponere. Sed abſque eo illud venuſtius tamen, & hoc, quia vetuſtius, ut ſubintelligatur, *gratia* vel *cauſſa* hic infra; cap. 99. *Diſſimulata cauſſa conſilii ſui, commeatum ab ſocero atque eodem vitrico, acquieſcendi a continuatione laborum, petiit.* In hanc faciem Gellius mihi emendandus lib. x. cap. 24. *Is autem erit, perpetua veterum conſuetudinis demonſtrandae gratia, verba ſolemnia praetoris ponere, quibus more majorum ferias concipere ſolet, quae appellantur compitalia.* Hic *gratia* illud a Gellio eſſe, credat, qui Gellium non novit. Itaque ſic lege: *Satis autem erit perpetuae veterum conſuetudinis* (potes eodem ſenſu, paullo alia figura, *conſuetudini*) *demonſtrandae, verba ſolemnia.* Ubi & *ſatis* initio reconcinnavi, cujus prior ſyllaba, magno & ſententiae & cohaerentiae cum prioribus interimento, intererat. Acidal. Nil prorſus mutandum eſſe, ad priorem librum jam monui. Voss. Optima lectio, per Helleniſmum ſatis notum. Boecler. Diſtinguo, & indubitata conjectura ſic lego, *opus erat partibus, auctoritate, gratia: cui augendae C. Marium, cum filio, de exſilio revocavit.* Boxhorn. Vide de hac ellipſi ad Petron. 49. & Quinctil. iv. i. in fin. quamquam Rhenani editio ita diſtinguit, *opus erat partibus auctoritate, gratia cujus augendae.*

De exilio revocavit.] Inter conſilia & inſtrumenta res novas molientium paſſim obſervare licet, *revocatis ab exilio proſcriptos patriaque expulſos*: quippe qui & calamitate favorabiles, & patriae ob exilium infeſti, & pro reditu conficiendo omnia auſuri videntur. Boecler.

Cujus praeclara opera bello Marſico &c. quique Aſculum ceperat.] Flor. iii. 18. 14. *Strabo Pompejus omnia flammis ferroque populatus, non prius finem caedium fecit, quam Aſculi everſione, manibus tot exercituum conſularium, direptarumque urbium diis litaretur.* adde Liv. epit. 74. & 76. Boecler.

Circa Picenum agrum, ut praeſcripſimus.] Erratum memoriae Velleji, non enim hoc ante dixit, ſed illud, *Pompejo Sullaeque, & Mario fluctuantem, procumbentemque remp. reſtituentibus.* Popma. Fruſtra Velleji memoriam

riam accuſat Popma, quia de Piceno mentionem non fecerit. Nam Vellejus non locum, ſed res geſtas reſpicit. Dixit autem ante: *imperatores Romani fuerunt eo bello Cn. Pompejus, Cn. Pompeji Magni pater, C. Marius, &c.* Item, *Pompejo, Sullaque, & Mario fluentem procumbentemque Remp. P. Romani reſtituentibus.* Voss.

Ut omnia ex proprio uſu ageret, temporibusque inſidiari videretur.] Livii epit. 79. *Cn. Pompeji fraudem* notat: *qui utramque partem fovendo, vires Cinnae dedit, nec niſi profligatis optimatium rebus auxilium tulit.* Ita Amyntas apud Curtium IV. I. 27. *ſemper ex ancipiti mutatione temporum pependit.* Ita *temporaria Graecorum ingenia incertae famae captant auram, ut quocunque pendentes animos tuliſſet fortuna, ſequerentur,* apud Eundem IV. 5. 11. Dicetur de hoc charactere intra in Charact. Vellej. c. 5. Illud obiter notandum eſt, deſcribi hoc loco, ipſiſſimam *Rationem ſtatus*, quae Pſeudopoliticis hominibus tantopere ſemper placuit, ut non alios magis prudentiae nomine commendarent, quam qui nemini fidi, omnia ex proprio uſu agentes, temporibus inſidiarentur, & ad eorum mutationem mutabiles animos eo flecterent, unde major ſpes *affulſiſſet.* loquemur enim ita cum Vellejo, non ineleganter, ut arbitror, ita loquente. Boecler.

Ageret, temporibusque inſidiari videretur.] Malim, *agere.* Quod niſi per alios ſteterit, per me facile cadet. Voss.

Spes major affuiſſet potentiae.] Libentius legerem, *affulſiſſet.* Manut. Aldus legit *adfulſiſſet*, ego retineo *adfuiſſet.* Putean. Aldus bene *affulſiſſet.* Raphel. Divinavi aliquando ſcriptum auctori, *ſpes major adfulſiſſet potentiae*, figura eleganti, & auctoribus frequentata, neque adhuc poenitet, quamvis non adſperner ſcripturam receptam. Gruterus. Aldus reponebat, *affulſiſſet.* Quomodo jam ante eum legebatur apud Cuſpinianum; qui hunc locum citat. Voss. Incredibile dictu eſt quantopere mihi hic placeat, *affulſiſſet.* Boxh. Scriptus liber *adfuiſſet.* ita Juſtin. lib. XIII. cap. I. *Ut vero mortis ejus fides adfuit;* an *morti?* ut libro XVII. *nec oſtentis fides defuit.* Heins. Sed communior locutio eſt *affulſiſſet*, ut ita quoque *ſpes affulgere* dicitur Livio aliquoties: ſic Apulej. VII. Met. *ſed in rebus ſcaevis adfulſit Fortunae nutus hilarior.* [Amm. Marcell. XXIV. 2. *ſalutarem genium affulſiſſe*

Juſſe ſibi.] Ita *effulgere*, de quo ad Quinctil. Decl. IX. 7. & XII. 4. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 35. 368. V. IX. p. 250.

Moenibus ſociisque.] Diſplicent, *ſociisque*, nec germana ſunt. *Socii Romanae urbis*, duriter dicuntur, iidem *pugnaſſe & ſpectaſſe*, falſo. Nam cives quoque parte una pugnarunt, nec ſocii ſane ſpectatores ulli, ſed actores. Denique copula in voce *ſociisque*, non pro ſermonis textu. Nos credimus fuiſſe: *ſub ipſis moenibus oclisque* (ſive *oculisque*) *urbis Romanae, pugnantibus ſpectantibusque quam fuerit exitiabilis.* Haec pugna, inquit, commiſſa, non ut aliae procul a patria, ſed apud Janiculum, ſub ore atque oculis Romanae urbis, quam triſtis funeſtaque fuerit & pugnantibus, & ſpectantibus, aegre dici poteſt. Sic mihi videtur: & rogo ne quis ἄπειρος τῶν κριτικῶν κριτὴς ἔστω. LIPS. Suſpicabar aliquando fuiſſe potius ſcriptum, *ſub ipſis moenibus, id eſt, oculis urbis Romae, pugnantibus.* neque nunc muto factum. ſcitur enim illud, *id eſt*, exprimi fere unica a ſcribis litera, hinc inde laterum puncto cincta. ſic mox auctor noſter cap. 23. *Paternis, id eſt, Ponticis finibus contentum eſſe juſſit.* GRUTER. Locus obſcurus, ac corruptus, quique diverſa eruditorum ingenia torſerit. Nos minima mutatione reſcribimus: *ſub ipſis moenibus, focisque urbis Romanae*, &c. Senſus perſpicuus, & qui non egeat interprete. Nec abſurda tamen Lipſii conjectura, ut quidam rentur. Putabat ille, pro, *ſociisque*, legendum, *oculisque.* Ut ſenſus fuerit, hanc pugnam non commiſſam procul a patria, ut aliae, ſed ſub ore, & oculis urbis Romanae. VOSS. Varie locum hunc direxerant eruditi. Lipſius pro *ſociisque*, reponebat *oculisque.* Sed quam ineptum ſit *oculis pugnantibus*, quivis videt. Nec multo melius Gruterus. ego locum ſic conſtituo: *cujus*, nempe praelii, *commiſſi, patratique ſub ipſis moenibus, ſociis quoque urbis Romanae pugnantibus, ſpectantibusque, quam fuerit eventus exitiabilis, vix verbis exprimi poteſt.* BOXH. Lipſius *oculisque*, Voſſius *focisque.* haud male uterque. atque ita voluiſſe Florentem quoque Chriſtianum reor, monente Puteano: nam *locisque*, pro menda typographica par eſt haberi. Putem nihilominus *foſſisque.* quae cum moenibus rectius conjunguntur. Tacitus Annal. XII. cap. 16. *urbem editam loco, & moenibus foſſisque*

que munitam. de foſſa urbis ab Anco Martio facta, ac *foſſa Quiritium* dicta; Livius lib. I. cap. 33. HEINS. Mihi *oculis* praeplacet, nec opus conjungere, *oculis pugnantibus.* Sed, ita conſtrue, cujus (praelii) *commiſſi patratique ſub moenibus & oculis urbis, quam fuerit eventus exitiabilis pugnantibus ſpectantibusque.* ſic cap. 79. *Gravis ſub ipſius Caeſaris oculis accepta clades.* ubi vid. Acidalii notas. ita *ſub ore urbis claſſem accendit.* Flor. II. 15. ut noſter inf. cap. 84. *in ore atque oculis Antonianae claſſis.* & ita centies alii. *foſſa* minime omnium placet. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 457.

Repenſata eſt.] Vide ad lib. II. 12.

In corpus mortui contulit.] Nam lectum ejus populus diripuit, corpus, more recepto, unco traxit. interiit fulmine ictus. SCHEGK. Οὔτε γὰρ μῖσος οὕτως ἰσχυρὸν καὶ ἄγριον ἐπεδείξαντο Ῥωμαῖοι πρὸς ἕτερον στρατηγὸν, ὡς τὸν Πομπηΐου πατέρα Στράβωνα. *non erga alium ducem Romani infenſius ſaeviusque animati, quam erga Strabonem Pompeji patrem erant*, inquit Plutarch. Pompej. pr. *cujus corpus, cum fulmine ictus expiraſſet, dum effertur, lecto detractum, omnique ignominia affectum*, idem memorat, cauſſamque ejus odii exprimit: ἄπληστον χρημάτων ἐπιθυμίαν. BOECL.

Seu duae ſeu tres.] At auctor libelli de Gentib. & famil. Rom. duas tantum fuiſſe putat, *Ruforum* unam, alteram *Strabonum*, e Rufis autem quidam Bithynici ſunt dicti. PUTEANUS. Carol. Sigon. comment. in faſt. & triumph. Rom. ad an. v. c. DCXII. & Onuphr. Panvin. comment. in lib. I. faſt. ad an. DCXIII. BOECL.

Ante annos fere CLXVIII. *Q. Pompejus.*] Rhenan. *quam Pompejus*, hinc Marlianus ſuperare ait centenarium numerum, cum ad Pompeji Magni conſulatum dumtaxat LXX. intercedant anni. noſtram ſcripturam tuetur Leopardus Miſcellan. lib. VIII. cap. 8. SCHEGKIUS. *Q. Pompejus*, recte opinor, quod ad praenomen illud attinet. nam quod ad numerum, Pompejus ille ante annos minimum CLXX. conſul fuit: de hoc Pompejo aliquid ſcripſit Vellejus in principio libri hujus. PUTEAN.

Mox C. Marius.] Lucan. II. *Quis fuit ille dies, Marius quo moenia victor Intravit: quantoque gradu mors ſaeva occurrit? Nobilitas cum plebe perit: lateque vagatur Enſis, & a nullo revocatum eſt pectore ferrum*, &c. Legendus

dus praeſertim Appianus I. bell. civ. qui etiam indignas mortes tam illuſtrium virorum, quos hic nominat Vellejus, deſcribit. Boecler. *Cn. Marius*, Edit. Rhenani.

In mediocres.] Alias, *excelſiſſimi quoque, atque eminentiſſimae civitatis viri.* Putavi legendum, *excelſiſſimi quique, atque eminentiſſimi civitatis viri.* Manut. Tam apertam mendam fallere tam oculatos Argos potuiſſe? Nam ipſa ſe quidem verba refellunt. Quomodo mediocris ſaevities, quae in tot talesque viros varie graſſata? Nec εἰρωνα heic Vellejum agnoſco. Sed emendetur quamprimum me auctore: *Neque licentia in mediocris ſaevitum, ſed excelſiſſimi quique eminentiſſimique* (ſic enim & heic malo) *civitatis viri variis ſuppliciorum generibus affecti.* Antiquus ſcilicet accuſativi flexus errorem peperit, ut capiti vocis praepoſitio aſſueretur, caudae ſibilus praecideretur: cui tamen etiam verbi ſequentis initialis litera occaſionem fecit proniorem. Utinam omnes in Vellejum conjecturas noſtras tam facile praeſtare aequis arbitris poſſim, quam hanc probatum iri vel iniquiſſimis confido. Acidal. Vetus C. *immediocri*, neque habet *gladiorum.* Deinde Vet. Ed. Baſil. quae apud nos codicis ſcripti loco eſſe debet, ſic habet, *excelſiſſimae quoque atque eminentiſſimae civitatis viri.* ubi fortaſſe pro *civitatis*, non male reponatur *dignitatis.* poſſum ſimiles Velleji locos proferre. Putean. Mutatur iſtud ab aliis, nimia fateor licentia, in *neque licentia in mediocres ſaevitum*, ſed ubi quaeſo, bellis civilibus ſaevitur in mediocres, hoc eſt in membra? Immo in capita ſemper cuditur faba. itaque proximum vero eſt *immediocre* hic ſumi pro ſimplici ſuo, niſi quod *in* intendat ſignificationem verbi, ut facit in *inſervire*, *inſtringere*, aliisque vocibus multis, quorum mentio frequens apud Criticos. Rhenani editio exhibet, *neque licentia gladiorum in mediocres ſaevitum:* ſed praeter fidem codicis ſcripti, in qua reſtat lectio prima, ut diſerte teſtatus eſt Burrerius. Gruter. Corruptus locus, quem ita legendum puto: *Neque licentia in mediocria ſaevitum, ſed excelſiſſimi quique & eminentiſſimi civitatis viri.* Popma. In MS. fuit: *Excelſiſſimi quoque atque eminentiſſimae civitatis viri*, &c. Totus locus ita refingendus videtur: *Neque licentia in mediocres ſaevitum, ſed excelſiſſimi quique, atque eminentiſſimae dignitatis viri*, &c. Scio, Grutero viſum τὸ

immediocri retineri debere; ut ſumatur pro ſimplice, *mediocri*, niſi quod *in* intendat ſignificationem: ſed magis placuit Acidalianum, *in mediocres*. Pro *civitatis* vero non dubitavi reponere, *dignitatis*; ut ingenioſe conjecerat Cl. Puteanus. Itaque ſenſus horum verborum fuerit, ſaevitum eſſe, non in mediocres, ſed in ipſa capita, ut in bellis civilibus fieri amat. Voss. Rhenani & Acidalii ſcripturam pro commodiſſima habui, ſecutusque ſum. Nam quod nonnemo exiſtimabat, *immediocri* (quod hic legebatur) pro ſimplici, *mediocri*, poni, curioſius videtur, quam verius. Pro *eminentiſſimae civitatis* Puteanus *em. dignitatis* ſubſtituit: Poteſt tamen & vulgata tolerari. Boecl. *Neque licentia immediocri ſaevitum.* ſic vetuſtus liber. ſcribe, *neque licentiae in mediocria ſaevitum.* vel *in mediocris*, veteri ratione ſcribendi pro *in mediocres*. deinde corrigendum, *ſed excelſiſmi quoque atque eminentiſſimi civitatis viri.* nam & ſic in membranis fuit: niſi quod *eminentiſſimi* pro *eminentiſſimae* eſt a nobis. Minus bene Cl. Puteanus *excelſiſſimae a c. dignitatis*, quae conjectura Voſſium tamen habuit approbatorem; quod nollem factum. Popma fere, ut nos, niſi quod is *licentia* ſervat intactum. Heins. *Neque licentia gladiorum in mediocres ſaevitum*, Rhenanus edidit, quod an ex conjectura fecerit, an ita in MSS. invenerit neſcio, certe Lipſius teſte Raphelengio probavit: Burerii fides in multis jure ſuſpecta eſt, qui ſaepe lectiones formavit ipſe diverſas a codice illo primo. mihi certe non diſplicet, ut velit, non unicuique militum, fuiſſe licentiam datam in cives etiam mediocres ſaeviendi, ſed quaſi jure, & jubentibus Mario, & Cinna, animadverſum tantum in eminentiſſimos viros. habuit forte Vellejus ante oculos illa Ciceronis lib. IV. ad Famil. ep. 9. *magna gladiorum eſt licentia*, ut ibi recte legitur, non *gladiatorum*. eodem modo, *gladiorum impunitatem*, noſter dixit. cap. 2. & 125. hujus libri, [& Cic. x. ad Fam. 2.] Si illud *in mediocria*, exſtaret in ſcripto codice vehementer placeret, ſaepe enim neutro illo genere uſos ſcriptores, pro maſculino, notavimus ad Quinct. Decl. I. 6. Burm. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 348.

Merula autem, qui ſe ſub adventum Cinnae conſulatu abdicaverat.] Ita docui legendum. antea *Conſulis*. inepte. Schegk. V. C. *conſulatu*. recte. Putean.

Conſulatu.] Cinna, cum ei a Senatu conſulatus abrogatus eſſet, inſignia interim conſularia retinuit. Quod eo notandum fuit, ut appareret, vulgatam hujus loci ſcripturam aliquo modo defendi poſſe. Non diſplicet tamen, *conſulatu*: quomodo Griphio, Marneffio, Stephano, Schegkioque editum. Qui tamen minus candide hanc emendationem ſibi adſcribere conatur. Voss. *Conſulatu.* Ita *Rhenanus* edidit, ne de auctore hujus lectionis in poſterum dubitetur. Boecler. Immo in Rhenani Edit. eſt *Coſ. abdicaverat.* quod eſt *conſulis*; nam *conſulatum* fere integris literis exprimere ſolet. & ita poſſet hic *conſulis* legi Cinnae, in cujus locum ipſe ſuffectus erat. *Se abdicare* vero abſolute etiam eſt in [L. 2. §. 24. D. de O. J. *uti omnes magiſtratus ſe abdicarent.*] l. 20. ff. de off Praeſidis. *Legatus Caeſaris, id eſt, praeſes vel corrector provinciae abdicando ſe non amittit imperium.* Cicer. II. de Nat. Deor. 4. *Augures rem ad ſenatum: ſenatus ut abdicarent. Conſules abdicaverunt.* ſcil. ſe. Burm.

Flamen Dialis.] Poſt eum duobus & ſeptuaginta annis neminem Flaminem fuiſſe ſuffectum ſcribunt Tacitus lib. III. Ann. & Dio lib. LIV. Putean.

M. Antonius.] Cicero V. Tuſculan. Lucanus II. — *aut te praeſage malorum, Antoni, cujus laceris pendentia canis, Ora ferens miles feſtae rorantia menſae Impoſuit.* Schegk.

Quos ipſos.] Non dubito, quin, *ipſe*, ſcribendum ſit, non *ipſos.* ut legatur: *Quos ipſe facundia ſua moratus erat*, &c. nam verbum, *ipſe*, aliquanto ἐμφατικώτερον videtur. Ursin. Immo *ipſos* hic habet emphaſim. nam raro eloquentia gladios moratur; nunc vero ipſos illos gladios, ſtrictos & paratos in necem moratus erat, ſed accedente juſſu Marii Cinnaeque peracta caedes. Burm.

Concluſit ſe loco nuper calce arenaque perpolito, illatoque igni, qui vim odoris excitaret.] Non abſimile exitii genus ſubiit ille in Mileſia fabella moechus, quem aſtuta mulier, fullonis uxor, inopinato adventu mariti & vicini turbata, ſubitario conſilio, viminea cavea ſubjectum contegit: & cavea quidem, ut ille deſcribit, *quae fuſtium flexu in rectum aggregata cumulum lacinias circumdatas, ſuffuſa candido fumo ſulfuris, inalbabat.* ſub qua juvenis acerrimo gravique odore ſulfuris ineſcatus atque obnubilatus, intercluſo ſpiritu, diffluebat, & ex ingenio vi-

 vacis

vacis metalli, crebris ſternutationibus ſuccutiebatur. Sed quid ego hic & verborum & narrationis ordinem carpo? Feſtiviſſimam fabellam *dignamque auribus & tuo cachinno*, ex ipſo potius auctoris ore, nequaquam certe aſinino, accipe. Invenies lib. IX. Met. ACIDAL.

Perpolito.] Verius fuerit, *perlito*. LIPS. Lipſius verius eſſe putabat, *perlito*. Mihi veterem veramque ſcripturam mutare religio eſt. Caelius Aurelianus lib. I. c. I. Tardarum paſſionum: *Sed neque praeſtantius quicquam antecedentium cauſarum, ut aduſtio, cruditas, vinolentia, atque exercitium poſt cibum, vel manſio ſive ſomnus in ſpeluncis affertur, aut nova politura in muris parietis cubiculorum.* Vide etiam Feſtum in *Depolitiones*. VOSS. Defendit & *perpolito* Boecler. in indice. Sed ſi locus *perpolitus*, id eſt penitus politus, & opere illo albario ſive tectorio abſolutus fuiſſet, non inde facile fuiſſet exſtinctus, cum id ex recenti calce accidere ſoleat. Id docet ſimilis interitus, ut plurimi tradunt, Imperatoris Joviani. Sic enim Amm. XXV. 10. *Fertur recenti calce cubiculi illiti ferre odorem noxium nequiviſſe*, &c. ubi ſimilem Oroſii locum laudat Valeſius, in quo etiam *parietes illiti* dicuntur. Et Appiani, ubi νεόχριστον οἴκημα dicitur, quod minime eſt *perpolitum*, ſed recenti perlitum calce. *Linere* vero & ejus compoſitum in hac re propria eſſe verba, poteſt videri apud Heinſ. ad Ovid. III. Art. 232. *Villas ne tectorio quidem praelitas* dixit Cato apud Gell. XIII. 23. unde & hic *praelitum* poſſet legi. ita idem Gell. VII. 14. *cum fucatur atque praelinitur, fit praeſtigioſum.* BURM.

Simul exitiabili.] Geminat quoque particulam *ſimul* Livius & Quinctilianus, quae eandem vim fere habet, quam *cum* & *tum*, ſive *partim*. Sic quoque Graeci ἅμα μὲν, ἅμα δὲ. Plutarch. περὶ παιδ. ἀγωγῆς. Ἅμα μὲν τῆς τῶν σωμάτων εὐρυθμίας ἕνεκεν, ἅμα δὲ καὶ πρὸς ῥώμην. PUTEAN. Vid. Raph. Regium ad Quinctil. lib. I. praefatione. omitti tamen hanc particulam ſemel poſitam etiam ſolere, docet Gronovius ad Liv. XXXIII. 12. BURM.

Mortem obiit.] Ita ſaepe noſter. Terentius Andria Act. I. Sc. 3. Virgilius. X. 641. *Morte obita, qualis fama eſt volitare figuras.* SCHECK.

Mortem magis voto quam arbitrio inimicorum obiit.] Opinor *mortem magis ſuo voto*. exciderat τὸ *ſuo*. quod ex

ulti-

ultima littera *τῶν* *magis* & prima ſyllaba *τῶν voto* iterari oportuit. ſic infra cap. 26. pari modo ſcribendum reor, *nunc ſua virtute eminet, patria latet.* ubi ſimiliter peccabatur. cap. 55. *Ibi primo varia fortuna pugnavit, mox ſua.* ut pulcherrime caſtigavit magnus Lipſius. HEINS.

Et qui fuiſſet locuples, fieret nocens, ſui quisque periculi merces foret.] Deſideratur copula: qua inſerta lege, *ſuique quisque periculi.* Infra cap. 28. & ſententia, & verba, & horum ſtructura gemina: *Fieretque quisque merces mortis ſuae.* Illud paullo diverſius, ſimile tamen, quo ad ſermonem, ſupra, cap. 3. *Bellaque non cauſſis inita, ſed prout eorum merces fuit.* Simillimum hoc Flori lib. III. cap. 13. *Sed haec ipſa in perniciem redibant, & miſera Reſpublica in exitium ſuum merces erat.* Simile item Petronii ab alio ante nos allatum, itemque Salluſtii indicatum. ACIDALIUS. Bene Acidalius *ſuique.* VOSS.

Locuples, fieret nocens.] Πλουσίοις γὰρ οὐκ ἔστιν ὅτε εἰρήνη πρὸς τὸν ἰσχυρότερον ἐν τοῖς τοιούτοις γίγνεται. *divitibus enim in hujuscemodi caſu nihil contra vim potentiorum tuti eſt,* inquit Dio in deſcriptione triumviralis, quae poſtea ſecuta eſt, proſcriptionis, l. XLVII. & rurſum, *cum in aliis occidendis, tum praeſertim in divitibus promtiſſimos fuiſſe* aſſerit *Triumviros*: idque non ſine cauſſa. παμπόλλων τε γὰρ χρημάτων δεόμενοι, καὶ οὐκ ἔχοντες ὁπόθεν ἄλλοθεν τὰς ἐπιθυμίας τῶν στρατιωτῶν ἀποπληρώσωσι, κοινήν τινα κατὰ τῶν πλουσίων ἔχθραν προσέθεντο. *Quia enim multa prorſus pecunia indigebant, neque explēre aliter cupiditatem militum poterant, communem inimicitiam divitibus indixerunt.* Vide talia in Plutarchi Sylla. BOECL.

Fieret nocens.] *Innocens* Ed. Rh. forte, *fieret inde nocens*, ut ſaepe illa vocula *inde* intercepta fuit. BURM.

Merces foret.] Infra noſter, c. 28. *Fieretque quisque merces ſuae mortis.* Petronius Arbiter: — *qua re tam perdita Roma Ipſa ſui merces erat, & ſine vindice praeda.* Ad eundem modum locutus Salluſt. Catilin. SCHEGK.

Foret.] Vocula illa *foret* auctore Lipſio deletor, tamquam gloſſema. RAPHEL.

Nec quidquam videretur turpe, quod eſſet quaeſtuoſum.] Fuit & ſupra cap. 3. illuc huic prorſus ſimile, *nec quisquam ſibi putat turpe, quod alii fuit fructuoſum.* Ut videas, quam ſaepe ſui ipſius ſit imitator Vellejus. ACIDAL.

Et ſeptimum Marius.] Tolle τὸ *&*, ita Livius paſſim. Heins.

Morbo oppreſſus.] Laterum, ut ex Poſidonio Plutarchus ſcribit. Putean.

Vir in bello hoſtibus, &c.] Epit. Liv. 80. *vir, cujus ſi examinentur cum virtutibus vitia, haud facile ſit dictu, utrum bello melior, an pace pernicioſior fuerit, adeo quam remp. armatus ſervavit, eam primo togatus omni genere fraudis, poſtremo armis hoſtiliter evertit.* adde 11. 12. 5. Boeclær.

Quadrantem ſolvi.] Ut uſura annua quadrante ſolveretur. erat autem quadrans centeſimae tres. ternos igitur nummos ex centenis pendi, uſurae nomine Flaccus voluit. Manut. In ſcholiolo Aldi Manutii in hunc locum duo ſunt foeda errata; neque enim lex iſta Valeria erat tantum de uſuris, verum etiam de capite ipſo & ſorte, ut quartam tantum aeris alieni partem debitores ſolverent. Alter error eſt, quod quadrantem centeſimas tres exponit. Erit ergo quadrans uſura triginta & ſex nummorum annuorum pro centum, quia centeſima ea dicitur, quae pro centenis nummis duodenos quotannis pendit. quo quid ineptius dici aut exiſtimari poteſt? Quadrans autem uſura eſt, cum in centenos nummos tres praeſtantur, quae etiam quarta centeſimae appellari poteſt ea ratione, qua Paullus J. C. per *tertiam centeſimae* intellexit trientes uſuras in l. cum quidam in f. ff. de uſuris. Puteanus. *Quadrans*, hic eſt quarta pars ſortis, quam creditoribus ſolvi tribus partibus deperditis, jubebat lex Valeria, lata a P. Valerio Flacco Coſ. anno dclxvii. quae erat turpiſſima & iniquiſſima. Similiter Cicero ad Atticum *Semiſſem* vocat dimidiam partem ſortis, & Ulpianus *Beſſem* octavam partem pretii. Alii intelligunt quadrantem uſuram, qua in centenos aureos tres ei aurei praeſtantur. Sed non debuit Vellejus legem Valeriam dicere turpiſſimam ob uſuras quadrantes, quas in uſu fuiſſe conſtat ex reſponſo Scaevolae tit. de annuis leg. lib. xxi. & *Trientes* nominat Cicero ad Atticum lib. iv. Ulpianus tit. de adminiſtr. tutor. l. vii. & tit. ad legem Falcidiam lib. iii. Popma. *Id eſt, quartam partem; ita ut tres (crediti an uſuras) partes periret creditori, quarta deberetur. Eſt hoc genus novarum tabularum, quare* Vellejus *turpiſſimam vocat hanc legem*

Va-

Valeriam, quippe quae & manifeſtam haberet iniquitatem, & ſeditioſo potius turbulentoque eſſet conſilio a trib. pl. lata, quam ſummae ac inexſuperabili neceſſitati publicae data: quo ſolo caſu, ubi uſurae ſc. veluti tabes omnibus arroſis ad corpus ipſum pervenere, decreta novarum tabularum, ſpecie inevitabilis ſubſidii, aliquando excuſari poſſe videantur. V. Cael. Rhodigin. XII. 10. Antonius Auguſtinus *nihil aliud quam nominat hanc legem, cujus ſcilicet circumſtantiae & hiſtoria plenius apud Auctores ſuperſtites non perſcribuntur.* BOECLER. Vide de hoc loco eruditiſſime diſputantem virum ſummum Gronovium de Pecunia veteri lib. IV. cap. 5.

Cujus facti merita.] Nam a C. Fimbria legato ſuo interfectus eſt. Vid. infra, & Appian. in Mithrid. PUTEAN. Liv. epit. 82. *L. Valerius Flaccus conſul collega Cinnae miſſus, ut ſuccederet, propter avaritiam inviſus exercitui ſuo, a C. Fimbria legato ipſius ultimae audaciae homine occiſus eſt.* adde Velleji II. 24. I. BOECLER.

Multiplices Piraeei portus.] Septemplici muro ab Archelao communitum fuiſſe Piraeeum ſcribit Oroſius lib. VI. cap. 2. Florus quoque, *mox ſubruto Piraeei portu,* inquit, *ſex quoque & amplius muris.* Vid. & Appian. PUTEANUS. Vide egregie de illis muris Piraeei agentem virum celeberrimum J. G. Graevium ad Flor. lib. III. c. 5.

Amplius CC. *millia.*] V. C. CCM. At Appianus CLX. millia tantum caeſa ſcribit, quod verius videtur. PUTEAN.

Nimirum.] Alii *nimium veri.* Florus certe non liberat ſuſpicione, ait enim, *poſtquam domuerat ingratiſſimos hominum, in honorem tamen mortuorum ſacris ſuaeque famae donavit.* De Graecorum fluxa & ſubleſta fide, res proculcata jam, notatumque ad Plautum. SCHEGK. Lege, *nimium.* Et ita jam in quibusdam codicibus emendatum reperio. De Athenienſium vero fide, contrarium prodit Tacitus II. Annalium in oratione Piſonis, qui appellat hos *Mithridatis adverſus Sullam ſocios.* VOSS. Legebam aliquando, *nimium*, nec conjecturam meam nunc muto. Videndum tamen nequid nimis vanis criticarum ſuſpicionum tribuamus. BOXHORN. Recte alii *nimium.* Fors ſit tamen, ut dederit Vellejus, *nae nimium veri vetuſtatisque ignarus eſt.* Livius lib. XXVI. 6. *nae tu perditas res Campanorum narras.* ſic & lib. XXVIII.

cap. 41. XXX. 14. & alibi paſſim. HEINS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 36.

Attica fieri, praedicarent.] Vellejus hoc ſolis Athenienſibus tribuit, ut & Diogenianus, qui in Collectaneis refert proverbium Ἀττικὴ πίστις de fide certa & minime vana. Alii Autores communiter de omnibus Graecis uſurpant *Graeca fide mercari, ſolvere, curare*, quod Graeci res venales & emtas praeſenti pecunia, non in diem, mercarentur & ſolverent, ut fallaciae locus non eſſet, cum ipſi homines leves & fallaces eſſent; ut teſtatur Euripides in Iphigenia. Plaut. Aſinaria, *Graeca mercamur fide*. POPMA. Confundunt multi duo proverbia: *Graeca* enim *fide*, non in laudem gentis dicebatur: nam qui non vendit, niſi praeſenti pecunia, nae ille parum fidei habet emtori, ſed recte Eraſmus diſtinguit utrumque proverbium, & *Attica fide* optime exponit poſt Diogenianum cent. II. 80. quod nimirum adludatur ad templum Fidei Athenis conſecratae. unde & Ἀττικὸς μάρτυς dicebatur teſtis bonae fidei, ut tradit Suidas. BURM.

Oppreſſi Mithridatis armis.] Per Ariſtonem Athenienſem Tyrannum urbe Mithridati tradita. PUTEAN.

Animos extra moenia, &c.] Tali ergo urbe occupata, videat dux, ne promiſcue in univerſos ſaeviat. turbidosque dividat ab eis, quos abripuit vis major. de qua re, pulchra forſan, diximus ad illud Tacit. I. Annal. 55. *Segeſtes quamquam conſenſu gentis in bellum tractus, diſcors manebat*, &c. GRUTER. Indibilis ad Scipionem ap. Liv. XXVII. 19. *Corpus ſuum duntaxat ad id tempus apud Carthaginienſes fuiſſe: animum jam pridem ibi eſſe, ubi crederet jus ac fas coli.* Pertinet hic locus ad ſimilitudinem figurae & phraſeos: nam alias *de transfugio* hic ſermo eſt. Ceterum Athenienſes alii non excuſant. nimirum ſaepe accidit, quod Curtius de urbe *Maracanda* obſervat VII. 6. 24. *Spitamenes transfuga praeſidio Macedonum inde dejecto, muris urbis ejus incluſerat ſe: haud oppidanis conſilium defectionis approbantibus. ſequi tamen videbantur, quia prohibere non poterant.* BOECLER.

Transgreſſus deinde in Aſiam Sulla, parentem ante omnia ſupplicemque Mithridatem invenit.] Lego ex auctoris perpetua conſuetudine, *in omnia*. Id illi eſt, prorſus. Infra: cap. 97. *M. Lollio homine in omnia pecuniae, quam recte faciendi cupidiore.* Superius item: cap. I. *Meliore*

in omnia ingenio animoque, *quam fortuna uſus*. quod videri tamen dictum aliter queat. ita nempe, ut hoc libro alibi: *Segnitia ducis in occaſionem ſceleris uſus eſt*. Item: cap. 4. *Quippe cum ſemper ſomno & cibo in vitam*, *non in voluptatem uteretur*. Cujus praepoſitionis ut magis noteſcat elegans hic uſus, ecce alia quoque exempla duo. Hoc libro, ubi de Caeſaris & Antonii pugna c. 85. *Pro ſalute alter*, *in ruinam alter terrarum orbis dimicavere*. Et eadem pag. *Deſperata victoria*, *in mortem dimicabatur*. Sed has minutias non libet ulterius ſequi. Illud addam, aliquando dubitatum mihi, *parentem* etiam, an *paventem* rectius legerem. Acid. Acidalius legit, *in omnia*. Sed nihil mutandum. *Ante omnia* valet *praecipue*. Quis neſcit illud Maronis II. Georg. — *Dulces ante omnia Muſae*. Sic & Plinius l. VIII. cap. 37. *Quae natura multis*, *& ante omnia*, *urſis*. Suetonius in Caligula: *Deſtinaverat Mileti Didymaeum peragere*, *in jugo Alpium urbem condere*; *ſed ante omnia Iſthmum in Achaja perfodere*. Plurima etiamnum hujus locutionis exempla afferrem, niſi ſtuderem ante omnia brevitati. Voss. Fuit cum praeſtare opinarer, *terrentem ante omnia ſupplicem Mithridatem invenit*. poteſt & vulgata ferri. Heins. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 36. 369. V. IX. p. 250.

In Aſiam.] *In Aſia* Ed. Rhen.

In perfugas.] *In perfugam* edit. Rhenani.

C. Flavius Fimbria.] Livius lib. LXXXII. Oroſius lib. VI. legatum Flacci vocant. Strabo lib. XIII. quaeſtorem. Putean. Plutarch. Syll. Aurel. Vict. vir. Illuſt. 70. Liv. epit. 83. Boecler.

Forte Mithridatem pepulerat praelio.] Hic vero quis dubitet, *forte* ſcribendum? Neque enim puto, frequenti Propertio ritu, per ſecundam vocalem auferendi caſum terminavit abſque ulla neceſſitate noſter, ad quod poëtam lex ſaepe carminis videatur coëgiſſe, quanquam eum veteres imitandi plerunque impulit lubido. Acidal. Legendum eſt *forti*. Putean. Illud *forte* ſuſpectum eſt Lipſio. lib. vet. *ponte*. Raphel. Et virtutibus Magni Mithridatis, & Vellejo etiam, inſignem, mea ſententia, injuriam faciunt, qui emendant, *forti*. Ego *forte* omnibus modis retinendum cenſeo; ut dicat Vellejus, caſu magis, quam virtute Fimbriae, Mithridatem eſſe pulſum. Voss. Sigonius ad A. U. C. DCLXVIII. & ſeq. bis haec

haec Velleji verba adferens, omittit τὸ *forte*. Burm. V. Miſc. Obſ. V. viii. p. 36. 370. V. ix. p. 251.

Sub adventum Sullae ſe ipſe interemit.] Apud Thyatira, ut Plutarchus & Oroſius volunt, ut vero Appianus & Auctor Vir. Illuſt. Pergami. Putean. *Sub adventu* edit. Rhenani. parum refert & vanam Grammaticorum puto obſervationem, *ſub diem* eſſe, paullo ante diem, *ſub die*, cum jam aurora illuxit: Nam Suetonius promiſcue utitur. ſic *ſub idem tempus*. Caeſ. 21. [Aug. 95.] Tib. 58. & Oth. 8. eſt eodem tempore, non inſtante. & noſter i. 12. ſic contra *ſub exitu vitae*. Claud. 43. & Ner. 54. eſt ante exitum, & *ſub obitum*. Galb. i. vel idem notat, vel tempus propinquius adhuc. & [Aug. 46.] Calig. 17. *ſub Kal. diem*, eſt ipſis Kalendis. [Ovid. Ep. xix, 195.] *ſub adventu hoſtis habet*. Flor. ii. ii. noſter *ſub adventum* lib. i. 14. ii. 29. & 45. *Sub initia ſtipendiorum* lib. ii. 101. eſt certe in ipſis initiis, non inſtantibus, paullo ante: tunc enim videre ſpectaculum non potuiſſet, niſi jam militaret. ſed haec leviora. Burm.

P. Laenas.] Puto *Popillius Laenas*. Manut. Aldus veriſimili conjectura legit: *Popillius Laenas*. Nil tamen temere mutandum. Forte enim huic nomen fuit, *P. Popillius Laenas*. Sed de hoc nihil poſſumus affirmare, cum apud caeteros ſcriptores Laenatis hujus nulla extet mentio. Voss.

Sex. Lucilium.] Plutarchus in Mario, ipſum Marium auctorem hujus facti edit: ſed in eo legas, Σέξτον Λουκῖνον; *Sextum Lucinum*. Noſtrum, an illum reſcribis? Lips. De hoc alii nihil ſcribunt, quod ſciam, meminit quidem Livius libro lxxx. Sex. Licinii Senatoris, juſſu Marii de ſaxo praecipitati, primo ſeptimi conſulatus die; quem Plutarchus in Mario *Sex.* quemdam *Lucium* vocat. Sed id biennio ante geſtum eſt, quam quae paullo ante retulit Vellejus. Putean. Plutarchus in Mario, & Livius in Epitoma lib. lxxx. refert Marium vii. Coſ. prima anni die Sex. Licinium Senatorem de ſaxo dejeciſſe, quod facinus, ſi idem eſt cum hoc Laenatis Tribuni, hic legend. *Licinium*: ſed puto diverſa exempla eſſe, nec quidquam mutandum. Popma. Plutarchus in Mario, & epitomator Livii lib. lxxx. produnt ipſo die, quo Marius vii. conſulatum iniit, Sextum Lucinum de Tarpeja rupe praecipitatum. Vicinitas no-

minum

minum idem factum eſſe ſuadet. Et valde mihi veriſimile, *Lucilium* notiorem librariis, *Lucinum* e contextu removiſſe. Illud tamen intereſt; quod Lucini mors biennio ea anticipet, quae ante haec verba retulit Vellejus. Aut igitur diverſam narrationem eſſe exiſtimandum eſt: aut, quod potius reor, Vellejum biennii anachronismo peccaſſe. Voss. *Sex. Licinium* nonnulli, cui id ipſum contigerit ex Epitomatore Livii. Sed accedo illis, qui diverſa haec exempla arbitrentur. Heins.

Qui priore anno.] *Qui in priore anno* edit. Rhenani.

Saxo Tarpejo dejecit.] Livius, *de ſaxo dejici juſſit.* Plutarchus κατεκρήμνισεν, dejecit: nimirum ipſe Conſul aut Tribunus manu ſua dejecit, non lictor aut carnifex, ut alias ſolebat: ſicut etiam damnato Sejano, Senatores permultos equitesque & plebejos ſaxo ipſi Conſules aut Tribuni praecipitarunt, & C. Caeſar ſua ipſe manu damnatos e Capitolio dejecit, Dion lib. XXXVIII. & XXIX. Popma.

Metu ad Syllam.] Cum in antiqua editione ſit, *motu ad S. pro.* videndum, an pro *motu* legendum ſit *noctu*; de cujus tamen lectionis veritate hiſtorici conſulendi ſunt. Ursinus. Sine dubio *metu* legendum. ſimilis diverſitas inf. 41. ubi vide.

Legati Parthorum.] Id factum eſt decem ante annis, cum Sulla ex praetura Ciliciam obtineret, & Ariobarzanem in Cappadociae regnum reſtituiſſet. Tum enim ad ipſum ad Euphratem morantem Orobazus Arſacis Parthorum regis Legatus ſocietatem petitum primum venit. Vid. Plutarch. in Sulla. Livium lib. LXX. Putean. Nam ante eam diem nihil commercii interceſſiſſe inter utramque gentem, ſingularemque Syllae eam felicitatem obtigiſſe, quod cum ipſo primum Parthi ſocietatis amicitiaeque petendae cauſſa congreſſi ſint, Plutarchus in Sylla auctor eſt. Memorabile eſt in illo congreſſu, quod cum Sylla tres ſedes poni juſſiſſet, unam Ariobarzani, alteram Orobazo (is legatus Parthorum erat) ſibi mediam, atque adeo inter duos ſedens audientiam legato dediſſet, poſtea Orobazus a rege Parthorum interfectus eſt. Scilicet *Legatus* cui idem, qui Principi mittenti, ſi adeſſet, honor debetur, *etiam in loco praerogativam ſui principis animoſe aſſerere debet, & fugere potius congreſſum, quam ſiniſtre vel inferius ſedere*

aut

aut ſubſcribere: ni faciat, plurimum Principi ſub detracturus, ipſe velut homo nihili habendus. Pluris enim apud Principem dignitatis poſſeſſio ſit, quam ceterarum rerum, quae dignitati ancillantur. Dixi haec verbis *Freder. de Marſelaer*, qui in *Legat.* lib. II. *diſſert. tota*, hoc argumentum tractat, exemplisque illuſtrat. Fieri tamen poteſt, ut illa de loco & προκαθεδρίᾳ contentio, plurimum publicis rebus, praeſertim in communi negotio periculoque, noceat, neque detrimenta illa, comparatione vindicatae praerogativae repenſari poſſint. BOECLER.

Quidam magi.] De magis ſcite & eleganter ita Apulejus Apolog. *Nam ſi*, inquit, *quod ego apud plurimos lego, Perſarum lingua Magus eſt, qui noſtra ſacerdos, quod tandem eſt crimen ſacerdotem eſſe, & rite noſſe atque ſcire atque callere leges ceremoniarum, fas ſacrorum, jus religionum? Siquidem Magia, id eſt quod Plato interpretatur θεῶν θεραπείαν, cum commemorat, quibusnam diſciplinis puerum regium adoleſcentem Perſae imbuant.* Atque hic lectorem meum celare non poſſum libros Apulei, qui Metamorphoſios, vel Aſini aurei titulo vulgo circumferuntur, de Magia inſcribi, atque eo nomine laudari a nonnullis inficeti & ſuperioris ſaeculi ſcriptoribus. BOXHORN. Plutarch. in Syll. refert *quendam ex Orobazi legati Parthici comitatu, inſpecto Syllae vultu, obſervatisque diligenter animi & corporis motibus, adeoque natura indoleque ejus, ad artis ὑποθέσεις exacta, praedicaſſe, fieri non poſſe, quin ſummus vir evaderet, etiam nunc ſe mirari, quod ante ſe quenquam eſſe patiatur.* Apud Gellium I. 9. *Pythagoras adoleſcentes, qui ſe ad diſcendum obtulerunt, ἐφυσιογνωμόνει. id verbum ſignificat, mores naturasque hominum conjectatione quadam de oris & vultus ingenio, deque totius corporis filo atque habitu, ſciſcitari.* Ammianus XV. 21. meminit *veterum librorum, quorum lectio per corporum ſigna pandit animorum interna.* Vide Pontan. Philocal. X. 26. *de variis geſtuum naturalium ſignificationibus.* BOECLER.

Coeleſtem.] Suſpecta mihi vocula. Nam cur Sullae *vita coeleſtis?* imo ſceleſta revera, & facinorum plena. Si ad famam & nomen reſpicit praedictio: cur non *immortalem*, aut, quod ego velim cenſeamque nunc ſubſtitui, *celebrem* dicat? *Celebrem*, inquam, lego: & in Plutarcho magorum hoc praeſagium breviter ſic concipitur,

pitur, μέγιστον γενέσθαι. Lips. *Coelo demitti* dicebant ſumma ingenia. unde *coeleſtis* Auguſti animus ſpreviſſe humana conſilia dicitur, 2. 60. 2. tanquam majoris e coelo auſpicii prudentia fretus. De cetero Noſter hac voce, crebra figura, excellentiam rerum celebritatemque notat. *coeleſti ore* Cicero coarguit Antonium II. 64. 3. *coeleſtem ejus vitam & memoriam futuram* hoc loco: de cujus loci lectione prorſus nihil dubito; cum gravitatem vocum captet Vellejus, & hanc ipſam exempla aſſerant. *coeleſtium praeceptorum diſciplinis innutritus Tib.* II. 94. 1. *coeleſtiſſimum os* Ciceronis, ob ſingularem eloq. II. 66. 3. *coeleſtiſſima opera Tiberii*, II. 104. 3. quem ipſum ſuperlativum augendae novitate quadam gravitati non dubitavit aſſumere. Boecler. *Celebrem*, Lipſius. ſed non ſatis id exprimit Plutarchi illa in vita Sullae, μέγιστον γενέσθαι. *coeleſtem, plus quam humanam, dis aequandam.* Sullam certe ob res praeclarum in modum geſtas, & ob maximam, qua pollebat inter Romanos auctoritatem, Jovi comparavit Tullius oratione pro Roſcio Amerino, uti & Julius Rufinianus in Rhetoricis monet: ſic & Livius de Manlio Capitolino lib. VI. cap. 16. *quam prope coeleſtem, cognomine certe Capitolino Jovi parem fecerint, eum pati vinctum in carcere ducere animam. Coeleſtes legiones* in Verrinis vocat idem Tullius, quod optime rem geſſiſſent. Marmor antiquum apud Gruter. p. XXV. Juniae. C. Silani. F. Torquatae. Sacerdoti. Vestali. Annis. LXIV. Caelesti. Patronae. Accius. L. Auguſtus epiſtola ad Tiberium apud Suetonium: *Benignitas enim me mea ad coeleſtem gloriam efferet.* Quinctilianus lib. X. cap. 1. Ciceronem vocat *coeleſtem in dicendo virum.* Sed ne ad alios confugiamus, noſter infra cap. 64. *Tullius fulgentiſſimo & coeleſti ore lacerabat Antonium.* mox c. 66. ejusdem *os coeleſtiſſimum*, & cap. 104. res a Tiberio geſtas *opera coeleſtiſſima* dixit: cap. 99. eundem, *praeceptorum coeleſtium diſciplinis innutritum.* Non diſſimili modo *divinum apparatum*, vocat Florus lib. III. cap. 6. *claſſem*, quam Pompejus adverſum piratas armavit. *Ille diſperſam toto mari peſtem ſemel & in perpetuum volens extinguere, divino quodam apparatu aggreſſus eſt.* Heins.

Revectus in Italiam.] Non temere nunc mutem, quod mihi primitus arriſit, *reventus.* Nam & priori libro,

per-

pervectus in Italiam, & hoc inferius, *revectus ad mare*, & alias ita ſaepius: quibus locis aut intentanda ſingulis eadem, aut abſtinenda ſimul omnibus novatio. Cur intentetur autem? quaſi ex noſtra lubidine fana etiam membra involanda. Tamen quia ex forma priſca, & infra liquido uſurpata: neſcio quomodo mihi non de nihilo ſuſpicatus videor. *Caeſar autem*, inquit infra, *reverſus in Italiam, atque urbem occurſus.* Id eſt, cum occurriſſet. Ita *hominem adventum*, Andria: *patrem ventum*, Phormione dixiſſe volunt Terentium. Et quid notius eo legis XII. tabul. exemplo, *Sol occaſus.* ACIDAL.

Repulſoque externo metu, ubi quod alienum erat viciſſet, ſuperaret, quod erat domeſticum.] Locus, qui eruditos admodum torſit. Neminem tamen eorum veram lectionem perſpexiſſe, affirmare auſim. De me ipſo id jactare forte ſuperbum videatur. Itaque eruditorum judiciis conjecturam noſtram libens ſubmitto. Reſtituo, vix unius literae mutatione: *repulſo quo externo metu*, &c. Laudandum, inquit Vellejus, Sullae conſilium, qui exiſtimavit, ante propulſandum eſſe bellum externum, quam domeſticum; quo devicto hoſte, & domeſtici motus facilius comprimi poſſent, & neutiquam hoſtibus praeberetur occaſio, remp. Romanam diſcerpendi penitus, dum membra inter ſe decertarent. VOSS.

Superaret.] Verborum ſeries poſcere videtur, ut legamus *ſuperare*; quod verbum pendet ab eo, quod praecedit, *exiſtimavitque*, &c. URSIN. Si *ſuperare* legas, erit variatio ſimilis illi, quam notavimus ad Quinctil. I. 7. *nec deſcendendum, atque his ingenia concidi credo.* Neque quomodo aliter conſtet ſtructura periodi, video, niſi *ſuperare* legas, & pro *ſuperandum*, interpreteris. BURM. *ſuperare* defendit Wopkens Lect. Tull. I, 14. ID. *in marg.* V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 37. 370. V. IX. p. 251.

Ab exercitu interemptus eſt.] Quem in Liburniam, ut inde Sullae occurreret, trajicere invitum volebat. Auctor de Vir. Illuſtr. ſcribit lapidibus ab exercitu Anconae occiſum. Plutarch. in Pompejo a quodam centurione obtruncatum. Appianus autem lib. I. refert, orta ſeditione ad ſaxorum jactum ventum eſſe, ſed qui propiores erant, ſtrictis gladiis hominem confodiſſe. PUTEAN.

Putares.] Vide de hac locutione ad Petron. cap. VIII.

Juſtis legibus & aequis conditionibus.] Ita Caeſ. bell. civ.

civ. 1. *magnopere ſe confidere demonſtrat, ſi ejus rei ſit poteſtas facta, fore ut aequis conditionibus ab armis diſcedatur.* Eſt enim conventio talis, ſive pactio pacis, vel *aequa* vel *impar*. *ibi* aequalitati juſtisque legibus locus eſt: *hic* obſervantia ut erga majorem, & quaedam obligatio ad officia certa continetur. Vide omnino doctiſſimum Fabr. Semeſtr. 1. 7. BOECLER.

Sed iis quibus & peſſima, &c.] Quid mirum? Noſtine non aeque provenire piſcium capturam, cum aqua limpida eſt, ac cum turbida: ut pluribus exſecuti ſumus ad Tacit. lib. XI. Ann. 16. GRUTER. Tales autem erant tum oligarchici illi ſpiritus & factioſi homines, tum plurimi e vulgo militibusque, cupidine rerum novandarum, ſicut tabe infecti. Quapropter *corruptiſſimo ſaeculo nemo eam vulgi* (& ceterorum) *moderationem ſperare poterat, ut qui pacem belli amore turbaverant, bellum pacis caritate deponerent*, ſicut Tacitus de Vitellianis temporibus & impedimentis pacis loquitur II. H. 37. 3. Excluditur a conſilii publici auctoritate, quidquid privatorum cupiditatibus includitur: quae jam directe publicis commodis adverſantur. Verum an Sylla tam ſerio optaverit pacem, an vero ſpem pacis, famae cauſſa & nominis, ad deludendos adverſarios, oſtentaverit tantum, non deſunt, cur dubitemus, cauſſae. BOECLER.

Optimo quoque & ſaniſſimo.] Magis ſincerum, quod ad marginem, *& ſanctiſſimo*, non niſi quia magis ex uſu Vellejano. Si attendiſti, ubique ſanctos, ſanctiſſimos laudat, quos a vitae integritate & morum priſca ſimplicitate commendat: ſanum, quanta mea memoria eſt, etſi laudis in ea voce non minus aut tantundem etiam, nusquam quemquam dixit. ACIDAL. Alii legunt *ſanctiſſimo*; ego ex loci ſententia *ſapientiſſimo*. BOXHORN. *Optimo quoque, & ſaniſſimo* erat in MS. Ut putidum ſit de ſinceritate hujus ſcripturae dubitare. *Optimi* & *ſaniſſimi*, ſunt viri meliores & prudentiores. Quae duo quin optime jungantur, nemo compos mentis poterit dubitare. VOSS.

Scipionem.] Lege, *Caepionem Norbanumque C.* MANUT. *Caepionem* legit Manutius. Mihi potior eſt Taciti, Appiani, Flori, Eutropii, Obſequentis & Caſſiodori auctoritas, qui omnes in hunc annum, qui eſt U. C. DCLXXI. L. Scipionem, C. Norbanum Conſules edunt. Et Sci-

pionis nomen in Fragmentis Capitolinis integrum ſupereſt. PUTEAN. Non exputo, quid doctiſſimo viro in mentem venerit, legenti *Caepionémque*: invitis memoriis & Faſtis, in quis, L. CORNELIVS. L. F. L. N. SCIPIO. ASIATICVS. C. NORBANVS. Adi Appianum, Caſſiodorum, Tacitum. SCHEGK.

Norbanum.] *Narbonum* Editio Rhenani, & hic, & mox exhibet.

Superat.] Liv. Epit. 85. Appian. I. bell. civ. Flor. III. 21. 19. & 20. BOECLER.

Juſtiſſimo lenior.] *Juſto lenior* magis ferrem. Quid ſi etiam *mitiſſimo lenior.* LIPS. Reduxi lectionem, quae erat ad marginem codicis ſcripti, alii temere excluſerant vocem *mitiſſimo*, cum aptius id feciſſent ſequenti vocabulo *juſtiſſimo.* GRUTERUS. Haec lectio *juſtiſſimo lenior*, bene ſe habet, nec correctione indiget. BOECLER. Vetuſtus liber non habebat τὸ *mitiſſimo*, ſed ſolum *ac juſtiſſimo.* Ni fallor, ſcribendum, *placidiſſimo lenior*, ſic *placidiſſimus Deorum ſomnus* Naſoni: duas priores litteras hujus vocis librarius omiſerat. deinde *ſi* mutandum in *d. Dum vincit.* longius abit Lipſianum *juſto lenior*, vel *mitiſſimo. Audito crudelior*, ſic interpretare. Fuiſſe crudeliorem Sullam; etiam quam audiret, cum haberetur & audiret crudeliſſimus: idque adverſus morem Famae uſitatum, quae omnia in majus ſolet extollere. Vide annotata noſtra libro II. cap. 121. HEINS. Mihi placeret Lipſii conjectura, *juſto lenior*, quod rectius opponitur *audito crudelior.* ita *juſto ferocior* infr. c. 49. Sed illo *ac* quid faciamus? an reſtitit una ſyllaba ex integra voce, *facile juſto lenior*, an, *dum vincit acie, juſto lenior*, quod verum puto; cum poſſet jus exercere victoriae, juſto fuit lenior. Sic paulo ante *Norbanus acie victus*, & infr. cap. 70. [Ovid. Ep. XXI, 30. Claud. Epigr. XXIV, 8.] BURM.

Audito crudelior.] Juſtinus, *exſpectato maturius*, & noſter de Tiberio: *exſpectato revolavit maturius*, iisdem verbis. SCHEGK.

Nam & Conſulem, ut praediximus] V. C. ſic habet: *Nam & Coſ.* (*ut praediximus*) *Q. Sertorium*, &c. Puto ſic legendum, *nam & Conſulem* (*ut praediximus*) *exarmatum, & Q. Sertorium.* Conſulem autem intelligit Scipionem. Quod autem Sertorium in Sullae poteſtatem

ve-

venisſe hic ſcribit, neque Plutarchus in vita, neque alius, quod ſciam, auctor tradidit. Putean. Ubi hoc, ſodes, praedixiſti Vellei? ne potuiſti quidem, nam profecto nihil harum rerum Sulla geſſit Conſul, ſed Proconſul. Clarum id eſt. Correctiuncula igitur nos expedimus: *Nam & Conſulem, ut praediximus, exarmatumque Sertorium.* Ita ſane eſt. Sulla clementiam lenitatemque exhibuit & in Conſule: quo illo? Scipione, quem ante dictum, cum exercitum ipſumque in poteſtatem redegiſſet, dimiſſum ſine noxa: & in Sertorio, qui Sueſſam fruſtra occuparat, atque in Hiſpaniam aufugit. Appianum vide. Lips. Falſum eſt, ut quivis videbit, qui antecedentia legerit. Emendabat itaque Lipſius: *Nam & conſulem, ut praediximus, exarmatumque Sertorium, &c.* Quomodo habet editio princeps; niſi quod pro *&* agnoſcat *ut*: quo per conſulem intelligatur Scipio. Quod verum eſt. De Sertorio tamen exarmato tacent ſcriptores; quod de Scipione veriſſimum eſſe conſtat. Ita igitur integrum hunc locum ſcribi malim: *Nam & conſulem, ut praediximus, exarmatum, atque Sertorium, proh quanti mox belli facem! &c. dimiſit incolumes.* Mirum vero, quosdam dubitare, veriorne lectio ſit vulgaris, an, *proh quanti mox belli facem*, ut ex editione principe emendavimus. Nam & alterum ſola conjectura fultum, & haud ſatis Latinum eſt; ut mihi quidem videtur. Niſi alii docuerint, cur, cum dicat, *propinquanti*, τὸ *mox* non omiſerit Vellejus. Voss. Rurſus memoria lapſus Vellejus: non enim hoc ante dixit. Boxhorn. *Conſulem, ut pr. exarmatumque S.* vetus fert editio. Lego, *nam & conſulem, ut pr. exarmatum, Q. que Sertorium.* Atque ita legendum ſibi videri Perizonius poſt ad me perſcripſit. Sic Valerius Max. lib. III. 7. 5. *Q. enim Metellum Q. que Pompejum.* vide lib. I. cap. 14. caſtigationes noſtras. Heins. *Exarmatum Q. Sertorium* Eraſmus & Stephanus, Manutius, Popma, & alii ediderunt.

Propinquanti.] Editio Baſileenſis: *pro quanti mox belli facem!* Quod volui teſtatum relinquere. cum ferri tamen poſſit vetus lectio. Manut. Aldus dicit veterem lectionem ferri poſſe. Sed unde iſta vetus lectio aut ejusmodi eſt? Certe Codicem manuſcriptum non habuit. Hauſit igitur ex editione quapiam. Atqui Frobeniana A. ↄↄIↄXX. omnium antiquiſſima, & ex qua reliquae omnes ex-

expreſſae ſunt, ita habet, *pro quanti mox belli facem!* prorſus eleganter, quod depravavit Heleanus, ſive quisquis alius poſterioribus editionibus manum admovit. Nam ſi quid in his diverſum ab illa reperitur, id ex conjectura profectum eſt, neque enim aliud poſt unicum illud, quo Rhenanus uſus eſt, hujus auctoris exemplar inventum eſt, neque ſpes eſt inventum iri. PUTEANUS. Mirum eſt aliquem dubitare de lectione membranarum, quam expreſſit Rhenanus: *proh quanti belli facem.* GRUTER. Pontanus analect. I. 3. legit, *proh in quanti mox belli facem!*

Duplicis ac diverſiſſimi animi.] Diximus de talibus in comment. Nepot. pag. 56. & ſeq. Hic obiter notandum, non tam *duplicis animi* ſpecimen in Sylla credi debere, quam unius *pravi animi diſſimulationem & revelationem.* Id eſt; *fuit Sylla ex iis, qui cum ſint malo pravoque ingenio, tamen dum quaerunt magnam potentiam, maximas virtutes ſimulant, adepti quod cupivere, ſolvunt ſuas cupiditates, & retecti patent.* Atque haec eſt illa ὑποκειμένης ἀποκάλυψις ἐν ἐξουσίᾳ κακίας, *inſitae pravitatis in potentia detectio*, quam Plutarchus in Sylla nobis ſuppeditat. Graviſſima eſt ſententia Taciti de Tiberio, cui primo mixturam morum tribuit, non indolis reſpectu, verum dum metu aliorum, fingendis virtutibus ſubdole ſecuritatem quaerit: ſed *poſtremo*, inquit, *in ſcelera ſimul ac dedecora prorupit, poſtquam remoto pudore ac metu, SUO tantum ingenio utebatur.* VI. A. 51. 7. Scilicet hi ſunt animi, *qui plus vulpis quam leonis habent*, ut hoc ex Carbonis dicto noſtrum faciamus. Nam ceteros, quorum in audaciam ardet animus, minus ſui obtegentes eſſe, ſatis conſtat. Suntque hi diſſimulatores ſui (ſi & hanc notam adjicere licet) *meliores ſervi, quam domini*, i. e. coërciti auctoritate metuque utilem induſtriamque operam praeſtant, ſibi relicti aut ſupra caeteros evecti, belluae ſunt intemperantes immanesque. BOECLER.

[1] *Poſt victoriam, qua demendes montem Tifata cum C. Norbano concurrerat Sylla.*] Locus hic peſſime adfectus eſt: & prope deſperatus. Nos tamen interim ipſum faſcia quadam obſignabimus, dum vel veteris codicis ope, vel ex eruditorum ingenio ſanetur. Sed prius ut in aliis exemplaribus ſe habeat indicabimus. Marneſiim

nun-

num ſic edit, *poſt victoriam qua deſcendens montem Tiſata cum C. Norb. conc. Sul. gr. Di. euj. num. reg. il. ſac. eſt, ſolvit aquas ſal. med. q. cor. nob. ag. q. om. addixit Deae, Hujus gr. r. mem. & inſ. te aſ. poſ. hodieque, & tab. teſt. aer. int. aed. Deinde Coſ. Carbo.* &c. *Mar. ſept. Coſ.* &c. Antiqui codicis Frob. ſcriptura ad calcem hujus libri indicata eſt à Burrerio. *Tiſate* autem, ut ſcribit Livius lib. VII. & XXV. mons eſt imminens Capuae, ad quem Sullam cum Norbano conflixiſſe, paullo ante Vellejus ſcripſit. Oppidi ejus in antiquo Latio meminit Plinius lib. III. cap. 5. quod qui hic intelligi putant, non ſatis locorum rationem habere videntur. Ex *gratus* autem feci *grates* ſecutus vet. Cod. in quo *gratis:* veteres enim accuſandi caſum tertium ordinis, in numero multitudinis per *is* ſaepe ſcribebant. Fuiſſe vero in Campania aquas compluribus locis ſalubres, cum ex aliis, tum ex Plinio conſtat lib. XXXI. cap. 2. Quae autem hic Paterculus refert, de his nihil apud alios auctores exſtat. Aldus vero illa verba, *ut potius* inſeruit, quae omiſi, atque etiam omittere debui. neque enim verba ſunt Paterculi, ſed ejus qui veteris codicis varietates collegit. *Agros* autem *adduxit*, ut in vet. inſcr. SI HVMANO INGENIO VIATORIBUS PARARI VINA POTUISSENT, NON AMOENVM QVEM CERNITIS FONTEM AQVARVM CLEPIDIVS MAGNA IMPENSA ADDVXISSET. PUTEAN. Totus locus ita videtur legendus, *Grates Dianae, cujus numini regio illa ſacrata eſt, ſolvit. aquas ſalubritate, medendisque corporibus nobiles, agrosque omnes addixit Deae. Hujus gratae religionis memoriam, & inſcriptio templi affixa poſti, & hodieque tabula teſtatur aerea infra aedem. Inde Con.* partim ex veteri editione, partim conjectura doctorum virorum, quam nos aliqua ex parte de noſtro etiam ſupplevimus. URSIN. Ita Braſidas apud Thucydid. I16. BURMAN. *in marg.*

Tiſata.] De Tiſata praeter Feſtum, Livius lib. XVIII. *Samnites cum eminenteis Capuae colleis firmo praeſidio tenuiſſent, deſcendunt inde quadrato agmine in planiciem, quae Capuam Tiſataque interjacet.* Totam hanc connexionem varias editiones ſecutus, ita edidi. vide praeſtantiſſimi Medici Mercurialis Variarum lib. II. cap. 9. iſta duo, *ut potius;* quae in plerisque vulgatis, rectiſſime luxi, non enim auctoris, ſed Burrerii. SCHEGK.

Gratus Dianae, cujus nomini regio illa ſacrata eſt, ſolvit, aquas ſalubritate in medendisque corporibus nobiles, ut potius agros omnes adduxit Deae, hujus gratae religionis memoria, & inſcriptio templi affixa poſti, hodieque teſtatur aerea crabula.] Tantum abeſt, ut doleam, alios in hoc loco emendando feliciter laboraſſe, ut etiam ſummopere laeter, meam conjecturam aliorum conjectura comprobari. Sic igitur legendum putat Claudius Puteanus doctrina, ingenio, modeſtia vero, probitateque in primis excellens: *Grates Dianae, c. n. r. i. ſ. e. ſ. a. ſ. m. q. c. n. agr. o. a. Deq. h. g. r. m. & i. t. a. p. h. q. & tabula teſt. aerea intra aedem.* Ego autem illud amplius: nam ex illis verbis, *ut potius*, quae a Puteano omiſſa ſunt, legebam, *in propinquos.* Manut. In exprimenda connexione hac tota, recentiſſimam ſequor editionem, quae antiquiſſima. De ea tamen mihi quid videatur, hic non celo. Multi jam multimodis graſſati ſunt: ego forte non minus. Trigam lectionem afferam, quarum quam probabunt plurimi, eam ſum habiturus & ipſe probiſſimam. Placuit copulae trajectio, *aquasque ſalubritate in medendis corporibus nobiles.* Et ita bene quidem congruent membra iſta: *aquasque, agrosque.* Placuit item ejusdem minima mutatio, *aquas, ſalubritate in medendis quae corporibus nobiles.* Denique ex inductis iſtis duobus, *ut potius*, ſi alterum retinendum, non diſplicebit lectio ſic concinnata: *aquas. ſalubritate potius in medendis quae corporibus nobiles.* Tu quisquis judicio vales, judica: ego in tam ancipiti nimium trepido, nec quae deinceps, tango. Cl. Puteanum potius audio, qui hic videtur ſaniſſima. Acidal. *Grates* legendum, res & alii dixerunt. Sed de templo hoc Dianae apud Pauſaniam legi non omittendum. Ille libro v. ubi diſputat de elephantum dentibus ſive cornibus, ait, ſe vidiſſe ἐν γῇ τῇ Καμπανῶν κράνιον ἐλέφαντος ἐν Ἀρτέμιδος ἱερῷ, & addit, σταδίους δὲ ὡς τριάκοντα ἀπέχει μάλιστα Καπύης τὸ ἱερὸν: *in terra Campanorum, calvam elephanti, in templo Dianae, quod abeſt maxime a Capua triginta ſtadiis.* Certe hoc ipſum eſt in quod Sulla tam munificus. Totam hanc periodum ſic, me arbitro, reſcribas. *Aquas ſalubritate medendisque corporibus nobiles, agrosque omnes addixit deae. Hujus gratae religionis memoriam inſcriptio templi affixa poſti, hodieque tabula teſt-*

tur aerea intra aedem. Inde Conſulem Carbo. Praeivit nobis prima editio, tum alibi ingenium, quo fas in his talibus modice modeſteque uti. Lips. Ejiciendum omnino illud *ut potius*, non refingendum in aliam faciem, ut tentarunt viri doctiſſimi. nec enim comparet in membranis unicis, ſed decepit eos perpera diſtinctio verborum Burrerii. nam ejus *ut potius*, conjungendum cum ceteris Burrerianis, *legendum exiſtimem.* Videantur tantum notae. Gruter. Vetus editio *ut potius*, quod nonnulli temere ejecerant. Ego parva mutatione reſtitui, *& portus*, e quibus ſcilicet portoria, & vectigalia cederent in uſum templi, & miniſtrorum Dianae. *Tifata* montem Feſtus ait eſſe locum juxta Capuam. Popma. Univerſus hic locus in MS. ita legebatur: *Gratis Dianae, cujus nomini regio illa ſacrata eſt, ſolvit, aquas ſalubritate in medendisque corporibus nobiles agros omnes adduxit deae: hujus gratae religionis memoria, & inſcriptio templi affixa poſti hodieque crabula teſtatur aerea. Interea deinde Coſſ.* &c. Cujus veſtigiis inſiſtens, partim ex noſtra, partim etiam, ne quid diſſimulem, aliorum conjectura, integrum locum ita reſtituendum arbitror: *Grates Dianae, cujus nomini regio illa ſacrata eſt, ſolvit; aquas ſalubritate in medendisque corporibus nobiles, & agros omnes addixit deae. Hujus gratae religionis memoriam & inſcriptio templi affixa poſti hodieque & tabula teſtatur aerea intra aedem. Inde coſſ.* &c. Retinuimus *nomini*, quod alii mutant in *numini*. Geminum enim eſt illi Horatiano, *Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.* Nam maxima cura fuit, ut MS. fidem religioſe ſequeremur: altera, ut antiquam inſcribendi conſuetudinem, ab aliis neglectam, obſervaremus. Quippe, ut recte animadvertit Gruterus, moris olim fuit, non ſolum poſti, aut frontiſpicio aedium, inſculpere res dignas memoria; ſed & intra aedem tabulam conſtitui ſolitum, eadem, aut plura etiam continentem. Quod vel unicum epigramma in Catalectis veterum poëtarum Pithoei lib. III. docere poſſit: *Viator audi, ſi libeat intus veni, Tabula eſt aënea, quae te cuncta perdocet.* Perperam enim expreſſum, — *ſi libet intus veni, Tabula eſt aenea, quae te cuncta praedicet.* Fallitur vero Popma, cum, *ut potius*, quod vulgatae editiones exhibent, mutare conatur in, *& portus.* Nam inſertum eſt textui a quodam, qui Burrerii verba non in-

intellexerat, Voſs. Corruptiſſimus erat hic locus: qui ut intelligi poſſet, e correctionibus Lipſii Gruterique ſic expreſſimus. quanquam Rhenanus jam paene totum ita reſcripſerat, niſi quod adhuc legebatur: *hujus gratae relig. memoria.* Reſtaurata interim penitus Velleji verba, nemo vel jactare vel credere debet. Boecl. Locus vexatiſſimus, primo *deſcendens monte*, recte corrigebat vir eruditiſſimus Th. Munckerus. Sic Sall. Jugurth. cap. 55. *ponte deſcendens.* deinde ſcribe, *aquas ſalubritate medendisque torporibus nobiles.* τὸ *in*, in vetuſto Velleji codice frequenter redundat. Vide nos ad cap. 68. ſed & *gratis*, non *grates*, paullo ante codex vetuſtus teſte Burrerio. ubi nota priſcam ſcribendi rationem, de qua nos ad Maronem. Nec dubium mihi, quin & alibi locorum ſimilia exſtiterint in membranis Vellejanis. Sic cap. 22. *in mediocri ſaevitum*, pro *mediocris.* In ceteris locum hunc totum optime inſtauravit Voſſius, niſi quod *Dianae numini* non eſt ſollicitandum. Malim etiam & *agros omnes addixit Deae*, quam *agrosque*. Nam quod *adduxit* tuetur Puteanus, in eo lapſus eſt, cum aliud ſit, *aquas adducere*, (unde & *aquae ductus*) aliud *agros*. Popma & *portus agrosque*, ex neſcio qua editione veteri, quod exhiberet, *ut potius medendis corporibus* magis ferri poſſet, ſi de ſauciis ageretur, ut apud Livium de Papirio Curſore lib. VII. caetera a Voſſio feliciter reſtituta ſunt. *intra aedem*, quod alii *intus aede*, vel *aedem* dixerunt. Vid. Gronov. ad Liv. XXIV. cap. 10. ubi legebam tamen e veſtigiis vetuſtorum Codicum. *Lanuvina aede intus Soſpitae Junonis*, vel *Lanuvinam aedem*. lib. XXV. 11. *ſuas naves, quae intus ſinu exiguo incluſae eſſent.* ſic ſcripti, ut & lib. XXVII. 11. *Romae intus cellam, Fortis fortunae.* non *in cella.* Apud Plaut. Milit. II. 2. *intus domum.* Heins. Locus difficilis, in quo primum offendit, *victoriam, qua concurrerat*, quis enim ita loquitur? Acie, praelio concurritur, non victoria; deinde illud *deſcendens*, natum ex conjecturis, vetus codex habet *demendes.* Praeterea deeſſe verbum unum aut alterum Rhenanus indicat, poſito aſteriſco ante *Tifata.* Quare forte ita legendum, *poſt victoriam, qua tenentes montem Tifata Marium cum C. Norbano Coſ. fuderat Sulla, grates Dianae &c. ſolvit.* Nam Marium, (juniorem ſcil.) huic praelio interfuiſſe cum conſule Norbano di-

ſertim tradit Plutarch. in Sulla, & eos caſtra circa montem Tifata, ut recte Cluverius lib. IV. Ital. Ant. cap. 5, pro *Hephaeum* correxit, habuiſſe, & Sullam eos in fugam vertiſſe. ἐτρέψατο τοὺς πολεμίους. prima ergo ſyllaba τῷ *concurrerat* auferenda eſt, & inde *Con.* id eſt, *conſule* faciendum. & pro *currerat* legendum, *ſuderat. Tenentes* vero *montem*, ut infr. cap. 51. *regio caſtris Pompeji tenebatur.* Vide & de hoc loco Mercurial. Variar. lib. II. 9. [Liv. VII. 29. 6. Vid. Camill. Peregr. Camp. Fel. Diſſ. II. §. 28.] BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 37. 371. V. IX. p. 252.

Tabula aerea.] Haud diſplicet profecto Rhenanianum, *tabula intra aedem*, dummodo tamen ſcribatur membrum ſequens hoc modo: *tabula intra aedem. Inde Conſules*; quomodo & Lipſio venit in mentem. Fuiſſe autem uſitatum, ut ichnographia templi aut arae alicujus, alio atque alio exprimeretur exemplari, & reponeretur in eadem illa aede aut alio quo loco: notum eſt ex marmoribus antiquis. ſed & intus in aede tabulam poni ſolitam, eadem vel adeo plura aliaque continentem, quam quae baſi columnae ſtatuaeve aut frontiſpicio aedium inciſa erant; plurimo item patet exemplo in Epigraphis noſtris totius orbis Romani, e quibus unum alterumque, fidei cauſſa, oculis ſubjicerem: niſi id arbitrarer conjunctum cum aliarum Inſcriptionum injuria: quae cum ſibi invicem mutuam adſtruant lucem, ſingulatim laudari nolunt. multa autem congerere hoc loco, alienum ab inſtituto. GRUTER.

Aerea intra aedem Coſ.] *Teſtatur aerea crabula. Interea deinde.* Edit. Manut.

Coſſ. Carbo III.] Sic lego cum Rhen. caeterae editionis, *interea deinde Conſules Carbo.* quod natum ex iſto, *intra aedem.* SCHEGK.

Marius ſepties Conſulis filius.] Mallem hic legere, *Marius Marii ſepties Conſulis filius.*] Omnes autem auctores eum C. Marii filium fuiſſe ſcribunt, praeter Appianum, qui fratris filium C. Marii vocat. fortaſſe Marius fratris filium adoptarat. PUTEAN.

Conſulis filius.] Solus *Appianus* fratris filium vocat. De *aetate* variant. BOECLER.

Annus natus XXVI.] Livius lib. LXXXVIII. ſcribit ante annos XX. conſulem factum per vim. Auctor de Vir.

 Il.

Illuſtr. Anno xxv. Appianus Anno xxvii. Putean. De aetate diſcrepant auctores. Ille, qui Livium in epitomen redegit, lib. lxxxvi. inquit, *conſul ante annos viginti per vim creatus*. Quem locum ad Octavium Suetonii contra Dionem laudat maximus Caſaubonus; quia ille ſcripſerat, Octavium ſine exemplo ante annum xx. iniſſe conſulatum. Sed non dubito, quin mendum ſit in epitome Liviana, & pro xx. ad minimum reponi debeat, xxv. ut ei ſic conveniat cum auctore de Viris Illuſtribus. Noſter tamen annos numerat xxvi. Appianus etiam xxvii. Voss.

Quam aevi paterni.] Conjecerat Heinſius, in margine codicis ſui, *Quam fati paterni*.

Multa fortiterque molitus.] *Qui multa fortiterque molitus*, legendum, cum in aliis editionibus deſit illud *qui*. Ursin. Scribam ego, *fortiter quoque*. Quod autem proxime ſequitur, *domi bellique* mutandum non eſt. Idem enim eſt ac Salluſtianum illud, *domi militiaeque*. Boxh. Eſt qui legat: *fortiter quoque*. Sed nihil mutandum. Voss. V. Miſc. Obſ. V. viii. p. 38.

Apud Sacriportum pulſus.] Appian. i. bell. civ. Flor. iii. 21. 23. Liv. epit. 87. Aurel. Vict. 86. Boecler.

Et ne quid unquam malis publicis deeſſet.] Acute & argute heic Bucretius meus: *Et ne quid iniquum malis publicis deeſſet*, arbitror etiam vere. Nam profecto tale quid voluiſſe Vellejum ſeries orationis reliqua oſtendit: & ſine eo languere mihi ſenſus neſcio quomodo videtur. Ad mala publica iniquitatem acceſſiſſe vult, & miſeriam fuiſſe ſceleratam. Acidal. Lego *usquam*. Putean. Malim *usquam*. Lips. Forte fuit, *& ne quicquam malis*, &c. Nam ſi illud *unquam* convertendum in vocem literis adfinem, ſcribi poterat, *& ne-quid nequam malis*, &c. Sed non placet. Gruter. Forte, *ne quid utique malis*. Voss. Non valde inconcinnam ſententiam redderent, qui, *ne quid iniquum malis publicis d.* legunt, niſi contextus generaliorem formulam & in mala publica, quae Vellejus memorat, amplius patentem, requirere videretur, ut fortaſſe ſatius ſit, *usquam*. Boecler. *Et* non eſt in Rhen. Edit., mihi vero *usquam* etiam placet, ut velit, non tantum in Campania, & ad Sacriportum fuiſſe ſaevitum, ſed & in ipſa urbe: formula illa utitur & Florus lib. iv. 2. *& ne quid malis deſit*, & alii. Burm.

Damaſippus.] Cicero Epiſtola ad Paetum, Livius, Valerius. errat Appianus, fidus alias narrator, qui Brutum praetorem recenſet. SCHEGK. Ita Valerius IX. 2. 3. *Damaſippi juſſu principum civitatis capita hoſtiarum capitibus permiſta eſſe*, ait. cui conſentiunt alii. Liv. epit. tamen 86. Marii Coſ. *juſſu feciſſe Damaſippum* memorat. BOECLER.

Domitium.] Addenda diſtinctionis nota poſt verbum, *Domitium.* occidit enim Damaſippus, ut hiſtoriae teſtantur, L. Domitium, Q. Mucium Scaevolam, & alios. Poſſet etiam legi: *D. pr. Q. Mucium. S. pont. max.* Verum diſtinctio, cum nihil mutet, magis etiam placet. MANUT. Locus eſt mendoſus, & aliqua ex parte mutilus. nam poſt nomen Domitii vel conjunctionis nota, vel ſaltem interpunctionis addenda eſt, legendumque *Domitium, Scaevolam etiam*, &c. Ut autem locus ſuae integritati penitus reſtituatur, addendum item putamus *C. Carbonem & P. Antiſtium*, de quibus ita ſcribit Eutropius. *Damaſippus Praetor incentore Mario Coſ. Q. Scaevolam, C. Carbonem, L. Domitium, P. Antiſtium, in curiam quaſi ad conſulendum vocatos, crudeliſſime occidit.* URSIN. *Damaſippus praetor Domitium, Scaevolam*, &c. Ita legendum, & diſtinguendum. Alii intruſerunt: *Q. Mucium Scaevolam.* Sed Domitium inter trucidatos recenſet etiam Appianus. Neſcio autem, quid Fulvio Urſino in mentem venerit, cum locum hunc aliqua ex parte mutilum ſcriberet, & addendos ex Eutropio, C. Carbonem & P. Antiſtium: quorum nomina ſtatim in Vellejo ſubſequuntur. Profecto certum mihi eſt, virum doctiſſimum aliud egiſſe, cum haec chartae illineret. VOSS. An *Damaſippus praetor praetorem Domitium?* nam & ceteris a Damaſippo trucidatis dignitatem ſubtexit, qua fungebantur, dum occiduntur. poſſis & *Damaſippus praeter Domitium, Scaevolam etiam.* HEINS.

Scaevolam.] *Qui Aſiam tam ſancte, & tam fortiter obtinuit, ut Senatus deinceps in eam provinciam ituris magiſtratibus exemplum atque formam officii decreto ſuo proponeret*, Valerius lib. VIII. cap. 15. Cicero in Bruto, & Verrinis. In cujus quoque honorem Aſiani diem feſtum *Mutia* nominarunt. Paedianus. SCHEGK.

C. Carbonem praetorium conſulis fratrem.] Quod falſum facile convinco. C. Carbo praetorius patre natus

Cajo.

Cajo. Clarum ex Valerii libro III. cap. 7. Ciceronis libro III. de Oratore. Cneus vero, ſi faſtis Capitolinis fides, Cneo patre, quem accuſatum a M. Antonio ſutorio atramento abſolutum, Cicero Epiſtola ad Paetum dat intelligere. Qui igitur frater? an patruelis? nec hoc. Cajo etenim duo ſolummodo fratres, Publius & Marcus. Cicero ibidem. Erraſti itaque Vellei, niſi ſi adoptatum Cneum a Caji patre probaveris. Fugit hic locus Lambinum, ideoque in jam laudata Epiſtola male, *Cn. Carbon.* pro, *C. Carbon.* edidit. tu emenda. SCHEGK. Vide Pighii Annal. A. U. C. DCLXIX. qui L. Carbonis, a L. Craſſo Oratore damnati, filium fuiſſe putat.

Non perdat.] *Non perdit* Editio Cellarii, Hudſon.

Beſtiae filia.] Ejus, opinor, qui A. U. C. DCXLII. cum P. Scipione Naſica Conſul fuit. PUTEAN. L. Calpurnius Beſtia Coſ. cum P. Scipione Naſica anno DCLXII. Numidiae praefuit, belli Jugurthini anno primo. Ejus filiam puto fuiſſe hanc Calpurniam. POPMA.

Ut praediximus.] Nimium olet gloſſam, *ut praediximus.* ecquid enim id addere neceſſe, cum proxime praecedat? imo ex ea narratione in hanc tranſeat auctor? GRUTER.

Se ipſam.] Magis Vellejanum ſit, *ſe ipſa*, &c. Ita ſemper auctor noſter loquitur. Quod nulli negabunt, qui eum cum attentione legerunt. Voss. Ita cap. 6. *non ſegnius ſe ipſe interemit.* Et cap. 119. *ſe ipſe transfixit.*

Quantum hujus gloriae; famaeque acceſſit? nunc virtute eminet, patria latet.] Fors erit, qui timide mihi probatum, magis probet, *ſua virtute.* ACIDAL. Corruptum hoc eſſe dicam, & dicam tantum. Non enim medeor. Certe patria ejus non latet, & Romanam fuiſſe nomen genusque evincunt, *Calpurnia Beſtiae filia.* LIPS. Haeret hic Lipſius, aitque patriam neutiquam latere, & evincere nomen, genusque fuiſſe Romanam. Sed fugit virum maximum, *patria* hic poni pro *paterna.* Per patrem vero intelligendum arbitror Calpurnium illum, quem Jugurtha pecuniis corruperat. Voss. Lipſius deſperatum hunc locum exiſtimat. Acidalius maluiſſet, *ſua virtute eminet, patria latet;* ut filiae gloria, cum paterna turpitudine comparetur. Sed bene fecit, quod *timide* huc decurrit. quanquam longe ille quidem elegantius ſenſit, quam qui eundem ſenſum in uſitata lectione repraeſentari

credunt: *nunc. virtute eminet, patria latet. patriam* enim *virtutem*, absque ulla pronominis ἀντιθέσει hic ad filiae virtutem contendi, cui perſuaderi poterit? Faveo conjecturae de ſenſu; in aſſeveratione ſcripturae cautiſſimum quemque maxime probaverim. BOECLER. Locus varie tentatus. jam monui ſcribendum videri, *nunc ſua virtute eminet.* quod & Acidalio veniſſe in mentem poſtea deprehendi. Niſi mavis, *nunc ſua & viri virtute eminet.* τὸ *virtute* ob ſimilitudinem litterarum abſorpſit τὸ *viri*, uſitato librariis, & ſolemni errore. ſic apud Florum lib. II. cap. 6. *fecerant de ſervitute Romanos.* cum alii jam monuerint legendum eſſe, *fecerant ſe de ſervis virtute Romanos.* ni mavis, *fecerant de ſervis ſua ſe virtute Romanos.* Paſſim ita peccatur in antiquis libris, quoties ſyllabae non diſſimiles concurrunt. Johannes Ortuinius, *nunc virtus ejus eminet, patria jacet. patria* pro *paterna. paterna latet virtute*, quod Beſtia opprobrio potius quam virtute ſpectatus. cum a Jugurtha pretio corruptus ignominioſam populo Romano iniiſſet pacem vir conſularis, atque eo nomine palam accuſatus eſſet in ſenatu. ſed & paullo ante, pro illis, *quantum hujus gloriae famaeque acceſſit*, cenſeo debere ſcribi, *quanta hujus gloriae famaeque acceſſio!* quod longe elegantius. *quanta acceſſio* gloriae ac famae mariti Antiſtii uxor Calpurnia. venuſta epexegeſis & Vellejo familiaris. contra *quantula acceſſio* apud Valerium Maximum lib. VIII. cap. 7. *quantula Socrati acceſſio iſta futura ſcientia erat.* Livius libro XLV. cap. 7. *Syphax rex captus acceſſio Punici belli fuerat, ſicut Gentius Macedonici.* Ubi τὸ *fuerat* expungendum cenſent viri doctiſſimi, non ego: niſi ſi ſic jubent membranae veteres. Exempla enim hic ſubjecta ſatis evincunt id tolerari poſſe. Si quid mutandum, ſcribam, *utcumque acceſſio Punici belli fuerat.* Hinc caſtigandus Florus lib. III. cap. 6. *Sic ille quoque ante felix, dignus nunc victoria Pompejus Diis viſus eſt, & pirata Mithridaticae Provinciae factus acceſſio.* Ita comperi ſcribendum. aliter Salmaſius. a vulgatis τὸ *Diis* abeſt & *pirata*, ſine quibus ſenſus, praeſertim vocabulo poſteriore, non conſtat. Et ſic ſolet Florus lib. II. cap. 9. *quicquid inſularum in eo mari jacet, belli Aetolici acceſſio fuerunt.* lib. III. cap. I. *Bochus rebus ſuis diffiſus, dum alienae cladis acceſſio fieri timet.* Minus feliciter tentavit Florum Salmaſius.

ſius. Livius lib. xxx. cap. 12. *utrius regum duorum fortunae acceſſio Sophonisba eſſet.* cap. 40. *Verminam Syphacis filium, quae (lege, qui) parva bene geſtae rei acceſſio erat, devictum.* & alibi non ſemel. A. Gellius lib. xviii. cap. 1. *virtus non acceſſio neque ſupplementum, ſed ſola ipſa vitae beatae inſtar eſſe.* Seneca Conſolatione ad Helviam: *parva ingentis ruinae acceſſio fui.* Conſolatione ad Marciam ſub finem: *Nos quoque felices animae & aeterna ſortitae, labentibus cunctis & ipſi parva ruinae ingentis acceſſio, in antiqua elementa vertemur.* de Beneficiis lib. ii. cap. 32. *Haec non imperfecti officii reliqua pars eſt, ſed perfecti acceſſio.* lib. iv. cap. 1. *Si quid forte obvenerit commodi, inter acceſſiones numerabis.* Ep. lxxxvii. *Quis pleno ſacculo ullum pretium ponit, niſi quod pecuniae in eo conditae numerus effecit? Idem evenit magnorum dominis patrimoniorum; acceſſiones & appendices illorum ſunt.* de Vita beata: *Voluptas non eſt merces nec cauſſa virtutis, ſed acceſſio.* ſic illic paſſim. Seneca pater Suaſoria vii. *Lepidus ſemper alienae dementiae acceſſio.* Digeſt. de Verb. Obligat. Paulus L. *Si ſervum ſtipulatus: Acceſſio eſt fidejuſſor, qui principali debitori accedit.* Plinius prooemio libri xxxiii. *Turba gemmarum potamus, & ſmaragdis teximus calices, & aurum jam acceſſio eſt.* & lib. xxix. cap. 1. *ne videatur acceſſio alterius.* caſtigandus & Juſtinus lib. xxxviii. cap. 2. *Timens ne Mithridates acceſſionem Cappadociae etiam Bithyniam finitimam invaderet:* nunc *acceſſione* circumfertur. Plura ad Livium exempla congeſſit Cl. Gronovius lib. xlv. cap. 7. cum ex ipſo Livio, tum Seneca, Valerio Maximo ac Floro, quae illic videantur: nos enim jam nimii ſumus. Heins. Pontan. lib. i. Analect. 3. legit, *nunc virtute eminet per patriam late*, vel *patriam latet.* forte, *nunc virtute eminet, patre latente.* Riguez explicat, nunc eminet, quoties mentio fit illius, ſed quaſi latet inter tot egregia facta, quae Romae in ejus patria edita ſunt. latet adhuc ulcus. Burm. *Quanta tum gloria famaque! Ac nunc virtus foeminae ingloria latet.* Act. Erudit. Lipſ. 1721. p. 118. *Eminet patria.* cap. xxvii. *Latrans at Pontius* &c. Warburt. Bibl. Brit. T. vii. p. 274. Idem *in marg.* V. Miſc. Obſ. V. viii. p. 457. V. ix. p. 349.

Domi bellique.] Prima editione *animi bellique.* Nec rejicio, cum ſimile ſit illi Corneliano, *ingens animi.*

Lips.

LIPS. *Vir animi bellique* in vetuſto codice. Reponendum. *vir animo domi bellique fortiſſimus.* binae ſyllabae exciderant. HEINS. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 349.

Penitus infeſtiſſimus.] Rarior locutio. *penitus* quidem pro valde ſumi docet Serv. ad Virgil. VI. Aeneid. 679. ſed nec hoc ſuperlativo jungi ſolet. BURMAN. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 38. 372. V. IX. p. 254.

Quadraginta millibus.] Paene duplicant numerum Appianus, Oroſius, Eutropius, ſcribuntque *millia* LXXX. An non hic ſaltem LX? LIPS.

Abhinc annos CXI.] Alias XL. repone CXI. Quod Faſti conſulares docent. MANUT. Recte. ſed de Kalendis Novembribus etiamne rectum? ambigo. Nam paullo infra ſcribit: *Felicitatem ejus diei, quo Samnitium Teleſinique pulſus eſt exercitus, Sulla perpetua ludorum Circenſium honoravit memoria, quibus ſine nomine Sullanae victoriae celebrantur.* Atqui profecto perpetui ii ludi in Kalendario Romano ſunt notati, non Kalendis Novembribus (tunc enim nulli) ſed VII. *Kal. Nov.* atque ibi ſculptum: *LUD. VICT.* ſicut & ſequenti quatriduo, *LUDI.* Niſi fallor, iſti ipſi ſunt, & ad hunc numerum Vellejana lectio reformanda. LIPS. Alii; XI. Unde bene monuit Aldus, ſcribendum eſſe CXI. Nam faſti conſulares, ac univerſus Hiſtoricorum chorus, id comprobant. VOSS. *Abhinc annos* XL. Edit. Rhen.

Quae non majus periculum adiit.]. De Teleſino hoc etiam capiendum, quod ait Lucanus lib. II. 137. —*Romanaque Samnis Ultra Caudinas ſperavit vulnera furcas.* Male enim alii putarunt, Damaſippum intelligi. VOSS.

Numquam defuturos, &c.] Callidum dictum, de dominandi cupidis, alienaeque libertatis inſidiatoribus; cujus cupiditatis reſpectu, *lupos* vocat Romanos Teleſinus; plane ſicut Mithridates apud Juſtin. XXXVIII. 6. 8. *ut ipſi ferunt, conditores ſuos lupae uberibus altos: ſic omnem illum populum, luporum animos, inexplebiles ſanguinis atque imperii, divitiarumque avidos ac jejunos habere.* Ita Aequi Volſcique apud Liv. III. 66. Fallor, an ex hujus conſilii regula Romani Carthaginem exciderint. cujus uſum crebro etiam deprehendas in Conſiliis de bello Turcico ſuſcipiendo. BOECLER.

Refugere ſolerent.] *In quam refugere ſolent.* Ed. Rh.

Eſſet exciſa.] Si abeſſet verbum *eſſet*, vividior fieret

ora-

oratio; ita tamen ut *ſylva exciſa* habeatur ſexti caſus. GRUTER.

Ferri geſtarique.] Subtilior forte quidam grammaticus haec differre inter ſe verba poſſet oſtendere, & *geſtari*, in hac re uſurpatum aliis. Verum ego puto legendum, *ferri ſpectarique*; ita apud Ovid. II. Met. 366. *Nuribus mittit geſtanda Latinis.* In quibusdam codicibus eſt *ſpectanda*, unde verba illa confundi ſolere diſcimus; ferebantur autem pilo vel haſtae praefixa capita, ut conſpici poſſent. Capitol. Maximinus 22. *Eorum capita praefixa contis Aquilejenſibus demonſtraverunt.* Lucan. IX. 134. *Quantum geſtata per urbes Ora ducis, quae transfixo ſublimia pilo Vidimus.* Sic ſupr. cap. 19. *caput Sulpitii erectum & oſtentatum fuit.* BURM. *efferri* Wopkens Tull. Lect. II, 4. ID. *in M.* V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 39. 373. V. IX. p. 254.

Per cuniculos.] Strabo lib. V. ſcribit Praeneſte occultis cuniculis ubique usque ad plana perforatam eſſe, & aquationis cauſſa, & clandeſtinae fugae, atque in horum uno Marium mortem oppetiiſſe. PUTEAN.

In diverſas agrorum partes ferunt.] *Fuerunt* Rhenani Editio. ſi quid mutandum, putem, *vergunt.* ut apud Naſonem Faſt. I. *Ora vides Hecates in tres vergentia partes.* Ita nos illic e ſcriptis. ſed *ferunt*, vel *feruntur* tolerari poteſt, haud quaquam incommode. HEINS. *Ferunt*, vel *ferebant*, unice verum eſt. Livius XXXIX. 14. *Scalae ferentes in publicum.* Val. Flac. IV. 438. *& via juſſos qua ferat.* Plin. II. Ep. 17. *Nam & Laurentina & Oſtienſis eodem ferunt.* Sic & Graeci: Lucas Actor. XII. 10. πύλην τὴν φέρουσαν εἰς τὴν πόλιν. Ubi vide Pricaeum. BURM. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 349.

Occubuiſſe prodiderunt.] Alii etiam ſcribunt a ſervo juſſu ſuo interfectum. Diod. Sicul. Excerpt. ex lib. XXXVII. & Valer. Maxim. PUTEAN.

Obſcuratur ejus.] Membranae, *civis memoria.* Opinor, *civis hujus memoria.* HEINS.

Felicis nomen, &c.] Ita in Panegyr. Conſtant. Aug. c. 20. *Sulla felix, ſi ſe parcius vindicaſſet: ſed enimvero multis capitibus Roſtra complevit.* Nimirum, ut Solinus autumat, *Cornelius Sylla dictus potius eſt, quam fuit Felix.* ſive, ut Pliniana ἐπικρίσις habet: *unus ſibi ad hoc aevi Felicis cognomen aſſeruit L. Sylla. Civili nempe ſanguine*,

guine, & patriae oppugnatione adoptatus, & quibusdam felicitatis inductus argumentis, quod proſcribere tot millia ac trucidare potuiſſet. O prava interpretatio, & futuro tempore infelix. Congruit Valerius, qui poſt enumerata crudelitatis argumenta, παθητικῶς ſubjicit: *En quibus actis Felicis cognomen aſſequendum putavit!* Boecl.

Oppugnationi.] *Oppugnationis*, Editio Rhenani. forte pro *oppugnationibus*, ut ſaepe factum. ſic titulus Declamat. XII. Quinctil. ſcribendus *paſti cadaveribus*, non *cadaveris*. Burm.

Afella Lucretius.] *Ofella* legendum eſt, ex Plutarch. Appian. & aliis. hujus Cicero in Bruto meminit. Eum anno ſequenti Sulla contra voluntatem ſuam conſulatum petere auſum, occidi juſſit. Livius libro LXXXIX. Aſcon. in Orat. in toga Cand. Plut. in Sulla. Cauſſam hanc addit Appian. lib. I. quod ante praeturam conſulatum peteret, quod paullo ante Sulla lege vetuerat. Itaque vereor, ne hoc loco in voce *Praetor* mendum aliquod ſubſit. Putean. Scribendum *Ofela Lucretius* unico *l*. Ursin. Semel tibi obſerva Vellejum perpetuo praepoſtero ordine nomina proferre; *Carbo Papirius*, *Vulſo Manlius*, *Philo Publilius*, *Otho Roſcius*, *Vala Numonius*. De Ofella Plutarchus in Sulla, & Appianus late. Schegk. *Ofella* vera lectio; licet in MS. fuerit *Affella*. Ὀφέλλαν enim vocant Plutarchus & Appianus. Nec aliter legitur in editione veteri epitomes Livianae. Apud Martialem etiam libro X. idem occurrit nomen: *Et quae non egeant ferro ſtructoris Ofellae.* Atque ita ſcribendum eſſe, docet Servius ad VI. Aeneidos. Ita ergo legendum apud Ciceronem in Bruto, ubi hunc *Aphiliam*, & Pedianum, ubi *Afellam* videas nominari. Voss.

Qui cum ante Marianarum fuiſſet partium, praetor ad Sullam transfugerat.] Mendum ſine dubio ſubeſt: nam *Ofella* anno ſequenti, cum conſulatum peteret contra mandatum Sullae, qui lege vetuerat, ne quis ante quaeſturam, praeturamque, conſulatum gereret, fuit occiſus. Cujus rei auctorem habeo Appianum. Nec vulgatam lectionem juvat, quod Ofella, juſſu Sullae, Praeneſtinae obſidioni praefuerit; cum & hoc aliis, nec praetoriae dignitatis viris, potuerit demandari. Puto ergo pro *praetor* ſubſtituendum *proditor*. Similiter infra de

Munatio Planco ait Vellejus: *Plancus non judicio recta legendi, neque amore Reip. aut Caeſaris; ſed morbo proditor &c. transfugit ad Caeſarem.* Qui locus per ſe fere ſententiae noſtrae firmandae ſufficiat. Voss. Cum Appianus diſertim ſcribat occiſum a Sulla, quod conſulatum ante praeturam ambiiſſet, legibus Sullanis adverſatus, *Propraetore* ſcribendum hoc loco videri poteſt. Heins.

Marianarum.] In Ed. Rh. eſt, *Mariam fuiſſet partium praetor, ad Syllam tr.*

Quibus ſine nomine Sullanae victoriae celebrantur.] Videntur ſuperfluere, certe non convenire cum MS. teſtatur Burerius, *qui ſub ejus nomine.* Gruter. Legendum *celebratur*, ſcilicet memoria felicitatis ejus diei. ſupra hujus gratae religionis memoriam teſtatur. Popma. Burrerius teſtatur, in vet. exempl. eſſe; *qui ſub ejus nomine.* quod omnino probum videtur. Boecler. Membrana *qui ſub ejus nomine.* cur mutarunt? niſi quod *Sullanae* videtur ſupervacuum, ac proinde tollendum. *qui ſub nomine ejus victoriae celebrantur.* Popma *celebratur*, ſcilicet memoria felicitatis ejus diei. Recte Lipſius *Ludi Victor. ludos victoriae* in veteri Kalendario huc trahit. Heins. Gronov. Obſerv. II. 23. *qui ſine ejus nomine Sullanae victoriae celebrantur.* ut *victoriae* ſit dandi caſus. Nam appellati tantum ludi victoriae. Cellar. Forte ſcripſerit, *quibus ſub Deae nomine, Syllanae celebrantur victoriae,* dicti enim *ludi victoriae*, quae ut Dea culta. Fruſtra autem Sibrand. Siccama ad Faſtos Kalendares menſe Novembri, *ludos victoriae* ad Arcades ante Romam conditam refert, quia illi templum & ſacra anniverſaria Deae victoriae inſtituerunt, teſte Dionyſio Halic. meminit & horum ludorum victoriae Cicero I. Act. in Verr. 10. ubi Aſconius a Sulla victore bello civili inſtitutos dicit, & ad quem locum commentans J. Menardus legit in hoc Velleji loco, *qui ludi ſine nomine Syllae, victoriae celebrantur*, etiam non male, niſi praeſtaret, *quibus, ſine nomine Sullae, ejus victoriae celebrantur.* ſed magis placet prior conjectura. Haec vero addidiſſe videtur Vellejus, quia poſtea alios *ludos victoriae* inſtituit Auguſtus, ſed ſub ſuo nomine: in Kalendario enim veteri apud Gruter. pag. CXXXIII. menſe Julio nominantur, *ludi victoriae Caeſaris*, & in lapide pag.

CLXXI.

CLXXI. *Ludi victoriae Caeſaris Auguſti*, qui an illi ſint, quos bello contra percuſſores Caeſaris voverat, apud Dion. lib. XLVIII. pag. 376: an poſt victoriam Actiacam, cum victoriae ſimulacrum in Curia Julia dedicavit; (cujus & Sueton. Aug. 101. meminit) & ludos omnis generis edidit, apud eumd. Dion. lib. LI. pag. 459. non dijudico. huic victoriae Auguſti ſacrum in Hiſpania fecerunt Caetronius & Aemilius apud Gruter. pag. CCXXVI. 8. & poſtea paſſim *victoriae Aug.* ſacra & vota in Lapidibus occurrunt facta. hoc ergo voluit Vellejus ludos hos non dictos *victoriae Sullae*, ſed ſimpliciter *victoriae*, ut Deae a Romanis cultae, viderentur dedicatae. [Alii ludi victoriae Caeſaris, ſc. dictatoris. Suet. Aug. X.] BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 458.

Magnificis praeliis.] *Magnis* magis placet. MANUT. *Magnis* praeoptat vir doctus. Ut quid autem? *Magnificum* pro magno ſaepe, ſic tamen, ut innuere aliquid videatur magnificentius. Apulej. de Dogm. Plat. *Quam etſi oratione*, (ſic legimus, non *ratione*) *diligenti & magnifica inſtructam videbat.* Tullianum hoc ex Offic. quis puer neſcit? *Magnifica vero vox & magno viro ac ſapiente digna:* ACIDAL. Non muto, etiam paullo poſt, cap. 24. *magnificentiſſimas res gerere* invenies. LIPS. Vide indicem Boecler.

Partium ejus viri.] Tò *viri* non placet hoc loco. Forte, *magnificis praeliis partium ejus hoſtilem exercitum fuderant duo Servilii.* ut alterum irrepſerit ex interpretamento. duo Servilii partium ejus hoſtilem exercitum fuderant. HEINS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 39.

Duo Servilii.] Haec Serviliorum de Italicis victoria habetur in argenteo quodam apud me denario, in cujus una parte pone caput Romae, cui ITALIA ſubſcriptum eſt, ſignata eſt corona quadam victoriae hujus, ut videtur, index, quod ſignum in aliis etiam Serviliae gentis denariis impreſſum eſt. in altera Caſtorum, equitantium averſis equis, ſimulacra expreſſa ſunt; cum litteris Oſcis, quibus indicari nomen, praenomenque Servilii putamus. Nam Oſcis etiam litteris ſignati ſunt hi denarii, in quibus Italica haec contra Romanos conſpiratio, & velut foedus quoddam caeſa porca impreſſum eſt. URSIN.

Apud Cluſium.] Apud *Pluſium*, Ed. Rh.

Apud Faventiam.] Livius, Appianus, Strabo: Flo-

rus vero *Fluentiae*, aut ut in veteribus, *Florentiae*, hic mentionem injicit. SCHEGKIUS.

Cujus honoris uſurpatio per annos CXX. *intermiſſa: nam proximus poſt annum, quam Hannibal Italia exceſſerat.*] Vir Juris & antiquitatis conſultus legendum arbitratur: *Cujus honoris uſurpatio per an.* CXX. *intermiſſa, a proximo poſt anno, quam Hannibal Italia exceſſerat.* Sullam Dictatorem Cicero III. de Finibus trium peſtiferorum vitiorum luxuriae, libidinis, avaritiae, crudelitatis vocat magiſtrum. SCHEGK. Quid hic pridem alii, ſcio: nec deterreor, quin proferam meum. Neque enim dubitet quisquam, leviori mutatione quae corriguntur, ea vero propiora. Scribo: *intermiſſa jam protinus poſt annum, quam Hannibal.* ACIDAL. *Cujus honoris*, &c. Si recte memini, non occurrit facile in antiquis Scriptoribus locus, de *Dictatura*, accuratior pleniorque. Quapropter nihil abs re me facturum arbitror, ſi paulo preſſius Vellejanis veſtigiis inſtitero, uſumque Dictatoriae poteſtatis, ea parte, qua notitiam reip. gerendae juvare poteſt, declaravero. Quae jam aliis ſunt tradita, nihil attinet repetere. Manebimus enim intra limites *Vellejanos*. Dicitur 1. *Priores Dictatura ad vindicandam maximis periculis remp. uſos eſſe.* Recte, ipſa cauſſa reperti uſurpatique hujus magiſtratus, & finis innuitur: creatum eſſe, ad maxima quaeque & ardua pace belloque praeſentioris imperii viribus conficienda. Itaque *Livio in rebus trepidis ultimum conſilium* dicitur Dictatoris creatio IV. 56. & Auguſtin. III. de C. *D.* 17. *in extremis periculis* factum ait. Hic verus, &, ut ita dicam, ordinarius ſcopus. Nam quod *Clapmarius* III. *de arcan.* 19. inter *Arcana Ariſtocraticae dominationis adverſus plebem* refert, κατ' ἐπακολούθημα & reſpectu temporis, quo primus *Dictator* creatus, item reſpectu intemperantiae popularis ἑπομένως accipiendum eſt. Serviebat enim poſtea Dictatoris terror non Democraticae modo vehementiae coërcendae, ſed certaminibus etiam & ambitioni optimatum in ordinem redigendis. Dicitur 2. a *Vellejo*, *populum R. timuiſſe poteſtatem imperii* Dictatorii. Erat enim *jure regio*, a quo ferme ſolo tempore differebat. unde *Ciceronis* illud *Philip.* I. debet explanari, cum ait de Syllae temporibus: *Dictatura jam vim regiae poteſtatis obſederat.* Erat ſane *regia poteſtas*, quippe quae duorum

con-

conſulum, ut apud Liv. alibi dicitur, poteſtatem repraeſentabat: jam autem duobus Conſulibus *regium imperium* tribuitur apud Ciceron. III. de leg. 3. ſed cum exceptione temporis, quam cum tranſcendit Sylla perpetuus Dictator factus, jam Dictatura vim totam regiae poteſtatis formamque veri regni obſederat. Alias, ne Dictatura ad libertatis oppreſſionem, regnique in rem Rom. reductionem tenderet, temporis brevitate cautum proviſumque erat, ne ultra ſextum menſem quisquam eum magiſtratum gereret, vide Clapm. de arcan. II. II. & Catuli Orat. apud Dion. XXXVI. ubi & alterum conſilium ἐπιπλήξεως cujusdam, *ne extra Italiam cum imperio ſit Dictator.* Tertium erat, veluti imaginarium Dictatoriae poteſtatis frenum, ſive ſimulacrum Democraticae libertatis etiam ſub Dictatore; quando Dictatori equum conſcendere non licebat, niſi ad populum tuliſſet; *ut equum aſcendere liceret*, ſicut ex *Plutarchi Fabio* & *ap. Liv.* III. 14. diſcimus. His igitur rationibus conſiliisque Dictatoriam poteſtatem quam timebat populus Romanus, quodammodo limitabant, & ne ad mutationem ſtatus valeret, retinebant. Dicitur 3. apud Vellejum: *Non tam P. R. deſideraſſe uſum Dictatoris*, quam timuiſſe poteſtatem imperii. *Deſideravit ſane uſum*, neque carere omnino potuit hoc remedio adverſum libertatis vitia: ſed non ſine timore tamen acceſſit ad praeſentiſſimi remedii ſtrenuitatem; ſicut peritiſſimi quique medicorum fortiſſima & maxime ſtrenua medicamenta non quidem penitus omittunt, ſed cum cura & ſolicitudine adhibent. Haec ſolicitudo non parum creverat, perſpectis reip. morbis paulatim invaleſcentibus, auctaque incivilis elationis cupiditate. Praecipuae obſervationis eſt locus Appiani I. bell. civ. pag. 359. cum in tumultu Tiberii Gracchi miratur, *nemini, neque tum, neque poſtea in mentem veniſſe Dictaturae remedium, quo respubl. ſaepe e maximis periculis convaluerat.* καί μοι, inquit, θαῦμα καταφαίνεται, τὸ πολλάκις ἐν τοιούτοιςδε φόβοις διὰ τῆς αὐτοκράτορος ἀρχῆς διασεσωσμένους, τότε μηδ' ἐπὶ νοῦν τὸν Δικτάτωρα λαβεῖν, ἀλλὰ χρησιμώτατα τὸ προτέροις τόδε τὸ ἔργον εὑρεθὲν, μηδ' ἐν μνήμῃ τοῖς πολλοῖς ἄρα γενέσθαι, μήτε τότε, μήτε ὕστερον. Quod ait, neque poſtea in mentem veniſſe cuiquam hoc remedium αὐτοκρατορικῆς ἀρχῆς, caute accipiendum eſt. Nam illud SC. quo poſt-

ea in C. Gracchi ſeditione Opimio Coſ. primum mandatum eſt, *videret, ne quid reſpubl. detrimenti caperet*, quid aliud notat niſi commiſſum, quam pleniſſimum eſſe poteſt, imperium, ſive, ut rectiſſime in *Gracchis Plutarchus* explicat, *Dictatoriam poteſtatem*? Ut clarum ſit, *nomine Dictaturae*, ob timorem, quem innuit Vellejus, *obſtinuiſſe; rem ipſam tamen*, poſt longiorem ceſſationem, *reduxiſſe Romanos*. Etſi autem (monarchici imperii) nomen ejuraverat amantiſſima libertatis civitas, tamen tot illis artibus ſuis, tanto legum conſiliorumque apparatu, non potuit ſuam libertatem regere atque conſervare, quin ſubinde ad plenam *Unius poteſtatem*, ſub diverſis quidem nominibus, recurrendum haberet; donec denique penitus in eam imperandi formam recideret, atque ita ab interitu, qui ex morbis libertatis imminebat, reſurgeret. Hactenus de dictatura ita locuti ſumus, ſicut & veterum nonnulli, & juniorum loquuntur, & ad regium imperium eam populariter, nec ſine figura comparant. Non ſine figura dixi. ſicut vel exemplo conſularis imperii intelligitur, de quo eundem ad modum loqui ſolent. Alias non ſolo tempore a regno differebat dictatura, ſi accurate loquendum eſt: neque ultra magiſtratus rationem, magni illius quidem & extraordinarii, ſed magiſtratus, id eſt, imperii a ſummo imperio ſive ſumma poteſtate civili pendentis, aſcendit. Omnem autem magiſtratum, inſtrumentum eſſe ſummae poteſtatis, recte philoſophia decrevit. Sed de his plura ad Grotii I. B. 1. 3. 11. Boecler. *Nam proximus poſt annum*. Reſcripſerim, *jam proximi poſt annum*, id eſt, anno DCI. cum Annibal Italia exceſſerit Cn. Servilio Caepione, C. Servilio nepote Coſs. anno DL. a quo abfuit Sullae Dictatura annis CXXIII. Popma. *Proximus*, refer ad Dictatorem. Heins. Vid. Pigh. Ann. A. U. C. DLI.

Uſum dictatoris aut metu deſideras Tulio continuiſſe.] Rhenanus divinat. *Haud deſide metu a Ser. Tullio continuiſſe; poteſtatem imperio (proh res ad vindicandam maximi periculi) ſpoliantem*. Legis haec quisquis es, cujatis es, & non rides? Schegk. Parum haec inter ſe apta. Diſtingui ſcribique mavelim: (*non tam deſideraſſe, quam timuiſſe*) *poteſtate imperii, quo priores ad vindicandam m. p. r. uſi fuerant, immodicae crudelitatis licentia abuſus eſt*. Ex hac diſtinctione, & tranſpoſita nota parentheſeos,

ſeos,

ſeos, longe alia clariorque ſententia, quam quae vulgatur. maxime ſi mecum *poteſtate*, pro *poteſtatem* ſcribis; itemque *abuſus*, non *uſus*. Lips. Ineptiſſima lectio. Lipſius diſtingui, ſcribique mallet: *non tam deſideraſſe, quam timuiſſe) poteſtate imperii, quo priores ad vindicandam maximis periculis Rempublicam uſi fuerant, immodicae crudelitatis licentia abuſus eſt.* Senſum ſane optime aſſecutus eſt. De verbis videamus. Ea in editione principe corruptiſſime ita erant concepta: *uſum dictatoris aut metu deſideras Tullio eo timuiſſe poteſtatem imperii, proh res ad vindicandum maximi periculi, ſpolia muſi erant eo, immodicae crudelitatis licentia uſus eſt.* Quae multo minori libertate commode ita reſtitui poſſe putamus: *ut appareat populum Romanum uſum dictatoris haut ita deſideraſſe, uti extimuiſſe poteſtatem imperii) quo priores ad vindicandum maximis periculis Rempublicam uſi erant, eo immodicae crudelitatis licentia uſus eſt.* Quae ſi non vera, ſaltem verae proxima eſt lectio. Voss. De ſenſu nihil ambigendum duco, ut dicatur Sulla ea poteſtate, quae ſaepe reipb. rebus trepidis ſaluti fuit, immodica crudelitate abuſus. conjecturam Lipſii, ut in loco foede corrupto nemo facile affirmaverit. Boecler. Rhenani editio prodigioſe corrupta ſic habet: *uſum dictatoris aut metu deſideras Tulio eo timuiſſe poteſtatem imperio, proh res ad vindicandum maximi periculi ſpolia muſi erant eo, immodicae crudelitatis*, &c. ut quam proxime inſiſtamus veſtigiis ſcripturae veteris, videtur caſtigandum (*uti* (ſic v. c.) *adpareat, populum Ro. uſum dictatoris aut metu deſideraſſe, aut illico timuiſſe poteſtatem) imperio quo priores ad vindicandum a maximis ſe periculis* [*olim jam*] *uſi erant, eo immodicae crudelitatis licentia abuſus eſt.* τὸ *abuſus eſt* a Lipſio occupatum video. *deſideras* pro *deſideraſſe.* ut infra cap. LXIV. idem codex *peris* pro *periſſe.* *In rebus trepidis ultimum conſilium Dictatura* Livio. Appianus: *οὓς δικτάτορας ἐκαλοῦντο, ἐπὶ ταῖς φοβερωτάταις χρείαις ἑξαμήνους τιθέμενοι.* ut recte dicatur a Vellejo dictatura numquam deſiderata, niſi cum metus (ab hoſte nimirum) ingrueret, quo amoto, poteſtatem nimiam ilico timuiſſe ac ſuſpectam habuiſſe populum Romanum. Dictaturam certe cum diuturnam Sulla, Caeſar perpetuam ſibi vindicaſſent, facile apparuit per hoc ipſum libertatem ſubverti. Singula paullo curatius expendamus. τὸ *metu* huc re-

revocavimus, quod Vellejo in deliciis. vide annotata ad cap. 120. τὸ *aut* pari modo geminatur cap. 125. *nec diu latuit, aut quid non impetrando paſſuri fuiſſemus, aut quid impetrando profeciſſemus.* poſſis nihilominus quoque, *ut in metu deſideraſſe, ita illico timuiſſe poteſtatem.* Idque malim: *deſiderandi* quoque verbo utitur Livius, ubi de dictatore creando poſt caeſum Flaminium conſulem agit lib. XXII. cap. 8. *Itaque ad remedium jam diu neque deſideratum neque adhibitum, dictatorem dicendum civitas confugit. In metu.* ſic & Livius libro XLI. cap. 18. *Ceteri montibus ſe tenebant, & ne in metu quidem feritatis ingenitae obliti.* apud Tacitum Ann. XV. cap. 45. *Egeſto e templis auro quod omnis populi Romani aetas proſpera re aut in metu ſacraverat.* Hiſt. I. cap. 86. *plura alia, olim in pace obſervata, quae nunc tantum in metu audiuntur. In metu* dictatores ſolitos creari innuitur quoque illo Liviano e libro VII. *Terror inde vanus belli Etruſci Dictatorem dici coëgit. Illico timuiſſe poteſtatem:* cum ultra ſemeſtre temporis ſpatium vix ſoleret prorogari. *ad vindicandum ſe priores uſi*, pro *ad vindicandos*, archaiſmus eſt, nec infrequens bonis ſcriptoribus. ad *erudiendum indolem.* cap. 59. de quo loquendi modo complura congeſſit Obertus Giphanius, Indice Lucretiano in Gerundiis, & Voſſius de Analogia lib. XIII. cap. 10. Ita & dicebant, *credo inimicos meos hoc dicturum.* de quibus idem cap. 16. τὸ *ilico* ſive *illico* frequenter corruptum occurrit in bonis ſcriptoribus. apud Florum lib. II. cap. 11. *Gallo-Graeciam quoque Syriaci belli ruina convolvit.* Cum legi oporteat, *Syriaci belli ruina illico involvit*; tres literae ultimae τοῦ *belli* & primae duae τοῦ *convolvit* abſorpſerant id vocabulum. Livius lib. III. cap. 61. *Quid latrocinii modo procurſantes pauci tempus tererent? quin illico congrederentur acie.* Peſſime circumfertur hactenus *illi*, cum *co* iterandum fuerit e primis litteris proxime ſubſequentis vocabuli. HEINS. Gronovius lib. II. Obſ. 23. ita legit & diſtinguit. *Dictator creatus (cujus h. u. p. a.* CXX. *i. nam p. p. a. q. H. I. e. ut appareat P. R. uſum dictatoris haud ita deſideraſſe, uti extimuiſſe poteſtatem) imperio quo priores a v. m. p. rempb. uſi erant, eo immodica crudelitatis licentia abuſus*, &c. Locus deſperatiſſimus, in quo conjecturas perdere jam licet. Quare mihi veſtigiis ſcripti codicis inſiſtenti, ita poſſe conſtitui videtur.

tur. *Dictator creatus* (*cujus* &c. *ut appareat P. R. uſum dictatoris, ut remedium deſideraſſe ſubito* (vel *dubio*) *morbo, timuiſſe poteſtatem*) *imperio, quo priores ad vindicandum maximis periculis populum uſi fuerant, eo ad im. cr. licentiam uſus eſt*. Ex illis, *aut metum*, feci, *ut remedium*, ex *tulio eo*, *dubio morbo*, ex *ſpolia muſi erant*, *populum uſi erant*. nec hoc ſine exemplo, cum & in Ceiri Virgil. 78. *ſpoliare* & *populare* commutari videamus, prima vero litera in *ſpolia* ex ultima τοῦ *periculis* geminata eſt. *vindicare* vero *periculis* aeque dicitur, atque *a periculis*. Juſtin. VII. 15. *Quem ſcelerum ſuorum ſuppliciis liberorum contemplatio vindicaverat*. ubi & praepoſitionem quidam intrudunt. Curt. IX. 10. *Itaque fame duntaxat vindicatus exercitus*. Deinde non poſſe admitti *abuſus* eſt, ut Lipſius, Gronovius & Heinſius volunt, docet perpetua Velleji in repetendo eodem verbo conſuetudo; de quo ad lib. I. 3. & ita mox cap. ſeq. *potentia ſua ad impotentiam uſus*, quod idem eſt. quo ergo imperio priores uſi ad vindicandum, eo Sulla uſus ad licentiam. Poſſet & legi, *eo immodico crudelitatis licentia uſus eſt*. ſic *immodicus ſaevitia*. Tacit. I. Hiſt. 69. Vel, *eo immodice* e. l. *uſus eſt*, nam in MSS. *e* & *ae* nullo diſcrimine ſcribitur. & ita *licentia* in illis, Phaedri lib. I. fab. 2. *libertatis frenum ſolvit licentia*, ablativo caſu capiebat Schefferus, id eſt, per licentiam. ut & ſupr. cap. 22. *licentia ſaevitum eſt*. *licentiam immoderate peccandi aſſumere*, dixit Hirt. Bell. Afric. 86. Scio hoc eſſe hariolari, ſed in tam deſperato loco parata erit venia. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 40. 378. 458. V. IX. p. 255. 349.

Immodicae crudelitatis.] Quam praeſertim graphice deſcribunt Valer. Max. IX. 2. Plut. Syll. Auguſtin. de C. D. III. 27. & 28. Lucan. II. Senec. I. de Clem. 12. Id. de Provid. 3. aliique plures. BOECLER.

Primus ille.] Impotentiam Sullae Cicero II. Officiorum & Verrin. Act. 2. lib. III. his tangit verbis: *qui auſus eſt dicere haſta poſita, cum bona in foro venderet, & bonorum virorum & locupletium, & certe civium, praedam ſuam ſe vendere*. praeter ordinarios meminit Dionyſius, Caeſar lib. I. bell. Civil. Salluſtius. Appianus I. bell. civ. pag. 409. οὗτος γὰρ δοκεῖ πρῶτος οὓς ἐκόλασε θανάτῳ προγράψαι, καὶ γέρα τοῖς ἀναιροῦσι, καὶ μηνύματα τοῖς ἐλέγχουσι, καὶ κολάσεις τοῖς κρύπτουσιν ἐπιγράψαι. Hic

Hic enim primus, quos capite plexos cupiebat, proſcripſit, & praemia percuſſoribus proſcriptorum, itemque latentium indicibus, neque minus poenas celantibus latentes propoſuit. quod & Vellejus Noſter mox ſubjicit. clarius autem Plutarchus, *receptatori proſcripti & ſervatori capitalem poenam denuntiatam; non exceptis fratribus, filiis, parentibus, percuſſori bina talenta promiſſa, etſi ſervus dominum, filius parentem interfeciſſet*, memorat. Boecler.

In qua civitate petulantis convitii judicium hiſtrioni exoleto redditur, in ea jugulati civis R. publice conſtitueretur auctoramentum.] Vulgo, *petulantis convitii judicium hiſtoriarum ex alto redditur.* Inde doctiſſimus Lipſius *judicium hiſtrionicum ex albo*; vel cum Cl. Pithoeo; *judicium injuriarum*, conjicit. Lectio Gryphii, quae & noſtra, nihil incommodi habet, niſi quod cum Aldo & Lipſio recepi, *civis R. publice*, pro, *Reipublicae*. Impotentiam porro Sullae Cicero II. Officiorum, & Verrin. Act. 2, lib. III. his tangit verbis: *qui auſus eſt dicere haſta poſita, cum bona in foro venderet, & bonorum virorum & locupletium, & certe civium, praedam ſuam ſe vendere*, praeter ordinarios meminit Dionyſius, Caeſar lib. I. bell. Civil. Salluſtius. Schegk. Alibi [in Epiſtolic. Quaeſt. III. 8.] tentavimus hunc locum, etiamque alii. Nunc placeat: *judicium in hiſtrionem ex albo.* Nam id verum eſt. & legibus XII. tab. animadverſi actores aut hiſtriones, qui carmen actitaſſent, quod infamiam flagitiumque faceret alteri. In bona omni Rep. ita ſolitum: hodierna licentia quam effraenis ſolutaque es! Lips. Haec ab aliis ita accipiuntur, ut animadverſum fuerit in hiſtriones, ſi convicium feciſſent alteri; at ego contrariam interpretationem convenire arbitror: nimirum aures praebuiſſe judices hiſtrioni, & cives qualeſcunque caſtigaſſe, quos conſtaret hiſtrionem aliquem petulantiore convicio notaſſe. Prorſus hoc vult ſeries argumentationis, quaecunque huic loco verba ſubſtituamus. Gruter. Veteres editiones habent *hiſtoriarum ex alto.* Unde Lipſius, *hiſtrionicum ex albo.* Ego propius ad veſtigia veteris ſcripturae legerim, *hiſtrionicarum ex albo*: hac ſententia, in qua civitate hiſtriones ob petulans convitium in ſcena alicui factum puniuntur poena legum hiſtrionicarum in albo propoſita, in ea jugulati civis praemium in tabula proſcriptionis publice inſtituitur. *Album* vocat tabulam deal-

dealbatum; in qua erant leges artis hiſtrionicae, & poenae in hiſtriones ob convitia, & dicta famoſa: quae jam inde ex XII. Tabul. ſevere vindicabantur. Cicero de rep. lib. IV. *Noſtrae contra duodecim tabulae cum perpaucas res capite ſanxiſſent, in his hanc quoque ſanciendam putaverunt, ſi quis occentaviſſet, dictitaviſſet; ſive carmen condidiſſet, quod infamiam faceret, flagitiumque precarentur.* Vide Arnobium lib. IV. Adverſus gentes. POPMA. *Exoleti* epitheto nihil contemptius hiſtrioni tribui poteſt. Ita Firmico in praefatione lib. I. Aſtrol. Sulla dicitur, *Senex exoletus.* Hoc eſt, ut mox ipſe explicat: *qui a primo veſtigio pubeſcentis aetatis, in ſcurrarum gremiis per damna venundati pudoris adolevit.* Gloſſae Philoxeni: *Exoletus*, *ὑπέραχμος*, *τρίβακος.* Sic & Cicero pro Milone, aliique ea voce uſi. VOSS. Placet Gruteri interpretatio: *nimirum aures praebuiſſe judices hiſtrioni, & cives qualeſcunque caſtigaſſe, quos conſtaret hiſtrionem aliquem petulantiore notaſſe convitio.* Lipſius maluerat: *judicium in hiſtrionem ex albo.* Quia in *mſc.* fuit *judicium hiſtoriarum ex alto.* BOECLER. Et hic locus eſt in vexatiſſimis, ſed videamus veterem ſcripturam, quae habet, *judicium hiſtoriarum ex alto redditur.* ſcribendum videlicet minima mutatione, *ut in qua civitate petulantis convicii judicium hiſtrioni rarum ex alto redditur, in ea jugulati civis reis publice conſtitueretur auctoramentum.* hoc ſenſu dicitur, *rarum hiſtrioni judicium petulantis convitii ex alto reddi*, quia, cum hiſtriones ad judicem deferrent, ſe petulanti convitio pulſatos eſſe a civium quocumque, judicium eis ut rarum ex alto, ſic de plano plerumque redditum fuiſſe: quod leges forent in promptu; quae vetarent hiſtrioni convitium fieri, nc longa diſceptatione hic opus foret. nam falluntur, qui haec referunt ad convicia, quae ab hiſtrionibus jaciebantur in cives: contrarium locus poſtulat. *Planum* & *tribunal* oppoſite habes apud Sueton. in Tiberio 33. *Judicesque aut e plano, aut e quaeſtoris tribunali admonebat. ex alto judicium reddi*, pro e tribunali dixit. Sive pro tribunalis ordine, quomodo in caſtris jus dicebat Varus Quinctilius, ut infra videbimus: & apud Senecam lib. I. de Ira, *ſi intelligit, non ex alto venire nequitiam, ſed ſummo, quod ajunt, animo inhaerere.* lib. III. cap. 43. *ex alto* poſuit pro ſuperbe. *Quid illum nimis ex alto tecum agentem*

gentem detrahere cupis? pro *reip.* (ſic enim vetuſtus liber) *reis* ſcripſi. Nec aliter paſſim exaratum fere offendas in membranis & marmoribus antiquis. Inde tranſlatum proverbium modo ad alias res. Salluſt. Epiſtola ad Caeſarem. *Equidem mihi decretum eſt, nihil tam ex alto reperiri poſſe, quod non tibi ſit in promptu.*; ubi forte ſcribendum, *nihil tam ex alto repeti poſſe*, ut apud Maronem. *Quid cauſſas petis ex alto.* Accius Armor. Judic. apud Feſtum, *cur vetera jam ex alto appetiſcis diſcidia Agamemnon? ex alto diſſimulare*, apud Naſonem. Placuit multis, *judicium hiſtrioni exoleto redditur.* quod tamen ſi admittimus, peccabit eas in leges Vellejus ipſe, per quas negat licuiſſe convicium hiſtrionibus fieri. De auctoramento jugulati civis proponendo rem etiam ſupra noſter improbavit cap. 6. *Id unum nefarie ab Opimio proditum, quod capitis, non dicam Gracchi, ſed civis Romani pretium ſe daturum, idque auro repenſurum, propoſuit.* De hac ipſa Syllana proſcriptione Seneca lib. v. de Benef. cap. 16. *Proſcriptionem commentus eſt, (Dii magni!) ut qui civem Romanum occidiſſet, impunitatem & pecuniam, tantum non civicam acciperet.* ubi malo reſcribi, *tantum non ut civicam acciperet*, ut qui civem R. occidiſſet impunitatem ac pecuniam acciperet, quaſi ſervato cive coronam civicam. Heins. *Hiſtoriarum.* ed. Rhen. agit de hoc loco Heinſ. ad Sil. Ital. VIII. 266.

Cives Reipub.] *Rom. publice.* ſic ſupra cap. 6. *quod capitis, non dicam Gracchi, ſed civis Rom. pretium ſe daturum.* Putean. Idem Puteanus legit: *In ea jugulati civis R. publice conſtitueretur auctoramentum.* Sic ſupra, cap. 6. ait de re non diſſimili: *quod capitis, non dicam Gracchi, ſed civis R. pretium ſe daturum, idque auro repenſurum propoſuit.* Manut. Nihil eſt certius conjectura Cl. Puteani, Smaragdi illius Muſarum, *civis Romani publice conſt.* nam vetus ſcriptura unica tantum voce exprimere amat, & *Romanum* & *rempublicam.* inde natus error. Gruter. Emendabat Cl. Puteanus: *civis R. publice conſtitueretur* &c. Pithoeus tamen ad collationem Leg. Moſaic. malebat: *civis e publico conſtitueretur* &c. Offendit eum ſcilicet vocabulum *Romani*, quod non neceſſarium putaret. Puteani conjecturam veriorem ego arbitror. Habuimus ſupra de Opimio: *capitis non dicam Gracchi, ſed civis Romani pretium ſe daturum, idque au-*

ro repenſurum, propoſuit. Itaque de ejus veritate non dubitandum. Voss.

Nec tamen eos, &c.] Videndum, an ſcribi debeat, *nec tamen in eos, &c.* vel, *nec tantum in eos &c.* ob illud *ſed*, quod ſequitur. Ursin. Obſerva mihi, non muta, *tamen*, pro, *tantum*. Quae particulae, & cum his *tandem*, quomodo alterius altera, & una omnium, omnesque unius vicem ſubeant in veterum ſcriptis, alibi mihi propoſitum diligenter oſtendere. Hic illud ſaltem Juſtini ponam e lib. II. *Lanae iis* (Scythis) *uſus ac veſtium ignotus. & quamquam continuis frigoribus urantur, pellibus tamen ferinis ac murinis utuntur.* Ubi collocatum ambigue *tamen* videbit, qui accurate verba penſitabit, ſic ut utra potius, ut adeo utraque ſimul notione accipiendum, haeſurus ſit. Nam certe & *tamen*, illud inquam vulgatum, ratione praecedentis *quamquam*, & illud alterum, *tantum*, ratione ſententiae requiritur. Hoc miſſo autem, eodem loco *uruntur* malim, ut fiat manifeſtior alluſio & colliſio verborum, hujus ad illud ultimum ſimilis ſoni, *utuntur*. quam figuram non ſemel auctor idem ſtudioſe captavit. Acidal. Pro *tamen*, quidam emendant *tantum:* alii cum Acidalio particulam *tamen* retinent, ſed ita, ut alii corrigunt, interpretandum cenſent. Neutris aſſentio. Subauditur enim *tantum*, vel *ſolum*. Salluſtius bello Jugurthino: *Non enim regnum, ſed fugam, exilium, & has omnes, quae me premunt, miſerias cum anima ſimul amiſiſti.* Hoc eſt, *non enim ſolum regnum*, &c. Quod male manus recentior in MS. noſtrum, optimae alioqui notae, invehere fuit conata. Frontinus lib. II. cap. 13. de Horatio: *dejecit ſe in alveum, eumque non armis, ſed vulneribus oneratus, tranavit.* Poſſem etiam compluria aliorum afferre loca: ſed hi &, aut tali particula, poſt *ſed* addita, locutionem hanc emollire conati. Voss. Perſpicua & nulli difficultati obnoxia erunt omnia, ſi ſcribimus, *nec jam in eos.* Ut deſignet, non ſtetiſſe victoris ſaevitiam in iis puniendis, qui contra arma tulerant, ſed ultra proceſſiſſe. Heins. Ego nihil moveo. *tamen* vero pro *tantum*, aliquando pro *tandem*, ſumi tritum & obvium eſt, ſed huic loco parum conveniens, ſed cum Voſſio puto ſubintelligi *tantum*; cujus veſtigia legit Tennul. ad Front. lib. II. cap. ult. §. 5. Burm. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 350.

Qui

Qui contra arma tulerant.] Octo millia deditorum in villa publica trucidavit. Livius LXXXVIII. *Villa publica locus in campo Martio*, Auguſtinus Civitatis Dei III. cap. 29. SCHEGK.

Excluſique paternis opibus] Contra morem priſcum, quo liberi minime parentum delicto tenebantur. Dionyſius Antiquitatum VIII. & Plinius in eximio illo Ciceronis elogio lib. VII. cap. 30. eo alludit. Poſtea his ignovit Caeſar, & ad jus dignitatis revocavit. Suetonius, Dio, & noſter infra. SCHEGK. Forte *excuſſique*. BURM. *in marg.*

Quod indigniſſimum eſt.] Ita Plutarchus, ὃ δὲ πάντων ἀδικώτατον ἔδοξε, τῶν προγεγραμμένων ἠτίμωσε καὶ υἱοὺς καὶ υἱωνοὺς, καὶ τὰ χρήματα πάντων ἐδήμευσε: *Quod omnium viſum eſt indigniſſimum, proſcriptorum liberos nepoteſque infamia notavit, omniumque bona publicavit.* BOECLER.

Privatis ut opibus.] Ita de Octavio infra II. 61. 1. *mira auſus ac ſumma conſecutus privato conſilio majorem ſenatu pro rep. animum habuit.* Quanquam, haec privati conſilii auxiliique, utut pro rep. ſuſcepta molitio, niſi acceſſerit publicae auctoritatis approbatio, non ſolet commendari a rerum civilium peritis. Itaque *Prudentes* apud Tacitum I. A. 10. 1. in reprehenſione Auguſti etiam illud memorant: *paratum ab adoleſcente privato exercitum.* Scilicet plus eſt in legibus, quam in ſucceſſu, datoque ſemel exemplo praetextuque, facile dominandi cupidis ad nova conſilia via panditur. Quare non fruſtra Ariſtoteles etiam circa clientelas, de quibus mox ſequitur, monuit, *periculoſum eſſe liberae civitati, ſi quis nimia clientum, amicorum, ſervorum multitudine emineat polleatque.* Quod Romani mature debebant obſervare. BOECLER.

Forma excellens.] Ita Plutarchus Pompejum commendat: τὸ γὰρ ἐράσμιον ἀξιωματικὸν ἦν φιλανθρώπως, καὶ τῷ νεαρῷ, καὶ ἀνθοῦντι διέφαινεν εὐθὺς ἡ ἀκμὴ, τὸ γεραρὸν καὶ τὸ βασιλικὸν τοῦ ἤθους. *Gratia formae dignitatem pariter ac humanitatem eximiam praeferebat, & in illo juvenili flore exſplendeſcebat jam ſenilis regia quaedam gravitas.* Compara Suetonii locum de Tito, cap. 3. *Forma egregia, & cui non minus auctoritatis ineſſet, quam gratiae.* Eſtne hoc εἶδος ἄξιον τυραννίδος, *ſive imperatoria forma,*

quam

quam Cornelius Nepos etiam Iphicrati tribuit, 3. 1. Boecler.

Sed ex dignitate conſtantiaque in illam conv. ampl. &c.] Omiſſum verbum ſententiam perturbat. Legendum autem: *ſed ex dignitate, conſtantiaque, quae in illam conv. amp.* Alii: *Sed ex dignitate conſtanti, quae in illam conv. ampl.* Manut. Vide, ſi tam inſigni loco ſic felicius aliis medebor: licentius, ipſe agnoſco. ſed quid aliud vulneribus facias ita penitus adactis? Nec unum hoc aut novum in Vellejo trajectionis exemplum. *Sed quae in illam conveniens amplitudinem, dignitatem, & conſtantiam; fortunam quoque ejus ad extremum vitae comitata eſt diem.* Aut minus licenter ita: *ſed quae dignitate & conſtantia in illam conveniens amplitudinem, fortunam.* hocque poſterius teneam lubentius, ac tuear facilius. Acidal. Arbitror haec legenda: *ex dignitate conſtanti, quae in i. c. amplitudinem fortunamque, tum ad u. v. c. e. diem.* Conſidera, & mecum facies. De gravi autem hac & ἀξιωματικῇ Pompeji forma, ex Silio aliquid capies lib. XIV. *Ille hirta cui ſubrigitur coma fronte, decorum Et gratum terris Magnus caput.* Lips. Lege: *ſed ex dignitate conſtanti, quae in illam conveniens amplitudinem, fortunam quoque ejus ad ultimum vitae comitata eſt diem.* Quomodo etiam editum a Gryphio, Marneſſio, & aliis; niſi quod legant, *ultimam.* Quod mutavi tum fide MS. tum auctoritate veterum Grammaticorum, qui malunt *diem*, dum de certo die mentio, per maſculinum genus efferri. Etſi minime illud obſervent ipſi veteres. Voss. *Sed ex dignitate conſtantiaque in illam conveniens amplitudinem, fortunamque ejus ad ultimum.* Sic princeps editio. ſcribe, *ſed ex dignitate conſtans, atque in illam conveniens amplitudinem, fortunam quae ejus ad ultimum vitae comitata eſt diem.* Sic apud Euripidem εἶδος ἄξιον τυραννίδος, *Imperatoriam formam* vocat in Iphicrate Nepos. Tacit. Hiſt. VII. 15. *Imperatores forma ac decore corporis mos eſt vulgo comparare. dignitatem formae* Agraecius Grammaticus virorum propriam facit, etiam Nonius Marcellus, ſecuti uterque Ciceronem: cui in Epiſtolis alicubi dignitas virilis, muliebris venuſtas, eamque deformitati contrariam ſtatuit. Idem lib. I. de Officiis. *Dignitas formae coloris bonitate tuenda eſt.* Tacitus Annal. XI. cap. 28. ubi de Silio Meſſallinae adultero

agit:

agit: *Juvenem nobilem, dignitate formae, vi mentis, ac propinquo conſulatu, majorem ad ſpem accingi.* lib. XII. cap. 51. *Interim Zenobiam placida eluvie ſpirantem ac vitae manifeſtam advertere paſtores, & dignitate formae haud degenerem reputantes obligant vulnus.* ubi legem Grammaticorum nutare licet agnoſcas. Sed Tacitus voluit, non tam e venuſtate quam dignitate formae collegiſſe paſtores, haud humili loco prognatam feminam, quam ejectam fluvio feminecem inveniſſent. Plinius Panegyrico ad Trajanum: *Jam firmitas, jam proceritas corporis, jam honor capitis, & dignitas oris, nonne longe lateque principem oſtentant?* Laberius apud Macrobium Saturnal. lib. II. *quid ad ſcenam adfero? decorem formae, an dignitatem corporis.* vides, *decorem formae* a Laberio jungi cum *dignitate corporis:* ſic & Tacitus Hiſt. I. cap. 7. *Aetas Galbae & irriſui & faſtidio erat, aſſuetis juventae Neronis, & imperatores forma ac decore corporis, (ut mos eſt vulgi) comparantibus. Membra decora juventae*, non diſſimili modo apud Maronem. Hic caſtigandus venit Q. Curtius libro VII. cap. 9. *Benigne igitur exceptis Sacarum legatis comitem Excipinon dedit, adhuc admodum juvenem aetatis flore conciliatum ſibi: qui cum ſpecie corporis aequaret Hephaeſtionem, & lepore haud ſane virili par non erat.* Sic antiquiſſimus Bibliothecae Mediceae codex, quo uti mihi contigit: etiam alii cum editi, tum quibus manu exaratis Gruterus Bongarſiusque ſunt uſi. In vulgatis poſteriora hoc modo exhibentur: *qui cum ſpecie corporis aequaret Hephaeſtionem, lepore haud ſane par illi erat.* Illud *lepore virili*, quod Mediceus praefert, etiam in membranis Colonienſibus omnium optimis veterrimisque ſibi repertum Modius teſtatur, & recte. ſuperabat enim Excipinon aetate Hephaeſtio. Sed apage leporem iſtum. qui, uti & venuſtas feminas commendat magis quam viros, ut e Cicerone transvidimus. E veſtigiis Medicei libri ſic videntur ultima conſtituenda: *qui cum ſpecie corporis aequaret Hephaeſtionem, ei decore haud ſane virili par non erat.* Epicedio Druſi, *uritur heu decor ille viri, generoſaque virtus.* Vides & illic, virilem illum decorem. *Venerationem formae*, de Alcibiade habes apud Juſtinum. Denuo Curtius lib. VIII. cap. 4. *Inter quas erat filia ipſius Roxane nomine, eximia corporis ſpecie & decore habitus in barbaris raro.* ita lib.

IX.

IX. cap. 2. *patrem ejus tonſorem propter habitum haud indecorum cordi fuiſſe reginae.* & cap. 7. de legatis Indis: *Omnes curru vehebantur, eximia magnitudine corporum, decoro habitu.* Antiquum marmor. apud Gruterum pag. CCCXXXII. 2. DIIS. MANIBVS. MEMORIAE. C. REGVLI. MORIBVS. DECORE. NATALIBVS. DD. HYACINTHO. VEL. NARCISSO. COMPARANDI. *decorem oris* etiam Tito Caeſari attribuit Tacitus. Sed ut ad *dignitatem oris* vel *formae* revertamur, alterutrum Cornelio Nepoti in Eumene reſtituendum videtur cap. 11. *Nam & dignitate* (opinor *oris*, vel *formae* addendum) *fuit honeſta, & viribus ad laborem ferendum firmis, neque tam magno corpore, quam figura venuſta.* Hyginus fab. LXXXV. *Lajus Labdaci filius Chryſippum Pelopis filium nothum propter formae dignitatem Nemeae ludis rapuit.* Idem *formae dignitatem* ad feminas quoque transfert adverſus regulam Grammaticorum fab. 78. & 106. ubi Helenae & Briſeidi eandem aſſignat, quomodo Zenobiae Tacitus. HEINS. Scriberem, *ſed ea dignitate conſtantiaque, quae in illam conveniens ampl. fortunamque eum ad ul. v. c. e. diem.* nam illud *ex dignitate conſtans*, vel *conſtanti* nihil mihi videtur; *conſtantiam* vero *formae* vocat, quae per omnes aetatis gradus, ut de Auguſti venuſtate loquitur Sueton. cap. 79. permanet. *Sed dignitate conſtanti, quae*, Stephanus & Eraſmus. Pontanus lib. 1. Annal. cap. 3. legit, *non ea, qua flos commendatur aetatis, ſed dignitatis conſtantia:* ſed mihi magis, ut dixi, arridet *dignitate & conſtantia. conſtantia* vero formae dicitur eodem modo, ut *conſtans aetas* Sueton. Galb. 4. quae non obnoxia quotidianae mutationi, ut eſt aetas, & flos ille puerilis, ſed quae, ut virilis forma, robuſta & permanens eſt. ita & Arnob. 1. contr. gentes dixit, *ſanitati & conſtantiae reddere.* BURM. Ita *ſtata forma* Ennius apud Gell. V. 11. Vid. Columm. ad Enn. p. 280. IDEM *in marg.* V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 40. 375. V. IX. p. 255. 350.

In illam conveniens amplitudinem.] Sic etiam loquitur Nepos Alcibiad. cap. 3. *hoc maxime convenire in Alcibiadem videbatur.* Terent. Heaut. V. 5. *In me quidvis harum rerum convenit.* Cicero pro Sulla 7. utitur praepoſitione *ad. Laetor eum eſſe me, in quem tu, cum cuperes, nullam contumeliam jacere potueris, quae non ad maximam partem civium conveniret.* BURM.

Bello peritiſſimus.] Lipſius *belli.* RAPHEL.

In reconcilianda.] Imo *reconciliata.* Nam ibi fides locum habet, uti facilitas in reconcilianda. LIPS. Lipſius legit, *reconciliata.* Mihi nihil mutandum videtur. Vult Vellejus; fideliſſimum fuiſſe in reconcilianda inter alios gratia, ubi fide potiſſimum opus. VOSS. Imo & in redintegranda amicitia cum ſuis aemulis & inimicis: nec opus *reconciliata* legere, nam & fide opus eſt in *reconcilianda*, ut non mala fide & diſſimulanter amicitias renovemus, [V. ad Ovid. IV. Met. 46.] ſed eo animo & voto, ut aeternae maneant, quod bonae fidei convenit. ita contra Nero *reconciliatione ſimulata*, Matrem decipit apud Suet. 34. & Auguſtus *Antonii ſocietatem ſemper dubiam & incertam, reconciliationibus variis male focillatam abrupit.* Suet. Aug. 17. BURM.

Paene omnium votorum expers.] Vellejum ſcripſiſſe, *paene omnium vitiorum expers*, facile mihi perſuadeo. MANUT. *Votorum*, ſincera lectio, Perſius Sat. v. 53. *Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.* Et Vellejus inferius de eodem: cap. 40. *Suo & civium voto major.* SCHEGK. Profecto verior Aldi conjectio. Quae fuerat eadem & mea. Nam ſequentia attende: virum ait fuisſe Pompejum, liberum & immunem ferme omnibus vitiis; niſi maximum illud tamen eſſet, neminem quemquam parem ferre potuiſſe. Certo igitur *vitiorum* reſcribendum. Sic de Catone Porcio infra: cap. 35. *Omnibus humanis vitiis immunis.* Exempla in alteram partem allata; ſi vere volumus judicare, minus etiam cogemur, quam ad rem minimo minus facientia fateri. Taceo, quod quivis videt, quam illam ipſam lectionem inſequentia adverſis veluti cornibus impugnent. ACIDAL. Nimium eſt pro Pompejo. & quis vel Socrates, ad hunc ſapientiae gradum venit, nil vovere? Aldus igitur *vitiorum* fecit, haud male. Poſſis & *notarum*: ac conſequenter, *inter maximas.* Ut velit nihil eſſe culpandum notandumque in Pompejo; praeter nimiam aeſtimationem ſui & ſtudium excellendi. LIPS. Quid ni indicet Pompejum *votorum expertem*, cui ſumma omnia ultro obveniebant benignitate coeleſti, id eſt, cum ea omne votum ejus praeveniret? Sic enim interpretanda iſta putavi ad verſum Mimographi mei P. Syri, qui tamen adhuc verbo ultimo emendandus: nam pro eo, quod in editione noſtra legitur,

gitur, *Deos ridere credo cum dives vocat*. innuunt veſtigia exemplaris Palatini reponendum, cum *dives vovet*. id eſt, cum vota facit. Lepide prorſus; nam juxta Petronium Arbitrum: *Quidvis nummis praeſentibus opta: Eveniet: clauſum poſſidet arca Jovem*. GRUTER. *Expers votorum*, qui nihil habebat quod ultra optaret, aut votis expoſceret. Infra, *ſuo & civium voto major*. Salluſt. lib. iv. Hiſtoriar. de eodem Pompejo, *rebus ſupra votum fluentibus*. POPMA. Lege *vitiorum*, quod Aldo, Acidalio, aliisque etiam, placitum. Notum illud Lucani: —— *Caeſar nec ferre priorem, Pompejusve parem*, &c. Ἀπροσδιόνυσα ſunt, quae ad vulgatae lectionis defenſionem adducit Schegkius. Voss. Et Heinſius *vitiorum* probabat.

Jure haberet pares.] Malim, *haberentur pares*. HEINS. V. Miſc. Obſ. V. ix. p. 350.

Quemquam aequalem.] Caeſar i. bell. civ. *Pompejus neminem dignitate ſecum exaequari volebat*. Lucan. i. Flor. iv. 2. 14. Salluſt. alludit Orat. i. de rep. ord. cum de Pompejo loquens, *nam particeps*, inquit, *dominationis neque fuit quisquam, neque ſi pati potuiſſet, orbis terrarum bello concuſſus foret*. Egregie Theophraſtus in Charact. περὶ τῆς ὀλιγαρχίας, notat, *homines* ὀλιγαρχικοὺς *ex Homeri verſibus hunc, ſolum & unum tenere*, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω; *aliorum omnium nihil ſcire*. Qui character non tam Optimatibus, i. e. Ariſtocraticis hominibus, quod ſimpliciter & ſine limitatione Magnus ille Caſaubonus pronuntiat, ſed Oligarchicis, adeoque iis, qui Optimatium auctoritatem usque ad paucorum potentatum evectam cupiunt, videtur convenire. Quo ſenſu ſcilicet ὀλιγαρχικὸς, declaratur a Polluce iii. 6. οὐκ ἀγαπῶν τὸ ἴσον: *aequalitatem non amans*. eſt enim ἰσότης ſive ἰσηγορία, ἰσομοιρία civilis aequabilitas, veluti fundamentum & vinculum libertatis & Democratiae. Ergo Vellejus: *cum omnes cives jure haberet pares*. Hanc aequalitatem qui tranſcendunt, *inciviles, inciviliter elati*, & ὀλιγαρχικοὶ vocantur, & interdum τυραννικοί. BOECLER.

Conſpicere.] Heinſius in ora codicis correxerat, *conſpici*.

Hic a toga.] *Hicce toga* Edit. Rhen.

Singulari rerum militarium prudentiae celeriora, & a Sertorio Metellus laudaretur magis, &c.] In lectione vulgata

gata nihil reprehendo, niſi quod nimium quantum a fide codicis MS. divertat. Legebatur in eo: *ſingulari rerum militarium prudentia celeriora ut a Sertorio* &c. Unde puto me lectionem veram exſculpſiſſe. Emendo: *ſingulari rerum militarium prudentia coluit: ita ut a Sertorio* &c. *Coluit*, valet, *excoluit*. Sic etiam hoc verbo uſus Ovidius II. de Arte Amandi: *Nec levis ingenuas pectus coluiſſe per artes Cura ſit, & linguas edidiciſſe duas*. Voss. Prima editio *prudentiae celeriora*. lege *prudentia expolierat*, vel *excoluerat*, ut aliis viſum. *excolere ſe* frequenter occurrit apud Senecam. Heins. Vulgatae quis auctor ſit neſcio; ſed Eraſmus ita edidit, quem Stephanus & alii ſecuti. Quid ſi ſcripſerit *celebraverat*, id eſt, frequenter exercendo celebre reddiderat. Varius enim ejus verbi uſus, ſic fere cape apud Ovid. III. Faſt. 656. *Et celebrant largo ſeque diemque mero*, id eſt, celebres faciunt ſe, & diem ebrietate. Burm.

Perperna.] *Perpenna* Edit. Rhen. vid. ſupr. cap. 4.

Gentis clarioris, quam animi.] Locutiones geminas libenter, ut vides, noto: inter eas & haec erit, ſed ſimilis quidem diſſimilis. quippe in formam eandem, mentem contrariam. Infra igitur de Merula: cap. 112. *Qui vir animo etiam, quam gente nobilior*. Acidal.

Etoſcae.] Potuit eſſe loci nomen, *Etoſcae*, a librariis poſtea corruptum, potuit *& eſcas*: id quod ſententia non reſpuit: potuit etiam aliter. quod ut aſſequi conjectura, felicitatis eſt, ſic affirmare ſine veterum librorum, aut hiſtoriae teſtimonio, temeritatis. Mihi, loci nomen fuiſſe, probabilius videtur. Et quoniam in emendando litterarum maxime ſimilitudinem ſequi oportet, placeret; *Oſcae*. quae fuit urbs Hiſpaniae, inter eas, quarum ope Sertorius uſus eſt. *In fidem Romanam*, ait Florus, *venere urbes, Oſca, Terme, Tutia, Valentia, Auxima*. Meminit etiam Plinius lib. III. cap. 3. & Ptolemaeus lib. II. cap. 6. Manut. Aldus emendat *Oſcae*. Sic etiam ex conjectura repoſueram, de quo mihi complures familiares teſtes eſſe poſſunt. Verumtamen Strabo l. VIII. ſcribit Sertorium πολεμῆσαι τὸ τελευταῖον, ἐν Ἰλέρδῃ καὶ Ἰλεόσκῃ τῶν Ἰλεργετῶν πόλεσι καὶ ἐν Καλλάγουρι Οὐασκώνων πόλει, καὶ ἐν Ταρακῶνι καὶ ἐν τῷ Ἡμεροσκοπείῳ. &c. ſubjicit ἐτελεύτα δὲ νόσῳ. In quo diſſentit a ceteris auctoribus, qui eum conjuratione facta a ſuis interfectum eſſe omnes tradunt.

dunt. a Livio, inquam, Vellejo, Plutarcho, Appiano, Floro, Eutropio, Oroſio. neque tamen veroſimile eſt, Strabonem bonum in primis & diligentem ſcriptorem hac in re, praeſertim ab ſua memoria, non ita remota, lapſum eſſe: putoque etiam ſcripſiſſe ἐτελεύτα δ' ἐν Ὄσκᾳ. Vereor etiam ne mendum ſit apud eundem auctorem in illis, quae proxime antecedunt, καὶ συνάγει, τοῖς περὶ Ἰλέρδαν καὶ Ἰλέοσκαν χωρίοις τοῖς τῶν Ἰλεργετῶν, &c. & pro Ἰλίοσκαν legere oporteat Ὄσκαν. Proclivis enim lapſus fuit propter propinquas Ἰλέρδαν & Ἰλεργετῶν, quae ambae ab iiſdem elementis incipiunt. *Oſcae* cum alii multi, tum Plutarchus & Florus in Sertoriani belli narratione meminere, quin & Ptolemaeus lib. II. inter Ilergitum urbes Ilerdam & *Oſcam* ponit. & Plinius lib. III. cap. 3. *Oſcentes* & Ilerdenſes conjunctim nominat. de Ileoſca vero nemo alius, quod ſciam, mentionem facit. PUTEAN. Adſentior doctiſſimis viris, Manutium dico & Ortelium, *Oſcae* ex Plinio, Ptolemaeo, Plutarcho legentibus. Strabo lib. III. *Ileoſcam* agnoſcit. Supremum iſtud convivium reperies apud Salluſtium hiſtoriarum lib. III. *Igitur diſcubuere*, inquit, *Sertorius interior in medio. ſuper eum L. Fabius Hiſpanienſis ſenator ex proſcriptis, in ſummo Antonius, & infra ſcriba Sertorii Verſius: & alter ſcriba Maecenas in imo, medius inter Tarquitium, & dominum Perpernam.* Huic loco lucem pete a Plutarcho in Sertorio, & Nobiliſſimo V. Jano Douza. Unum moneo, facillime ab Antonio, qui in ſummo, vulnerari potuiſſe Sertorium, qui interior. ita enim ritus ſtatuere lectos, ut cujus prona & prompta tranſitio & attactio. colligo e Plauti Aſinaria Scena, *Agedum iſtum: Neque illaec ulli, ſuo pede pedem homini premat. Cum ſurgat, non in lectum inſcendat proximum. Neque eum deſcendat, inde det cuiquam manum.* SCHEGK. Forte & *Oſcae*: niſi *Etoſcam* vocat, ut Strabo *Itoſcam*, quam alii *Oſcam*, civitatem Hiſpaniae. POPMA. Imo, *Oſcae*. Strabo lib. III. de eodem Sertorio ait, ἐτελεύτα δ' ἐν Ὄσκῃ. Ita enim egregie emendavit Cl. Puteanus. Vulgo corrupte editum; ἐτελεύτα δὲ νόσῳ. Florus etiam lib. III. cap. 22. Oſcam inter urbes recenſet, quae, Sertorio occiſo, in poteſtatem venere Romanorum. Locus illius ita ſcribendus eſt: *ipſae quoque in Romanam fidem venere urbes, Oſca, Termes, Tutia, Valentia, Uxama,*

in fame nihil non experta Calagurris. Malui, *Termes*, quam *Terme*, ex Plinio, Ptolemaeoque. Videturque eadem urbs, quae Appiano in Ibericis dicitur Τέρμισον. *Uxama* vero, pro *Auxima*, ex Ptolemaeo, Oroſioque, nobis repoſitum. Voss. Scribendum, pro *Etoſcae*, quod vocabulum nihili eſt, *ut Oſcae interemit*, &c. *Metellus & Pompejus ex Hiſpaniis*, (ſic enim vetuſtus codex, non *Hiſpanis*) *triumpharunt. ut* pro poſtquam, vel ex quo, uſitatiſſimum optimo cuique veterum ſcriptorum. poſtquam Perperna Sertorium Oſcae, quae civitas Hiſpaniae ex praecipuis) interemit inter coenam, ex Hiſpaniis Metellus & Pompejus triumpharunt. ita cohaerere haec debent. *Oſcae* nomen Straboni Puteanus feliciter reſtituit. Popmae & *Oſcae*, quod non capio. Heins. V. Cup. Ep. Syll. T. II. p. 726.

Metellus & Pompejus.] Adi Sigon. comment. in faſt. & triumph. R. ad ann. DCLXXII. ubi & Auctorum loca notata. Boecler.

Hiſpanis.] *Hiſpaniis* reponit Lipſ. Nam alioqui legendum eſſet *de Hiſpanis*. Raphel. Repone, *Hiſpaniis*. Mirum illud mutaſſe editores Velleji, cum, ut emendavimus, in MS. fuerit perſcriptum. Alterum non eſt Latinum. Voss. Neſcio an vera ſit animadverſio doctorum virorum. nam & noſter lib. II. 8. dixit, *e Scordiſcis triumphus fuit.* Livius XL. 45. *M. Fulvius Nobilior, qui ex Aetolis triumphaverat.* Similiter *triumphum agere ex inicorum dolore*, Cic. III. ad fam. 10. *ex urbe triumphare.* idem II. de Offic. 8. *ex Tranſalpinis gentibus majores noſtri triumphaverunt.* & plura obvia, & ad manum ſunt, hic tamen ſequor codicis ſcripti lectionem. Burm.

Adhuc eques Romanus.] Cicero pro L. Manilia, Lucanus lib. VII. Plinius lib. VII. *Pompejus Sicilia recuperata, Africa tota ſubacta, Magnique nomine ſpolio inde capto, eques Rom. (id quod nemo ante) curru triumphali revectus eſt.* Schegk. Nam & antea, quatuor & viginti annos natus, adhuc eques Romanus, *quod nulli contigerat, ex Africa triumphavit.* Epit. Liv. 82. Adi rurſum Sigon. comment in faſ. & tr. R. ad ann. DCLXXII. Boecler.

In ſummum faſtigium vectum.] *Evectum* malim, ut paſſim loqui amat Vellejus. paullo ante. Heins. Ita noſter certe lib. II. 130. *Munificentia ſupra humanam fidem evectum.*

evectum. Sed & *vehere* etiam pro gloria, laudibus extollere utitur Claudian. bell. Get. 13. *Quod ſi ardua Tiphyn Navis ob innocuae meritum ſic gloria vexit.* BURM.

Rationem habere.] Flor. IV. 2. 16. & late Dio XL. Appian. II. bell. civ. Caeſ. I. bell. civ. Plut. in vit. BOECLER.

Omnia ſibi ignoſcere.] Ita Horat. I. Sat. III. 23. *egomet mi ignoſco.* Quinct. XI. Inſtit. Orat. 3. *ne nobis ignoſcere diſcamus.* BURM.

Invidiam rerum non ad cauſſam, ſed ad voluntatem perſonasque dirigere.] Etenim, ut eſt non multo poſt, *interdum perſona, ut exemplo nocet, ita invidiam auget, aut levat.* Et, *raro invidetur eorum honoribus, quorum vis non timetur:* ſed, *qui eos ſuo arbitrio aut depoſituri aut retenturi videntur, & modum habent in voluntate.* ACIDAL. Satis obſcura ſententia, niſi capias: *invidiam rerum a plerisque ambitioſis & potentiae cupidis non referri ad cauſſam & negotium, neque ex eo aeſtimari: ſed potius voluntatis ſuae ſtudio obſequentes eos ferri ad obtrectandum invidendumque, non tam factis & rebus, quam perſonis.* ſi enim *voluntatem*, de προαιρέσει eorum, quibus invidetur, accipias, falſa erit ſententia. BOECL.

Tribuniciam poteſtatem.] Tullius III. de Legibus, *quamobrem in iſta quidem re, vehementer Sullam probo, qui tribunis pleb. ſua lege injuriae faciendae poteſtatem ademerit, auxilium ferendi* (intelligit interceſſionem, Caeſar libro I. belli Civil.) *reliquerit, Pompejumque noſtrum ceteris rebus omnibus ſemper ampliſſimis ſummisque effero laudibus: de tribunicia poteſtate taceo, nec enim reprehendere libet, nec laudare poſſum.* SCHEGK.

Cujus Sulla imaginem ſine re reliquerat.] Ita fidenter edidi, quamquam in noviſſimis in unam vocem coaluerat, *ſinere*, quod vitioſum nemo tam ſtipes, qui non animadvertat per ſe & corrigat. Nec ego de hoc vel monendum mihi putaſſem, niſi magis vitioſe haberi deprehendiſſem in exemplari Aldino, *in jure.* ACIDAL. Legerem parva mutatione, *cujus Sulla imaginem ſine re relinquerat*, &c. nam verbum *imaginem*, quod praecedit ita poſtulat, ut legatur, & Caeſar de hac ipſa re dixit lib. I. de Bell. Civil. *Sullam nudata omnibus rebus Tribunitia poteſtate.* URSIN. Vetus editio, *imaginem in jure.* quod non temere rejiciendum. jus intelligit ferendi & in-

tercedendi, ſive interceſſionem, quam Sullam nudata omnibus rebus Tribunitia poteſtate, ſolam reliquiſſe ſcribit Caeſar lib. I. & Cicero III. De legibus. Popma. Lege, ut ad marginem codicis ſui emendarat frater ὁ μακαρίτης Dionyſius: *imaginem ſine jure reliquerat.* Nec tamen Urſini conjecturam omitto, cui, pro *in jure*, reponendum videbatur: *ſine re.* Voss. Alii, *ſine jure.* eodem ſenſu. Reſtituit autem Pompejus tribunitiam poteſtatem, ſimulacro quodam popularitatis: ut nimirum pignerato populi favore, aditum ſibi ad dominatum muniret. ſicut & Caeſar apud Sueton. 5. *auctores reſtituendae tribunitiae poteſtatis, cujus vim Sulla diminuerat, enixiſſime juvit.* Boecler. *Cujus Sulla imaginem in jure reliquerat.* Sic princeps editio. Locus variis conjecturis obnoxius. alii, *ſine re*, *ſine jure*, *in urbe*, & ſimilia. Lego, *imaginem ſine vi.* nam poſterior ſyllaba in *jure* perperam e proximo *reliquerat* geminata eſt. Appoſite omnino Suetonius in Caeſare cap. 5. *Auctores reſtituendae tribunitiae poteſtatis, cujus vim Sulla diminuerat, enixiſſime juvit.* Liv. lib. v. 29. *Si tribunitia vis tribunitio exemplo repelli nequeat, aliud telum inventuros patres eſſe.* lib. VI. 37. *Contemni Tribunos plebis, quae poteſtas jam ipſa vim ſuam frangebat*, ſed & lib. III. 63. de eodem tribunatu; *cum vis poteſtatis aliquanto languidior eſſet.* nec abludunt illa Ciceronis pro domo ſua: *ſuperare furioſam vim veſani tribuni plebis. vis* pro poteſtate. Liv. XXVI. cap. 12. *indignitate ejus vim magiſtratui, quem geſſit, demebat.* ſic & *vires tribunatus* Floro lib. III. cap. 17. ceterum utrumque conjungunt frequenter ſcriptores. ſic apud Martialem: *Caeſar habet numen: ſacra eſt vis, ſacra poteſtas.* Tacitus Hiſt. II. cap. 39. *Honor imperii penes Titianum, vis ac poteſtas penes Proculum.* ſic *regia vis* cap. 108. & *vim conſulatus* dixit cap. 47. noſter. idem & denuo cap. 89. *reſtituta vis legibus. ſpecies* eſt Tacito, quae noſtro *imago.* & hanc cum *vi* conjungit Annal. III. cap. 30. *ſpeciem magis in amicitia principis, quam vim, tenuit.* cap. 31. *Vectigal quoque quintae & viceſimae venalium mancipiorum remiſſum, ſpecie magis quam vi: quia cum venditor pendere juberetur, in partem pretii emtoribus accreſcebat.* lib. II. *favorabili in ſpeciem oratione vim imperii tenuit.* lib. XV. cap. 69. *quia ſpeciem judicis induere non poterat, ad vim dominationis*

tionis converſus eſt. Livius lib. XXVIII. cap. 24. *& ut vim imperii abſtulerant, ita ſpeciem imperantes ſibi ſervabant.* ſic & *ſpecies* uſurpatur a Suetonio vita Divi Julii cap. 77. *Nihil eſſe remp. appellationem modo ſine corpore ac ſpeciem.* Ita caſtigaram, cum in vulgatis exſtet *ac ſpecie*, quando didici id ipſum a Salmaſio quoque in ora codicis ſui annotatum. Perperam magnus Caſaubonus, *ſine corpore ac re.* Idem Tacitus Ann. V. cap 10. *Jam juventutis concurſu, jam publicis ſtudiis frequentabatur; laetus praeſentibus & inanium ſpecie.* ſic meo periculo caſtigandum. nunc circumfertur *inanium ſpe.* Denuo idem Ann. XIII. cap. 82. *Corbulo corpore ingens, verbis, magnificus, & ſuper experientiam ſapientiamque etiam ſpecie inanium validus.* apud Naſonem *ſpecies* quoque ſimili notione: *Truncus iners jacui, ſpecies & inutile ſignum: Nec ſatis exactum eſt, corpus an umbra forem.* De *imagine* ecce alium ejuſdem Taciti locum inſignem Ann. VI. cap. 27. *extremo anni mors Aelii Lamiae funere cenſorio celebratur, qui adminiſtrandae Syriae imagine tandem exſolutus urbi praefuerat, genus illi decorum, vivida ſenectus, & non permiſſa provincia dignationem addiderat.* Ceterum Suetonii locus e vita Divi Julii modo caſtigatus a me, ubi *remp. appellationem ſine corpore & ſpeciem* vocat, alterum Taciti locum ut caſtigatum hic proponam (quando hanc digreſſionem nec injucundam Lectori, nec rei litterariae omnino inutilem fore confido) a me impetravit. Quod Suetonio *ſpecies & ſine corpore appellatio*, aliis ſcriptoribus *inane nomen*, vel *nomen vanum* & *vacuum* dicitur, *ſurdum nomen* Silio, Symmacho *nomen caſſum*, Tacito brevitatis ſtudioſo *nomen* ſimpliciter. Hiſtor. IV. cap. 10. *Vim principis amplecti, nomen remittere.* Juſt. XXXIX. 1. *ut nomen regis penes filium, vis autem omnis imperii penes matrem eſſet.* quo modo codex Bongarſii, nec dubitare Bernecceru debebat. Tacitus denuo VI. Ann. 43. *neque penes Arſacidem imperium; ſed inane nomen, vim in Abdageſis domo.* lib. XV. 31. *apud Romanos vis* (non *jus*) *imperii valet, inania transmittuntur.* Locus eſt de Germanorum moribus vexatiſſimus cap. XXXVI. *Inter impotentes & validos falſo quieſcas: ubi manu agitur, modeſtia ac probitas nomina ſuperioris ſunt.* Redde ſibi Tacitum, & ſcribe, *nomina ſuperiori ſunt.* ultima littera ejus vocabuli temere huc ſubrepſerat e prima vo-

cis ſubſequentis proxime. Illi, inquit; qui ſuperior evadit in bello, probitas & modeſtia inane nomen ſunt & contemnuntur, quod Naſoni eſt *nomen ſine re. Aut ſine re nomen Deus eſt, fruſtraque timetur.* Pomp. Mela lib. II. 3. *Thoricas & Brauronia olim urbes, jam tantum nomina.* ſic & Naſo XV. Met. *Oedipodioniae quid ſunt niſi nomina Thebae.* Curt. IV. 12. *Indi ceterique rubri maris accolae nomina verius quam auxilia, poſt currus erant.* de quibus & mox Alexander, *nomina modo vana gentium ignotarum ne extimeſcerent, ob id ipſum quod ignoti eſſent, eſſe ignobiles, numquam ignorari viros fortes: at imbelles nihil niſi nomina adferre.* Liv. XLIV. 40. *Elephanti in acie nomen tantum ſine uſu fuerunt.* Tale illud Euripidis, quo Brutus moriens eſt uſus, Ὦ τλῆμον ἀρετὴ, λόγος ἄρ' ἦσθ', ἐγὼ δὲ σ' ἔργον ἤσκουν. Sed haec pluribus exſequemur ad ipſum Tacitum, ſi vitam Deus conceſſerit. Adde interim Papinii locum aeque vexatum Thebaidos e libro ſexto v. 79. quem hoc modo corrigebam, ut de Archimori patre pergat agere, *Spes avidae quas non in nomen credula veſtes Urgebat ſtudio!* ubi *ſpes in nomen credula*, eſt ſpes vana, ſpes incredula, quomodo & *ſpes* apud Tibullum occurrit. Idem Tacitus cap. 60. ejusdem libri *vim* & *imaginem* tamquam contraria ponit. *Sed Tiberius vim principatus ſibi firmans imaginem libertatis Senatui praebebat.* Ann. XV. cap. 14. *Vaſaces imaginem retinendi largiendive penes nos, vim penes Parthos eſſe.* ut recte Mediceus codex. pari modo *vim* & *nomen* opponit Ann. VI. cap. 43. *Sed inane nomen apud inbellem externa mollitia, vim in Abdageſis domo eſſe.* *inania* dixit lib. XV. cap. 31. *Non inerat notitia noſtri, apud quos vis imperii valet, inania transmittuntur:* ſic recte Pichena caſtigavit. in Hiſtoriis de Muciano, *vim principis amplecti, nomen remittere.* Jam pridem manum de tabula oportuit tolli, non poſſum tamen; quin meae huic in Vellejo conjecturae adſtruendae de *tribunatu ſine vi*, addam Plinii locum lib. I. Epiſt. 24. *Conſulis an exiſtimem te in tribunatu cauſſas agere debere: plurimi refert, quid eſſe tribunatum putes, inanem umbram, & ſine honore nomen, an poteſtatem ſacroſanctam, & quam in ordinem cogi, ut a nullo, ita ne a ſe quidem deceat.* Ubi plura de tribuniciae poteſtatis vi ſubjunguntur. HEINS.

LXIV.] LXXIV. In Epitome Liviana. MANUT. Non diſplicet

ſplicet Lipſio numerus, qui in Livii Epitoma legitur, LXXIV. RAPHEL. Ut nihil hic mutandum putem, facit maxima ſcriptorum diſſenſio. Quorum in hoc numero diverſitatem ſcire qui deſideret, adeat eruditiſſimum Freinshemium, ad Flori lib. III. cap. 20. VOSSIUS. De bello Spartacio vide Flor. III. 20. quosque ibi Camers laudavit. adde *Sigon.* ad ann. DCLXXX. in numero ſervorum copiarumque variant admodum. BOECLER.

Fugitivi.] Vix probes *fugitivi profugientes.* aliud quid videtur fuiſſe prius loco vocis *fugitivi.* GRUTER. V. Miſc. Obſ. V. VIII, p. 41.

Adolevit.] *Adulevit* Edit. Rhen. quae & ſemper *aduleſcens* habet. BURM.

Caſibus] *Cladibus* Cl. Duker. ad Flor. II, 18, 2. Eadem varietas apud Claudian. II. in Rufin. v. 216. BURMAN. *in marg.* V. Miſc. Obſ. ibid.

XL. *millia*] Alii hunc numerum plurimum augent. Inter quos is, qui minimum habet, eſt Eutropius. Hic ſexaginta millia virorum ab iis collecta fuiſſe ſcribit. Appianus vero ad C. & XX. millia extendit. Oroſius, Liviique epitomator, medium tenuiſſe videtur, ut ex cladibus colligas. Itaque vix ambigo, quin in Vellejo legendum ſit; XC. *hominum.* VOSS. Nimis exiguus numerus, in quo variant ſcriptores. princeps editio, XL. a CCC hominum. Forte XC *aut* C *hominum*, nonaginta, aut centum hominum millia. HEINS.

M. Craſſum.] Qui ovans urbem inivit, quod Senatus cenſeret indignum de ſervis, hoſte non juſto, triumphare. Plutarchus. Coronatus tamen non myrtea corona, quae Ovalis, ſed per gratiam Senatusconſulto, adjutus, laurea. Agellius lib. V. cap. 7. SCHEGK.

Romanorum omnium principem.] Non ſane *omnium:* nec Caeſar aut Pompejus conceſſerint. Quid ſi, *opibus?* id verum ſit. nec diſpliceat etiam omitti vocem, *omnium*, atque induci. LIPS. Non quaſi ſolus, ſed quia unus ex tricipitina. Lipſius, pro *omnium*, malebat, *opibus.* Quem dictio, *mox*, ſatis refellit. Aliorum conjecturae Lipſiana multo deteriores. Omnium minime placet illa Barthii, (lib. XVI. Adv. 7.) qui pro, *Romanorum omnium*, ſcribebat: *Romanorum hominum.* Ut tacita nimirum argutia Caeſarem non modo, ſed & Pompejum, hominibus

bus

bus eximat Vellejus. Vossius. Nihil prorſus impedit aequalitas aliorum, imo nec ſuperior alterius auctoritas quidquam detrahit huic ſignificatui. Princeps Romanorum rectiſſime dicitur, *non qui ſolus ſupra ceteros eminet, ſed qui inter eminentiſſimos Romanorum, id eſt, inter principes ſuae reip. numeratur.* Boecl. Vetus editio, *mox reip. omnium principem.* ſed τὸ *omnium* ex ſuperiori *hominum* temere repetitum eſt ab indiligente librario. Scribe *mox reip. principem.* talis enim & cap. 44. deſcribitur. ni mavis *mox reip. omnis hunc principem*, vel, *omnino princeps reip.* pro principe Senatus. quae dignitas quinquennis, ut in plures conferri potuerit. Principes quoque Pompejus & Caeſar; ſed ante hos in principem Senatus videtur Craſſus fuiſſe electus, ac proinde dici, *princeps omnis reip.* A. Gellius certe lib. IV. Noct. Attic. cap. 10. M. Craſſum in ſenatu primum rogari ſolitum ſententiam a Julio Caeſare refert, quod mutatum tamen ab illo poſt filiae cum Pompejo Magno nuptias. Heins. Pontan. I. Elect. 6. legit *Romani nominis mox futurum, principem.* vulgata lectio fluxit, ut credo, ab Erasmo. Hariolari ſi liceret, legerem, *Reipub. communis principem.* Communis facta triumviris, inter quos Craſſus. Lucan. I. 84. —— *Tu cauſſa malorum Facta tribus dominis communis Roma.* ſaepe vero *omnis* & *communis*, quod per compendium ſcribebatur, a librariis confuſa. Ita apud Cicer. III. ad Fam. 5. pro *meis omnibus ſtudiis*, in aliis editionibus eſt *meis communibus*, & pro Ligar. 7. *omnis*, *communis*, & *homines*, ut hic in MSS. confuſa. Burm. V. ad Ovid. VII. Met. 509. & Valer. Flacc. VI. 405. Idem *in marg.*

Per omnia majore vi habebatur.] Legendum puto: *Per omnia major evehebatur.* Aut: *Paene homine major habebatur.* Idem enim Vellejus, infra cap. 35. de M. Catone ſimiliter locutus: *per omnia ingenio diis, quam hominibus, propior.* Et cap. 40. de Pompejo: *Per omnia fortunam hominis egreſſus.* cap. 130. de Tiberii matre: *Per omnia ingenio deis, quam hominibus, ſimilior femina.* Saluſtius quoque, in Jugurtha, de Mario: *Numidae magis, quam mortalem, timere.* Manut. Vulgatum hoc nec mihi diſplicet: quia tamen e Rhenano (*per omnia majore vi habebatur*) alii tentant, ludam eandem & ipſe aleam: *per omnia major aevo habebatur:* ſive etiam propius

pius ad ſcripturam, *major aevi.* quo de Graeciſmo aſſibi, cum Deo. Sic autem ſaepe noſter in laudibus magnorum virorum: *ſui aevi maximus, princeps, eminentiſſimus:* item *ſui & omnis ſeculi optimus.* quae paſſim legenti ſponte occurrent. *Per omnia* vero creberrimum dicendi genus, idemque cum eo quod ſupra tetigi. *In omnia.* Infra cap. 69. *Per omnia repugnans naturae ſuae Caſſius.* Item cap. 100. *Julia per omnia tanti parentis ac viri immemor.* De ipſo Pompejo praeclare multis locis Tullius: ad hunc Velleji appoſite, pro Cornelio. *In quo uno ita ſumma fortuna cum ſumma virtute certavit, ut omnium judicio, plus homini quam decet, tribueretur.* Acidal. *Et paene homine major habebatur.* Vulgatam expreſſi. Rhen. *per omnia majore vi habebatur.* Hinc vir doctus divinat, *per omnia major evehebatur.* poſſet tentari, *per omnia major viro habebatur.* Placet vulgata. Schegk. *Paene homine major.* lectio non incommoda, ſed quae longius recedit a veteri ſcriptura *per omnia majore vi.* quam parva mutatione emendo, *per omnia major aevo:* major iis, qui tum vivebant homines atque aevum agitabant, ait Ennius ſupra de Mario, *magis animi, quam aevi paterni.* Popma. Veniebat aliquando in mentem: *major voto habebatur.* Ita non multo poſt de eodem Pompejo ait Vellejus: *ſuo & civium voto major, & per omnia fortunam hominis egreſſus.* Nunc magis placet: *major aevo habebatur:* Quod & Acidalio in mentem venit. *Major aevo* eſt τῶν συγχρόνων, ſive illis, ut cum veteri poëta loquar: *Qui tum vivebant homines, aevumque agitabant.* Sed veriſſima fortaſſe lectio fuerit, ſi ſcribamus, *major aevi habebatur.* Sic autem locutus Q. Curtius auctor elegantiſſimus; lib. IX. *In oculis duo majora omnium navigia ſubmerſa.* Non enim audiendum puto Acidalium, verba transponentem. Similiter Plinius: *Alexandri magni comites, in eo tractu Indiae, quem is ſubegerat, ſcripſerunt, quinque millia oppidorum fuiſſe, nullum Coi minus.* Quomodo optime emendavit omni laude major Salmaſius. Qui & ibidem ex Tertulliano affert; *partem orbis Aſiae & Africae majorem.* Plura qui deſiderat, adeat illum in Plinianis exercitationibus. Voss. Antea fuerat: *per omnia majore vi habebatur.* Acidalius legit: *per omnia major aevo habebatur.* Arridere poteſt primum aſpicienti ea emendatio; ſed penitus expen-

penſa non carebit dubitatione. Boecler. Haec nihili ſunt: nec refello aliorum conjecturas. quarum audaciſſima illa, quae editiones occupavit nonnullas, *paene homine major habebatur*. Nam quod apud Cornelium Tacitum initio libri Hiſt. iv. habes, *Caeſar Titus perdomandae Judaeae delectus a patre, & privatis utriusque rebus militia clarus, majore tum vi famaque agebat*: illud *majore vi agebat* referendum ad ſuperiora, *quam privatus* ſolebat olim. At hic corrigatur, *major cive habebatur*, vel, quod verius, *civi*. ſic cap. 78. apud hunc ipſum *fuſti* pro *fuſte* in vetuſto codice: *fuſti percuſſit*. *igni* pro *igne* locis compluribus apud eundem noſtrum quoque occurrit. *claſſi* pro *claſſe* cap. 78. ubi vide quae diximus; nec *civi* pro *cive* infrequens apud Ciceronem. Sed in Tullii ac aliorum exemplaribus id corruptum fuiſſe jam ſua aetate Priſcianus conqueritur. Ciceroni e membranis id non ſemel viri docti reſtituerunt. Vid. Voſſ. Patrem de Analog. lib. ii. cap. 12. *Cive major* etiam Fabricius Luſcinus Valerio Maximo dictus lib. iv. cap. 3. etſi diverſo nonnihil ſenſu: *honoribus & auctoritate omni cive temporibus ſuis major*. ubi praeſtiterit, *omni cive temporis ſui*. De potentia vero Pompeji ultra civilem modum ſemet efferente jam ſupra cap. 29. complura his ſimilia habuimus, & inter alia hunc tantum non indignatum, quemquam ſibi aequalem dignitate conſpici in libera civitate, quae omnes cives jure haberet pares. cap. 48. *primum omnium civium* hunc ipſum appellabit. Simile ambitionis crimen Gracchis quoque fratribus Tiberio ac Cajo objicit noſter ſupr. cap. 7. *qui ſi civilem dignitatis modum concupiſſent, quidquid tumultuario adipiſci geſtierunt, quietis obtuliſſet reſpublica*. Nihil igitur invidioſum magis potuit dici, quam ſi cive majorem faceret Pompejum. At Auguſtum Caeſarem Propertius non ſemel vocavit *civem*. Noſter etiam cap. 99. *Tiberium civium poſt unum Auguſtum* facit *eminentiſſimum*; non tamen cive majorem, ne Auguſtum quidem, cui Tiberium deſcribit aequatum. *Trajanum* quoque in Panegyrico Plinii *civem* vocari jam alii obſervarunt. Florus lib. i. cap. ult. *Manlium vero Capitolii vindicem, quia plerosque debitorum liberaverat, altius ſe & incivilius efferentem, ab illa, quam defenderat, arce dejecit.* quod Tacito eſt Ann. i. cap. 12. *plus quam civilia agitare. plus*

quam

quam civilia cupere Calpurnio Flacco Declamat. VI. Pompejus de ſe apud Lucanum aliquanto mitius benigniusque: *Quo potuit civem populus perducere liber, Aſcendi, ſupraque nihil, niſi regna, reliqui. Non privata cupit, Romana quisquis in urbe Pompejum tranſire parat.* Heins. Pontanus I. Elect. 6. prius tentabat, *per omnia major eo aevo h.*, deinde, *per omnia major eo viro habebatur.* *eo viro*, nempe Craſſo. Barth. XVI. Ad. 7. Schegkii veriſſimam putat reſtitutionem, nec minus laudabilem Popmae cenſet. ego ſi in alicujus ſententiam tranſirem, cum Heinſio ſtarem. cogitabam tamen, an non poſſet legi *per omnia majore vi agebatur.* Ut velit aliquid divini & coeleſtis in Pompejo fuiſſe, quod eum impelleret, & per omnia feliciſſimo ſucceſſu *ageret.* nam in ea re proprium hoc verbum: vid. Heinſ. ad Ovid. II. art. 496. ſic, licet paullum alio ſenſu, Val. Flacc. II. 352. *Quo fata trahant, quo regis agat vis.* & diverſa paulum conſtructione VI. 602. — *Illum dea Marte ſecundo Impulit, atque novas egit ſub pectora vires.* Et v. 649. *Nec ſua Crethidem latuit dea, vimque recentem Sentit agi membris.* Quint. Dec. CCCXIV. *Agit aliquis deorum.* Ovid. XV. Met. 750. *quam jam deus ultor agebat.* Eodem fere ſenſu ut *coeleſtem vitam* Sullae cap. 24. *coeleſtem animam* Auguſto tribuit cap. 123. & alibi. *Major* vero *vis* eſt divina, humana major. Ut paſſim etiam in aliis rebus vocatur. *agere* vero & *habere* paſſim in MSS. confundi notum eſt. poſſet & *major vis* ipſius Pompeji, ejusque animi intelligi, qua non languide ſed vehementius agebatur. Ut ita lib. I. cap. 12. de Scipione, qui *bellum Carthagini majore vi intulit.* Mox cap. 36. *tanta vi animi atque ingenii invectus* de Catone: & ita ſtatim dicit in Antonio, *vim non timeri*, contra ac in Pompejo, qui per omnia, etiam extraordinaria imperia, vi majore agebatur. Burm. Gell. IX. II. *Atque ibi vis quaedam divina fit.* Salluſt. Jug. LV. I. ubi v. Cort. Cic. I. Tuſc. 26. *eloquentiam ſine quadam vi majore fluere.* Liv. III. 25. *In Quaeſtoribus novis major vis.* Idem in marg. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 458. nov. Act. Erud. Lipſ. A. 1733. m. Sept. p. 433. 1741. m. Dec. p. 719.

Cum conſul juraſſet.] Vide Appian. I. bell. civ. extremo: ubi reconciliati Coſſ. Pompejus & Craſſus, *exercitus dimiſſionem edixere.* Sigon. comment. in f. & tr.

R. ad ann. DCXXXIII. exiſtimat apud *Zonaram* (t. II. p. 12. in verbis παρῃτήσατο δὲ καὶ τὴν στρατηγίαν) hoc ipſum intelligi. *provinciam ſc. ab eo repudiatam.* BOECLER.

A. Gabinius.] *Qui niſi rogationem de bello Piratico tuliſſet, profecto & egeſtate & improbitate coactus piraticam ipſe feciſſet.* Cicero. SCHEGKIUS.

Belli more non latrociniorum orbem claſſibus jam piratae tenerent.] Malim, *belli more non latrocinii totum orbem claſſibus jam piratae terrerent.* HEINS.

Orbem claſſibus jam, non furt.] *Item claſſibus, jam non furtivis.* Edit. Rhen., alia diſtinctio placet Lipſio, Heinſio & aliis; ſed mihi cum Eraſmo, Manutio & quibusdam aliis haec vetuſtior arridet, & de eleganti uſu illarum particularum *jam non* egimus ad Quinctil. lib. VI. Prooemio. BURM.

Piratae.] De piraticae licentiae origine ſucceſſibusque vide accuratiſſimum Dionem lib. XXXVI. & Plut. in Pompejo. BOECLER.

Quasdam etiam.] *Quasdamque etiam* Ed. Rhen. Eraſmi, Steph. Heinſ. & al.

Imperium aequum cum Proconſulibus.] Terentiana locutio, ita enim Eun. I. 2. *O Thais, Thais, utinam eſſet mihi pars aequa amoris tecum.*

Quo S. C.] Vir Clar. J. Cujacius lib. VII. Obſ. 9. emendat *quo Plebiſcito;* nam bellum Piraticum Pompejo rogatione Gabinia demandatum fuiſſe omnes ſcribunt, & Paterculus ipſe paullo ante dixit, *A. Gabinius* Trib. *legem tulit.* Librarius forte minus diligenter attendit notam P. S. qua *Plebiſcitum* deſignatum, & *Senatusconſultum* ſubſtituit, quod notabant hoc modo S. C. PUTEAN. Aperte falſum, aut Vellejus in mendo. Magnus ille Jurisconſ. in Obſervationibus reſcribit P. S. id eſt *Plebiſcito*, invitis libris, volente veritate. Emendaverim *ſcito.* facili & prono errore imperiti librarii, τὸ *ſcito* in *SCto* mutantis. *Et ſciſcere* ſive *ſcitum* verbum proprie plebis, notum ex Plauto, Cicerone, aliis, immo generale ad omnia decreta pertinens. Livius lib. I. *qua publica, qua privata ſacra Pontificis ſcitis ſubjecit.* Plinius lib. XXXIII. cap. 2. *Nongenti vocabantur ex nominibus ſelecti ad cuſtodienda ſuffragiorum ſcita in comitiis.* a me Lipſius ad Tacitum. Haec uti protuli, opinor: magis, Vellejum peccaſſe, cum & ſtatim Catoni Senatusconſul-

to Cyprum commiſſam recitet. SCHEGK. Viri eruditi, inter quos etiam ſummus J. C. Jacobus Cujacius, pro S. C. reſtituunt hic, P. S. Nimirum quia ſatis conſtat, Gabinio tribuno legem ferente, populum eam ſciviſſe. Ego nil temere mutaverim. Nam licet illud P. S. fuerit, tamen a ſenatu, quamvis invito, comprobatum fuiſſe videtur. Vide Dionem lib. XXXVI. Extant praeterea duo numiſmata, apud Occonem Adolphum, quorum unius inſcriptio: MAGNVS IMPERATOR ITER. PRAEF. CLAS. ET. ORAE MARIT. EX. S. C. *Alterius*: MAGNVS PIVS IMPERATOR ITER. PRAEF. CLAS. ET ORAE MARIT. EX. S. C. Unde colligo, P. S. quoque, quae ſenatus vi approbare coactus, S. C. nomen obtinere. Hinc eſt, quod infra Cyprum S. C. provinciam factam dicat Vellejus. Satis enim conſtat ex Catone Plutarchi, aliisque, & hoc plebiſcitum fuiſſe, ac P. Clodium vi a ſenatu extorſiſſe, ut Cato in eam inſulam mitteretur. Imo & ipſe Paterculus poſtea ait: *Idem P. Clodius in ſenatu, ſub honorificentiſſimo miniſterii titulo, M. Catonem a Rep. relegavit.* Cujacius, aliique viri eruditi, *τὸ in ſenatu*, ab aliena manu eſſe arbitrantur. Ego illuc retineri poſſe puto. Ut P. Clodius in ſenatu egiſſe dicatur, quod ſenatum pro rato habere compulerit. VOSS. Respondent haec Ciceronianis illis Agraria ſecunda. Atque *iidem, quae haec appetunt, queri nonnumquam ſolent, omnes terras Cn. Pompejo, atque omnia maria eſſe permiſſa*: de Piratico & Mithridatico bello. HEINS.

Imperium uni viro.] Plutarchus: *ἔγραψε δὲ Γαβίνιος εἷς τοῦ Πομπηίου συνήθων νόμον, οὐ ναυαρχίαν, ἄντικρυς δὲ μοναρχίαν αὐτῷ διδόντα, καὶ δύναμιν ἐπὶ πάντας ἀνθρώπους ἀνυπεύθυνον.* Adde quae ſequuntur. BOECL.

Sed tamen, eſt.] Aut omnia me fallunt, aut ſcripſit Paterculus tantum, *uni viro deferebatur. Idem hoc ante biennium in M. Antonii Praetura decretum. ſed interdum* &c. omiſſis ceteris invectis a librariorum ultronea largitate. GRUTER. Erratum Velleji, quod in Scholis Salluſtianis lib. III. Hiſtoriar. ſic docui: *Ait Antonio iſtam curationem delatam fuiſſe biennio ante Pompejo demandatum bellum Piraticum: cum Salluſtius eam referat in annum Conſulatus Luculli & Cottae: cujus conſulis, & Cethegi opera, ſcribit Aſconius illum curationem maritimam nactum. Pompejo autem datum fuit majus imperium ſepten-*

 ni-

nio poſt, Piſone & Glabrione Coſſ. Popma. Gruterus duas priores voces omnino irreptitias eſſe cenſet. Mihi non videtur. Mirandum eſſe inquit Vellejus, P. R. adeo libertatis ſtudioſum, uni Pompejo totius maris decreviſſe imperium. Demere tamen admirationem, quod idem hoc ante biennium M. Antonio eſſet decretum, homini non nimis magnae exiſtimationis. Per M. vero Antonium intellige triumviri patrem, qui quamvis adverſus Cretenſes improſpere rem geſſerit, tamen Cretici nomen retulit; ut ex Appiani excerptis legationibus cognoſcas. In Plutarchi Antonio male cognomentum *Critici* ei tribuitur. Quod facile cuivis emendare. Absque hujus hiſtoriae ignoratione fuiſſet, non corrupiſſet Lactantium Thomaſius, lib. I. cap. II. ubi vulgo legas; *cujus regnum tale fuiſſe dicimus, quale M. Antonii fuit infinitum illud imperium, cui totius orae maritimae poteſtatem ſenatus decreverat.* Maluit ille, *Pompeji*, ex quibusdam MSS. Sed, praeter citatos auctores, eum ſatis refellit Cicero Verrina I. cujus ipſis verbis utitur Lactantius. Vide etiam, quae de hoc Antonio ad eandem orationem adnotavit Aſconius Pedianus. Atque hunc etiam innuere videtur Florus lib. III. cap. 8. quod eſt de bello Cretico. Sed more ſuo erravit, quod a Pompejo miſſum dicat, captandae laudis ex aliena provincia. Octavium igitur cum Antonio confundit. Illum enim nominat in hac re Dio, lib. XXXVI. & Plutarchus in Pompejo. Voss. Lego & *tamen:* nam *ſed* proxima periodo rurſus occurrit. Heins. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 42.

Sed interdum perſona, ut exemplo nocet.] Quid noxa exemplorum hic ad rem? Examina. Videbis frigidum hoc totum eſſe aut ineptum. Cenſeo legendum: *Interdum perſona, ut exempla docent, aut invidiam auget.* Hoc ſcilicet per occaſionem, ſententiae modo, addit: Saepe in eadem re aut culpa invidiam majorem minoremve eſſe, & voces attolli aut minui, aſpectu perſonae magis, quam meriti. idque exempla teſtari. Supra hoc ipſum dixerat; *Familiare eſſe hominibus invidiam rerum non ad cauſſam, ſed ad voluntatem perſonaſque dirigere.* Lips. Haec nonnullis frigida aut inepta: itaque emendationibus incumbunt: quae meis tamen oculis minus ſatisfaciunt, quam vulgatum. hoc vult Vellejus; quemadmodum alia atque

alia

alia perſona minus magisve nocet exemplo ſuo; ſic quoque unam eandemque rem huic vel illi majorem minoremve creare invidiam, quo nihil verius; ut pluribus adſtruo ſuis locis. nam omnia huc cumulare, non eſt meum. haud omitto tamen Vellejanum iſtud capitis trigeſimi: *Familiare eſt hominibus, omnia ſibi ignoſcere, nihil aliis remittere; & invidiam rerum non ad cauſſam, ſed ad voluntatem perſonasque dirigere.* GRUTER. Male emendationi incumbebat Lipſius. Senſus eſt: prout quaeque perſona minus magisve exemplo ſuo nocet, ita eandem quoque rem, huic, vel illi parvam, aut magnam, creare invidiam. Quod vidit etiam Gruterus. VOSS. Videtur excidiſſe *res*, vel quid ſimile: *Perſona ut exemplo prodeſt vel nocet, ita rei invidiam aut auget aut levat.* Lipſius *ut exempla docent.* Hoc videtur velle Vellejus, multum referre, in quem conferatur poteſtas magna. Invidioſa Pompejo fuit ea dignitas, cujus potentiam jam ante ſuſpectam Romani haberent; Antonio, qui eodem perfunctus erat honore, invidiam non conflavit, quod is auctoritate minus polleret. *rem* & *perſonam* ſic & alibi conjungit noſter: ut infra cap. 117. *Rei cauſa perſona moram exigit.* ubi annotata noſtra conſulantur, ſi tanti eſt. HEINS.

In Antonio homines.] Malo, *in Antonio id omnes aequo animo paſſi erant.* Hic eſt ille M. Antonius, cujus infinitum per oram Romani orbis maritimam imperium taxat in Verrinis Tullius, qui nequam & ipſe, & peſſimis uſus comitibus, indicto temere Cretenſibus bello & re male geſta, ipſa expeditione morbo extinctus eſt, depopulatus jam ante Siciliam & provincias omnes, cum gratia factionibusque Cottae conſulis ac Cethegi hunc honorem eſſet adeptus. Haec fere de illo Aſconius Pedianus ad Verrinas loco non uno: qui & teſtatur a Salluſtio hunc ipſum deſcribi, ut perdundae pecuniae genitum & curis vacuum, niſi inſtantibus. HEINS.

Cum diſſuadens legem.] Vide quantum ex egregia oratione Catuli apud Dion. XXXVI. ſupereſt. Vellejus noſter ipſam vim conſilii complexus eſt: *Eſſe & Optimatibus & Populo valde periculoſum, ſi uni alicui extraordinaria, aut ſumma, aut crebra poteſtas deferatur: cum praeſertim Pompeji magnitudo jam nimia ſit, & πρὸς ἰσότητα δημοτικὴν ἀσύμμετρος,* ut Plutarchi voce utar. Quales ni-

nimium obſervandos eſſe cavendosque in rep. libera, peritiſſimi quique Politicorum monent. Ariſt. III. Pol. 9. poteſt quodammodo ad Vellejanam de Pompejo ſententiam accommodari, quod de Manlio Livius judicat VI. 20. quem *virum* vocat, *niſi in libera civitate natus eſſet*, *memorabilem*. Boecl.

Sed nimium jam liber aere reipb.] Inepta Bureri conjectura, quis ita umquam locutus, *libere imperare reipubl.?* *nimius* Reipb. eſt intolerabilis, incivilis, impotens. v. Acron. ad Horat. II. Od. 12. Salm. ad Vopiſc. Aur. 32. Gron. ad Senec. Agam. 84. Heinſ. ad Claud. Bell. Get. 118. & alios. [pro *jam* Warburton. *regiam*, Bibl. Brit. T. VII. p. 275.] Burm.

Reponenda.] Vid. ad cap. 112.

Si quid huic acciderit.] Verba ſollemnia vitandi ominis in mortis mentione. Sueton. extremo Auguſto: *Julias filiam, neptemque, ſi quid his accidiſſet, vetuit ſepulchro ſuo inferri.* Indubie huc ſpectat fragmentum illud e lib. v. hiſtoriarum Salluſtii, *nam ſi Pompejo humani quid eveniſſet.* quod etiam nobiliſſimo Douzae in mentem veniſſe jam video: narrat hiſtoriam Plutarchus & Valerius. Schegk.

Subſtituetis.] *Subſtituitis* Edit. Rhen. Eraſm. Steph. non male.

Adverſarium voluntatis.] An non rectius *voluntati?* Ut *s* repetita ſit ex ſequenti *ſuae*. Burm. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 42. 375. V. IX. p. 156.

Per idem tempus Cotta.] Immo biennio ante, Pompejo & Craſſo Coſs. quod actiones in Verrem, aliaque teſtantur exempla. Itaque cogor hic, niſi vitioſi libri ſunt, Velleji diligentiam requirere. Manut. Confer. II. 6. I. II. 13. 2. De re tota late Sigon. antiq. jur. civ. Rom. II. 18. Boecl.

Inter utrumque ordinem.] Diſſentit a Pediano, & aliis: qui inter tres ordines a Cotta communicata judicia tradunt. Manut. Senatorium puta, & equeſtrem. Equeſtri annumerat Cl. vir Ant. Auguſtinus Tribunos aerarios teſtimonio Plinii lib. XXXIII. cap. 9. Hoc magis Livius lib. XCVII. ad equites ſolos translata judicia conſtanter aſſeverat. Schegk. Aliter hoc ſe habere certum eſt, nec inter duos ordines, ſed tres diviſum a Cotta judicandi munus. Neſcivit, aut neglexit Vellejus? vix

cre-

credam. magis de vitio: ſcribamque, *inter ordines partitus eſt.* Statim etiam malo cum Aldo, *loca conſtituit*: aut, *inſtituit.* Nam certe Otho rei ejus primus auctor. LIPS.

Horoſcius lege ſua equitibus in theatro loca reſtituit.] Legem Roſciam theatralem quis jam, qui modo hiſtoriam quamvis leviter attigerit, ignorat? teſtis Cicero, Pedianus, Plinius, alii. Ut monere lectorem de reponendo *L. Roſcii* nomine, extruſo *Horoſcio* putidum paene videatur. Id etiam adulterinum puto, *loca reſtituit*: quaſi eadem equites antea habuiſſent. quod falſum eſt. primus enim Roſcius hoc ſua lege induxit. Itaque vel *conſtituit*, vel, *diſtribuit*, rectius opinor. Nec diſplicet, quod Puteanus pro *Horoſcius*, *Otho Roſcius* reponit: familiare enim eſt Vellejo, cognomina praeponere nomini gentilicio, ut, *Mancinus Hoſtilius*, *Carbo Papirius*, *Lepidus Aemilius*, *Scaurus Aemilius*, *Saturninus Appulejus*, *Ofella Lucretius*, *Marcellus Claudius*. MANUT. Aldus Manutius in hunc locum pro *Horoſcius* reponit *L. Roſcius*, quomodo etiam prior repoſuit Andr. Patricius in Fragm. Ciceronis ad Orat. de L. Othone. Ego autem lego *Otho Roſcius*, & certe propius, quam illi, a veſtigiis veteris lectionis abſum, quae eſt hujusmodi, *ut Horoſcius*. Illi enim particulam *ut* omiſere. Quod praeterea dicit verbum *reſtituit* adulterinum eſſe, haud facile ei conceſſerim: nam & Cicero in Muraena; *L. Otho*, inquit, *vir fortis*, *meus neceſſarius Equeſtri ordini reſtituit non ſolum dignitatem, ſed etiam voluptatem. Itaque lex haec, quae ad Ludos pertinet, eſt omnium gratiſſima, quod honeſtiſſimo ordini cum ſplendore fructus quoque jucunditatis eſt reſtitutus.* Et Aſconius in Corn. I. *Lex Roſcia eſt, qua L. Roſcius Otho biennio ante confirmavit, ut in Theatro Equitibus Romanis* XIV. *ordines ſpectandi gratia darentur.* ubi vocem, *confirmavit*, expendendam arbitror. Quibus adductus ſum, ut ſuſpicer, non primum lege Roſcia equites ſeparata a plebe ſubſellia habuiſſe, verum antea quoque. Sed ex quo tempore, vel quo auctore, difficile eſt affirmare. Hoc tantum conſtat, nonniſi poſt Senatoria loca a populo diſcreta, de quo Livius I. 34. & Aſconius illo loco; nam antea promiſcue ſpectabant, quod vel equitum ignavia, vel plebis inſolentia amiſſum, Othonem longo in-

intervallo retuliſſe ex his tentari poteſt. PUTEANUS. Lipſius hic putat *inſtituit.* RAPHEL. *Conſtituit*, aut *diſtribuit*, ſuadet vir doctus, nullus perſuadet. Cicero de illa ipſa agens, *L. Otho*, ait, *vir fortis*, *meus neceſſarius*, *equeſtri ordini reſtituit non ſolum dignitatem*, *ſed etiam voluptatem. itaque lex haec*, *quae ad ludos pertinet*, *eſt omnium gratiſſima*, *qua honeſtiſſimo ordini cum ſplendore*, *fructus quoque jucunditatis eſt reſtitutus*: Pro Muraena. Vides hoc verbum bis repeti, nec fruſtra. in vario namque ſignificatu veteribus praepoſitio, *Re*. Hinc apud Tacitum lib. 1. Annal. legas, *remittere*, pro *permittere*: *Remiſit*, inquit, *Caeſar adroganti moderatione*, ut notavit vir nunquam ſatis laudatus Cujacius Obſervat. lib. XXI. cap. 29. De L. Roſcia, quae tantum de ſcena, non Curulibus ludis caverat, quaedam non e vulgo, vir omnia doctus Lipſius, ad Taciti lib. 1. Addo loca ipſa *Equeſtria* dicta; hinc ſedere in Equeſtribus ex ſimplici & puro in obſcenum detorquet ſenſum ancilla Chryſis apud Petronium: *Viderint matronae*, *quae flagellorum veſtigia oſculantur. ego etſi ancilla ſum*, *numquam tamen*, *niſi in Equeſtribus ſedeo.* Et Quatuordecim abſolute. Idem: *Ex hac nota domina eſt mea*, *usque ab Orcheſtra quatuordecim tranſilit*, *& in extrema plebe quaerit quod diligat.* Ex aliis nulla profero conſulto. SCHEGK. in MS. erat: *ut Horoſcius.* Lege: *Otho Roſcius.* Nam *Otho* cognomentum Roſcii, ut ex Cicerone, Horatio, & aliis, conſtat. Familiare autem Vellejo cognomina praeponere. Schegkio ex conjectura Cl. Puteani editum: *Et Otho Roſcius.* Nos rectius particulam, *&*, induximus. VOSSIUS. Rurſus vid. Sigon. de antiq. jur. R. C. II. 19. BOECL.

Multis & praeclaris viris.] De legatis capiendum. Nam lege Gabinia continebatur etiam, ut multis legatis (*πολλοὺς ὑποστρατήγους Dio* vocat) uteretur Pompejus. Plutarcho πρεσβευταὶ dicuntur, expreſſo numero XVI. Appianus ὑπηρέτας ἀπὸ τῆς βουλῆς, οὓς καλοῦσι πρεσβευτὰς, numerat XXV. Florus, *plures legatos atque praefectos* memorat III. 6. 8. e quo capite adſcriptisque a Camerte Auctoribus totius belli Piratici hiſtoriam petas licet. BOECL.

Brevi, &c. *terrarum orbem liberavit.*] Diſtincte Florus: *Quid prius in hac mirere victoria? velocitatem*, *quod* XL. *die parta eſt? an felicitatem*, *quod ne una quidem navis*

vis amiſſa eſt? an vero perpetuitatem, quod amplius piratae non fuerint? SCHEGK.

Per multa proelia a multis locis victos.] Primae editioni abeſt vox *proelia*. Addita explendae ſententiae videtur. & fortean fuit, *per multos*, *multis locis*, per multos, legatos nempe Pompeji & duces. LIPS. Prima editio, *praedoneſque per multa a multis locis victos.* ut videri poſſit, prius fuiſſe, *praedoneſque permultis locis victos.* GRUTER. Mutant, quod vox, *proelia*, in editione principe deſideretur. Ego eam retinendam puto. Videtur enim fuiſſe in MS. quantum ex Variantium Burrerii lectionum appendice colligo. Imo & *ac* immittendum ex marginali MS. lectione: nam in ipſo MS. erat *a*. Hoc pacto: *praedoneſque per multa proelia, ac multis locis victos.* Sic infra: *omnia, & omnibus locis, igni ferroque vaſtata.* Item, *revocati undique, & omnes veterani.* Ita ibi ſcribendum monemus. VOSS. *A multis* ſcriptus liber. Lege, *per multa praelia jam multis locis victos.* poſtea bene idem ſcriptus, *ſunt qui hoc carpant.* non *hunc*, nec debuit mutari. HEINS. Forte ſcripſerit, *per multa loca a multis victos, circa Ciliciam adgreſſus* &c. Victos antea ſingulos a legatis ſuis in diverſis locis, deinde univerſos aggreſſus fuit. BURM.

In urbibus.] Aut illud, *in urbibus*, ſupervacuum eſt, aut ſequens, *in certa ſede*. GRUTER.

Remotoque a mari loco.] *Remotoque mari loco* Edit. Rhen.

Sunt qui hunc carpant.] Momenti fere nullius eſt, quod dicam: dicam tamen *hoc* legi ſincerius. ACIDAL. Scribo, *hoc carpant*. LIPS. Lege *hoc*. Sic Editio Gryphiana, aliaeque eam ſecutae. VOSS. *Hoc* Edit. Rhen. & optima quaeque.

Tamen ratio.] *Tum ratio* Edit. Rhen.

Rapinis arcuit.] Florus quoque *ſingulare* hic *ducis conſilium* agnoſcit: *qui maritimum genus a conſpectu longe removit maris, & mediterraneis agris quaſi obligavit.* Quae translatio nationum hominumque ferocium ex asſuetis ſedibus in diverſae indolis loca, etiam alibi arcanis firmandi imperii ſtabiliendaeque tranquillitatis ſervit. BOECL.

Et L. Lucullus.] Vetus editio: *cum & L. Lucullus*, &c. Quod cur rejicerent, nulla erat cauſa. VOSS. Ita Eraſmus & Steph.

Qui ante ſeptem annos.] Solenne eſt Vellejo dicam, an exſcriptoribus Velleji, per magnas parentheſes orationem ſuſpendere. id quod aliquando non caret moleſtia. Ceterum, quae de *Lucullo* hic tanguntur, perſcripta lege apud Plutarch. in Lucull. Appian. Mithridat. Dion. xxxv. Flor. III. 5. &c. BOECL.

Ex conſulatu.] Licet haec lectio non diſpliceat, magis tamen placeret, ſi ita legeretur: *qui, ante ſeptem annos ex S. C. ſortitus eſt Aſiam*, &c. nam in antiqua editione eſt, *ex Coſ.* quod videri poteſt factum ex, *ex S. C.* quae uſitata erat formula in decernendis provinciis. URSIN. Urſinus legit, *ex S. C.* Sed vulgata lectio mutari non debet. Vellejus infra cap. 78. *Domitius cum ex conſulatu obtineret Hiſpaniam, graviſſimi, comparandique antiquis exempli, auctor fuit.* Ita & Cicero in Bruto: *Cotta ex conſulatu eſt profectus in Galliam.* Item Valerius Maximus lib. III. cap. 7. *Cum ex conſulatu provinciam Galliam obtineret.* Quod Colerus non intellexit. Sed perinde eſt, *ex conſulatu*, ac ſi *conſul* dixiſſet. VOSSIUS. Membrana *ex Coſ.* hoc eſt, *ex conſule.* quamquam & alterum probum eſt, de quo Voſſius plura. Pari modo variant codices apud Val. Max. lib. III. cap. 7. *Cum ex conſulatu provinciam Galliam obtineret.* Sueton. Vitel. 2. *ex conſulatu Syriae praepoſitus.* HEINS. Sic *ex praetura* Caeſar I. de Bell. Civ. 31. ubi alii *Praetor.* v. Daviſii notas. & ad cap. 46.

Mithridatem.] *Mithridaten* princeps editio: ut & alibi. tum mox *Tigranen* & *Xerxen.* & cap 46. *Euphraten.* cap. 82. *Artavasden. Limyran.* cap. 102. *Segeſten* cap. 108. & ſic fere ſcribendum ubique in Graecis nominibus opinor. Certe libri perveteſti epiſtolarum Plinii, Gellii, aliorum, paſſim *Demoſthenen*, *Sophoclen*, & ſimilia. *Aenean*, *Anchiſen* in antiquiſſimis membranis apud Maronem ubique invenies, etiam apud Curtium vetuſti codices Graeca nomina ſic exhibent ubique ſcripta. haec quamquam leviora, non tamen eſſe praetermittenda nobis videbantur. HEINS.

Cyzicum.] De bello dixi. De Cyzico nobiliſſima & Romanis amiciſſima Aſiae urbe Cicero, pro L. Manilia, Muraena, Oroſius. SCHEGK.

Pecuniae expellebatur cupidine.] Scripſit aliter Vellejus: quod facile poſſum affirmare, quid autem ſcripſerit

rit, vix poſſum. Placuit aliquando: *explebatur* ob ſimilitudinem litterarum: nunc video, cum pecuniae cupidine, quae in Lucullo nimia ſignificatur, ſatis non congruere. Vitium enim avaritiae perſpicue notat in Lucullo Vellejus. MANUT. Mancus Aldi conatus, ipſo fatente. Vide ſi ego fortius, *excellebatur*. id eſt, ſuperabatur. Mihi quidem verius, ſed & literis ſimul quod vim minorem inferat, excogitari nihil poſſe videtur. ACIDAL. Unde *expellebatur?* aut qui convenit hoc verbi? Lego, *debellabatur*. Vir, inquit, ab hoſte invictus, a pecunia vincebatur. LIPS. Videtur novo verbo uſus auctor, ac ſcripſiſſe *pecuniae exbellabatur cupidine*. Per analogiam profecto aeque ita dixeris, atque *expugnare*. GRUTER. Verbum *expellebatur*, quod nonnullos offendit, in eo quidem judicio non male hic convenit; Lucullus, inquit, vir laudabilis & bello invictus, pecuniae cupidine ex provinciis expellebatur, dum modo hos, modo illos populos aut reges invadit, & ſic bellum trahit: quo nomine male audiebat, ut teſtatur Plutarch. in vita. POPMA. Lipſius legit *debellabatur*: Acidalius, *excellebatur*; i. e. ſuperabatur: Gruterus nova voce, *exbellabatur*. Si quid mutandum, Lipſiana emendatio per omnia ceteris melior eſſet. Sed quae illa neceſſitas correctionis? Certe *expellebatur* provincia rebellione militum & calumniis inimicorum, ipſiusque Pompeji ambitione: expellebatur, inquam, Pompejusque non tam belli, quam triumphi ſucceſſor mittebatur. quod factum non eſſet ſc. *niſi milites propter avaritiam ſibi infenſos habuiſſet*. Lege Plutarchi Lucullum, ubi clare notantur, quae innui. BOECLER. *Debellabatur* Lipſius. Alii alia. Popma *expellebatur* cenſet tuendum, cujus interpretamentum ſatis eſt frigidum. Lege *impellebatur*, praeceps agebatur. tale Maronianum illud, IV. Aen. 22. *Solus hic inflexit ſenſus, animumque labantem Impulit*. Et Lucani de Pompejo I. 132. *Totus popularibus auris Impelli*. Sic milites *impulſi* dicuntur in praelio, qui loco moventur, & *janua impelli*, quae violentum in modum aperitur. Tacitus Hiſt. II. cap. 63. *ne allevaſſe videretur, impulit ruentem*. cap. 100. *Nec ſciri poteſt, traxeritne Caecinam, an eadem illos pravitas impulerit*. Hiſt. IV. cap. 78. *legio una & viceſima ſuſtinuit ruentes, mox impulit*. idem denuo Ann. III. cap. 69. *Atque ille prudens moderandi, ſi propria ira non* im-

impelleretur. idem Ann. XII. 46. *Pollio occulta corruptione impellit milites.* Hiſt. I. cap.19. *ut quemque metus vel ſpes impulerat. Juvenili impelli licentia* apud Petronium. Lucanus lib. VII. *Nec plura locutus Impulit amentes aurique cupidine caecos.* Livius lib. XXVII. cap. 15. *Is certior factus ſororis litteris de conſuetudine advenae locupletis, ſpem nactus quolibet impelli amantem poſſe.* Seneca de Ira lib. II. cap. 23. *Quid quod non criminationibus tantum, ſed ſuſpicionibus impellimur.* HEINS. [V. Heinſ. ac Graev. T. IV. Epiſt. 295.] *Impelli pecunia*, quin recte dicatur nullum eſt dubium, ſed alio ſenſu, & cui hic non reſpondet *τὸ invictus:* ego mallem *expugnabatur.* eodem fere ſenſu Propert. III. XI. 9. *Haec etiam clauſas expugnant arma pudicas.* Et uſitatam eſſe in his & ſimilibus locutionem, invictos Marte & bello, vinci & ſubigi luxuria, avaritia, &c. docuimus ad Petron. cap. 55. *expellebatur*, nihil hic ſignificat: niſi quis inter ſingularia Velleji duriſſimam hanc locutionem referat. BURMAN. V. Graev. Ep. Syll. T. IV. p. 368. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 42. 376. V. IX. 256.

Alienae miniſter potentiae.] Tales plerique tum tribuni, qui decus ac libertatem populi, cujus cuſtodes eſſe debebant, alienae potentiae gratificabantur. Itaque nemo immoderata nimiaque concupivit aut molitus eſt, quin tribunis plebis tanquam ſatellitibus pravae lubidinis, ad opprimendas leges, capiendamque vi remp. uteretur. Obſervabunt autem ſtudioſi prudentiae iterum hoc loco, veriſſimum eſſe in Rep. quod Ariſtoteles in Philoſophia poſuit: *uno abſurdo dato, cetera accidere.* Nimium reip. liberae & in certiſſimum libertatis praejudicium erat iturum, cum ad bellum Piraticum tanta Pompejo tamque monarchica poteſtas deferretur, nunc, ne quid ad abſoluti dominatus ſpeciem deeſſet, continuatur, augetur, ſuppletur illa Potentia. Dum enim lege Manilia Luculli legiones & Provinciae, Bithynia item, i. e. quaecunque antea non habuerat, decernuntur, claſſisque & imperium maritimum continuatur; quid hoc aliud erat, quam uni ſemel imperium Romani orbis tranſcribere: τοῦτο δὲ ἦν, ἐφ' ἑνὶ συλλήβδην γενέσθαι τὴν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν, inquit Plutarchus in Pomp. ὅπερ οὐδενί πω παντάπασι πρὸ τοῦδε ὁμοῦ πάντα ἐδόθη, notante Appian. Mithrid. p. 238. Vide tamen callidas aſtutaſque rationes, quibus in-

inducti duo ſummi viri Cicero & Caeſar hanc legem Maniliam probarunt atque defenſarunt, apud *Dion.* XXXVI. pag. 23. videbis eadem opera, Remp. Romanam non fuiſſe jam rem publicam. Boecl. *Impotentiae* Warburt. Bib. Brit. T. VII. p. 276. Burm. *in marg.*

Infamiam] Puto rectius, *infamem*: & refero ad cupiditatem. Lips. Malim cum Lipſio *infamem*, ut *cupiditatem* ἀπὸ κοινοῦ intelligas. Voss. Non concoquo illam *pecuniae infamiam.* τὸ *in* paſſim ſupervacuum apparet in Vellejo culpa librarii, quod alibi jam pluribus demonſtratum. ut primo videatur ſcriptum fuiſſe *famiam.* unde fecerim, *famem nimiam pecuniae.* ſic *fames habendi creſcebat* apud Pacatum in Panegyrico cap. 25. *fames honorum inexplebilis* Floro lib. III. cap. 21. *auri ſacra fames* Maroni. *imperioſa fames auri*, auctori Panegyrici ad Piſonem. Potuit & ſcripſiſſe Vellejus *pecuniae inſaniam.* Idque verius opinor. Apud Plin. lib. IX. Hiſt. Nat. cap. 36. *Quapropter excuſata ſit purpurae inſania*, quia inſano pretio purpura redimebatur. Sic apud Tullium *inſaniam villarum* habes pro nimis ſumtuoſa villarum ſtructura, Epiſt. 17. lib. III. & *inſaniam orationis* in Bruto. *Inſulſitatem enim & inſolentiam, tanquam inſaniam quandam orationis, odit.* Seneca de Beneficiis lib. I. *nunc in crudelitatem publicam ac privatam ibitur, bellorumque civilium inſaniam. Ferri inſaniam & furorem bellum civile* Lucanus dixit initio Pharſaliae ſuae. *Inſanae fundi ſubſtructiones* apud eumdem Ciceronem pro Milone, & *inſanire in puellis*, apud Horatium pro amare puellas inſanum in modum. *Infamem pecuniae cupiditatem* conjectabat Lipſius. Sed Lucullus aeque prodigus pecuniae ac appetens habebatur. hoc *inſaniam pecuniae* Vellejus vocat. de qua Luculli prodigalitate plura poſt ſubſequuntur. Heins. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 43.

Ne uterque ab eo.] Si diligenter attendatur, patebit *arguebat* eſſe rectius, alii, *qua arguebatur.* Manut. Stabile mihi, legere: *neuterque adeo*, quae vox eodem forte modo corrupta inferius cap. 57. eodem reſtituenda. Ubi de Caeſaris nece: *Et libelli conjurationem nuntiantes, dati, ab eo neque protinus lecti erant.* Nam profecto efficacior oratio: *Et libelli conjurationem nuntiantes dati adeo, neque protinus lecti erant.* Hoc primum. Deinceps eſt, *quod arguebatur.* id ego potius quam retineam, mu-

tem

tem vel, *quod arguebat, id mentitus argui poſſet*: vel *quod arguebat, ut mentitus*. Sic addetur *ut* (eſt autem, quaſi) leniendi criminis: & praeter hoc, ſaepe ita παρέλκει. Ad alios non abeo, in noſtro maneo: qui infra cap. 80. *totam victoriam ut ſuam interpretaretur*. Item cap. 109. *Interdum ut ſupplicem commendabant, interdum ut pro pari loquebantur*. Non procul a principio hujus libri; *At nunc ſi quis tanti habitet, vix ut ſenator agnoſcitur*. Acidal. Nihil muto: frequens antiquis patiendi verbum agendi ſignificatione. Schegk. Vide num verius, certe clarius: *neuterque adeo, quod arguebat, mentitus argui poſſet*. Neuter falſus convinci arguique in eo posſet, quod arguebat. Uterque utrique veram culpam objiciebat. Lips. Putidum eſt doctiſſimos viros hic implicari circa gloſſam: nam nihil ſimilius vero, quam manasſe a calamo Velleji *neuterque mentitus argui poſſet*, adſcitumque a ſcriba aliquo, *ab eo quod arguebatur*. Belle prorſus: belle, niſi & Tacitus ſcripſiſſet lib. I. Hiſt. 34. *mox quaſi rixantes ſtupra & flagitia invicem objectavere: neuter falſo*. Grut. Lego, *arguebat*. Voss. Mihi inter correctiones ceteras ea maxime placuit, quam in textum recepi. *quo arguebatur*, cujus & Aldus mentionem fecerat. Boecler. Reor fuiſſe, *neuterque eo, quod arguebat, ut mentitus argui poſſet*, vel *Neuterque adeo*. Viderunt ex parte homines eruditi. Thom. Munckerus, *Neuterque ab eo, qui arguebat*. quod meae conjecturae praetulerim. Joh. Ortuinius, *Neuterque in eo, quo arguebatur, mentitus argui poſſet*. Similia illa Taciti de Othone & Vitellio, Hiſt. lib. I. cap. 74. *mox quaſi rixantes ſtupra & flagitia invicem objectavere, neuter falſo*. quod ſequitur *quenquam animo parem tulit*, non eſt mutandum cum Lipſio. *ferre animo*, ut *aequo & iniquo animo ferre*. Heins. Excidiſſe dimidiam vocem puto, & legendum, *neuterque ab altero quod arguebat, mentitus argui poſſet*, neuter poſſet ab altero argui mentitus, illud quod arguebat. *altero* interceptum fuit, partim a praepoſitione *ab*, partim ultima pars abiit in *eo*, ita ut reſtiterit *ab eo*, pro *ab altero*. Burm. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 43. 459.

Ut primum ad Remp.] *Ut primum Remp. adgreſ.* Edit. Rhen. Et recte: *adgredi* enim *remp.* poſſet & capi pro invadere hoſtili animo. ſic Cicer. II. ad Q. Frat. 12. *adgredi ad hi-*

hiſtoriam, & ita fere ſemper, ubi pro incipere utitur; & ſimiliter *accedere ad rempb.* dixit Cicero & Nepos Conon. I. BURM.

Quemquam animo parem tulit, & in quibus rebus primus eſſe debebat, ſolus eſſe cupiebat.] De re notiſſimum hoc Lucani. *Nec quemquam jam ferre poteſt Caeſarve priorem, Pompejusve parem.* Cui reſpondet Florus lib. IV. cap. 2. *Nec hic ferebat parem, nec ille ſuperiorem.* Queritur & ipſe Caeſar lib. I. belli civilis. *Ipſe Pompejus ab inimicis Caeſaris incitatus, & quod neminem dignitate ſecum exaequari volebat.* Noſter paullo ante: *Civis in toga, niſi ubi vereretur, ne quem haberet parem, modeſtiſſimus.* Ibidem: *In civitate libera dominaque gentium, indignari, cum omnes cives haberet pares, quemquam aequalem dignitate conſpicere.* De verbis: hoc muto: *quemquam omnino parem tulit.* neque quidquam verius. Eadem vox infra, cap. 48. ſimiliter deſtructa, iterum aſtruenda. De C. Curione: *Cujus animo voluptatibus vel libidinibus neque opes ullae, neque cupiditates ſufficere poſſent.* Lego: *Cujus omnino volupt.* hoc tamen incertius; ſed aliis forte: mihi ſane certum. Sunt item Apulei loca aliquot in eodem mendo: quae ad iſtam faciem mihi jam pridem emendata, nunc hoc ipſo quaſi digito aliis demonſtrata, non vereor, ne noſtris *Quaeſtionibus* praecipiantur. ACIDAL. Animorum ergo inſpector & arbiter Pompejus? non opinor. nec hoc illi aegre, ſi quis animo aequaretur, ſed ſi re & ſpecie externa. Fortaſſe, *omnino*, pro *animo* legendum. Quid ſi etiam vox alia incluſa in ſimili priore? ut ſit *quemquam aequo animo parem.* LIPS. Haud neceſſe videtur aliquid hoc loco novare. nam ut haud fuerit Pompejus animorum inſpector & arbiter, poterat tamen de eis judicari ex actionibus hominum eorundem. GRUT. Alii corrigunt: *q. omnino parem tulit.* Gruterus vulgatam tuetur: quae minus interim mihi probatur, ſi *parem animo*, dicatur Pompejus gravatus eſſe. Videtur enim potius voluiſſe Vellejus: *Pompejum neminem parem aequo animo tuliſſe.* BOECLER. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 459.

Debebat.] Divino, *eſſe havebat.* LIPS. Non video, cur primus eſſe debuerit Romae Pompejus. quare ſuſpicor, illa, *eſſe debebat*, aliunde invecta; & repetendam vocem, *cupiebat*; tanquam expreſſiſſet, *in quibus rebus cu-*

cupiebat eſſe primus, cupiebat eſſe ſolus. Gruter. Ita Cicero loquitur I. Offic. 19. ubi de nimia principatus cupiditate agit. *ut quisque animi magnitudine maxime excellit, ita maxime vult princeps omnium, vel potius ſolus eſſe*. Boecl. Quia *remp*. videmus praeceſſiſſe paullo ante, τὸ *rebus* hic videtur inconcinnum. Forte dederit Vellejus, *& in qua is urbe primus eſſe debebat, ſolus eſſe cupiebat*. nam *eſſe havebat* Lipſianum minime placet. nec Grutero opera ſucceſſit. Debebat primus eſſe Pompejus in urbe, quia nemo illi par rebus praeclare geſtis. Heins. *rebus* defendit Wopkens Tull. Lect. I. 17. Burm. *in marg*. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 43.

Ut qui eos.] Scribe *libentiſſimo*. Exin quadra orationis poſtulat: *& quod cupiſſet, arbitrio ſuo ſumeret, alieno deponeret*. Quod tamen non quivis mihi aſſentietur: ſed is demum, qui diligenti veterum, quique minus veterum accurate ſcripſere, auctorum lectione probe ſubactum habeat ingenium. Acid. Lego, *& qui eos*; item, *ſumeret*. Haec ipſa autem Cato de Pompejo jam mortuo apud Lucanum in IX. 198. — *invaſit ferrum, ſed ponere norat. Praetulit arma togae, ſed pacem armatus amavit. Juvit ſumpta ducem, juvit dimiſſa poteſtas*. Lips. Alii, *& qui eos*. quod praeplacet. Boecler. *Ut qui eos*, Thomas Munckerus malit. & ſic editiones omnes, a quis hic operae typographicae receſſerant. Heins. Forte, *at qui eos, ut* &c. nam illud *ut*, tam brevi intervallo geminatum, merito offendit. Burm. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 44.

Et Lucullus, ſummus alioqui vir.] Leges, *at Lucullus*. ſive mavis. *Set Lucullus*. Hoc quoque mendae genus alibi multis exemplis perſequor. Acidal. Lege *at Lucullus*. Heins.

Profuſae.] De profuſione in aedificando Cicero de Offic. Varro lib. III. de re Ruſtic. de luxuria Athenaeus lib. VI. Schegk.

Convictibusque.] Planius eſſet, *Conviviisque*. Manut. Perperam Aldus, *conviviisque*. Nam alterum idem eſt. Sic Juvenalis Sat. XIII. *Convictus, thermae, ſtationes, omne theatrum De Rutilo*. Ita omnes libri impreſſi, & noſter MS. optimae fidei. Ubi etiam gloſſa adſcripta τὸ *convictus* interpretatur *convivia*. Nolim itaque Li-

pſium

pſium audiri, qui ex unico codice MS. emendat, *conventus*. vocabulo eadem ſignificatione uſus etiam Valerius Maximus, lib. II. cap. 7. *Interdixit etiam ei convictum hominum, uſumque balnearum.* Vide locum. Item Tacitus II. Annalium: *Atque interim Libonem ornat praetura, convictibus adhibet*; &c. VOSS. Ita confundi *convictus* & *convivia* vidimus ad Quinctil. VI. Inſtit. 3. ubi *convivia* praetulimus: hic vero *convictibus*, facile patimur: latius enim patent. quamquam & *convivium* συμβίωσιν dixere. ut Vopiſc. in Bonoſo, 15. ſed hoc rarius. BURMAN.

Suffoſſis montibus.] Sic M. Varro de Re Ruſt. cap. 17. *contra ad Neapolim*, inquit, *L. Lucullus, poſtquam perfodiſſet montem, ac maritima flumina immiſiſſet in piſcinas, quae reciproce fluerent, ipſe Neptuno non cederet de piſcatu.* BURM.

Haud infectae.] [Cic. II. de Off. 14. *C. Canius Eques Rom. nec infacetus, & ſatis litteratus.*] Forte, *haud inepte*. BURM.

Xerxem togatum.] In Plutarcho leges, cognomen hoc jocoſum Lucullo inditum a Q. Aelio Tuberone. LIPS. Vide Plutarchum in Lucullo, ubi & de molibus mari injectis, &c. Idem Scriptor, non *a Pompejo*, ſed a *Tuberone Stoico*, *Xerxem togatum* eſſe appellatum memorat. quanquam & Plinius cum Noſtro facit IX. 54. *Lucullus exciſo etiam monte juxta Neapolim majore impendio, quam villam aedificaverat, euripum & maria admiſit. Qua de cauſſa Magnus Pompejus Xerxem togatum eum appellabat.* BOECLER. *Xerſen* Edit. Rhen. Eraſm.

Creta inſula.] Arx altera praedonum, prius malo Reip. a M. Antonio tentata. Livius lib. XCIX. Valerius, Plutarchus in Pompejo, Dio, alii. SCHEGK. Vide de bello Cretico Florum III. 8. & quos ibi *Camers* notavit. quibus adde Dion. XXXVI. *principio*. Plutarch. in Pomp. BOECLER.

Ab hujus quidem uſura gloriae temperavit.] *Uſura gloriae* repoſui, cum antea legeretur: *uſurae gloria*. MANUT. Sic eſt emendatum ab Rhenano, ſi modo ipſe eſt auctor notarum, quae ſunt in ora primae editionis Baſileenſis. PUTEANUS. Ex Epitome Liviana poſſet ita legi, *ab hujus uſura gloriae vix temperavit animum Cn. Pompejus.* URSINUS. *Ne* abeſt ab editione Rhenan. & mox, *qui victoriae*, habet.

Ci-

Cicero, qui omnia incrementa ſua ſibi debuit.] Hinc ipſe Tullius in L. Piſonem: *Me cum quaeſtorem in primis, aedilem priorem, praetorem primum, cunctis ſuffragiis populus R. faciebat; homini illi honorem, non generi: moribus, non majoribus meis, virtuti perſpectae, non auditae nobilitati detulerunt.* Item Philipp. VII. *Quid enim non debeo vobis, Quirites, quem vos a ſe ortum hominibus nobiliſſimis omnibus honoribus praetuliſtis?* Sed & aliis locis ita de ſe, ut eſt hominis ingenium, frequentiſſime. ACIDAL.

Vir novitatis nobiliſſimae.] Hac quidem forma ſermonis nulla eſt alia Vellejo familiarior: cujus exempla ſi velim adſcribere, neceſſe habeam omnes fere paginas exſcribere. ACIDAL.

Sergii Catilinae.] Catilinarium hoc bellum ſcripſit Salluſtius egregio opere, Florus IV. I. ubi Camers. cujus annotatio augeri poteſt nominibus Dionis XXXVII. L. Ampelii lib. memoriali ſub titulo: *Qui adverſus patriam nefaria iniere conſilia.* BOECLER.

Utriusque ordinis.] Burr. MS. *utrius ordinis*, antique. Sic quaedam veteres editiones Agellii XIII. cap. 22. in verbis M. Catonis: *Si quid eſt quod utar; utor: ſi non eſt; ego ſuum cui* (alias *cuique*) *per me uti licet.* SCHEGK. MS. *utrius.* Quod antique dictum putabat Schegkius. Sed fuerit illud contra mentem Priſciani; qui lib. V. poſtquam probavit, ut veteres, *plerus*, *plera*, *plerum*, aliaque id generis, absque *que*, ſoliti fuerint efferre; ita de hac voce ſubjungit: *Uter vero, & uterque, diverſas habent ſignificationes. Uter enim πότερος, dividuam vim habet; uterque ἑκάτερος, collectivam; ubi ποῦ, ὅπου, ubique πανταχοῦ. In his ergo, & ſimilibus, Que ſi conjunctionem accipiamus, compoſita ſunt: ſin ſyllabam, derivativa.* Vix tamen Priſciano aſſenſerim. Quadrigarius apud Agellium lib. IX. cap. 13. *Utris ſummo ſtudio pugnantibus.* Sic enim fuit in MS. Giſelini, teſtante Lipſio, epiſt. Quaeſt. lib. IV. cap. II. Nec dubitat idem ejusdem lib. epiſt. II. quin apud Livium lib. XXXVI. ex MS. ſit reponendum: *Frumenti ſpes, quae in oculos fuerat, utros pariter fruſtrata eſt.* Audaciae ergo ſit nimiae, veterem Velleji lectionem exturbare. VOSSIUS.

Eripuit.] Forſitan ita ſcripſit Vellejus: ut ſit, *Eripuit e rep.* Sed aptius videbatur, & uſitatius, *exſtinxit*, aut

aut *oppreſſit*. Quod attingendum putavi, ne quis me gloriae cauſſa putet inſignia tantum perſequi, humiliora contemnere. Manut. Inepte, *eripuit*. Repone, *eruit*. Nam hoc Cicero ipſe ubique in laude ſua ponit, quod conjurationem retexerit, in lucem produxerit, vindicandam comprimendamque Senatui praebuerit. Etiam Florus: *Induſtria rem patefecit*. Malim cum Lipſio *eruit*. Voss. *Aperuit* & nos, manifeſta, ut arbitror, ratione, ducti, expreſſimus. Boecler. Varie & hic locus tentatur. Lege, *conjurationis remp. ſingulari virtute, conſtantia, vigilia, curaque eripuit*. *eripuit* enim membrana exhibebat, unde *eruit* Lipſius. Haud ſequor *non tamen eripuere ſe hoſti* apud Livium lib. I. cap. 14. Sed & aliud ſuberat mendum. nempe *conjurationi remp. eripuit* ſcribendum, non *conjurationem*. Heins.

Urbe pulſus eſt.] Munckerus τὸ *eſt* abeſſe malebat. Heins.

Praetor iterum.] Poſt conſulatum praeturam ea propter repetiit, ut ſenatorium ordinem, cenſorio judicio ob mollitiem amiſſum, jure & beneficio magiſtratus recuperaret. Dio lib. XXXVII. *Et P. Lentulum, qui poſt conſulatum geſtum ſenatu exciderat: ac ſenatoriae dignitatis recuperandae cauſa praeturam tunc gerebat.* ubertim hunc morem diſertiſſimus Manutius diducit. Schegk.

In altiſſimo luminavit.] *Altiſſime inluminavit*, repoſui ex alia lectione MS, quem laudat Rhenanus. nam & alias legebatur *in altiſſimo*. Gruter. *In altiſſimo luminavit*. Haec MS. lectio. Itaque non audiendos arbitror, qui reſtituere conantur: *altiſſime illuminavit*. Sane in Prudentio MS. idem verbi inveni hymno v. Periſt. *Omni vacantem nubilo Frontem ſerenam luminat*. Ubi vulgo *illuminat*. Eſt etiam apud Martianum Capellam lib. I. *tellus floribus luminata*. Ita habent quidam codices, etiam MS. noſter. Perperam vulgo, *lumina*. Gloſſae, *luminata decorata*. Saepiſſimeque hoc verbo uſus eſt Caelius Aurelianus: ut bis Tardarum paſſionum lib. I. cap. 9. & alibi. Voss. Lipſius cum Rhenano volebat *illuminavit*. Sed tenenda eſt, lectio vulgata. Simplicibus enim pro compoſitis paſſim utitur Vellejus: ut *narrare* pro *enarrare*, *ferre* pro *deferre*, & alia. Quod ipſum in Suetonio jam obſervarunt eruditi. Boxhorn. *Altiſſime illuminavit*, cum *Grutero* legimus, cum fuiſſet antea, *in altiſſimo luminavit*, ubi ſi *luminandi* vox toleraretur, φράσις

tamen tota inſolentior videri poteſt. Boecl. *In altiſſimo luminavit* Eraſm. Steph. Manut. & aliae. Forte, *in altiſſimo lumine locavit*, vel *collocavit*. Cicer. Brut. 75. *Tum videtur tanquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine*. Burman. V. Miſc. Obſ. V. viii. p. 44.

Familiae Porciae.] Nota Familiam pro Gente: niſi ſi dictio *Porciae* aliena ſit, & a gloſſula. Tamen infra quoque Caeſarem *genitum nobiliſſima Juliorum familia* dixit. Lips. Omnino familiam pro gente poſuit Vellejus. Similiter & Valerius Maximus lib. iii. cap. 2. *Portiae familiae* dixit: item noſter infra de Caeſare: *Nobiliſſima Juliorum genitus familia.* Nihil certius. Voss.

Homo virtuti ſimillimus, & per omnia ingenio &c.] Vetuſtus liber *non virtuti.* excidit τὸ *ſolum* abſorptum a *ſimillimo. Homo non virtuti ei ſolum ſimillimus*, (ſc. proavo) *ſed per omnia ingenio dis, quam hominibus propior.* ſic infra cap. 130. de Livia, *per omnia Deis quam hominibus ſimilior femina.* Livius lib. xxvi. cap. 50. *Veniſſe juvenem Diis ſimillimum, vincentem omnia cum armis, tum benignitate.* Plinius lib. ix. Ep. 22. *Veteres aemulatur, Propertium in primis, a quo genus ducit, vera ſoboles, eoque ſimillima illi, in quo illo praecipuus.* Heins. V. Miſc. Obſ. V. viii. p. 44. 377. V. ix. p. 257.

Propior.] Ita loqui Sulpitium Severum notavit Richter. Specim. obſerv. Crit. pag. 19. & idem notare quod *ſimilior*: quod ut obvium ex Velleji ſimili loco cap. 130. potuiſſet confirmare, ubi de Livia, *per omnia deis quam hominibus ſimilior femina.* Vid. & cap. 53. & 91. & Nic. Loënſ. Epiph. vii. 7. & nos quaedam ad Val. Flacc. i. 53. notabimus. Burm.

Cuique viſum eſt id ſolum rationem habere, quod haberet juſtitiam.] *Juſtitiae* vetus liber. Scribo, *quod daretur juſtitiae. habere juſtitiam*, minus videtur Latinum. Heins. *Cuique is ſolum viſus eſt rationem habere, qui adhaeret Juſtitiae.* Warburt. Bibl. Brit. T. vii. p. 282. quia res nunquam dicitur rationem habere; ſed agens. Atque hoc idiotiſmum Gallicum ſapit, *Il a raiſon.* Sed Terent. Eun. i. 1. dicit *quae res in ſe neque habet conſilium, neque modum.* Idem pro *vitiis* legit *votis.* Burm. *in marg.* V. Miſc. Obſ. V. viii. p. 45.

Fortunam in ſua poteſtate habuit.] Eleganter Cicero Paradox. *Neſcis inſane, neſcis, quantas vires virtus habeat.*

beat. nomen tantum virtutis uſurpas: quid ipſa valeat ignoras. nemo poteſt non beatiſſimus eſſe, qui eſt totus aptus ex ſeſe, quique in ſe uno ſua ponit omnia. cujus autem ſpes omnis, & ratio & cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil poteſt eſſe certi. Horatius lib. II. Satyra 7: *Quisquam igitur liber? ſapiens; ſibi qui imperioſus: Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent: Reſponſare cupidinibus; contemnere honores Fortis, & in ſeipſo totus teres atque rotundus, Externi ne quid valeat per leve morari: In quem manca ruit ſemper fortuna.* & quae ſequuntur. Comparationem Catonis & Caeſaris habes in Salluſtio & Dione. SCHEGK.

Hic tribunus plebis deſignatus adhuc admodum adoleſcens.] MS. habebat: *deſignatus eſt adhuc admodum adoleſcens:* Unde lego, *deſignatus, & adhuc*, &c. Ratio emendationis in contextu orationis eſt. VOSS.

Ut ardore oris orationem omnium, lenitatem ſuadentium, ſocietate conſilii, ſuſpectam fecerit.] Nam damno, malui nihilominus olim. *orationem omnium lenitatem ſuadentium, ſociati conſilii ſuſpectam fecerit.* quod nemo neget apertius: aptius ego non affirmabo. ACIDAL. Ed: vet. *& ardore oris, ut orationem:* Hinc Lipſ. pro *&* legit, *eo*: Et poſtea, *ardore oris; ut orationem.* RAPHEL. Princeps editio legit: *& ardore oris, ut orationem* &c: Sed pro *&*, *eo* ſcribendum. Quod nec aliorum acumen ſubterfugit. VOSS. *Et ardore* princeps editio, tum *fecit:* Dederat, puto, Vellejus, *eo ardore oris orationem omnium lenitatem ſuadentium ſociati conſilii ſuſpectam fecit.* Simile illud Taciti Ann. XIV. cap. 36. *Is ardor verba ducis ſequebatur, ita ſe ad intorquenda pila expedierat fretus miles multa praeliorum experientia, ut certus eventi Suetonius daret ſignum pugnae.* Ita locus ille conſtituendus. nam in vetuſto codice *eventu* inveni. Vulgo circumfertur *vetus miles & multa praeliorum experientia*; quae parum apte procedunt. ut & *certus eventus*: cum alterum Tacito ſit frequenti in uſu. Videt ex parte Lipſius hanc Vellejani loci caſtigationem. ſed praeterea *ſociati conſilii ſuſpectam fecit* corrigendum, pro *ſocietate*, quod nunc circumfertur, non vidit. HEINS. Sed & *ſuſpectum contumacia* ſcripſiſſe Curtium VIII. 6. notant viri docti; ſed ibi nunc vulgo *contumacia* editur. ut & apud Aur. Vict. 46. *inceſtu ſuſpecta*, at alii *de inceſtu*, alii *inceſti*, alii *ince-*

ſtus ediderunt. Burman. V. Miſc. Obſ. V. viii. p. 46.

Sic impendentia ex ruinis incendiisque urbis, & commutatione ſtatus publici pericula expoſuit.] Vana ſcriptura vanum ſenſum gignit. Quae pericula ex urbis interitu & reip. commutatione impendere dici poſſunt? Immo erant haec ipſa pericula, quae Cato praevidebat, & ſenatui tanta animi vi, tanto orationis ardore exponebat, urbis ruina & incendium, ſtatusque publici mutatio. Diſtingue igitur & ſcribe: *Sic impendentia, & ruinis incendiisque urbis, & commutatione ſtatus publici pericula expoſuit*, quod quo genere dicatur, intelligat quisque facilius, quam explicet. Acid. Nihil mutandum. Senſus eſt: Catonem praevidiſſe, ac expoſuiſſe impendentia pericula, quae partim ex ruinis & incendiis, partim commutatione ſtatus publici, conſtabant. Et ſane ex Catilinariis Tullii, ac Salluſtii bello Catilinario, aliisque, notum eſt, Catilinam minatum palam ſe incendium ſuum ruina exſtincturum. Florus breviter lib. iv. cap. 1. *In praeſentem reum Cicero peroravit: ſed non amplius profectum, quam ut hoſtis evaderet, ſeque palam profeſſo, incendium ſuum reſtincturum ruina minaretur.* Ubi quaerunt viri docti, quidnam ſit, *profeſſo*. Ego eos hac moleſtia libero. Scribendum eſt *profeſſus*: vult enim Florus, hoc ipſo eum ſe hoſtem profeſſum palam, quod in ſenatu ſe ſuum incendium ruina reſtincturum eſſet minatus. Voss. Rurſum *ipſam vim orationis Catonianae* (quam habes apud Salluſt. Catil. 52.) ſive *praecipuum argumentum* his verbis complexus eſt Noſter. Non enim videbantur intelligere Patres, quantum a Catilinariis molitionibus periculum reip. toti ſtatuique, omni ordini, omni aetati ac ſexui immineret: itaque Catonis oratio potiſſimum in eo occupabatur, ut ruinas, incendia, internecionem, in conſpectu omnium poneret, neceſſariaeque ſeveritatis unicum conſilium demonſtraret. Boecl.

Conſulis virtutem amplificavit.] Prior editio habet, *conſilii*, ex qua lectione Lipſius legendum divinabat, *ita conſilii ſui rationem*. Raphel. Peccatum memoriae Velleji, qui Catoni tribuit, quod Caeſaris eſt, ut liquet ex orationibus utriusque apud Salluſtium, niſi hoc fuit in oratione ipſius Catonis, quam exceptam a notariis juſſu Ciceronis, aetate ſua adhuc exſtitiſſe Plutarchus teſtatur. Popma. Non facile iis, qui ita emendarunt, adſen-

ſerim.

ſerim. Nec video, quod juverit Catonem conſulis virtutem laudare. Sane in orationibus Catonis, ac Caeſaris, quas habes apud Salluſtium, multo magis laudatur Cicero ea, quae eſt Caeſaris. Puto igitur rectius in editione principe fuiſſe correctum, *conſilii*. Quod proxime ad MS. ſcripturam accedit, in quo *conſilis* legebatur. Aut lege, *conſilio*. Voss. Vetuſtus codex *conſilis*, unde *conſiliis*, vel *conſulis* quis eliciat. ſed nil neceſſe: Cato virtutem Ciceronis conſulis amplificavit, dum tranſit in ejus ſententiam, de ſupplicio in reos expetendo. male Popma laudibus Ciceronis virtutem a Catone amplificatam cenſet. Neque enim Catonis in aſſentationem aut laudes alienas ingenium fuiſſe, vel ex pulcherrima ejus apud Lucanum oratione patet, qua Cn. Pompejo parentatur. Heins. V. Graev. Ep. Syll. T. iv. p. 378.

Animadvertendumque in eos.] *In reos* praeſtiterit omnino: ſolemnis ac frequens hic error. Heins. V. Miſc. Obſ. V. viii. p. 46.

Quos praediximus.] Hic non habet locum: ergo deletor. Raphel.

Vota obiit.] Ego, *mortem obiit:* vel *vita abiit*. Sed, *obire mortem*, Vellejo familiarius. Sic enim locutus eſt ſupra, multis locis. Manut. Vir doctus edidit, *nota obiit*, lego, *voto obiit* ſuadente Salluſtio. Et ſtatim idem, *ſupplicio reddidit*, minus apte. Schegk. Varietas hic lectionum magna. Sed ubi multi conati ſunt, mihi non tam animus infringitur, quam inſtinguitur. Legam ergo: *mota obiit*. quod fateberis non inidoneum. Hoc enim vult, non fortius conſilia ſceleris iniiſſe, quam obiiſſe, eum moviſſet. Formulae hujus locutionis apud hunc frequentes. Supra de C. Flavio. *Quae peſſime auſus erat, fortiter exſecutus*. De Cinna item: *Auſum quae nemo auderet bonus: perfeciſſe, quae a nullo niſi fortiſſimo perfici poſſent: & fuiſſe eum in conſultando temerarium, in exſequendo virum*. Et haec quidem in malam, iſta in bonam partem. De Cn. Pompejo ſupra: *Privatis ut opibus, ita conſiliis magna auſus, magnificeque conata exſecutus*. Sed dum haec ſcribo, ecce alia mihi nata conjectura, neſcio an verior, priori ſcio argutior: *non ſegnius conata obiit, quam ſceleratius conandi conſilia inierat*. Penes eruditum lectorem utriusque judicium eſt. Acidal. Alii aliter. Puto, *mota obiit*. Id eſt, non minus animoſe ſemel

mel a ſe mota peragere voluit, quam movere ea coeperat. Utrobique audax, in ordiendo, in exſequendo. Probe etiam, *vota obiit:* ea quae voverat deſtinaveratque. Lips. Eſt in MS. *nota.* unde fit ut aliquando conjectarem, *conata obiit.* Sic ſupra cap. 29. *privatis ut opibus, ita conſiliis magna auſus magnificeque conata exſecutus.* Gruter. Fruſtra mutant docti viri. *Vota obire* eſt exſequi, & ad finem perducere ea, quae voverat ſe facturum. ſic *properant vota* apud Petronium, eſt ea quae voverant feſtinant adimplere. Popma. *Nota obiit* MSS. ſed *vota* legendum, ut bene ediderat Rhenanus. Voss. Aldus habet *mortem obiit*, Lipſius *nota obiit*, Schegkius *voto obiit.* Quid ſi *fata obiit*, fatum pro morte non ſemel uſurpant laudati auctores. Boxh. *Gruterus*, *conata* reponit, cum in MSC. *nota* fuerit, ſed cum *conandi* vox ſtatim ſubſequatur, debilitari vim hujus lectionis, conſentaneum eſt. Boecler. *Nota* in membranis cum fuerit, ſcribendum utique *conata obiit.* quod ſequentia confirmant. ſed id a Grutero jam occupatum. ſic *conata exſequi* cap. 29. & *conata deſtituere* cap. 42. Livius lib. xxxiv. *ne literae interceptae conatum palam facerent*, nec aliter paſſim veteres hiſtorici. minus bene Lipſius *nota*, nec recte Popma *vota* defendit. Heins. Forte *voto*, quia dixerat ſe incendium ruina exſtincturum. Warburt. in Bibl. Brit. T. vii. p. 285. legit *nota obiit*, *quam ſceleratius condita conſilia inierat.* Burm. *in marg.*

Supplicio reddidit.] Imo *proelio.* atque ita jam aliis correctum. Vellejus infra: *Cejonius auctor deditionis, ſupplicio quam proelio mori maluit.* Lips. Altero loco *praelio* reponendum. Quod facile etiam aliis fuit perſpicere ex loco inferiori: [cap. 119.] *Cejonius quem ſpiritum ſupplicio debuerat, praelio reddidit.* Voss. *Quem ſpiritum ſupplicio debuerat, ſupplicio reddidit.* Ita ſcriptus. nec dubium tamen, quin mendoſe. Quare fecerunt *proelio reddidit*, quomodo cap. 119. *auctor deditionis ſupplicio, quam praelio mori maluit.* Ego argutiſſimum Vellejum dediſſe opinor, *ultioni reddidit*, ut ſit, quod ſupplicio opponatur. Sunt enim contraria *ultio* & *ſupplicium*, hoc vult, non inultum Catilinam occubuiſſe. Sic apud Tacitum Ann. xiv. cap. 33. *Sed caedes, patibula, ignes, cruces, tanquam redditum ſupplicium, ac praecepta interim ultione, feſtinabant.* Ita ſcribe, non *praerepta ultione*, *redditum*

ſup-

ſupplicium, plus eſt, quam datum. redditurí erant vicem poenae iis, quos ſupplicio afficiebant. varie locus ille tentatus a viris praeſtantiſſimis. ſed infeliciter. *Reddere odium* non diſſimili modo habes apud eundem Ann. XVII, cap. 5. *reddere dolorem* Senecae de Ira lib. II. cap. 32, de vindicta, *dulce eſt dolorem reddere.* Nunc ad Vellejum. Nec ſane inultus cecidit Catilina; teſte Salluſtio. Sic & de Tacfarinate idem Tacitus Ann. lib. IV. *ruendo in tela captivitatem haud inulta morte effugit.* Heins. Mihi illud *ſpiritum reddere* vix placet, multo minus *praelio reddere*, & puto ſenſum conſtare, ſi legatur *dimicans ſpiritum, quem ſupplicio debuerat, edidit. Edere ſpiritum* nota & elegans locutio, de qua ad Ovid. IX. Epiſt. 61. & XIV. Met. 777. [& Calpurn. Declam. 18.] geminata fuit vox *ſupplicio* ab inperitis librariis. *praelio* vero repetita ex ſimili loco Velleji, cap. 119. Burm. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 46. 378. V. IX. p. 258.

Annos LXXXII.] Lege, XCII. Manut.

Diremtos gradibus aetatis.] Videtur voluiſſe, *diremtos gradu vix uno aetatis.* nam *aetatem* pro vita hominis ponit. ſic & lib. I. cap. 16. *una neque multorum annorum ſpatio diviſa aetas per divini ſpiritus viros Aeſchylum, Sophoclem, Euripidem illuſtravit tragoedias.* cap. 17. *Hiſtoricos, praeter Catonem & quosdam veteres & obſcuros, minus* LXXX. *annis circumdatum aevum tulit.* plura ad rem utroque loco ſubtexuntur. mox *ſaneque Craſſum*, non *ſenemque* membrana. unde Lipſius *unaque Craſſum.* Forte transpoſitis vocibus, *Ciceronem ſane, Hortenſiumque & Craſſum.* vel, *Ciceronem ſane, Q. Hortenſium, Craſſum.* Nam praenomen *Quinti* in membranis Vellejanis & alibi in particulam *que* degeneravit non raro, quod apud Livium, Senecam & alios jam obſervatum ab eruditis. Sed verius eſt, *Ciceronem, Hortenſium, anteaque Craſſum*, ita exigere videtur, quod paullo poſt ſubjungit *moxque* de vetuſtis hiſce oratoribus lib. I. cap. 17. & lib. II. cap. 9. Heins. Ego deeſſe puto nomen oratoris alicujus, quod abiit in *ſaneque. Senemque* Eraſmus, Stephanus, & deinde alii arripuerunt, neſcio quo auctore. An *Antonium*, ut videtur ſuſpicatus eſſe Manutius, an *Caeſaremque Strabonem?* cujus meminit ſupra cap. 9. certe latet ulcus. Burm.

Ciceronem, Hortenſium.] Tres de Oratore Ciceronis

 libri,

libri, magis etiam is, qui Brutus inſcriptus eſt, quantum eloquentiae laude floruerint Antonius & Craſſus, deinde Cotta & Sulpicius, plane demonſtrant. Itaque Vellejum puto tria oratorum paria conjuncte poſuiſſe, primo loco, Ciceronem, Hortenſium, ſecundo, Antonium, Craſſum, tertio, Cottam, Sulpicium. Locus igitur emendandus. MANUT.

Senemque Craſſum.] Alii, *ſaneque Craſſum.* Acute hic vir doctus. SCHEGK. Lego: *unaque Craſſum.* Hac ipſa aetate, inquit, floruerunt pariter in eloquentia Craſſus, Cato. Craſſum autem illum Divitem intelligit, quem & Cicero eo nomine laudat, & Plutarchus *inter Romanos fuiſſe eloquentiſſimum* ait. Eſt qui *ſenemque Craſſum* legat, & de illo Lucio, qui cum Antonio vixit floruitque, intelligat. Valde errat. palam hic Vellejus de iis oratoribus, qui M. Tullio compares, aut ſuppares certe, fuerunt. Nam Catonem, intelligit Uticenſem: Sulpicium, Servium illum eloquio & juris ſcientia laudatum. Denique de altero illo Craſſo jam ante a Vellejo & ſuo loco dictum. LIPS.

In ſuſpecti operis ſui carmine.] Laus eximia Catulli; quam hodie multi ſunt Suffeni Catulliani, qui deterunt; homines venuſti, dicaces, & urbani, longe plurimos item verſus facientes: ſed qui ſimul aut hunc ipſum aut hujus ſimilem ex prima claſſe *poëtam* attigere, caprimulgi rurſus aut foſſores videantur, adeoque inficeto omnes rure ſint inficetiores. tantum abhorrent ac mutant. Hoc tamen praeter inſtitutum aut morem meum. *Suſpectus* ita poſitum ut in Apulejo *conſpectus* lib. x. Metam. *Jamque rumor publice crebuerat, quo conſpectum atque famigerabilem meis miris artibus effeceram dominum.* ACID. Cur non *ſuſcepti*; nec enim aliud vult, quam Catullum nullo minorem in opere & materia quam elegit. In magnis alii magni, hic nihil iis minor, ſed in parvis. LIPS. Catulli opus *ſuſpectum* maledicentiae, & notarum in Caeſarem, quem verſiculis de Mamurra acerbe perſtringit, & *cinaedum Romulum* vocat. Nimirum Vellejus more ſuo adulatur Juliam domum. Vidend. Suetonius Julio. POPMA. *Suſpecti* poſuit pro ſuſpiciendi, id eſt, admirandi. Aut lege, *ſuſcepti*; ut Gryphio, aliisque editum. Sed alterum magis placet. Sic *conſpectum* pro *conſpiciendo* poſuit Apulejus lib. x. de Aſino aureo; *conſpectum atque fa-*

migerabilem meis artibus effeceram dominum. Item Avianus Fab. x. *Ad campum nitidis venit conſpectus in armis.* Voss. *In ſuſcepti operis ſui carmine*, ubi τὸ *ſui* redundat, & videtur auferendum: ni legis, *ſuſcepto.* vel, *in ſuſcepti operis ſuavi carmine.* nam ſuavitate carminum nullo Catullus inferior. Alii habent *ſuſpecti*, quod Voſſius interpretatur, ſuſpiciendi. At Popma, *ſuſpectum.* Catulli opus arbitratur dici, ob maledicentiam in Caeſarem, quaſi Vellejus hic etiam Tiberio gratificaretur. Sed cur ergo tantis extollit laudibus Catullum? *Suſceptum* hac ſignificatione & alibi habes apud noſtrum. Heins. Sulp. Sev. I. 20. *Suſcepti operis modum cuſtodire.* Burm. *in marg.* V. Miſc. Obſ. V. viii. p. 47. 378. V. ix. p. 248.

Catullum.] *Catullum* pro *Catulum*, quod eſt in antiqua editione, docti viri repoſuerunt. Sed haud ſcio, quam recte. Nam & *Q. Catulus* numeratur inter nobiles ejus aetatis poëtas. Ursin.

Quae maxime noſtri aevi.] Quid? an Virgilius & qui ſequuntur, aevi Vellejani recte poſſunt dici? praecipue cum mox *vivorum* ſe nolle meminiſſe dicat. quare legendum puto; *inter quae proximi noſtro aevo eminent.* Has enim voces ſaepe librarii confuderunt. Ut apud [Quinctil. Decl. 329. Suet. Claud. 33.] Lucan. x. 408. *Ibi fas ubi maxima merces*, ubi multi codices *proxima* habent. Apud Plinium lib. iv. Ep. 3. *cum jambos proxime legerem*, Cl. Minos in veteribus eſſe *maxime* notavit. Apud Juſtinum quoque lib. xiv. 4. Freinshemius legebat, *quod proximum erat ſeditionibus agitaſtis.* ubi vulgo *maximum.* [Ita cap. 53. Pompejum vocat *pene ſui ſeculi virum.*] ita & Heinſ. inf. cap. 110. pro *proxima* legit *porro maxima. proximi noſtri aevi*, etiam poſſet retineri, ſi *proximus* cum genitivo conſtruere liceret, cum Voſſio ad cap. 109. & 114. ſed dubito. Burm.

Princeps carminum Virgilius, Rabiriusque.] Fortaſſe legendum eſt *Varius*, cujus meminit ſaepe Horatius & Virgilius. *Rabirii* poëtae meminit Cariſius lib. I. citatur etiam a Placiade in libro de antiquo ſermone, & a Quinctiliano lib. x. cap. I. Putean. Vetus editio communicat hunc Principatum cum Rabirio, ſcribitque, *Principes.* Credimusne tam magnifice ſenſiſſe de poëta hodie vix noto Vellejum? fortaſſe per amicitiam, aut alia de cauſſa. Ovidius quoque laudat: — *Magnique Rabirius*

 oris.

oris. Et Seneca VI. de benefic. *Egregie mihi videtur M. Antonius apud Rabirium poëtam exclamare: Hoc habui quodcumque dedi.* — Ubi legendum, *habeo.* Fabius contra tenuiter de eo ſentit: *Rabirius & Pedo non indigni cognitione, ſi vacet.* LIPS. Cauſam non video cur *Varium* hic *Virgilio* ſupponat Claudius Puteanus. *Rabirii*, praeter laudatos ab illo, Quinctilianum lib. x. Inſtit. Orat. Cariſium lib. I. & Placiadem de antiquo ſermone, etiam Seneca & Naſo elegia ultima Ponticorum meminerunt. HEINS. Non puto pro *Virgilio* Puteanum voluiſſe *Varium*, ſed pro *Rabirio* ſubſtituere, major enim literarum in eo affinitas. BURM. Pro eo *Horatiusque* Perizon. Epiſt. ad Heinſ. 2. IDEM *in marg.*

Conſecutus Salluſtium Livius.] Opinor, haec verba e ſuo loco in alienum detruſa. Cur enim poëtis admiſceatur hiſtoriarum ſcriptor Livius? Quod ſi poſt illud, paullo ante dictum, *aemulumque Thucydidis Salluſtium*, ponantur, ſuam ſedem obtinebunt. Quo in loco requirit antecedentium verborum ordo, ut legatur, *& conſecutum Salluſtium, Livium*: vel; *&, qui conſecutus Salluſtium, Livius.* Cum enim nec unum oratorem, nec unum poëtam, ſed multos ſimul Vellejus nominet, de uno Salluſtio hiſtorico mentionem ab eo factam eſſe, veriſimile non videtur. Quod ſi quis cum Salluſtio in hiſtoriae Romanae laude conjungendus, quem Livio anteponamus, aut etiam conferamus, prorſus non habemus. Ipſe etiam Vellejus in extrema parte libri primi perhonorifice eum appellavit. MANUT. Aldus putat haec verba e ſuo loco in alienum detruſa eſſe: *cur enim*, inquit, *Poëtis admiſceatur Hiſtoriarum ſcriptor Livius?* Ego contra exiſtimo Vellejum hac enumeratione non tam profeſſionem & ſcriptionis genus, quam tempora aetatesque diſtinxiſſe: nam illi, quos paullo ante recenſuit, ſtante repbl. fuerunt, quamquam eorum nonnulli ad principatum Auguſti pervenerunt: hi vero ſub Auguſto floruerunt. PUTEAN. Anxium hic locus virum doctum habuit, niſi dicendum potius, habuiſſe ipſum ſeſe. Nam quid illo clarius? Non hic ſui aevi poëtarum tantum catalogum recenſet Vellejus, ſed plane clarorum hominum, qui, ut ait, oculis ipſis etiamnum inhaereant. Supra, quo ille haec retrahere nititur, aevi aliquanto ſuperioris enumeravit, in quo non collocavit Livium, neque per aeta-

ſetatem certe potuit, cujus gradibus viros eminentes diſtinguit. Acidal. Viro docto atque optime (rem dico) de Vellejo merito tranſpoſita haec verba videntur: & iis quae ſupra ſubjungenda, *Aemulumque Thucydidis Salluſtium.* Cur enim, inquit, poëtis admiſceatur hiſtoriarum ſcriptor Livius? Ratio aliqua eſt, ſed hic vana. quia non ſtudiorum ſimilitudinem in jungendo, ſed temporum Vellejus ſpectat: Livius autem illis prioribus inferior, & tantum non aevi Vellejani. Obiit enim (Euſebio ſic traditum) quarto Tiberiani imperii anno. Lipsius. Quidquid dicant viri docti non ſatisfaciunt mihi, neq placet hic Livium inter Poëtas recenſeri, praeſertim cum illum ſubjungit Salluſtio, de quo ante mentio jam erat facta. Et adulatorem Tiberii facile Livium omiſiſſe mihi perſuadeo, qui ubique in Hiſtoria praefert ſtudium libertatis & optimatium: ita ut *Pompejanus* inde dictus ab Auguſto fuerit, teſte Tacito lib. IV. Ann. 34. & Caligula voluerit ejus libros abolere Suet. Calig. 54. quare ego a librario non admodum docto, aut hiſtoriae literariae veteris perito, locum corruptum puto & legendum, *conſecutus Gallum, Tibullus, Propertiusque & Naſo,* quos quatuor in forma operis ſui, id eſt, Elegiaci perfectiſſimos vocat. hos autem ſibi conjungit ipſe Naſo IV. Triſt. 10. *Succeſſor fuit, hic tibi, Galle, Propertius illi, Quartus ab his ſerie temporis ipſe fui.* Burm.

Et Naſo, perfectiſſime in forma operis ſui.] Corruptum hoc videtur. ſincerum fortaſſe illud: *perfectiſſimae metamorphoſis.* Quo maxime in opere Naſonis enituit ingenium. Quod ſi licentiae nimium in corrigendo aſſumimus, ne quis adſcribat temeritati, opinantes enim ſcribimus, non affirmantes: & haec, quae ſcribimus conjectura ducti, tamquam dubia judicari, non ut explorata, ac certa laudari, volumus. Manut. Male Aldus emendat, *perfectiſſimae metamorphoſis:* valeant argutiae, ubi minime opus ſunt. Nam poſteriorum editionum lectio ſincera eſt, *perfectiſſimi in forma operis ſui.* Videlicet Virgilius & Rabirius in Heroicis, Livius in Hiſtoria, Tibullus & Naſo in Elegia, quamquam ſunt, qui huic plus tribuant in Heroicis. Puteanus. Dico nil tentandum, frequens noſtro phraſis. *Nunc propoſito operi ſua forma reddatur.* Et, *in formam juſti exercitus.* atque: *cogit enim excedere propoſiti formam operis, &c.* Schegk.

Schegk. Non male alii emendarunt, *perfectiſſimi.* Poſſit tamen etiam legi, *perfectiſſimus.* Ut ad Naſonem ſolum referatur, quem ultimo nominavit Vellejus. Voss. *Perfectiſſime* ſcriptus. Unde conjectura Aldo Manutio nata prorſus ridicula, *perfectiſſimae metamorphoſis.* an voluit Vellejus, *conſecutus Salluſtium Livius, Tibullumque Naſo perfectiſſimi in forma operis ſui? conſecutus* pro *ſubſecutus* ac *ſuccedens* aetatis ratione, non dicendi genere aut aemulatu. quid enim diverſum magis Salluſtio ac Livio? Naſo de Tibullo: *Succeſſor fuit hic tibi, Galle: Propertius illi: Quartus ab his ſerie temporis ipſe fui.* Quamquam Naſo & Tibullus nati eodem anno, hoc eſt, Hirtio Panſaque Coss. Prior tamen aetate Tibullus, ut ex hoc Naſonis loco & Paterculo liquet: ſic & apud Plinium in Epiſtolis lib. VII. *Caleſtrium Tironem familiariſſime diligo. Ille me in Tribunatu liberorum jure praeceſſit: ego illum in praetura ſum conſecutus.* Heins.

Forma operis.] Eſt totius delineatio & conſpectus, ab architectis deſumta locutione, non ergo in ſingulis verſibus, ſed in tota forma, & ſyſtemate perfecti ſunt, in quo omnia exacta & perfecta ſunt. Columel. II. 2. *itaque antiquiſſimus fere, omnes formam hujus operis conſcripſere; quum velut facta legemque in proſcindendis agris ſequuntur agricolae.* [Sciopp. ad Symmach. IX. Ep. 63.] Codex S. G. habet, *antiquiſſimum eſt formam hujus operis conſcribere, quam vel ſectam legemque.* egregie, ſi legas, *velut ſectam* (vel *ſcita*) *legemque*, &c. Burm.

Ita cenſura difficilis.]. Nae difficilis, praeſertim in opere Hiſtorico: vel ob hoc ipſum, quod Vellejus acute innuit, quia admiratio publica neque requirit judicia & rationes cenſurae, neque admittit examen ſui affectus. Jam quantum poteſt dignitatis, loci, gentis, neceſſitudinis, denique fortunae veneratio? ad quam vel ſuo vel aevi ingenio plerumque etiam Prudentum mentes inclinantur. Igitur haud dubie ea ſinceriſſima laus eſt, illud veriſſimum decus, quod incorrupta cuique poſteritas rependit. cum praeſertim ex altera quoque parte, doctiſſimum quemque invidia, non niſi cum inviſo finitura, contundere nitatur ac deprimere. Boecl.

Tigranemque ſocerum.] Librarii erratum, non Vellejii, quis enim neſcit, Mithridatis generum, non ſocerum, Tigranem fuiſſe? Manut. Omnes tradunt *generum*

fuiſſe

fuiſſe. Vacillavit memoria Velleji? potuit. Sed hoc quoque poteſt, error in ſcripto eſſe: & forte vetus germanumque *ſocer ejus petit*. Ipſe ſocer generum ſuum petit. Lips. Non eſt erratum librarii, ſed ipſius Velleji, qui Tigranem ſocerum Mithradatis putavit, quem generum fuiſſe omnes hiſtorici tradunt. Sed in hoc genere multa peccat Vellejus. Popma. *Generum* legi debere res ipſa, & communis doctorum animadverſio dictat. Boecl. Lege cum Aldo, *generum*. Niſi potius vox ea e gloſſemate irrepſerit. Quod mihi non diſpliceat. opinor *Tigranenque ſocer generum petit*. Niſi locus eſt interpolatus: nam quis credat Velleji hoc erratum eſſe, ut Popma contendit? mox bene Manutius, *cujus ſe poteſtati committeret*, pro *ſocietati*. quod & mihi venerat in mentem. nec male Graevius noſter, *ſanctitati*. Heins.

Regem ejus.] An non *regum*? ut ſupra cap. 33. *Tigranem regum maximum*. Βασιλέα βασιλέων. ut vocatur in nummis. vid. Ill. Spanh. diſſert. octava cap. 2. & 3. de praeſt. & uſ. num. editionis noviſſimae. Burm.

Niſi quia Luculli.] Ferri forte queat, ſed tamen inclinat animus reponere, litera minus, *niſi qua Luculli*. *qua*, pro *quatenus*. Grut. Malim cum Grutero *qua*. Voss. Sine dubio rectius. ita ſup. cap. 17. *niſi qua Nolani belli reliquiae manerent*. Vid. Acron. ad Horat. I. Sat. II. 50. Burm.

Prior filius Tigranis, ſed diſcors patris.] Niſi me fallo, *diſſors patris*, ſcripſit auctor. Id eſt, diſſimilis: ut Propertio *conſors*, ſimilis. ubi Eleg. 21. *Tu qui conſortem properas evadere caſum*. Nec alio ſenſu infra 74. capio, & ſcribo: *L. Antonius conſul, vitiorum fratris ſui conſors, ſed virtutum, quae interdum in illo erant, exſors*. quamquam non pugno, idem ſi cum vulgo & legas & intellegas. mihi opinari ita libuit. Acidal. Lege *diſcors patri*. Raphel. Immo *diſcors patri*, ut habet editio Voss. Vid. Heinſ. ad Sabin. Epiſt. I. 25. male autem diſtinguunt editiones poſt *Armeniam*, debet enim periodus continuari, nam *ſimul intravit*, eſt pro *ſimul ac Armeniam intravit, prior*, &c. ut infra cap. 88. & alibi ſaepius. Burm.

Mox ipſe ſupplex & praeſens ſe regnumque ditioni ejus permiſit.] Verbum reſtituo notae melioris, quam quod adhuc legis: *quaeſens*. Id ſi hic probem convenire, ope-

ram

ram inanem ſumam: inaniorem, ſi exempla anquiram. Norunt jam omnes e Plauto & Apulejo, *quaeſere* blandientis eſſe, pro orare: mutata canina ira in ſerpentinum ſibilum: a *quaeſere*, ut ſolebant in plurimis. Atque ita Bucretius meus obſervavit in veteri Pariſienſi ſcriptum iſto quoque Terentii loco, Heaut. *Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis, Dum id quaeſo, tibi qui filium reſtituerem.* ACIDAL.

Neminem alium neque Romanum neque ull. gent.] Plane convenit haec oratio ad illud ἦθος, quod Dio XXXVI. in Tigrane commendat: *ita ſe comparaſſe regem, ut medium praeſtaret inter memorem priſtinae dignitatis & praeſentis calamitatis, adeoque & reverentia & miſericordia dignus videretur.* BOECL.

Societati.] Proprietas Latinae linguae magis exigit, *committere ſe poteſtati*, quam *ſocietati*: idque comprobant hoc in loco, quae ſupra proxime, quaeque infra dicuntur: alii *cujus ſe fidei c. f.* MANUT. Immo potius *permittere ſe poteſtati*, quam *committere* dicere ſolent veteres, qui ita diſtinguunt inter haec verba, ut *committere fidei*, *permittere poteſtati* dicant. Vid. Cicer. pro Fontej. 14. & pro Cluent. 58. ubi vid. Sylvium. & hinc *fidei* hic pro *ſocietati* repoſuerunt Eraſmus, Stephanus & alii; ſed cum in MSS. ſit *ſocietati*, cui recte etiam *ſe committere* dicitur, religio eſt mihi vocem iſtam movere. & magis decet regum maximum hoc verbo uti, ut non tam ſe dedere, quam ſocietati Romanorum accedere, profiteatur. [*Sanctitati.* Schel. ad Dial. de Orat. 28.] BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 47.

Quam Cn. Pompejum.] Videtur dicendum eſſe, *quam Cn. Pompeji*, ſed vide quae nos notamus ad Quinctil. Declam. CCCXXI. BURM.

Servatus regis.] *Regi*, Eraſm. Steph. & alii, poſt Rhenanum occupaverant, etiam Edit. Rhen.

Quae omnis ſicuti Pompejo moris erat, redacta in quaeſtoris poteſtatem.] Hoc non Pompejo peculiare. quoties apud Livium, *adpenſa pecunia* quaeſtori, *redacta* in poteſtatem quaeſtoris, *relata* in tabulas? SCHEGKIUS. Recte hoc notatum Pompejo non peculiare, ſed commune omnibus. Igitur ego, quod aliis minus tentatum, voces aliter colloco: *quae omnis Pompejo, ſicuti moris erat, redacta.* Praepoſitionem omittere noſtro familiare. Supra

pra de Ariſtonico: *ductusque in triumpho ſed M'. Aquillio.* Et abhinc paullo poſt, ubi nunc ſumus: *Gallias primum Domitio & Fabio intratas cum exercitu:* Quibus locis de ſuo tamen Aldus, nimis forte liberaliter; *a* praepoſitionem addit. Nam & puerorum, qui triduum aut amplius quid ſub Orbilio meruerint, conſtructionis hujus regula animi callent non minus, quam manus & coſtae virgis. Acidal. Nonne idem mos aliis? & nonne ſemper pecunia publica appenſa Quaeſtori? Ita, ſed non pari fide. Luculli, Craſſi & ejusmodi rapones, partem pluſimam in ſe derivabant. Significat igitur & laudat integritatem Pompeji, qui publicae pecuniae abſtinentiſſimus fuit: Tamen Cato apud Lucanum, libere, & ut Cato, profert, aliquid cum quoque delibaſſe. *Immodicas poſſedit opes, ſed plura retentis Intulit.* Lips.

Quae tum primum facta eſt ſtipendiaria.] Cum *redigere in poteſtatem*, idem heic ſit, quod *facere provinciam ſtipendiariam*, forſan infarctum a gloſſariis, *quae tum primum facta eſt ſtipendiaria.* Gruter.

Finis imperii regis.] *Regi* princeps editio: *imperii regii* verum eſt. Paullo ante quis non videt interpolata, *aliae tum primum in poteſtatem redactae*, & *Syria tum primum facta ſtipendiaria?* Forte, *Syria aliaeque, quas occupaverat, provinciae ereptae. aliae reſtitutae populo Romano. aliae tum primum in poteſtatem redactae, Syria facta ſtipendiaria.* Heins.

Imperii regis.] *Regi* Ed. Rhen. *regis* Eraſm. Steph. Ald. Popm. Voſs. & aliorum.

Quae cujusque ductu gens ac natio redacta in formulam provinciae.] Fatebor, malui: *cujus quaeque ductu:* neque hoc negabo, fruſtra. Eſt enim ſenſus, quae & cujus ductu. Ut illud lib. 1. 14. *Atque huic loco inſerere, quae quoque tempore:* eſt, quae & quo tempore. Acidal.

Redacta in formulam provinciae.] Egregiae hujus egreſſionis Commentatorem damus Sigonium; ex cujus 1. de antiq. jur. Provinc. plenior provinciarum factarum hiſtoria ratioque peti poteſt. Eſt autem *redigere in formulam provinciae nihil aliud, quam leges domeſticas adimere, & Romanas dare, ac praetorem, qui quotannis provinciam ex legibus datis adminiſtret, inſtituere. Neque vero ſola tributi impoſitio provinciam efficit, cum id multis ſit etiam Italicis & exteris imperatum, qui tamen in provinciae formam*

nam non ſint relati; ſed legum domeſticarum & patriae libertatis ademtio, & praetoris, qui eos regat, inſtitutio. Sunt haec rurſum verba Sigonii e 1. de antiq. jur. Ital. 26. Ergo ipſum *Jus provinciale*, alio nomine, *Formula provinciae* appellatur, notante eodem 1. de antiq. jur. Prov. 1. Boecler.

Stipendia pacta ſit.] Quaſi paciſci gentes victae cum hac victrice de ſtipendiis ſoleant. Raro aut non hoc factum, ipſa ſuperbe imponebat. Mea voluntate ſcribas, *ſtipendiaria facta ſit.* Lips. *Stipendia pacta ſit* maneat illibatum, etſi caſtigante Lipſio *ſtipendiaria facta ſit.* Nam & victi paciſcuntur cum victoribus. Livius libro IX. cap. 43. *Triginta dierum inducias pacti ſunt, bimeſtri ſtipendio frumentoque & ſingulis in militem tunicis.* Sic & alibi non ſemel idem Livius, ut libro X. cap. 5. *pacto annuo ſtipendio & duum menſium frumento permiſſum ab dictatore, ut de pace legatos mitterent Romam.* cap. 37. *pacem petiere, & veſtimentis militum frumentoque pacti cum Conſule, ut mitti Romam oratores liceret, inducias in XL. annos impetraverunt.* Dictys: *Finitimi populi ultro cum pace ad eum accurrunt, ac ne vaſtarentur agri, dimidium fructuum pacti, dant fidem pacis atque ab eo accipiunt.* Heins. V. Periz. Ep. Syll. T. IV. p. 770.

Notavimus facilius, ut quae partibus ſimul univerſa conſpici poſſint.] Diſtinguendum, & legendum puto ſic. *Notavimus, facilius ut e partibus ſimul univerſa conſpici poſſint.* etſi vereor, ne quid deſit, quod cum verbo, *notavimus*, conjungatur, ſolum enim male conſiſtit. Alii, *ut quae facilius, quam partibus, ſimul univerſa conſpici poſſint.* Manut. *Notabimus ut facilius e partib. ſimul.* Ita ſcripſimus veteres editiones ſecuti, in quibusdam *notabimus* abeſt. ſcio duplicis ſenſus hunc locum, ſed alterum, quem expreſſi, magis ex re credo. Scheck. Hic ego Delphicam mihi cortinam optem, nonmodo ut alienarum mire variantium, verum & mearum unius lectionum, quae veriſſima ſit, verare poſſim. Sed nequidquam opto. Tu qui Phoebi laurum momordiſti, ades age & reſponde de meis mihi. Placet conjungere cum prioribus? hoc quidem modo: *ſtipendia pacta ſit: notatis ut partibus, facilius ſimul univerſa conſpici poſſint.* An magis hoc? *Notabimus partibus, ut facilius ſimul univerſa conſpici poſſint. Partibus notare* eſt per partes ſeu particulatim

tim notare. Sic ab aliquot lineis: *Inde varie poſſeſſa & amiſſa partibus, univerſa ductu Auguſti facta ſtipendiaria eſt.* *In partibus* pro eodem infra 126. *Horum* XVI. *annorum opera quis, cum inſerta ſint oculis animisque omnium, in partibus eloquatur?* Nihil agimus, tertium dabo, in quo manebo, Apolline volente. Exemplaris Aldini ſcriptura eſt: *notabimus facilius, ut quae partibus ſimul univerſa conſpici poſſint.* Hinc ego nulla vocum mutatione, leviſſima traductione, errantes & fluctuantes lectiones ſic ſtabilio: *ut quae partibus notabimus, facilius ſimul univerſa conſpici poſſint.* Sententia paene eadem eſt, quam pluribus extulit lib. I. 14. ubi colonias deductas enumerat. *Cum facilius cujusque rei in unum contracta ſpecies, quam diviſa temporibus, oculis animisque inhaereat; ſtatui priorem hujus voluminis poſterioremque partem non inutili rerum notitia diſtinguere.* Poteram ſuperioribus adjicere plura, niſi eſſent & haec nimia. quae ego ſimul univerſa notavi, ut quid partibus verum, facilius conſpici poſſet. ACIDAL. Scribendum, *notabimus, ut facilius, quam partibus, ſimul univerſa conſpici poſſint.* Hac mente. Ego ſimul & ut in tabula proponam, ut lector ea magis uno obtutu capere & ſimul animo infigere, quam varie diducta, poſſit. LIPS. Suſpicor ob praecedentis dictionis extremam ſyllabam excidiſſe *id*, legendumque *id notabimus.* POPMA. Bene obſervatum Popmae, *id* latere in voce praecedenti *ſit.* Itaque locum hunc ſic emendandum arbitror: *id notabimus, facilius ut, quam partibus, ſimul univerſa conſpici poſſint.* VOSS. Cenſeo cum Schegkio delendam eſſe vocem *notabimus*; quam invenire non eſt in libris veteribus. BOXH. Cl. V. Thomas Munckerus ita producit hunc locum ad Hygini Fab. LXXI. III. *ut quae facilius, quam partibus, ſimul univerſa conſpici poſſint*: tueturque adverſus immutantes, & exponit, *quoniam ea in unum locum contracta facilius, quam per partes & varie diducta capi animoque infigi poſſunt.* probe omnino, omiſſo τῷ *notavimus*, quod membrana agnoſcebat, etſi abeſt ab editionibus nonnullis; unde Popma, *id notabimus.* Joh. Ortuinius, *id notabimus, quo facilius quam p. ſ. u. c. poſſint.* Alii alia excogitarunt. Opinor, *nota ea habebimus facilius utique partibus,* (vel, *facilius ita quam*) *ſi ſimul univerſa conſpici poſſint. Facilius partibus*, pro facilius, quam per partes, vel, *id notum habebimus*

bebimus facilius utique, quam partibus; ſi ſimul, vide ad cap. 126. annotata. Simile illud Taciti Ann. XII. cap. 40. *Haec quamquam plures per annos geſta conjunxi, ne diviſa haud perinde ad memoriam ſui valerent.* Florus lib. I. prooemio: *nonnihil ad admirationem principis populi conaturus ſum, ſi pariter, atque inſimul univerſam magnitudinem ejus oſtendero.* Paria habes, & apud noſtrum lib. I. cap. 14. HEINS. De illo *partibus* vid. ad cap. III. & 126.

Primus in Siciliam.] Errat Vellejus. Sicilia praeter regnum Syracuſanum iisdem temporibus, quis Sardinia, provincia facta. Solinus, Pomponius de origine juris. Univerſa cum regno Syracuſano non a Marcello, ſed M. Valerio Laevino. De provinciis poſt Sigonium pauca, imo nihil dicere habeo. Satis ſit monuiſſe, in plurimis Vellejum victorem gentis cum pacificatore, eum dico, qui pacis conditiones juſſu populi tulerit, confundere imperite. SCHEGK.

Primus Africam Regulus.] Puto, *primus in Africam Regulus.* ut pendeant haec a ſuperioribus, *exercitum trajecit.* deinde delendum paullo poſt *Africam. Scipio Aemilianus* &c. *in formulam redegit provinciae.* nam de Africa ſermo eſt. HEINS.

CCIV.] Niſi omnis calculatoria me fugit, ſupereſt hic centenaria nota. Nam ecce Africa intrata anno CCCCXCVIII. Carthago deleta, DCVII. quid amplius quam juſti interſunt anni CV. Tolle ergo grande hoc ἀντιχρόνισμα. LIPS.

Annos CLXXXII.] Συλλογιστικὴ evincit, CLXXV. Facile colligere ex anno Carthaginis deletae jam dicto. LIPS.

Certum.] Eleganter *certum jugum*, pro firmo & perpetuo. Sic Florus lib. IV. cap. ult. *Certa mox fides & aeterna pax cum ipſorum ingenio in pacis partes promptiore & cum conſilio Caeſaris.* Martiali *certus* frequenter pro duro & obſtinato, lib. V. in Marianum: 62. *Nil mihi reſpondes? uxoris res agit, inquis, Iſte meae, ſane certus & aſper homo eſt.* Lib. IV. ad Phoebum: 45. *Fac rata vota patris. ſic te tua diligat uxor, Gaudeat & certa virginitate ſoror.* Cicero epiſt. ad Att. 21. lib. V. *certum hominem*, pro gravi & moribus antiquis. *Q. Voluſium, tui Tiberii generum, certum hominem, ſed mirifice etiam abſtinentem miſi in Cyprum.* Saepiſſime & Propertius de Cynthia rigidiore, & in ira pertinace, cujus te exemplorum congerie non onerabo. ACIDAL.

Bellicae civitatis argumentum.] Locum interpolatum arguit repetitio ejuſdem vocabuli mox ſubjuncta, *pacis argumentum*, ſic cap. 127. *adjutores* iſti prorſus inconcinne iterantur. Sed totus ille locus miſere luxatus. HEINS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 47. 379. V. IX. p. 250.

Semel ſub regibus.] Hoc ſub Numa fuiſſe factum, notius, quam ut referri debeat. Caeterum non contineo me, quin, hac occaſione Plutarchi patrocinium ſuſcipiam. Scribit is ἐν τῷ περὶ τῶν Ῥωμαίων τύχης, inter primam, & alteram Jani κλεῖσιν, annos eſſe quadringenos, & octogenos. Recte ſane. Numerat enim ab initio regni Pompiliani, quod annorum fuit XLIII. Vir autem doctus, qui non dubitavit integrum caput componere, ut oſtenderet, Plutarchum committere ἀντιχρόνισμα annorum XLVI. in eo lapſus eſt, quod numerare inceperit a bello Albano, ſive Jano primum aperto. Quod in VI. Tulli annum incidere ex Euſebio liquet. Itaque nemini dubium fore arbitror, quin Plutarchus ab eo parum εὐτάχως graviſſimi erroris agatur reus. VOSS.

Tertio Auguſto Principe.] At docuit me vir, qui cuncta tenet antiqua ſepulta, J. Lipſius in Electorum I. cap. 20. Janum ter ab Auguſto clauſum. Et vere. an igitur legendum *ter*? minime. ſatis habuit Vellejus a quibus, non quoties a ſingulis, cluſus, exprimere. SCHEGK. In editione Rhenani numerus notus expreſſus III. *Auguſto.*

Janus Geminus.] Hinc Florus IV. 12. 64. *Auſusque tandem Caeſar Auguſtus Janum Geminum cludere, bis ante ſe cluſum, ſub Numa rege, & victa primum Carthagine.* Sueton. Aug. 22. *Janum Quirinum ſemel atque iterum a condita urbe memoriam ante ſuam clauſum, in multo breviore temporis ſpatio, terra marique pace parta, ter cluſit.* Alii paſſim. BOECLER.

Abhinc annos CCL.] Stricta computatio CCXLIIX. RAPHEL.

Ab Attalis poſſeſſam regibus.] Sive placet, *Attalicis*. Ita enim Pergami reges dicti, quia aliquot Attali nomine. Strabo lib. XIII. Πέργαμον ἐπιφανὴς πόλις, καὶ πολὺν συνευτυχήσασα χρόνον τοῖς Ἀτταλικοῖς βασιλεῦσι: *Pergamum illuſtris civitas, & diu felix ſub regibus Attalicis.* Ibi quoque origo eorum, & ſtemma. LIPS. *mox habita his poſſeſſam.* Ed. Rhen.

Cypro devicta.] Uſitatius erat, *Cypri devictae nullis*. niſi diſpectim legas potius, *Cypro de victa*. Sed ecce imprudenti excidit *diſpectim*. vox tibi forte novae, mihi ſane antiquae monetae: ſed nihilominus etiam novae. Alia enim figura hic a me percuſſa. In Gloſſis veteribus, quas Henrici Stephani beneficio literaria Reſp. recuperavit, legimus: *Diſceptim*, σαφῶς, φανερῶς. mendoſe abſque dubio: verum jam aliquot annos eſt, cum lux horum ſtudiorum & Germaniae univerſae Jan. Gulielmius, quem unum Galliae & Belgicae ſupercilio obducere poſſumus, emendandum cenſuit, *Diſertim*. Ego pace manium ejus, quem vivum (ſerio doleo) nec vidi per aetatem, nec novi, mortuum e ſcriptis viſum & notum optime, amore & honore pio veneror maxime, ſeorſum ab hoc judicio abeo: propiusque fortean vero, minori certe licentia, conjicio *Diſpectim*. Id erit a *diſpiciendo*, deque eo dicetur, quod σαφὲς aut φανερὸν eſt, planeque diſpici & perſpici poteſt. Hanc formam ejus antiquam habes: novam nunc a me indidi, modo hoc licere mihi putas per ſenatum Antiquariorum. Sed periculum ſubii, & formavi a *Diſpectum*. quod a *diſpeciſcor* eſt, notum non nimis ſupinis ſupinum. Sed haec quoque, mi lector, fuerit quaedam velut ἐκβολὴ τοῦ λόγου: immo verius ἐμβολὴ τῶν λόγων. Acidal. Non dubitamus quin legendum ſit, *Cypri devictae nulli aſſignanda gloria eſt*, & ita ſcripſiſſe Vellejum putamus. Ursin. Melius, *Cypri devictae*. Lips. Lego, *Cypro de victa nulli*. Voss. Lipſius *Cypri devictae* repoſuit, cum eſſet *Cypro devicta*; ex quo alii fecerunt: *Cypro de victa*. Boecl. *Cypro devicta nullis* prima editio, nec mutari neceſſe eſt. Poteramus alioquin elegantius *Cypros devicta nulli aſſignanda gloria eſt*. Vel *nulli gloriae*. Similis epexegeſis apud Juſtin. lib. xviii. *Primus illis appulſus terrae Cyprus inſula fuit*. Florus etiam in hac narratione, *Cypros recepta ſine bello*; non *Cyprus*. Heins. Nihil video cur debeat moveri antiqua lectio, quam ſervavit Aldus, Popma, Voſſ. & Heinſius.

Quippe SCto.] Cujacius vii. Obſ. 9. etiam hoc loco pro *SCto* reponit *plebiſcito*: quoniam lege Clodia, non S. C. hoc miniſterium Catoni mandatum fuiſſe conſtat. Vellejus ipſe infra, *P. Clodius*, inquit, *legem tulit, ut M. Cato Quaeſtor cum jure Praetorio*, &c. Putean. Clariſſimus Cujacius & hic corrupte legi *SCto*, pro *PSto*,

ait, niſi utrumque interveniſſe dixeris, quod ſaepe accidit, ut de colonia Vibonem deducenda apud Livium lib. xxxv. de actis Caeſaris apud Ciceronem ad Atticum v. Epiſtola 16. Ego Vellejum culpa vix libero. Miniſterii duo genera doctiſſimo, & Juriſconſultiſſimo Raevardo. Unum honorificum, & cum poteſtate, ut cum mittuntur in provincias, cum praetorio, conſulari, quaeſtorio jure: de quo hic, & Valerius. Alterum vile & ſervile; de quo Quinctilianus Declamatione; *Praegnans adultera*: adde Cujacium lib. VII. Obſervat. cap. 9. SCHEGK. Certum eſt Plebis hoc ſcitum, non Senatus fuiſſe: eoque ſummo virorum Cujacio viſum hic reponi; *PSto.* LIPS. Immo *plebiſcito*, lege Clodia, quam P. Clodius Trib. pleb. tulit, ut Cyprus inſula in provinciae formam redigeretur, ut Ptolemaeus rex Cypricus cum omnibus bonis publicaretur, ut M. Cato Quaeſtor cum jure praetorio adjecto etiam Quaeſtore, mitteretur in inſulam Cyprum, & regiae gazae vendendae & pecuniae deportandae praeficeretur. Nihilominus hic retinendum *Senatusconſulto*, & Vellei oſcitantiae hoc tribuendum. POPMA.

Regis morte.] Ammianus lib. XIV. regem *foederatum & ſocium ob aerarii anguſtias ſine ulla culpa proſcriptum* narrat; *ita ut jus ejus inſulae, avarius quam juſtius ſint aſſecuti Romani.* Strabo lib. XIV. quod Rex Clodium a piratis captum redimere noluerit, legem latam ſcribit. SCHEGK.

Quam ille.] Potius eſt, vel *ipſe*, vel *illi*. quod poſterius cenſeo potiſſimum. ACIDAL. Pronomen *ille* eſt parelcon, vel legend. *illi*. De Ptolemaei mortis cauſa longe aliter Strabo lib. XIV. & Ammianus lib. eodem. De conſcientia vindice praeclare Seneca. *Conſcientia aliud agere non patitur: ſubinde reſpicere ad ſe cogit. Dat poenas quisquis exſpectat: quisquis autem meruit, exſpectat.* & Petronius Satyr. *Dii deaeque quam male eſt extra legem viventibus; quicquid meruerunt ſemper exſpectant.* POPMA. Puto, *quam ille conſcientia civerat*, vel *conciverat. ciendi* verbum Vellejo eſt in deliciis. HEINS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 48.

Creta, Metelli ductu, longiſſimae libertatis ſine multata. Et Syria Pontusque.] Diſtinguo & ſcribo: *ſine multata eſt. Syria Pontusque.* quod quivis verum ſtatim agnoſcat. ACIDAL.

Et Syria.] Lege, *at Syria, Pontiisque*, &c. Voss.

Gallias primum Domitio & Fabio nepote Paulli, &c.] Lege, *Gallias primum a Domitio, & Fabio nepote P.* Manut. Scribendum, *Gallias, primum Domitio Fabioque N. P.* nam ab antiqua editione, quoad fieri poteſt, diſcedendum non eſt. Ursin. In libro veteri eſt *nepoti*, hinc Lipſius *Domitio & Fabio nepoti.* Raphel. Non illi primum contra Gallos exercitum duxerunt, ſed M. Fulvius Flaccus Coſ. cum M. Plauto Hypſaeo anno dcxxviii, biennio poſt de Liguribus & Voconiis & Saliis triumphavit: deinde ſequenti anno de iisdem C. Sex. Calvinus, Cn. Domitius Ahenobarbus Coſ. anno dcxxxi. Arvenos & Ruthenos devicit: etſi finem bello non impoſuit, ſed qui ei ſucceſſit Q. Fabius Maximus Allobrogicus. Teſtatur hoc praeter caeteros Ammianus lib. xv. *Gallicae regiones*, inquit, *praecipue quae confines Italicis, paulatim levi ſudore ſub imperium venere Romanum, primo tentatae per Fulvium praeliis parvis, quaſſatae per Sextium, ad ultimum per Fabium Maximum domitae, cui negotii plenus effectus aſperiore Allobrogum gente devicta, hoc indidit cognomentum.* Popma.

Nepoti Paulli.] *Nepote*, Ed. Rh.

Et amiſimus.] Puto, *& omiſimus*, interrupta nimirum expeditione. Heins. Sed ſi *omittimus*, nulla eſt clades, ſed *magna clade amittere*, ſolemus provincias ante acquiſitas. Sic capite ſuperiore Hiſpania *varie poſſeſſa, ſaepe amiſſa*, ut in qua multi *imperatores & exercitus amiſſi fuere.* cap. 90. Burm.

Paene idem quod totus terrarum orbis.] Quae mens? an tantum fere ſtipendii conferre divites illas Gallias, quantum reliquum orbem? tumidum & vanum eſt. An diſcrimen aliquod tributi Gallicani a reliquis provinciis indicat? nugae, nec hic locus. Verbulum hoc turbans ego trajicio, & lego: *idem quod paene totus.* Probe & caute veritati nempe conſultum it Vellejus; & quia illa abnuit de toto orbe ſtipendiario, addidit *paene totum.* Lips.

Ignavum conferunt ſtipendium.] Non diſplicet, *in aerarium conferunt ſtipendium.* Manut. Manutii conjectura non diſpliceat, niſi videatur ſupervacua. Inſultat enim quodammodo auctor contumelioſa voce Gallis: qui bello celeberrimi & antehac invicti, nunc velut fracti &

ignavi

ignavi ſtipendium Romanis pariter cum aliis gentibus ſolvant. Acidal. Alii volunt, *in aerarium conferunt.* Quid opus mutatione? Revera *ignavum ſtipendium*, & ejus penſio parum virilis. Tamen ſi quid opus, legam: *in annos.* Lips. Cur vocet *ſtipendium ignavum*, liquebit ex verbis Taciti lib. iv. Hiſt. cap. 12. ubi loquitur de Batavis: *nec opibus Romanis, ſocietate validiorum attriti: viros tantum armaque imperio miniſtrant.* unde & ipſimet Batavi lib. v. Hiſtor. cap. 25. *Reſpicerent Rhaetos Noricosque, & ceterorum onera ſociorum. ſibi non tributa, ſed virtutes & viros indici. proximum id libertati.* Gruter. Emendo *ſignatum*; idque rectum eſſe proxime praecedentia verba ſignificant. *Signatum* ſtipendium eſt tributum, quod provinciae ſubactae in aerarium conferebant, veluti Galliae pendebant ſtipendii nomine a Caeſare impoſiti cccc. HS. quod poſtea Auguſtus in Conſulatu ſuo ſeptimo revocavit & auxit. Suetonius & Dion. Popma. An *gnavum?* ſane hoc maluerim; de ſtipendio ita Eutropius lib. vi. *Galliae autem tributi nomine annuum imperavit HS. quadringenties.* Unde emendandus Suetonius in Julio, ubi vulgo legitur: *eique* (Galliae) *in ſingulos annos ſtipendii nomine impoſuit.* Scribendum ex codice Vaticano: *Eique cccc. in ſingulos annos ſtipendii nomine impoſuit.* Fruſtra enim *HS.* addebat Torrentius, quod intelligi debet. Vellejus ſupra de Catone: *cum lis ejus* xviii. *aeſtimaretur.* Ubi male itidem pro *ejus*, Scaliger libello de re nummaria reponebat: *et HS.* Ita ἐλλειπτικῶς ſemper loquuntur poëtae. Voss. Primo transpone voces *idem paene*: ut *paene* referatur ad totum terrarum orbem, ſi mavis, *idem quod paene totus.* deinde quid opus victis tanta cum contumelia inſultare? Puto Vellejum dediſſe, *in annum conferunt ſtipendium.* Sic *conferre pecuniam in ſtipendium belli*, Juſtino lib. iii. De annuo Gallorum ſtipendio Suetonius in Julio, & Eutropius. Juſtin. lib. xiii. i. *erant in annuo vectigali e tributo tricena millia talentorum:* ſic malo quam *vectigali tributo.* Poſſis & *in aerarium conferunt ſtipendii. deferre ad aerarium* Tacito Ann. iii. cap. 51. Heins. Illud *paene idem* mox iterum occurrit, ſed hic corruptum puto. forte, *infracta penitus, idem* &c. Poſſet & tranſpoſitis vocibus *plene infractae*, vel *plane.* Abrah. ad Ci-

 cer.

cer. pro Caelio cap. 2. *ignarum ſtipendium*, pro ignoto antea legit. BURM.

Ab eodem facta Numidicus Ciliciam perdomuit, viſa viciſſet poſt bellum Antiochinum Vulſo Manlius Gallograeciam.] Mendoſa omnia. Ego totum hunc locum ita legerem, ex Epitome Livii lib. XCIII. *Ex eodem tractu Ciliciam perdomuit Iſauricus, & poſt bellum Antiochinum Vulſo Manlius Gallograeciam.* Vel: *Ex eodem tractu P. Servilius Ciliciam perdomuit: cum deſciviſſet poſt bellum Antiochinum, Vulſo Manlius Gallograeciam.* MANUT. Aldus hoc in loco reſtituendo neque veſtigium veteris lectionis, neque Hiſtoriae temporumve rationem habet. Sigonii emendatio tam eſt certa, quam quae certiſſima: *Ab eodem facta Numidia. Ciliciam perdomuit Iſauricus, & poſt bellum Antiochinum Vulſo Manlius Gallograeciam*: loquebatur Vellejus de Caeſare, a quo Gallia provincia facta erat, inde pergit: *Ab eodem facta Numidia*, provincia ſcilicet, vel ſtipendiaria. PUTEAN. Locus eſt mutilus, & mendoſus. Cum autem de C. Caeſare hoc loco loquatur Vellejus, poſſet ſic reſtitui: *ab eodem Britannia fracta*, &c. nam praecedit verbum *infractae*, in quo videtur Vellejus lepide jocatus eſſe. URSIN. Liber Bonhom. *facta Numidici.* Inde emendaveram, *facta Numidia*: quod jam video & Sigonio, (at cui viro?) in faſtorum commentariis placuiſſe. Confirmat Hirtius, dum ait: *Tributis vectigalibusque regiis abrogatis, ex regnoque provincia facta, atque ibi Criſpo Salluſtio procoſ. cum imperio relicto, ipſe Zama egreſſus, Uticam ſe recepit.* Et Dio XLV. dubitationem omnem tollit: *Ea pars Libyae, quae circa Carthaginem ſita, a Romanis Africa dicebatur, vetus provincia dicta eſt, quod jam olim ſubacta eſſet: Numidiae autem, quia recens debellata fuit, novae provinciae nomen inditum eſt.* SCHEGK. Sequendi Sol Italiae Sigonius, & flos ſubnaſcens Germaniae Schegkius. Alii nimium divini ſunt, quos ſi imitari luberet, ne nobis quidem appoſite aliquid comminiſci foret difficile. ACIDALIUS. Univerſum hunc locum egregie emendavit Sigonius: *ab eodem facta* (ſc. provincia) *Numidia. Ciliciam perdomuit Iſauricus. Et poſt bellum Antiochenum Vulſo Manlius Gallograeciam.* VOSS. Nae hic ſe torquent eruditi. Facilis tamen emendatio eſt. lege *fracta.* BOXH.

Fracta

fracta Numidia, ni fallor. vel *pacata*, ni ſubintelligimus *facta ſtipendiaria eſt.* HEINS.

Numidicus Ciliciam perdomuit, niſi viciſſet per bellum Antiochenum Vulſo Mallius Gallograeciam.] Ita poteſt aliquo modo hic locus emendari, cum vox *viſa*, ſi retineatur pro *niſi*, penitus inepta ſit. URSIN. Eraſmus legit, *ab eodem Pompejo fractam Numidicus Ciliciam perdomuit, niſi viciſſet, poſt*, &c. quem ſecutus Stephanus: reliqui Sigonio fere obtemperarunt; niſi quod Aldus & Voſſius expreſſerint Rhenani lectionem. *Ab eodem facta Numidicus Ciliciam perdomuit, viſa viciſſet poſt b. A. V. M. Gallograeciam:* qui & in margine notavit, Alias, & *poſt bellum*, pro, *viſo viciſſet poſt b.* legi.

Quorum titulis forum ejus praenitet.] Suetonius extremo Aug. *De tribus voluminibus uno mandata de funere ſuo complexus eſt: altero, indicem rerum a ſe geſtarum, quem vellet incidi in aeneis tabulis, quae ante Mauſoleum ſtatuerentur: tertio breviarium totius imperii; quantum militum ſub ſignis ubique eſſet, quantum pecuniae in aerario & fiſcis, & vectigaliorum reſiduis.* Et Tacitus lib. I. Annal. *Proferri* (Tiberius) *libellum recitarique juſſit. opes publicae continebantur, quantum civium, ſociumque in armis, quot claſſes, regna, provinciae, tributa aut vectigalia & neceſſitates & largitiones; quae cuncta ſua manu perſcripſerat Auguſtus.* Ambo ecce ab Auguſto compoſitum, ſed nullus in foro poſitum adfirmat. Locus itaque laudabilis, & quem alibi quaeras fruſtra. eumpſe eſſe volunt, cujus exemplar Ancyrae ab Ampliſſimo Busbequio curatum, nuper edidit doctiſſimus Schottus. SCHEGK. An hic ergo *Index* ille rerum *Auguſti* tangitur? de quo Suetonius ſcripſit, & qui hodieque lacer viſitur Ancyrae Galatiae urbe. Sunt qui cenſent: non ego. Nam ille quidem ante *Mauſoleum* Auguſti *ſtatutus in aeneis tabulis*: at hi tituli in foro. Loca igitur diſcrepant: ſed nec res eadem. Nam in illo breviarium, quidquid belli aut domi Auguſtus geſſit: hic ſaltem gentes ab eo, ſive auſpiciis ejus, victae, & tituli ducum triumphales. Denique tangit Vellejus hoc, quod Suetonius cap. 31. in Aug. *Proximum a diis immortalibus honorem memoriae ducum praeſtitit, qui imperium populi Romani ex minimo maximum reddidiſſent. Itaque & opera cujusque manentibus titulis reſtituit, & ſtatuas omnium triumphali effigie in*

utraque Fori ſui portica dedicavit. Lipsius.

At Ti. Caeſar.] *At T. Caeſar.* Rhen.

Parendi confeſſionem.] Videtur vox *parem*, in *parens* mutanda eſſe, & totus locus ita legendus: *At Ti. Caeſar, quam certam Hiſpanis parendi confeſſionem extorſerat parens, Illyriis Dalmatisque extorſit.* &c. eleganter autem a Vellejo verbum *extorſit* repetitum eſt, quod de C. Caeſare Ti. patre ſupra poſuerat. Ursin. Hiſtoriae & fidei intereſt hoc corrigi. Numquid enim Tiberius Hiſpanos ſubegit, & domuit; nusquam factum, aut ſcriptum. Imo Auguſtus ipſe, atque ita antea traditum hoc ipſo indice; *Hiſpania univerſa ductu Auguſti facta ſtipendiaria eſt.* Huic ſenſui emendo: *confeſſionem extorſerat parens, Hluriis Dalmatisque extorſit.* Tam certam, inquit, Tiberius Dalmatis & Illuriis parentiam extorſit, quam parens ejus (Auguſtus) Hiſpanis. Lips. Atque Auguſtum Hiſpanos domuiſſe, ſatis conſtat. juvabant ergo Urſinus, Lipſiusque legendo, *q. c. H. p. c. extorſerat parens; Illyriis, Dalmatisque extorſit.* Quod perplacet. Voss. *Parem* prima editio. Scribe: *At Ti. Caeſar, quam certam Hiſpanis parendi confeſſionem extorſerat parens, parem Illyriis Dalmatisque extorſit.* Paullo aliter Lipſius. ſic apud Tacitum Ann. vi. cap. 20. de Caligula, *qualem de die induiſſet Tiberius, pari habitu.* Ita conſtituendus locus vexatiſſimus: componebat ſe quotidie ad vultum habitumque Tiberii, ſive triſtis ille, ſive laetus: tale illud Papinii in Silvis Epicedio vernae pueri: *Vultumque tuo ſumebat ab ore.* Heins. *Extorſit* deeſt Ed. Rh.

Scordiſcos.] *Cordiſcos.* Ed. Rh.

Cappadociam P. R. fecit ſtipendiariam.] Eunt in hanc ſententiam agmine facto, omnes, praeter Appianum, qui hujus ſubacti regni gloriam confert in Auguſtum, ait; *quod regnum Ariobarzanes integrum reliquit filio ſuperſtiti multis mutationibus obnoxium usque Auguſtum Caeſarem, quo imperante, quemadmodum alia quaedam, ita hoc regnum in provinciae formam redactum eſt.* Scheck.

Media, Albania, Hiberia.] Repone, ut eſt in editione Rhenani, *Media, Albani, Hiberi.* Quod ſine ratione immutatum. Voss. *Albani, Hiberi* princeps editio. Lege, *penetrati cum victoria Medi, Albani, Hiberi.* de nationibus enim agi oſtendunt ſequentia. Heins. *Penetratae cum victoria Media, Albania, Hiberia*, Eraſmi,

&

& eum ſecutae reliquae editiones, quod cur repudiemus nihil eſt, delendum modo *ac*, quod natum ex avulſa litera *a* ab *Hiberi*, ut *a* in *Albania* abſorpſit *H.* in *Hiberia*, pro qua *Iberia* legendum? Neque movere debuiſſent Heinſium, quod ſequatur *nationes*, nam ſaepiſſime regiones pro gentibus, & contra gentes vel nationes pro locis, in quibus agunt, ponuntur. Sic Mithridates apud Juſtin. XXXVIII. 5. *ſibi pupillo majorem Phrygiam ademerint, &c. gentem, quam & proavo ſuo Mithridati Seleucus in dotem dediſſet.* Sed de illis plenius agemus ad Ovid. IV. Met. 668. ſi quis Rhenani editionem ſequi velit, *Media, Albani, Hiberi*, ubi regioni ſubjiciuntur gentes, habebit ipſum Heinſium vindicem, qui apud Ovidium III. Triſt. XI. 55. legit, *Quid mihi cum Siculis inter Scythiamque Getasque*, & firmat altero loco ex II. Amor. 16. *Sed Scythiam, Cilicasque feros, viridesque Britannos.* BURM.

Pharnacis.] *Pharnaces* Ed. Rh.

Mithridates, ultimus omnium juris ſui regum, praeter Parthicos.] Bene *juris ſui*. Nam Pharnaces poſtea quidem Ponticum regnum adminiſtravit, ſed non niſi jure ſtipendiario. Emendandus obiter hac occaſione Plinius Naturalis Hiſtor. lib. XXXIII. cap. 12. ubi Pharnacem hunc primum Ponti regem nominat. Ita quippe ait: *jam enim triumpho Magni Pompeji reperimus translatam Pharnacis, qui primus regnavit in Ponto, argenteam ſtatuam.* Omnino legendum, *qui poſtremus regnavit in Ponto*, &c. VOSS.

Victor omnium, quos adierat.] Aemulatum hunc locum eſſe Sulp. Sever. lib. II. cap. 26. recte notavit Richter. Spec. Obſerv. Critic. pag. 28.

Fortunam hominis egreſſus.] Sic Scribon. Larg. n. 199. *& contra jus fasque profeſſionem egredi*, ut emendat J. Rhodius. Stat. VI. Theb. 33. *Planctus egreſſa viriles.* [*Excedere* Rutil. 32.] BURM.

Favorabilem.] *Reditum formidabilem*, quae proxime ſequuntur verba, legendum ſignificant. MANUTIUS. Certum eſt, hoc eſſe contra mentem ſcriptumque Velleji. An hoc favorem Pompejo fecit, quod cum exercitu rediret, & oppreſſurus libertatem crederetur? imo odium prorſus. Aldus igitur legit *formidabilem*. Ego, *infavorabilem*: novo, ſed appoſito verbo. Quidni iſtud, ut de-

deſavere & *deſautio*, quae in Tertulliano ſcio mihi lecta? LIPS. Puto excidiſſe particulam negativam, ſcripſiſſeque Vellejum, *non favorabilem*: licet in hoc diſſentiat a Salluſtio lib. III. Hiſtoriar. ubi ait. *Multisque ſuſpicionibus violentia plebi facturus habebatur*. POPMA. Omnes uno agmine in haec conſpirant. Alii legunt, *formidabilem*; alii, *infavorabilem*; alii, *non favorabilem*. Atqui vulgata lectione nihil rectius. Dicit Paterculus, Pompeji reditum fuiſſe favorabilem, quia privatus in urbem veniret. Vulgus enim metum conceperat, ne Sullae, aut Marii inſtar, armatus urbem invaderet. Traditum hoc, praeter alios, Dioni quoque lib. XXXVII. VOSSIUS. Optima lectio. Plutarchus: λόγοι δὲ παντοδαποὶ περὶ τοῦ Πομπηΐου προκατέπιπτον εἰς τὴν Ῥώμην, καὶ θόρυβος ἦν πολὺς, ὡς εὐθὺς ἄξοντος ἐπὶ τὴν πόλιν τὸ στράτευμα, καὶ μοναρχίας βεβαίας ἐσομένης. *Varii rumores in urbem praecurrerunt; magnoque tumultu trepidatum eſt, ne exercitum ſtatim urbi admoveret Pompejus, uniusque dominatio denuo invaleſceret*. Adde Dion. XXXVII. p. 43. ubi magnifica commendatio hujus civilitatis. BOECL. Volui aliquando, *cujus reditum parum favorabilem opinio fecerat*. Popma *non favorabilem*; alii aliter. nunc accedo Voſſio, ſtanti pro vulgata lectione. *favorabilis* fuit reditus Pompeji, quod inermis eſt reverſus in urbem, cum venturum armatum Populus crediſſet. HEINS.

Brundiſii dimiſſo exercitu.] Quod inter laudanda, & ſuſpecta Pompeji facinora in primis numerant auctores concorditer. SCHEGK.

Quem ſemper illi vacare moris fuit.] De comitatu privato Pompeji. Sic in margine editionis ſuae Rhenanus; in ipſo contextu, *illa fatare moris fuit*: an, *quem ſemper illi adfectare moris fuit?* ſic *adfectare Gallias* capite ſuperiori. Contra Seneca apud Tacitum Annal. lib. XIV. cap. 56. *prohibet coetus ſalutantium, vitat comitantes. affectare ſtudia Galliarum* Tacitus Ann. XIII. cap. 53. *affectare ſtudium carminum*. Ann. XIV. cap. 16. *ſtudia militum*. Hiſt. I. cap. 23. HEINS. Locum corruptum puto; nam rectius Pompejus diceretur, *vacare comitibus*, ubi illis, a negotiis liber, ſui copiam faceret, ut *vacare uxori*, Phaedr. prol. lib. III. ſed comites *vacare* ſuo patrono, vel duci, dubito an recte dicatur; *apparere*, *adeſſe*, rectius dicerentur. [Ovid. Ep. XII. 1. *At tibi Col-*

chorum

aliorum, memini, regina vacavi. tamquam inferior, quod exprobat Medea Jaſoni.] *affectare* vero Heinſii minus probo, quia nihil praeter ceteros Pompejus in hac re adfectabat, cum omnes imperatores & magiſtratus Romani comites ſecum in Provincias & ad exercitus ducebant: nihil ergo praeter morem communem hic in Pompejo notatur, immo civiliter intraſſe, ut privatum. Quare forte praeſtiterit, *quem ſemper illum ſectari moris fuit.* vel *illum aſſectari*, quae propria in hoc officio comitum verba eſſe nemo ignorat. Burm. V. Miſc. Obſ. V. viii. p. 48. 379. V. ix. p. 260.

Praeterquam a Paullo.] Recte. male alii, *praeterquam Capitolio.* Manut. Plus ergo Paullus intulit, quam Pompejus? Supra de Paullina ſumma vidimus; at hic Plutarchus auctor, *Pompejum tuliſſe* εἰς τὸ δημόσιον ταμεῖον ἐν νομίσματι καὶ κατασκευαῖς ἀργυρίου καὶ χρυσοῦ δισμύρια τάλαντα, παρὲξ τῶν εἰς τοὺς στρατιώτας δεδομένων. *In publicum aerarium in pecunia & apparatibus argenti atque auri viginti millia talentum, praeter ea, quae in milites dilargitus erat.* Confer cum illo *bis millies Paulli*: altero tanto vincit. Ergo jure hic & ingenioſe reſcriptum, *praeterquam Capitolio intulit.* Ad quem ſenſum etiam fac, *majore*, non *majorem.* Lips. Immo ſumma pecuniae a Pompejo in aerarium inlatae, altera fere parte Paullinam vincit. Quod jam Lipſio, ex Plutarchi Pompejo, demonſtratum. Sequitur itaque alios, qui pro, *a Paulo*, emendarunt, *Capitolio*: ac pro, *majorem*, ſcribit *majore.* Sed ſententia, neque ſic ſatis clara eſt, neque veritati conſentanea. Quamobrem enim inter aerarium, & Capitolium diſtinxerit Vellejus, cum aerarium, quod fuit in aede Saturni, in Capitolio fuiſſe ſatis conſtet? Suſpicor itaque, tria illa verba, *praeterquam a Paullo*. ab inepto librario textui eſſe inſerta, cum Paulli triumphum magnificentiſſime ab illis deſcriptum legiſſet. Voss. Aliis placet, *praeterquam Capitolio*; quod Aldus reprobat, & uſitatum praefert. Quibusdam a manu gloſſatoris videntur haec tria verba. Utique in tanta numeri varietate, quae in manubiis deſcribendis apud Auctores occurrit, difficile eſt aliquid pronuntiare: cum praeſertim majus ſubeſſe vitium hoc loco, omnino videatur. Boecler. Immo ſuperatus ab eo Paulli triumphus hac parte, ut jam demonſtratum ab eximio viro J. Lipſio. placebat

olim, *in aerarium P. R. etiam a Paullo, intulit.* Nunc totus locus ita videtur conſtituendus, *longeque majorem omni ante ſe illata, pecuniam aerario, praeterque Capitolio e manubiis intulit.* Praeter pecuniam ex hoſte captam Po. R. aerario inferri ſolitam, dona etiam Jovi opt. Max. e manubiis afferri in Capitolio ſolebant a triumphantibus. *Praeterque* uſitatum Plinio Hiſt. Nat. pro & *inſuper*, quod in *praeterquam* ſubinde degeneravit; adeatur ad illum Gronov. lib. XXXIII. cap. 13. De Capitolio jam alii neſcio qui, recte laudati a Lipſio, viderunt, quam conjecturam cur damnet Aldus Manutius, cauſſam ab illo additam oportuit. Idem tamen Lipſius l. II. cap. 8. & 9. de Magnitud. Rom. ubi fuſe diſputat de hoc loco Velleji, ſibi eam de *Capitolio* conjecturam videtur arrogare, in aerarium tamen cur omittat etiam illic, non ſatis aſſequor. Nec Voſſii ratio eum impugnantis ſatis valida eſt, qui aerarium a Capitolio diſtingui non patitur, quod aedes Saturni aerario P. R. dedicata, & ipſa eſſet in Capitolio. Sed per Capitolium cellas Jovis Deumque aliorum, quibus manubiae votivae ſolebant inferri, deſignant ſcriptores. Nec ſane aedes Saturni in Capitolio, ſed clivum inter Capitolinum & forum, aedi Concordiae proxima. Livius Dec. v. lib. I. *Porticum ab aede Saturni in Capitolium cenſores fecerunt.* Aſconius etiam Pedianus in oratione pro Milone, aerarium aut foro proximum aut in ipſo foro ſtatuit. Praeterea *manubias* aerario inferri ſolitas, vix legi, cum in uſus rerum ſacrarum aut publicorum aedificiorum converti ſolerent: quamquam de propria ejus vocabuli ſignificatione non convenit inter antiquos. Aſconio tamen potius, quam A. Gellio accedendum reor, qui ad orationem in Verrem tertiam *Manubias* definit, *praedam Imperatoris pro portione de hoſtibus captam*, & mox, *ſpolia quaeſita de vivo hoſte nobili per deditionem Manubias veteres dicebant, & erat imperatorum haec praeda, ex qua quod vellent, facerent.* Si Imperatorum praeda manubiae, non potuerunt aerario inferri. Sed haec pluribus excuſſimus ad Tacitum. Heins. Puto illa verba, *praeterquam a Paullo*, adſcripta fuiſſe a ſciolo quodam, nec a Vellejo profecta. nam conjecturae virorum doctorum non ſatisfaciunt. vel ſcripſiſſe, *in aerarium P. R.* quae literae cum ſaepe in *praeter* abierint, inde factum *Praeter* [V. ſupr.

c. 16.

c. 16. & 17. Epiſt. Heinſ. & Periz. 29. & ſeqq.] & deinde quemdam gloſſatorem hic exceptionem deſiderari opinantem, addidiſſe *a Paullo*, quia nullus majori pecunia in aerarium illata celebratus fuit. *praeterquam Capitolio* ab Eraſmo profectum videtur, quem ut ſolet Stephanus ſecutus. Burm.

T. Ampius.] *L. Tampius* ſcribendum eſt ex antiquo denario, & veteri item inſcriptione, ut in notis ad Caeſarem diximus. & totus hic locus ita legendus: *L. Tampius, & T. Labienus Tribuni pleb. legem tulerunt, ut is ludis Circenſibus corona aurea*, &c. nam in antiqua editione eſt, *ut ſi ludis Circenſibus*, &c. ex quo alii fecerunt, *ut S. Ludis*, &c. Ursinus. *T. Ampius.*] Meminere hujus etiam Varro apud Nonium, Caeſar lib. III. de bello Civili, Cicero libro VIII. ad Atticum, & alibi ſaepe, Suetonius in Julio, 77. aliique. Non tamen dubitabat Urſinus reponere *Tampius.* Nam Tampiam familiam notam ſibi ex nummis & lapidibus. Nec ulterius ab eo receſſit magnus Caſaubonus Not. ad Suet. quam ut ſe ſimile numiſma vidiſſe ſcriberet, ita tamen ambigua ſcriptura, ut tam T. AMPIVS, quam TAMPIVS, legi poſſet. Caeterum Hub. Golzius, in Theſauro rei antiquariae, ex numiſmate quodam expreſſit L. AMPIVS. Unde, quae ſit noſtra de hoc loco ſententia, quivis facile colliget. Vossius.

Tribuni pl. legem tulerunt.] Conſidera orationis & hiſtoriae ordinem, & rectius, *tulerant*, videbitur. Acidal.

Ut S. Ludis Circenſibus] Bene Urſinus, *ut is*, &c. Voss. Omiſit voculam *is* Eraſmus.

Corona laurea.] Parum periti rerum morumque Romanorum, qui *auream* coronam hic locarunt. Non fuit ea triumphantibus, ſed e lauru. Et haec ipſa Pompeji *laurea*, ex Dionis claris verbis, lib. XXXVII. *Δαφνοφορεῖν τε αὐτὸν διὰ πάσας τὰς πανηγύρεις, καὶ τὴν στολὴν τὴν μὲν ἀρχικὴν ἐν πάσαις μὲν αὐταῖς, τὴν δὲ ἐπινίκιον ἐν τοῖς τῶν ἵππων ἀγῶσιν ἐνδύνειν*: *Ipſum autem laurum ferre* (in capite) *per omnes ludos, & Togam praetextam; Triumphalem autem, per ludos Circenſes.* Sunt haec ipſa decreta, quae Vellejus dicit: & tu corrige. Lips. Et hic & paullo poſt, ex Dione, *laurea*, legendum. Quod Lipſio Pighioque etiam obſervatum. Voss. Recipienda erat

rat in textum palmaria Lipſii emendatio, quam res ipſa ritusque Rom. & Dionis auctoritas firmat: unde nihil de *aurea corona*, ſed de *laurea* habemus. *Auream* tamen *coronam* defendit Carol. Paſchalius in erudito de coronis opere. Judicent docti. Savaro ad Sidon. Apollinar. carm. XXIII. v. 425. confundit locum Noſtri Auctoris cum iis, qui de coronis ſactorum certaminum victoribus dari ſolitis agunt. Niſi forte reſpexit ad locum Plinii, VII. 26. ubi de Pompejo: *Poſtea ad maria & deinde ſolis ortus miſſus hos retulit patriae titulos more ſacris certaminibus vincentium.* ſed additur mox ratio: *Neque enim ipſi coronantur, ſed patrias ſuas coronant.* BOECLER. *Lauream* tuetur etiam Pighius in Annal. A. U. C. DCXC. ſic etiam apud Suet. Aug. I. pro *aurea*, *lauream* reponit Berneccerus, quam Auguſtus corpori M. Alexandri impoſuerit, de qua correctione dubito. nam imitatus Alexandrum, qui Achillis tumulum coronavit, ut ipſe obſervat Berneccerus. Sed Plutarchus ſimpliciter voce στεφανῶσαι utitur, ut & Aelian. XII. Var. 7. Unde nihil certi diſcimus, ſed *auream* fuiſſe coronam ex ſimili facto Alexandri collegimus, quod Curtius lib. X. I. narrat de Cyri ſepulchro, quod Alexander vidit. Addens, *Ceterum corona aurea impoſita amiculo, cui adſueverat ipſe, ſolium, in quo corpus jacebat, velavit.* In Valer. Max. loco lib. V. I. ext. 6. pro *laurea corona*, *auream* legit etiam Freinshemius. Hic tamen *lauream* recipiendam puto. Quia moribus Romanis magis convenit. & ita Caeſari *jus perpetuo coronae laureae geſtandae* datum, Sueton. cap. XLV. BURM.

Primum ex Africa.] Editio princeps, *primus*. Forte *primo* ſcribendum. Ut error inde ortus ſit, quod librarius ſcripſerat, *primus*. VOSS. *Primum* Eraſmus jam reſcripſit, & deinde alii.

Triumpharet.] Malebat Heinſius *triumpharit*.

Quot partes terrarum orbis ſunt.] Hinc Cicero pro Cornelio: *Pompejus tot habet triumphos, quot ſunt orae partesque terrarum.* Idem: *Pompeji tres triumphi teſtes ſunt, totum orbem terrarum noſtro imperio teneri.* Et Dio lib. XXXVII. *Duxit unum de omnibus bellis triumphum. in quo multa tropaea intulit de ſingulis rebus geſtis; unum aliquod perexiguum, unum autem magnum, ſumtu ingenti apparatum, quod DE ORBE TERRARVM inſcriptio-*

nem

nem habebat. Appianus, Plutarchus, & unice Plinius. SCHEGKIUS. Plane ad hunc ſenſum Plutarchus: *μέγιστον δὲ ὑπῆρχε πρὸς δόξαν καὶ μηδενὶ τῶν πώποτε Ῥωμαίων γεγονὸς, ὅτι τὸν τρίτον θρίαμβον ἀπὸ τῆς τρίτης ἠπείρου κατήγαγε. ἐπεὶ τρεῖς γε καὶ πρότερον ἦσαν ἕτεροι τεθριαμβευκότες. ἐκεῖνος δὲ τὸν μὲν πρῶτον ἐκ Λιβύης, τὸν δὲ δεύτερον ἐξ Εὐρώπης; τοῦτον δὲ τὸν τελευταῖον ἀπὸ τῆς Ἀσίας εἰσαγαγὼν τρόπον τινὰ τὴν οἰκουμένην ἐδόκει ταῖς τρισὶν ὑπῆχθαι θριάμβοις.* *Maxime autem ad gloriam illuſtre Pompejo, neque cum quoquam Romanorum ad id tempus commune erat, quod tertium triumphum ex tertia orbis parte egit. Nam ter quidem etiam alii ante ipſum triumphaverant. Ipſe autem primum ex Africa, ſecundum ex Europa, tertium ſive hunc poſtremum ex Aſia duxit, adeoque tribus triumphis totum quodammodo orbem triumphaſſe viſus eſt.* BOECLER.

Itaque & Lucullus, memor tamen acceptae injuriae.] Striga, & ſiſte aliquantiſper ad illud *tamen.* Nec enim accipies vulgariter. Aut enim abundat in ornatum; quomodo in Propertio ſaepe, notante omnis eruditionis principe Scaligero: aut quod novitius ego, vereor ne & vitioſus cenſor judico, poſitum ſignificatione τοῦ etiamnum, ſive *adhuc.* Nimis nove, inquies: ſed vide, opinionem unde hauſerim. Eram in Atticis M. Tullii epiſtolis, quas amo cum iis, qui vehementiſſime. Inibi lib. IV. Epiſt. ut hodie numerant, 16. locum iſtum legebam, a Mureto jam olim tentatum. *Quid aliud novi, & tamen, abſoluto Gabinio, ſtomachantes alii judices, hora poſt, Antiochum Gabinium, neſcio quem e Sopolidis pictoribus libertum, ac accenſum Gabinii, lege Papia condemnarunt.* Eum corrigere tentabam & ipſe, non mihi ſatisfaciente viro, quem dixi, clariſſimo, ſi ita legeremus. *Quid aliud novi? etiam. Abſoluto Gabinio.* Et eſt hoc quidem ex more Ciceronis, cum exhauſta jam ſcribendi materia, nova quaerit literarum capita, ut vel fine ſextae lib. II. *Aliud quid? etiam, quando te proficiſci iſtuc putes, fac ut ſciam.* Nec aliud fere frequentius hac iſta cogitandi velut & captandi formula: *Quid? quid? etiam.* Poſtea viſum mihi, quod vulgatum, retinere, mutata leviter interpunctione. *Quid aliud novi? & tamen. Abſoluto.* ut ſit idem cum illo altero *etiam:* quomodo capiendum forte & Epiſt. 6. lib. x. *Meas cogita-*

tationes omnes explicavi tibi ſuperioribus literis. quocirca hae ſunt breviores: & tamen, quia feſtinabam eramque occupatior. Idem de Senect. *Ceteraque graviſſime: notum enim vobis carmen eſt. & tamen ipſius Appii extat oratio.* Nec aliter Apul. Florid. 4. *Nihil quidquam homini tam proſperum divinitus datum, quin & tamen admiſtum ſit aliquid difficultatis.* Nam ſic in veteribus: quod hac forma ſe facile tueatur a correctorum ſtilis. Propertii illud certe ſic intelligi velle tantum non clamat. lib. II. Eleg. ult. *Sed non ante gravis taurus ſuccumbit aratro, Cornua quam validis haeſerit in laqueis. Nec tu tam duros per te patieris amores: Trux tamen a nobis ante domandus eris.* Quorum verſuum primo ſcribi etiam malim *gravi:* ut grave aratrum reſpondeat duris illis amoribus: in qua oppoſitione vis eſt aliqua ipſius comparationis: quam eandem & aliter expreſſit eodem libro Eleg. *Qui nihilum. Ac veluti primo taurus detrectat aratra, Mox venit aſſueto mollis ad arva jugo: Sic primo juvenes trepidant in amore feroces, Dehinc domiti poſthaec aequa & iniqua ferunt.* ACIDAL.

Memor tamen.] Lucullum etiam inter invidos Pompejo fuiſſe, ait Paterculus; non tamen ſine cauſa, ſed quod acceptam injuriam ultum ire vellet. Non percepit loci hujus mentem Acidalius, qui *τὸ tamen,* pro *etiamnum*, ſive *adhuc* poni affirmat. VOSS.

Et cum iis pars optimatum.] Accurate, ut ſolet, exequitur Dio XXXVII. p. 53. BOECLER.

Manum injicit.] Sic Val. Max. lib. IV. cap. 2. *Ad externa jam mihi exempla tranſire conanti M. Bibulus manus injicit.* BURM.

Et quamlibet.] *Et quemlibet.* Edit. Rhen.

Hic nobiliſſima Juliorum genitus familia, & quod inter omnes antiquiſſimos conſtabat, ab Anchiſe ac Venere deducens genus.] Non incongrua lectio: ſed vel dejerarim non Velleji. qui mihi quidem ſcripſiſſe ſic videtur: *& quod inter omnes conſtat, antiquiſſima ab Anchiſe.* ACIDAL. Vide ne fuerit: *& quod inter omnes conſtabat, antiquiſſima.* Nobiliſſima, inquit, gente natus: certe, omnium conſenſu antiquiſſima. Nam poteſt, ritu Romano, vetuſtas eſſe in familia, non tamen imagines multae, & nobilitas. LIPS. Lipſius malit, *antiquiſſima*, ut ad *familia* referatur, quod praeceſſit. Id mihi non placet.

Si

Si quid mutandum ſit, ſcribam potius, *antiquiſſimum*: nimirum ut ea vox τὸ *genus* ſpectet. Imo de veritate conjecturae noſtrae vix dubitem. Notum eſt in nummis Caeſaris plerumque Veneris Genetricis nomen exprimi. Occaſione hac emendetur L. Julius Florus, qui & L. Annaeus Seneca, in Pervigilio Veneris, ubi ait: *Romulaeas ipſa fecit cum Sabinis nuptias, Unde Ramnes, & Quirites, proque prole poſterum Romuli matrem crearet, & nepotem Caeſarem.* Quae lectio nihili eſt. Puto ſcribendum; —— *perque, prole poſterum, Romuli matrem creavit, & nepotem Caeſarem.* Dicit, Venerem, prole poſterum, per Romuli matrem creaſſe nepotem Caeſarem. Lipſii, aliorumque conjecturae, aut difficultatem non tollunt, aut multo longius a vulgata lectione recedunt. Voss. Forte, *inter omnes antiquiſſimos auctores* (vel *ſcriptores*) *conſtabat.* aliter Lipſius. Sic Tacitus ſaepe: ut Ann. 11. cap. 88. *Reperio apud ſcriptores eorundem temporum.* Heins. Accedo Acidalio & Lipſio. Ita Tacit. 11. Ann. 60. licet de Nilo, *quem indigenae ortum apud ſe, & antiquiſſimum perhibent.*

Ab Anchiſe ac Venere.] Strab. lib. III. *Caeſar vero, quia & Alexandri amantiſſimus fuit, & certiſſima cum Ilienſibus cognationis ſigna habebat, impendio ad beneficium incitabatur, certiſſima quidem, quia Romanus erat, Romani autem auctorem generis Aeneam putant, Julius enim ab Julo quodam ex progenitoribus, & ille ab Julo cognomen hoc habuit, qui unus fuerit ex poſteris Aeneae.* Virgilius lib. I. Appianus II. bellor. Civil. Sueton. cap. 6. Lucretius in exordio operis: *Aeneadum genitrix.* Quam Deam contra hoſtes teſſeram dediſſe, Dio l. XLIII. reliquit. Schegk.

Munificentiae effuſiſſimus.] Legendum *munificentia*, ut forma ſermonis usque quaque par ſit. Nam praeceſſit, *vigore acerrimus, forma excellentiſſimus.* Et hoc ad elegantiam ſtructurae in oratione multum facit. Alias ſcio noſtrum illud quoque locutionis genus amare, in quo & a nobis emendabitur. ſed qui *effuſus munificentiae*, Latine dici poſſe mihi perſuaſerit, omnia deinceps, quae non ſunt, perſuadebit. Acidal. *Munificentia*, Erasm. Steph.

Animo ſuper humanam naturam.] Probum eſt, ſed de animo tamen, quia jam nunc praeivit, odioſe repetitum.

Fortaſſe, *Omnino ſuper*. Lips. *Omnino* Lipſius. Forte *in omnia*. vide nos infra cap. 69. quamquam vulgatae lectioni haud temere controverſiam movendam cenſeo. Heins. Forte *animo erectus*, non enim hic de ejus magnitudine, quam rebus geſtis acquiſivit, quod notat *evectus*, ſed de dotibus corporis & mentis agitur. *erecto animo eſſe* ſaepius Cicero & alii dicunt. *erectos animi* habet Silius Ital. XIII. 188. [*Erecta mens* Quinct. I. 3.] Burm. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 49. 380. V. IX. p. 261.

Magno illi Alexandro.] Cum quo etiam a Plutarcho παραλλήλως comparatur. adde Appian. II. de bell. civ. Boeclerus.

Sed ſobrio.] Unde Catonis verbum: *Unum ex omnibus Caeſarem ad evertendam Remp. ſobrium acceſſiſſe*. Scheck.

Qui denique ſemper & ſomno & cibo.] Subiit aliquando Plautinum *quippini* reponere: *quippini? qui ſemper & ſomno*. Sed nec opus eſt, nec Plauti ore, quamquam illa vox & aliorum, noſter loqui fortaſſe velit. Acidal.

C. Mario.] Iſtene patricius huic plebejo? Hoc ſaltem in Plutarcho lego, *Juliam Caeſaris amitam nuptam C. Mario fuiſſe, ex qua minor Marius natus*. Ergo ſeniori Mario adfinis, juniori cognatus fuit. Lipsius.

Nullo modo.] Quid vulgo, *nullo metu?* a noſtra Suetonius cap. I. *Neque ut repudiaret illam compelli a dictatore Sulla ullo modo potuit*. Scheck. Vetus editio *motu*, quod putum putum Vellejanum eſt. infra 42. *motu ſuo deſtitueret*. Plutarch. in Caeſare dixit, οὔτε ἐλπίσιν, οὔτε φόβῳ, *nec ſpe, nec metu*. Popm. Ita ex Suetonio emendarunt, cum in MS. inveniſſent *motu*. Alii legunt *metu*. ſed *motu* reponi debet, quod eſt. Nulla animi commotione, nec ſpe, nec metu: οὔτε ἐλπίσιν, οὔτε φόβῳ, ait Plutarchus in Caeſare; ubi idem narrat. Similiter eadem voce uſus Papinius I. Achilleidos: *Trux puer, & nullo temeratus pectora motu*. De quo non dubitandum. Voss. Quod nonnulli legunt, *nullo motu*, mihi quidem nondum arridere potuit, neque opinor cuiquam attentius cogitanti. Boecler. *Motu* membrana. unde *metu* recte fecerunt: quod in diſcrimen vocari non debuit a Popma Voſſioque; qui *motu* malunt. aperte ſatis *metum* illa Plutarchi in Caeſare tuentur, οὔτε ἐλπίσιν, οὔτε

οὔτε φόβῳ: ſic & cap. 24. in iisdem membranis peccabatur, *cum metu ad Sullam profugiſſent.* & cap. 42. *metu ſuo deſtituerit.* atque ita paſſim noſter, de quo alibi. Heins. Sed ſi *metu* legas, minus diceret Vellejus Plutarcho, cum, ſi *nullo modo* legas, omnia ſimul intelligas. Terent. Eun. v. 11. 2. *ut nullo modo introire poſſim.* Heaut. v. v. 19. *Te id nullo modo facere puduit*, & ita ſaepe alii. Mox non *motu deſtituerit*; ſed *metu* legendum eſt. Apud Statium 1. Achil. 302. alia lectio eſt in optimis membranis, nempe *temeratus pectus amore.* quod tamen non praefero vulgatae. Sed huc nihil facere mihi videtur. *metus* & *modus* confuſi etiam apud Pacatum cap. 41. ubi v. Scheffer. Burm.

M. Piſo Conſularis.] Hic eſt M. Pupius Piſo Calpurnianus, vir triumphalis, & Conſul biennio poſt Ciceronem cum M. Valerio Meſſalla; in cujus domo Cicero diſcere ſolebat. Non ergo erat conſularis eo tempore, quo Sulla rerum potitus eſt, ſed multo poſt: quod Vellejus parum attendit. Popm. *Cum M. Piſo &c. gratiam*; haec parentheſi incluſimus, ne dubius eſſet lector, an *habuiſſe fere* xviii. *annos* ad Piſonem & ejus uxorem referri deberet, an, ut debet, ad Caeſarem, tot annos eo tempore natum. Burm.

Diſſimilemque fortunae ſuae indutus habitum.] Sequar heic delicium illud humanitatis, & leporis vernuli fontem, Jan. Palmerium: quem cum nomino, ſubit animum idem ille dolor, qui ad Gulielmii noſtri mentionem. Ah fata. neutrum igitur fas fuit ſupereſſe, qui ad ſolidam gloriam & ſuam & patriae matureſceret? quae invidia, in ipſo flore aetatis vernantium, ingeniorum indolem exſtinguere? Vere invidia; florere vix inceperat Palmerius; ecce a tergo Mors cum falce, & incidit rapitque novellam Germaniae ſtirpem, ne palmam doctrinae ceteris populis omnibus raperet. Huic nova ſuboles Gulielmius ſuccreſcebat. non paſſa eadem peſtis, & illum ſternit livido telo, quo ſtrata ſimul ſeges omnis famae; in cujus erecta ſpem & fiduciam Germania damnum alterius acceptum obitu jam ferebat facilius, & caput erigebat altius, ut infra ſe gentes alias deſpiceret. Heu, quam fruſtra? Dejecit verticem illum ſubita vertigine lethalis invidiae plaga, ne quidquam eſſet, quo non jactare ſe, ſed vel ſolari caſus ſuos poſſet. Illi vero tamen

vivunt viventque, dum literae vivent: nec abolere aut corrumpere fructus illos ſcriptorum ulla poterit invidia, quos quidem uterque vere primo tales edidere tantosque, ut auctumnis aliorum, niſi tempore, quo & praecedunt ipſi, concedant nihil. Sed miſſo, qui me nunquam mittet, dolore, quo abrepti ab inſtituto ſumus longius; ſequar tandem Mellerum, melleum mihi ſimul & felleum nomen, & quomodo ille primus in Plauto novam vocem repoſuit, *Simulus*: ita hic ego formatam ex ea re reſcribere conabor genuinam germanam, *Diſſimulus*. Nam obſecro, quid majori cum elegantia erit, quam ita ſi legamus? *diſſimulumque fortunae ſuae indutus habitum*. Habitu enim illo diſſimulabat fortunam ſuam, ne qui eſſet, noſceretur. Sic eo, quem dixi, Plauti loco, Trinum. *Sed quis hic eſt, qui in plateam ingreditur, cum novo ornatu ſpecieque Simula? Species ſimula*, ſimulata eſt & quaſi perſonata. Itidem *ſimule*, pro ſimulate legit idem ille in Quadrigario, cujus locum non parcam, ſed alia cauſa, adſcribere. *Fabius de nocte coepit hoſtium caſtra ſimule oppugnare: eum hoſtem delectare, dum collega id caperet, quod captabat.* Hic fuiſſe memini, cum auderem aliter: *cum hoſte deluctare*. ſed debet retineri *delectare*, non una ratione. Cujus ipſius verbi quod Palmerius ibidem exemplum affert ex Thyeſte Ennii: *Nec me Apollo ipſe delectat, ductat Delphicus.* in eo ſic potius videbatur: *Heu me. Apollo ipſe delectat, ductat Delphicus*, ſive *Hei*, aut *Vae*: aliudve quid tale, ut exclamatio ſit ipſius Thyeſtis, conquerentis, adeo ſibi rem jam rediiſſe, ut fides nusquam ſit, ne apud Apollinem ipſum quidem, qui ſe vanis & incertis reſponſis ludos faciat. Poteſt etiam, *Nunc me Apollo*. Vetuſte enim omiſſo *n*, & *o* vicem *u* exarato, ſcriptum fortaſſis, *Noc*, quod in *Nec* poſtea inſcitia commutavit. Sed hoc totum & conjectura & re ipſa leve. quippini? ſpicum e ſpicilegio. Acidal. Acidalius legit, *diſſimulumque*. Quod verbum plane nihili eſt. Nec vel ille, vel Palmerius, Plautum Trinummo uſum eo eſſe, viris doctis perſuadere potuerunt. Multo putidius contendunt, Quadrigarium *ſimule* pro *ſimulate* dixiſſe, apud Nonium in *Delectare*, his verbis ex lib. iv. Hiſt. *Fabius de nocte coepit hoſtibus caſtra ſimul oppugnare; eum hoſtem delectare, dum collega id caperet, quod captabat.* Ubi legunt, *hoſtium*

caſtra

caſtra ſimule oppugnare. Sed vix mihi dubium, quin reliquerit Quadrigarius; *hoſtium caſtra ſimulare oppugnare.* Ac ſane *ſimulare* MS. noſter agnoſcit. Nec aliter in veteri editione Veneta, & accuratiſſima Pariſienſi Merceri editum. Poſſis & *ſimulate* ſcribere, ſed alterum mutari non debet. Nam duos infinitivos junxit Quadrigarius, ut Terent. And. act. III. Sc. II. *Juſſi ei dare bibere.* Qualia exempla compluria a veteribus Grammaticis notata. Voss.

Vel maximum eſt ſi narrari.] Malim, *quod vel maximum, etſi narrari* &c. Burm.

Longum eſt, narrare, quid, & quoties auſus ſit &c.] Lege, ac diſtingue: *Longum eſt narrare, quid, & quoties auſus ſit; quanto opere conata ejus, qui obtinebat Aſiam magiſtratus populi R. metu ſuo deſtituerit.* Intelliges autem Junium, qui proconſul Aſiae praeerat. Aut ſcribe eum Urſino, Lipſioque: *quanto opere conata ejus, qui obtinebant Aſiam magiſtratus populi R. metu ſuo deſtituere,* & juvat editio vetus, in quo *deſtituere* ſcriptum fuit. Voss.

Metu ſuo deſtituere.] *Deſtituerit*, niſi paullo ante velis legere *obtinebant.* Rhenan. Alii *motu*, aut *metu ſuo deſtituere.* vera lectio Burr. *deſtituere*, infinite. Acidal. cum in antiqua editione ſit, *deſtituere*, videndum, an totus hic locus ita legi poſſet. *Quanto opere conata ejus, qui obtinebant Aſiam magiſtratus P. R. metu ſuo deſtituere.* Ursin. Vulgo *motu.* Legendum, *metu.* Eſt etiam in prima editione *deſtituere:* quod retineo; & paulo ante, *qui obtinebant Aſiam magiſtratus*, multitudinis numero lego. Lips. Perplexus & dubius locus, quem interpretes, & Caſaub. ad Sueton. Caeſ. 5. ceperunt, quaſi magiſtratus P. R. metuentes ambitionem tam immaturam, deſtituerint conata Caeſaris, unde & *obtinebant*, & *deſtituere* legere multi voluere. Sed exemplum, quod ſubjicit, docet Caeſarem deſtituiſſe conata Junii, & effeciſſe ne venderet captivos. Quare lego, *longum eſt narrare, quid & quoties auſus ſit, quantoque opere conata ejus q. o. A. m. P. R. metu ſuo deſtituere. metu ſuo*, eſt quem illis injiciebat, ut *metus Pompeji* apud Salluſtium. *Deſtituere* eſt irritum facere, ne effectum habeat. ut, *deſtitutum conſilium morte Dionis* Sueton. Caeſ. 19. *deſtituere rem inchoatam.* Liv. XXXIV. 34. & *ſpem* lib. I. 51. & ſimilia. Burm.

Multos mortales] De hoc genere loquendi vide Gellium lib. XIII. cap. 27. PUTEAN.

Laetusque nocturnae expeditionis triumpho, ad ſuos revectus eſt.] Aliam diſtinctionem adhibuerim: *laetusque nocturnae expeditionis, triumpho ad ſuos revectus eſt.* Nam *triumphum expeditionis* non intelligo, aut intelligere nolo, ut vulgus. *Laetus* autem & *Laetor* genitivo jungi, nemini novum, niſi cui Latinum coelum non notum. Et quod ſequitur, *triumpho; cum* ſubintelligitur. ne id quidem inſolenter. Redibat Caeſar exultans & triumphabundus. ACIDAL. Recte hic, quod rarum, cepiſſe Acidalium Velleji verba puto nam ablativos ita nudos poni, non addito *cum*, docuerunt Taubman. ad Virgil. Culic. 129. & Gronov. ad Liv. II. 56. [& I, 14.] *Laetus* vero genitivo eleganter jungitur. V. Heinſ. ad Valer. Flac. VI. 266. & quos laudat Cl. Drakenborch. ad Sil. VIII. 548. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 49. 381. V. IX. p. 262.

Cum idem enim Aſiam eam quam obtinebat.] Ego quid hic plane ſcripſerit Vellejus, aſſequi conjectura non facile poſſum: ſententia vero, non dubito, quin haec fuerit: *Is enim Aſiam provinciam obtinebat.* Alii: *Is enim Aſiam tum obtinebat.* MANUT. Non aſſeverabo rectius, commodum enim, deterius negabo, quam quod alii afferunt. Quin edico nihil mutandum. *Idem* pro *Is* perſaepe in Apulejo, etiam Gellio: *qui lib.* XVI. *cap.* 8. *Item quod illi συμπεπλεγμένον, nos vel conjunctum vel copulatum dicimus, quod eſt ejusdem modi.* pro, ejusmodi. Nam exemplum ſubjicit. Ut appendix provocabulo, *Dem*, ornatus ſaltem gratia addatur. Sed jam quid iis fiet vocibus, ex hac, ut & priori editione ejectis? Nam in vetuſtioribus: *Aſiam eam quam obtinebat.* Placetne recipere & legere, *Aſiam eandem?* ut formam, de qua modo, iteraverit. Eam quidem Aſiam, interpreter illam oram Aſiae ſeu partem, quomodo Cicero ad Att. lib. v. ep. 21. *Iter igitur ita per Aſiam feci, ut etiam fames, qua nihil miſerius eſt, quae tum erat in hac mea Aſia (meſſis enim nulla fuerat) mihi optanda fuerit.* ACIDAL. Vulgo, *cum idem.* Verba implexa. Schegkius vocibus ejectis edidit: *tum idem enim Aſiam obtinebat.* Manutius putat fuiſſe: *Is enim Aſiam tum obtinebat.* Scriptura vetus mihi pracit: *Tum idem enim Aſiam, eamque obtinebat.* Hoc ſenſu.

ſu. Tum, & illa aetate, unus idemque proconſul Aſiae & Bithyniae erat; aliter ſcilicet quam noſtro aevo. Haec plane pro Velleji ſermone & mente videntur: an pro vero? Nam ecce Bithynia illo tempore non Provincia, ſed Regnum. Et nonne Caeſar ipſe tunc deſedit apud Nicomedem ejus regem? Ita eſt, ſed ſuſpicari oporteat partem aliquam regionis avulſam, & adtributam Aſiae fuiſſe. Romani ſaepe ſic ſoliti incidere pennas regum. Sed haec quia ſuſpicio, valeat, ſi viſum, ſententia aliorum. Lips. Bene emendavit Lipſius, *Aſiam eamque obtinebat*. Voss. *Cum idem enim Aſiam eam quam obtinebat*, eſt vetus ſcriptura, varie interpolata ab hominibus doctis. Meo periculo ſcribe, *tum idem enim Aſiam eamque oram obtinebat*. Cornelius Nepos Alcibiade: *multas praeterea urbes Graecas, quae in ora ſitae ſunt Aſiae*. Poſſis quoque *Aſiaticam oram*, ut ſcriptum fuerit jam olim *Aſiatiquam*, unde promanavit error. Certe niſi in oram Aſiae maritimam jus habuiſſet Junius, non potuit captivos Caeſaris ſibi vindicare. Recte autem *eam oram*, id eſt Aſiaticam: ut quae incurſibus piraticis praecipue eſſet obnoxia. Nam his potiſſimum profligandis poſtmodo imperium univerſae orae maritimae Pompejo fuit delatum. quae poteſtas invidioſa prorſus. Videndus de ea Vellejus noſter cap. 31. atque illic Voſſius. Igitur praeter conſularem provinciam Aſiam, Junio orae quoque illius maritimae cura demandata extra ordinem. Malim etiam, *venditurumque captivos edixiſſet*, nec probo Lipſianum, *vindicaturumque*. *Dicere* tamen pro *edicere* quandoque poni haud ſum ignarus. qua de re adeundus ad Livium Gronovius lib. XXII, 25. Heins. *Is enim Aſiam tum obtinebat*. Eraſm. Steph. V. Miſc. Obſ. V, VIII. p. 459.

Venditurumque captivos.] Mallem, *vindicaturumque*. Illud atrox reſponſum, hoc pro re. quia revera captivi Proconſulis erant, in ejus provincia & adminiſtratione capti. Minatur ergo ſe vindicaturumque eos & aſſerturum. Lips. Lipſius mallet, *vindicaturumque*. Sed cave ei auſcultes. Minatus erat Caeſar mortem praedonibus. Junius proconſul, objecta ſpe pretii, ſe eos ſub corona venditurum reſpondit. Quo nil equidem Caeſaris votis poterat adverſari magis. Quid clarius verbis Plutarchi in Caeſare eandem hanc rem narrantis? ἐκείνου δὲ καὶ τοῖς χρήμασιν ἐποφθαλμιῶντος (ἦν γὰρ οὐκ ὀλίγα) καὶ περὶ

 αἰχμα-

αἰχμαλώτων σκέψεσθαι φάσκοντος ἐπὶ σχολῆς, &c. *Illo autem pretio occaecato, (neque enim exiguum erat.) & de captivis conſideraturum ſe dicente per otium*, &c. Voss.

Redderetur epiſtola.] *Redderetur epiſtola* Rhen. Eraſm. Steph. & alii.

Suffixit cruci.] Quod probant omnes praeter Feneſtellam, ſi Diomedi Grammatico fides, qui ex II. Epitomarum Feneſtellae haec laudat verba, *quemadmodum Caeſar a piratis captus ſit, utque eos poſtea ceperit & decollaverit, & interpretatur, ſecuri percuſſerit.* Schegkius.

Cum in Cottae conſularis locum paene puer a Mario Cinnaque Flamen Dialis creatus.] Quod Cottam flaminem Dialem facis & ſucceſſorem Caeſarem, bis peccas, Vellejі. teſtes produco omni exceptione majores. ecce Tacitus lib. III. Annal. aſſeverat, *duobus & ſeptuaginta annis poſt Cornelii Merulae caedem neminem ſuffectum.* Suetonius Aug. cap. 31. *Nonnulla ex antiquiſſimis caeremoniis paulatim abolita reſtituit, ut Salutis Augurium, & Diale flaminium.* Dio, extremo lib. LIV. *Tum quoque primum poſt Merulam flamen Dialis creatus eſt.* Vides ut unanime conſpirent in tempus & Dialem. Non adverſatur locus Suetonii cap. I. *Sequentibusque conſulibus flamen Dialis, deſtinatus.* (*deſtinatus* dicit, non *creatus.*) Schegkius. Valde hic ſudant, & ut culpae manifeſtus vapulat Vellejus. Bis, inquiunt, errat, quod & Cottam Flaminem Dialem facit, & Caeſarem ei dat ſucceſſorem. Nam Tacitus clare ſcribit, *duobus & ſeptuaginta annis poſt Cornelii Merulae caedem neminem ſuffectum.* Dio pariter lib. LIV. ſub Auguſto *primum poſt Merulam Flaminem Dialem creatum.* Quomodo igitur aut Cotta Flamen, aut Caeſar? De Caeſare facile eſt. creatum dicit, non dicit iniviſſe aut geſſiſſe. De Cotta, vocula una trajecta ſolvet nodum. Scribe: *abſens Pontifex factus erat in Cottae Conſularis locum, cum paene puer a Mario*, &c. Ipſa res eſt. Pontifex, inquit, factus (non ſane Maximus: poſtea adeptus) in locum demortui Cottae Pontificis: cum antea Flamen quidem deſignatus eſſet, ſed Sullae violentia honor ille ei ademptus. Haec ita eſſe cum res clamat, tum juvat nonnihil (unicum & ſollenne hic nobis auxilium) editio priſca, in qua prius illud *cum* nuſquam compareт. Ego autem ſuo loco repoſui, aut potius repperi & eduxi, cum latitaret in verbo *locum.* Lips. Non

errat

errat hic Vellejus, ut quidam putant, ſed ad amplificandum honorem Caeſaris rem minimam curioſe notat & extollit. Nam Cotta poſt Merulae necem a Sullanis Flamen creatus, mox a Marianis civitate pulſus eſt, & in ejus locum Caeſar ſuffectus. Is rurſus a Sulla rejectus, ita neuter illorum peregit Flaminem, ſed uterque per tumultum & factionem partium Flaminio deſtinatus fuit; quod teſtatur Suetonius cap. I. *Sequentibusque Coſſ. Flamen Dialis deſtinatus*, & mox. *Quare & ſacerdotio, & uxoris dote & gentilitiis haereditatibus multatus.* Plutarchum fugit temporum ratio, cum ſcribit Sullam poſt reditum in urbem ſuam effeciſſe in Comitiis, ne Caeſar ſuffragiis id ſacerdotium obtineret. De C. Cotta pulſo civitate & a Sulla victore reſtituto, Cicero in Bruto, & Salluſtius Hiſtoriarum ſecundo. POPMA. Editio princeps illud *cum* non agnoſcit. Hunc locum egregie emendavit Lipſius: Idque in Animadverſionibus ſuis ſolide ex Tacito, ac Dione, firmat. Taciti verba haec ſunt ex III. Annal. II. & LXX. *annis poſt Cornelii Merulae caedem neminem* (ſc. flaminem) *ſuffectum.* Quae attuli, ut exiguo mendo liberarem. Puto enim, Tacitum ſcripſiſſe: VI. & LXX. *annis.* Quippe ſatis conſtat, Merulam occiſum anno V. C. DCLXVI. Flamines autem Diales reſtituti anno DCCXLIII. Julio Antonio, & Fabio Maximo, conſulibus: ut liquet ex Dione lib. LIV. Ergo patet, VI. & LXX. annos intermedios Flaminibus caruiſſe. VOSS. Tractavit hunc locum eruditiſſimus Cardinalis Noriſius ad Cenotaph. Piſana diſſert. II. cap. 5. qui ut haec cum faſtis conciliet, ex quibus Marium jam conſtat Anno U. C. 668. obiiſſe, Cinnam vero 670. (vel 669.) Caeſarem autem, qui A. 654. natus & Anno aetatis XVI. id eſt, U. C. 670. Flamen eſt deſtinatus, non potuiſſe a Mario & Cinna Flaminem creari, putat Caeſarem A. aetatis XII. U. C. 666. creatum flaminem, ſed defectu aetatis non inauguratum, & eodem anno a Sulla victore privatum ſacerdotio, & ei ſubſtitutum Merulam; quo mortuo nullus ſuffectus ad Auguſtum. Sed haec nondum ſatis ad liquidum perducta: nam Merula A. 666. in locum Cinnae, non Caeſaris, creatus Flamen, paullo poſt inciſis venis obiit, quo pacto ergo Caeſar a Cinna & Mario potuit creari flamen, cum Cinna ipſe fungeretur eo Flaminio, eique ſucceſſerit Merula: Cottam vero ſuffe-

ctum Cinnae, eique Caeſarem, ut Popma dicit, nullo Auctore probatur. Quare verum puto Caeſarem A. U. C. 670. deſtinatum, ſed ante inaugurationem a Sulla 672. dejectum ſacerdotio, deinde cum privatus in Aſia res gereret contra Mithridatem, abſens Pontifex creatus, forte A. U. C. 678. quo anno Junius Aſiae proconſul fuit. petierat jam ante, ſed, teſte Plutarcho, Sulla ipſi in Comitiis obſtitit, quod ante annum 673. debuit fieri, nam eo anno Corn. Sulla dictator legem tulit, ut Sacerdotes non in Comitiis, ſed a Collegio crearentur, ut recte Noriſius, qui oſtendit hoc non de Flaminio, ſed alio ſacerdotio capiendum; & recte Plutarchus dicit eum admodum adoleſcentem prodiiſſe, ut peteret ſacerdotium, natus enim erat annos 18: quare hic probanda emendatio Lipſii, quam recepimus, licet non ſcribant veteres, quod ſciam, in Cottae locum eum Pontificem factum. BURM. V. P. Weſſeling. Obſ. 11. 18.

Amiſiſſet id ſacerdotium.] *Amiſiſſet, ad ſacerdotium feſtinans* Ed. Rhen.

Jam.] Omnes, quos vidi, *tam infeſtis*, neque male, *tam* pro *valde*. SCHECK.

Nobiliſſimaque Dolabellae accuſatio.] Eſt ille Cn. Cornelius Dolabella, qui Coſ. cum M. Tullio Decula anno DCLXII. in Macedoniam profectus, devictis Thracibus triumphavit; poſt reus factus repetundarum a Caeſare adoleſcentulo, & abſolutus favore populi. Cicero in Piſonem, Suetonius in Julio, & Tacitus de Oratoribus, POPMA. XXI. aetatis anno. Tacitus de Oratoribus. SCHEGK. *Poſt hanc accuſationem Dolabellae, haud dubie principibus Patronis annumeratus eſt.* Sueton. LV. Auctor de cauſſis corrupt. eloq. 34. 8. *Nonodecimo aetatis anno L. Craſſus C. Carbonem; uno & viceſimo Caeſar Dolabellam; altero & viceſimo Aſinius Pollio C. Catonem, non multo aetate antecedens Calvus, iis orationibus inſecuti, quas hodieque cum admiratione legimus.* adde Val. Max. VIII. 9. 3. Plut. Caeſ. BOECLER.

Et major civitatis in ea favor.] Suboſcura haec. Forte *in eum*, vel *eo*. Favebat enim Dolabellae populus in ea actione, non Caeſari. Dolabella enim populi favore abſolutus. HEINS.

Contentioneſque civiles.] De quibus Plutarchus & Dio. BOECL.

Victus.]

Victus.] Suet. Caeſ. 13. Dio XXXVII. Plutarch. Caeſ. Boecl.

Et reſtituta.] Suetonius Caeſ. 11. cauſſam exponit ἀντιπραγίαν ſc. aemulationem adverſus optimates. *Ut auctoritatem*, inquit, *Optimatium, quibus poſſet modis, invicem diminueret, tropaea C. Marii de Jugurtha, deque Cimbris atque Teutonis, olim a Sulla disjecta reſtituit.* Boecl.

Adverſante quidem nobilitate.] *Eidem*, ni fallor, Caeſari videlicet, de quo agitur. deinde puto, *ad jus avitae dignitatis proſcriptorum liberi.* τὸ *avitae* exciderat. Vide omninò ſupra cap. 28. de eadem re. Heins.

Revocati ad jus dignitatis.] Errat Vellejus turpem errorem, dum indulget adfectui ſuo in Caeſarem: quem Aedilem proſcriptorum liberos dignitati reſtituiſſe ſcribit; quod multo poſt Dictatorem feciſſe conſtat. Videndus Cicero in Piſonem. Popma. Quos Sulla excluſerat, vide ſupr. II. 28. 4. Boecl. Verum eſſe poteſt, errare Vellejum; non tamen plane puto. nam veroſimile eſt, Caeſarem jam id in aedilitate molitum, quod perfecit poſtea Dictator; id colligo ex Oratione, quam Cicero Conſul annò poſt aedilitatem Caeſaris habuit de proſcriptorum filiis, unde conjicio motam jam fuiſſe mentionem de revocandis ad jus dignitatis proſcriptorum filiis. Sed rem inchoatam, ut ſaepe noſter & alii, pro perfecta poſuit. Burm.

Vetere Antiſtio.] Vid. Spanh. Tom. II. de Praeſt. Numiſm. p. 56. Burm. *in marg.*

Viri in tantum boni, in quantum humana ſimplicitas intelligi poteſt.] Sic fere ſupra lib. I. 9. de Paullo. *Virum in tantum laudandum, in quantum intelligi virtus poteſt.* Acid.

Quo notiora ſunt.] Scribe, *quae quo notiora ſunt.* tum paulo ante malim, *praetura quaeſturaque mirabili virtute atque induſtria obitae in Hiſpania.* Heins. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 49. 381. V. IX. 262.

Inter eum, &c.] Quos Cicero II. ad Atticum Epiſtola 18. *reges* indigitat *ſuperbos.* vide Appianum, Dionem, Ciceronem Epiſtolis ad Atticum, alios. Schegk.

Hoc igitur eos.] Imo non illo *Conſule*, ſed Conſule deſignato. Suetonius ita narrat, cap. 19. & Livii epitoma; *C. Caeſar Luſitanos ſubegit, eoque conſulatus candi-*

da-

dato, & captante rempub. invadere, conſpiratio inter tres Principes civitatis facta, Cn. Pompejum, M. Craſſum; & C. Caeſarem. Idem Appianus. & addit Varronis librum in hanc conſpirationem fuiſſe, cui titulus Τρικάρηνος. LIPS. Vide Cl. Maſſon. Vitam Horatii pag. 17.

Nec minus diverſo quoque tempore, ipſis exitiabilis fuit.] Levis error leviter corrigetur: *Nec minus, diverſo quoique tempore:* Omnibus exitialis ſocietas, ſed diverſo cuique tempore. ACID. Lege cum Acidalio, *quoique.* VOSS. *Diverſo utcumque tempore,* ſi quid video, vel, *quamquam.* poſt *auctoritate Pompeji, viribus teneret Caeſaris:* inſerit vetuſtus liber, *viri viribus teneret.* an *auctoritate Pompeji fere, viribus teneret Caeſaris?* HEINS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 50.

Hoc conſilium ſequendi Pompejus, &c.] Fatalis rei Romanae *Oligarchia,* cuius ὑπόθεσιν egregia obſervatione politica hic explanat Noſter, qui & alias in talibus, quam ſit ſtudioſus χαρακτῆρος πολιτικοῦ, oſtendit. Eſt autem in diverſis Triumvirorum conſiliis, unum & quaſi generale propoſitum; quo *ſuam quisque potentiam* ſpectabat quaerebatque. Majore cum fiducia Pompejus; majore cum calliditate Caeſar; majore cum vanitate Craſſus. Caeſar, ut ad deſtinata perveniret, etiam Pompejum & Craſſum in amicitiam reduxerat, quod Plutarchus vocat πρᾶγμα καλὸν μὲν ἄλλως καὶ πολιτικόν, αἰτίᾳ δὲ φαύλῃ, καὶ μετὰ δεινότητος ὑπ' ἐκείνου συντεθὲν ἐπιβούλως, *praeclarum alias factum & civili prudentia dignum, ſed callide pravoque conſilio ab ipſo ſtructum.* nempe, ut auxilio utriusque eo proficeret interim, unde alterum alterius auxilio poſtea oppugnare ac deprimere poſſet, relegata interim communis potentiae invidia in ſocios, quod Vellejus notat. Lege Dionem XXXVII. ubi & ceterorum propoſitum oſtenditur. Florus rotunde IV. 2. 11. *Sic igitur Caeſare dignitatem comparare, Craſſo augere, Pompejo retinere cupientibus, de invadenda Rep. facile convenit.* Recte, *de invadenda rep.* ait. Haec enim ut ſpolium & merces ipſa ſui petebatur hac conſpiratione. a qua propterea Cato libertatis perniciem ſolebat repetere; atque, cum alii diſcordiam poſtea Pompeji & Caeſaris exiſtimarent reip. exitium attuliſſe, ille conſenſionem eorum fatalis mali cauſſam ſuggerebat. BOECL.

In illum relegata.] Ita & Quinctil. VI. Inſt. prooe.

loquitur, *mala omnia ad crimen fortunae relegamus.* & noſter infr. cap. 64. *invidiam in auctorem relegabat.* BURM.

Auctoritate Pompeji, viribus teneret Caeſaris.] Ita caſtigarunt. In MS. tamen fuerat, *auctoritate Pompeji viri, viribus teneret Caeſaris.* Unde argutabar aliquando: *auctoritate Pompeji* III. *viri, viribus teneret Caeſaris.* Nunc vulgatam lectionem non temere mutaverim: facile enim feſtinantis calami vitio duae priores ſyllabae τοῦ, *viribus*, geminari potuerunt. VOSS.

Affinitas etiam, &c.] *Affinitate & nuptiis ludere; prout potentiae parandae conſiliis conducit, inter arcana habent, quicunque dominatum moliuntur.* Ita hic, jam alii (*Caepioni*) pacta Caeſaris filia, in Pompeji transfertur matrimonium: rurſus Pompeji filia, Fauſto Syllae filio deſponſa, in manum Caepionis jubetur convenire. Quo tenderent ea conſilia, notat Cicero ad Atticum ſcribens II. 17. *Turbat vi Sampſiceranus* (Pompejum intelligit) *nihil eſt quod non timendum ſit.* ὁμολογουμένως τυραννίδα συσκευάζεται. *quid enim iſta repentina affinitatis conjunctio?* Viderat in talibus affinitatibus jam antea ὑπόθεσιν τυραννικὴν Cato, cum Pompejo, filioque ejus neptes ex fratre & ſorore denegaret, eo quod animadverteret, ſuam quoque ad provehenda incivilia coepta voluntatem quaeri. Hanc ipſam quoque vafritiem impavide coarguit, apud Plutarch. in Caeſ. & Appian. II. bell. civ. vociferatus: διαμαστροπεύεσθαι γάμοις τὴν ἡγεμονίαν. BOECLER.

Caeſar legem tulit.] Legis *Juliae*, ſive ut Cicero, ut Suetonius, *Campanae*, duo mihi cum doctis viris capita. Unum; quo cautum, ut ager publicus ad ſubſidia Reip. vectigalis relictus divideretur. Cicero ad Atticum lib. II. Epiſtola 16. Alterum; ut ager a privatis in Campania poſſeſſus, redemtus publica pecunia, diſtribueretur plebei. Publicus hac lege XXM. civium, quibus terni pluresve liberi, extra ſortem diviſus eſt. Sueton. cap. 20. Dio lib. XXXVIII. Appianus. Privatus numquam. Cicero pro Domo. De utroque capite idem, Epiſtola 17. ejusdem libri: *Quid iſta repentina adfinitatis conjunctio? quid ager Campanus? quid effuſio pecuniae ſignificant?* Dio tamen turbat, immenſe ipſum, in principio lib. XXXVIII. *Omnem regionem, quae publica pop. Rom. erat, excepto agro Campano, quem Reip. ob praeſtantiam exemptum cenſuit relinquendum, diviſit.* & ſtatim: *Sic tandem*

dem ea lex perlata eſt: praetereaque decretum, ut ager Campanus his, qui ternos pluresve liberos haberent, divideretur. Quid pronunciandum? Dionem legem Agrariam non percepiſſe, an non liquere? SCHEGK. Etiam hoc arcanis dominationis conjungit Cicero epiſtola modo laudata. Rem totam prolixe expoſuit Dio princip. XXXVIII. ubi praeſertim illa calliditas Caeſaris demonſtratur, qui cum revera populi ſibi animos adverſum Optimates conciliatos hac lege cuperet, auctoritatem tamen Optimatum conſenſumque in ſpeciem requirebat praeferebatque, tota molitione ita diſpoſita, ut ne occaſionem quidem contradicendi invenirent. BOECL.

Jus ab his reſtitutum.] Mihi pro *ab his*, reponendum videtur *civitatis*; ut in loco Ciceronis VI. de Repubi. apud Nonium. ubi pro *ab his* viri eruditi emendarunt *cives*; *Reſtitutum* autem dicit, quoniam libro priore meminit civitatis Campanis datae ſine ſuffragio. PUTEAN. Puteanus legendum putat, *Jus civ. his reſtitutum*, ut errori cauſſam dederit ſimilitudo ſcripturae, *ci*, & *a*; & migratio τοῦ *b*, in *v*: quo mendo nullum eſt frequentius in ſcriptis libris. Quod obſervatum a nobis eſt in Scholiis ad Caeſarem. MANUT. Placet doctorum virorum emendatio, qui legunt: *& jus civitatis reſtitutum*, &c. Nam ſupra lib. I. cap. 14. de Campanis item Vellejus dixit: *Abhinc annos autem* CCCL. *Sp. Poſtumio, Veturio Calvino Coſ. Campanis data eſt civitas, partique Samnitium ſine ſuffragio.* URSIN. Cl. Puteanus inter lumina Galliae (heu quam tenebroſae nunc & adflictae!) legendum cenſebat: *Jus civ. his reſtitutum*, id eſt, *civitatis*. Certe rem tangit, & liquet hanc eſſe Velleji mentem. De verbo tamen ambigo; & quid ſi fuit; *jus his reſtitutum*, deleta voce, quae imperite irrepſerat? Ratio & hiſtoria non abnuit. Nam jus apud eos nullum aut juriſdictio; ſed petebant Roma. Livius: *Ceterum habitari tantum, tanquam urbem, Capuam; frequentarique placuit: corpus nullum civitatis, nec Senatum, nec plebis concilium. nec magiſtratus eſſe. Praefectum ad jura reddenda ab Roma quotannis miſſuros.* Tamen a Puteano nondum abeo, & viri, & rei cauſſa. LIPS. Nulla hic opus mutatione. *Ab his* civibus deductis, inquit, rurſus jus coepit immunitatis agri Campani, ad ſubſidia Reipublicae relicti, poſt Capuam in provinciae formam redactam.

Ci-

Cicero ad Atticum, Livius, Suetonius, & alii. Popm. *ab his.* i. e. a Caeſare & Pompejo. Non video, cur vulgata lectio mutari debeat. Vossius. Forte, *& jus urbis reſtitutum*; vel *urbi*. Naſo in Faſtis I. 626. *Jus tamen exemtum reſtituiſſe ferunt.* ſic *jus civitatis Romanae* cap. 117. infra. & paſſim apud ſcriptores vetuſtos. Heins. Forte, *ei jus priſcum reſtitutum.* ut non praefectura amplius eſſet, ſed corpus iterum civitatis eſſet, nam colonia facta eſt; ut appellat eam Tacit. XIII. Ann. 31. *municipium* vero idem III. Hiſt. 57. an, ut ſaepe ſolebat, a coloniae jure transſcripta in municipii fuit? quo jure poſt deditionem usque ad proditam Hannibali urbem forte fuerat. Burm.

Bibulus collega Caeſaris.] Dio XXXVIII. Sueton. Caeſ. 20. Inſignis error optimatum hoc loco notandus eſt. Cum enim ſuſpectam merito haberent Caeſaris potentiam & διάνοιαν τυραννικὴν, veluti adverſarium ei dederunt hunc Bibulum. Auctor Appianus: ἡ βουλὴ Λεύκιον Βίβουλον ἐς ἐναντίωσιν τοῦ Καίσαρος ἐχειροτόνησεν αὐτῷ συνάρχειν, *Senatus Lucium Bibulum collegam Caeſari pariter & adverſarium dedit.* lib. II. bell. civ. Adde Suet. Caeſ. 19. Non recte. Videndum enim eſt, *quis cui opponatur*, in refringendis novis conſiliis. Non erat is Bibulus, qui cum Caeſare componi poſſet in rep. gerenda. Non erat, inquam, idoneus vel calliditate vel auctoritate. Itaque ſtatim in ipſo ἀντιπραγίας initio turpiter ſe dedit; cum ad ſpecioſa Caeſaris verba potius, quam inſidioſa facta animum attenderet; ſimulataeque concordiae imagine tantisper ſibi imponi pateretur, donec Caeſar diſcordiae adverſus Bibulum valiturae firmum quaſi gradum occuparet. Boecler.

Domi ſe tenuit.] Per edicta obnuntiando dies feſtos eſſe, hisque nefas quidquam agere. Sueton. Dio. Ludos hic facit vir doctus in Calpurnii & Bibuli nomine, ſine plauſu. Schegk.

Decretae Galliae.] Socero ſc. (Piſone) generoque (Pompejo) ſuffragantibus, ex omni provinciarum copia Gallias potiſſimum elegit, cujus emolumenta atque opportunitates idonea eſſent materia triumphorum. Sueton. Caeſ. 22. Boecler.

Qui neque.] Cur non audiamus potius Vellejum, quam correctores? Sane V. C. habet, *quique dicendi*, *neque*

 fa-

faciendi. Nec debuit mutari. Vossius. *Quique dicendi* vetus exemplar, approbante Voſſio. *quique nec dicendi, nec faciendi*, ni fallor. Heins. At cur non potuit *neque* ſemel ponere, licet bis intelligi debeat? hoc in Statio & Virgilio obſervat Lutatius ad Papin. I. 102. *Facere* & *dicere* omnia compleċti ſolet ſcelera, & audaciae argumenta. Suet. Caeſ. 76. *praegravant caetera facta dictaque.* Ter. Eun. V. IV. *ego te pro iſtis dictis & factis ulciſcar.* Vid. ad Petron. 99. Burm.

Actus inceſti reus.] Prolixe habes hiſtoriam apud Plut. in Caeſ. Dion. XXXVII. Sueton. Caeſ. 6. Boecl.

Ob initum adulterium.] Exemplum hujus locutionis deſidero. an latet ulcus, quia *iniit* veſte ancillari *domum* Caeſaris inter ceremonias publicas? Burm. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 50. 381. V. IX. p. 263.

Inter religioſiſſima P. R. ſacra.] Bonae Deae, Graecis *Gynaecia*; cujus ſollemni ſacrificio, ſive ut Feſtus nominat, *Damio*, Conſulis, Praetoris, aut Pontificis aedes vacabant, meliori procul remoto ſexu. Locus *Sacrarium* Floro. Cicero Paradox. *Opertum Bonae Deae* vocat, & *ſacra Opertanea* Plinio, quae in operto, id eſt occulto, ſive ſecreto fiunt. Schegk.

A patribus ad plebem.] Traduxit Caeſar eodem die horaque nona, lege lata de adoptione ejus. Schegk. Caeſare in invidiam Ciceronis eum transducente. Sueton. Caeſ. 20. nimirum ut tribunatum, qui patriciis non patebat, impetrare poſſet. Tales autem tribuni, qualis Clodius deſcribitur, rebus novandis idonei, ideoque molitoribus dominationis grati ſunt. Boecler.

Tranſiret.] Imo, *tranſiſſet.* Ita bene a Gryphio, aliisque editum. Voss. *tranſiret* Ed. Rh. quod retinuimus ob praecedens *exerceret.*

Qui civem R. damnatum.] *Indemnatum.* Putean. M. Ciceronem praecipue lex Clodia notabat, qui conjuratos indicta cauſſa necaverat, quod cum omnes hiſtoriae, tum ipſe Cicero in epiſtolis, & orationibus commemorat. Itaque reponendum *indemnatum*, pro *damnatum* omnes, opinor, aut vident, aut ſi a videntibus doceantur, probabunt. Manut. *Indemnatum.* quod res & alii monuerunt. Voss. Plut. in Cicer. & praeſertim Dio XXXVIII. ubi & *iniquitas hujus legis* declaratur, & quo conſilio, quibus potentum fraudibus oppreſſus ſit Cice-

ro,

ro, egregie oſtenditur. Appian. II. bell. civ. BOECLER.
Ei aqua.] *& aqua.* Ed. Rh.
Cujus verbis.] Forte, *Quibus verbis.* BURM.
Calamitate.] Minimo minus turpe monere legendum, *calamitatem.* ACIDAL. Gryphio, Marneſſio, aliisque editum *calamitatem.* Et ita reponendum. VOSS. *Calamitatem* jam Eraſmus repoſuit, eumque ſecutus Stephanus & alii. Vid. Gronov. II. Obſ. 25. & Heinſ. ad Ovid. Ep. VI. 146. BURM.
Suſpicione.] Nec ſuſpicio erat, ſed manifeſta fides. Vide Dionem. BOECLER.
Quod inter XX. *viros.*] A Cicerone epiſt. 2. lib. IX. ad Att. XX. *viri*, ut hic, nominantur, item epiſt. 6. lib. II. ad eundem: cum quo conſentit Dio lib. XXXIIX. Contra, de V. viris, de provinciis conſ. & epiſt. 7. lib. II. ad Att. Et in oratione in Piſonem, cum dixit, *Eorum honorum, quos cum proximis communicavit, me ſocium eſſe voluit:* videtur ſignificare *quinque* potius, quam *viginti viros.* quid enim honoris Pompejus, & Piſo conſulares, ac Cicero ipſe conſecutus eſſet, accepto inter viginti viros loco? Haec igitur, manifeſte inter ſe pugnantia, difficultatis afferunt plurimum in dijudicanda veritate. Quamobrem relinquo, quod ii, qui judicio, ingenioque praeſtant, accuratius conſiderent: quibus aliquid afferentibus, quo videamur in alterutram partem impelli, libenter aſſentiemur. MANUT. Caeſar enim, ut occultaret nova conſilia, optimum & clariſſimum quemque dividendis agris adhibere cupiebat, quaſi nimirum non ſua, ſed ipſorum auctoritate illa res gereretur. quod animadvertens Cicero, decus atque dignitatem ſuam noluerat alienae dominationi gratificari. BOECLER.
Intra biennium.] Decimo exilii menſe. Plutarchus. MANUT. Satis laxe ſcriptum. Omnino intra biennium: atque adeo abfuit tantum Cicero menſes ipſos quattuordecim. Pulſus enim anno DCXCV. circiter Kal. Apriles; rediit anno inſequenti, Menſe Sextili. Plutarchus tamen menſes XVI. computavit, parum exacte. LIPS. Recte Vellejus. Neque enim decimo exilii menſe, ut ait Aldus; ſed decimo ſexto Ciceronem reverſum ſcribit Plutarchus. Cui & conſentit Appianus lib. II. Ῥωμαϊκῶν Ἐμφυλίων. VOSS. Puto in notis Manutii negligentes librarios pro *ſexto decimo*, edidiſſe *decimo.*

Sera Cn. Pompeji cura, verum & cupito interitu.] Corruptum opinor, *& cupito interitu.* Probarem, ſi ſcripti libri conſentient, *excupito reditu.* MANUT. Valde placet id, quod in quibusdam libris eſt, *ut caepit, interrita.* neque aptius quid excogitari poteſt. PUTEAN. Locus eſt ſine dubio mendoſus, qui poſſet ita reſtitui, *ſera Cn. Pompeji cura, & ut coepit interrita* &c. URSIN. Male Rhen. Manutiusque, *& cupito interitu.* Quod Vellejus de biennio jacit, XVI. menſibus concludit Plutarchus, neuter exacte. SCHEGK. Scribe, prout eſt in editione Baſileenſi poſteriori, aliisque eam ſecutis: *verum, ut coepit, interrita.* Ut Pompeji curam ſeram quidem, ſed ſeriam, dicat fuiſſe Vellejus. Et firmat hoc MS. in quo, teſtante Burrerio, ſcriptum erat, *verum & cupit interita.* Non audiendi, qui alia effingunt. VOSS. Cl. Puteano placebat & Voſſio, *ut caepit interrita,* quod exſtat in Baſileenſi editione. Sed membranae, *& cupit interita.* Lege, *verum & cupiti interrita.* Interritus cupitae rei Pompejus, quia nullis Ciceroni adverſantium minis a propoſito ſe paſſus eſt deterreri. Nam quamquam is ante ipſum exilium deſtituerat Ciceronem, atque a Clodio opprimi erat paſſus virum optime de rep. meritum; non multo poſt tamen prioris facti poenitentia ductus acriter fovit exulantem; adeo ut Clodius ſubveritus, ne auctoritate tanti viri ſubnixus adverſarius priſtinae dignitati reſtitueretur, ſicarium immiſerit, qui Magnum interimeret. Verum detecta molitione, tenuit propoſitum nihilominus Magnus, ac frequentiſſimo ſenatu recitata de ſcripto ſententia Ciceroni teſtimonium conſervatae per hunc unum patriae dedit, effecitque, ut populus Romanus comitiis centuriatis, obnitente licet immane quantum Clodio, de revocando Cicerone legem perferret. Haec fere Plutarchus in vita Ciceronis. Recte igitur *cupiti*, ſive *cupitae rei interritus* Pompejus a Vellejo dictus. Dictys Cretenſis lib. III. 23. *Sed ut videtis ſummae rei alii potiuntur, quibus cupita utilitate potiore ſunt:* ita codex meus, vulgo, *cupido utilitate potior eſt.* Idem lib. III. 24. *Tum Achilles confirmare, non prius cupitis ejus ſatisfuturum.* ita codex meus, vulgo, *ſatisfacturum.* lib. VI. 8. *Mutata veſte juvenibus offert ſe, eisque cupitum ſui interitum refert. rei cupitae praetermittere occaſionem,* Livio lib. XXVI. cap. 7. idem lib.

III.

VII. cap. 37. *Cum fortuna, qua quidquid cupitum foret, potentioris eſſet.* *Cupita ultio* apud Juſtin. lib. XLII. 1. Valer. Max. VI. cap. 9. de felicitate Polycratis Samii; *omnes conatus ejus placido excipiebantur itinere, ſpes certum cupitae rei fructum apprehendebant.* Ubi ſcribendum; *placido excipiebantur vitae tenore.* Ut apud Naſonem epiſt. XVII. 14. *Dumque tenor vitae ſit ſine labe meae.* Plin. Panegyr. de Plotina & Marciana, *Idem utrique propoſitum, idem tenor vitae.* Poſt de ſe & Tertullo Collega. *Ita caritas mutua, ita congruens vitae tenor poſtulabat.* ſed ad rem, Tacitus Ann. IV. cap. 3. *Nepotes adulti moram cupitis adferebant.* ſic & alibi non ſemel. *interritus cupiti*, ut cap. 41. *effuſiſſimus munificentiae. lati clavi contentus* cap. 88. ubi plura. HEINS. *Cupito interitu*, conjecerat Rhenanus; pro *cupit interita*, ut erat in membranis. *Interrita cupiti cura* an dici patiatur Linguae Latinae genius, vehementer dubito. Mollius eſſet, *verum, ut caepit, interriti*, ut ad praecedens *Pompeji* referatur. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 50. 382. Nov. Act. Erud. Lipſ. A. 1733. M. Sept. p. 432. 1741. M. Dec. p. 724.

Cn. Pompeji cura,] Tu obſerva inſidam hic quoque Potentum amicitiam: modo abjiciunt, ſi utile ſuis rebus exiſtimant; modo attollunt, ſi ex erecti reſtitutione aliquem ſuae potentiae uſum commenti ſunt. Ut beneficio obligare poſſint adverſarium, injuria eo redigunt, ut beneficii capax ſit. BOECLER.

Numidici exilium.] Fuit enim vere glorioſum Ciceroni hoc exilium, ſicut & Philiſcus in egregio iſto cum Cicerone colloquio judicaverat apud Dion. XXXVIII. BOECLER.

In ſenatu.] Cujacius VII. obſ. 9. delet haec verba, putoque ex ſuperiore proxima clauſula a librario repetita eſſe. PUTEAN. Voculas, *in ſenatu*, vulgo inſertas delevi. Sic monuit Juriſconſultorum & Antiquariorum maximus; ipſa imo Juriſprudentia & Antiquitas, Cujacius: & inſcite repetitas e ſuperiori verſu docuit. ACIDAL. Iterata verba ex praecedenti clauſula monuit Cujacius. SCHEGK. *in Tribunatu* dederat, puto, Vellejus; *In ſenatu* ex ſuperioribus perperam repetitum; quare & delendum cenſebat Cujacius. HEINS.

Honorificentiſſimo.] Lipſius; *honorificentiſſimi.* RAPH.

Miniſterii titulo.] *Miniſterium* eſt publica curatio. Infra cap. 53. *ſub ſpecie miniſteriorum principalium.* Valerius Maximus libro ſeptimo capite tertio. *Publicum miniſterium agens.* Popm.

M. Catonem a rep. relegavit.] Recte *relegavit. non enim*, inquit Cicero pro Sextio, *illi ornandum M. Catonem; ſed relegandum, non illi committendum illud negotium; ſed imponendum putaverunt.* cauſſam expreſſit pro Domo. Provinc. Conſul. Plutarchus, Dio. Scheck. Vide Plutarch. Cat. Min. Ita ſcilicet lupi apud oves, in fabula, de removendis canibus agunt. Ceterum quam alias late pateat iſtud arcanum, quo *ſpecie honoris homines ſeponuntur*, eximia diſſertatione pertractat Gruterus diſcurſ. ad illud Taciti II. A. 42. 2. *Tiberius amoliri juvenem* (Germanicum) *ſpecie honoris ſtatuit.* Lipſ. IV. Polit. 14. 70. In Noſtro exemplo non fefellit ſane Catonis prudentiam Clodius, qui ultro clamavit, ὡς ἐνέδρα τὸ πρᾶγμα καὶ προπηλακισμὸς, οὐ χάρις ἐστὶν. *inſidiarum & contumeliae cauſſa ſibi id miniſterium a Clodio imponi.* Sed quomodo poterat voluntati populi, quem perforata pare trahebat Clodius, reſiſtere? Boecler.

Quaeſtor.] Libentius legerem, *Quaeſitor.* Cato enim multo antea quaeſtor fuerat. Manut. *Quaeſitor* Aldus; quid ita? Cato enim multo antea Quaeſtor fuerat. Hoc quidem veriſſimum eſt. Sed Aldus tamen ſcrupulum iſtum dum eximere tentat, alium injicit. Nam hic *Quaeſitor* idem eſſet, quod Praetor. Quoniam jam inde ab quaeſtionibus perpetuis conſtitutis, quod factum eſt A. U. C. DCIV. judicia publica a Praetoribus exercebantur, qui *Quaeſitores* etiam dicebantur. Conſtare autem cuilibet poteſt ex Hiſtoria & annorum ratione, M. Catonem pro Praetore in Cyprum miſſum eſſe, ut ſeptimo anno poſtquam Quaeſtor fuerat, ita quadriennio ante Praeturam. Hoc praetereo; nullum umquam auctorem *Quaeſitoris* nomen hoc modo uſurpaſſe, nulla prius quaeſtionis vel judicii publici facta mentione. Ego vero hoc loco, non ut quid rectum non ſit video, ita quod rectum ſit afferre poſſim. Nam neque vulgatam lectionem tueri queo, neque habeo quod pro ea ſubſtituam. Scitum eſt illud JCtorum; in pari cauſſa eum potiorem eſſe, qui poſſidet. Interdum tamen mihi in mentem venit Velleji diligentiam requirere; verum amplius pronuntio. Putean.

Bene

Bene *Quaeſtor.* Ita *Piſo in citeriorem Hiſpaniam quaeſtor pro praetore miſſus eſt.* Salluſtius. at extra ordinem, Suetonius, Caeſar. *Cn. Piſoni ob ſuſpicionem conjurationis urbanae, Hiſpania provincia a ſenatu extra ordinem data eſt.* retineamus igitur vulgatam. Scheck. Atqui diu ante Cato Quaeſtor, quod notum eſt. Medetur Aldus, & legit: *Quaeſitor.* ego felicius: *Quaeſtorius.* Lips. *Quaeſtor* jam fuerat Cato, ergo hic Quaeſtor extra ordinem, vel Quaeſtor eſt, qui judicium publicum exercet, & *Quaeſitor* ſaepius dicitur. Unde Quaeſtores parricidii, Feſtus. Plura dixi ad Siſennae lib. iv. Hiſtor. Popm. Tò *Quaeſtor* hic aut temere irrepſit, conflatum ex *Quaeſtore*, quod mox ſubſequitur, ſi fides hiſtoriae: ſeptimo enim poſt Quaeſturam anno miſſus in Cyprum Cato; aut ſcribendum *Quaeſtorius*, ut *Praetorius*, *Aedilitius*, *Conſularis* alibi apud noſtrum; idque amplector: nam *Quaeſitor*, quod Aldus ſupponebat, non arridet. *Quaeſtorius* in inſcriptione apud Gruter. p. ccccıv. A. & *librarius Quaeſtorius* paſſim occurrit. Tullius iii. Philip. *Qui Aedilitii? qui Tribunitii? qui Quaeſtorii?* ſic & alibi is ipſe Cicero. Livius lib. xxxix. cap. ii. *Legatos decernunt M. Valerium Laevinum, qui bis Conſul fuerat, M. Caecilium Metellum Praetorium, Ser. Sulpicium Galbam Aedilitium, & duos Quaeſtorios.* Popma Quaeſtorem extra ordinem interpretatur. Heins. Recte *Quaeſtorius*; ſed lege *Quaeſtorius jure praetorio. cum* natum ex ultimis literis *jus* in *Quaeſtorius.* extraordinarium enim accepit imperium, quo qui ornabatur, jure eo idem utebatur, quo alius, cui per ordinem Magiſtratuum geſtorum ordinarium competeret. Tantum ut non *proconſul* vel *propraetor* diceretur, ſed *proconſule*, & *propraetore.* Sic Sullam Quaeſtorem Marius *pro Praetore* reliquit proficiſcens in expeditionem. Salluſt. cap. 103. *Piſo Quaeſtor in Hiſpaniam pro Praetore miſſus.* Salluſt. Cat. 19. & ita ſaepius. In Rhenani editione erat: *Quaeſtor cum jure praetorio adjecto, etiam quaeſtor emitteretur.* Vitioſa literarum diſtinctione. Burm.

Omnibus morum vitiis.] Mirum ſchema Velleji. quaſi morum vitia Ptolemaeum regno exuere, & Romanis ſpoliandum tradere debuerint. Aliter & verius Ammianus Marcellinus xiv. 27. de Cypro loquens: *nec piget dicere, avide magis hanc inſulam populum R. invaſiſſe,*

 quam

quam juſte. Ptolemaeo enim rege foederato nobis & ſocio, ob aerarii noſtri anguſtias juſſo ſine ulla culpa proſcribi, ideoque hauſto veneno voluntaria morte deleto, & tributaria facta eſt, & velut hoſtiles ejus exuviae claſſi impoſitae, in urbem advectae ſunt per Catonem. Florus quoque non obſcure indignitatem rei innuit, cum III, 9, 3. inquit: *Divitiarum tanta erat fama, nec falſo, ut victor gentium populus, & donare regna conſuetus, P. Clodio Tribuno duce, ſocii vivique regis confiſcationem mandaverit.* Videnda, quae ad Marcellinum Henr. Valeſius; ad Florum, Freinshemius, duo clariſſimi Viri, notavere. Alii alios colores quaeſivere, ac in Clodium omnem ejus rei culpam rejecere. Verum hi colores ſunt, quibus appingendis valde ſollertes ſunt magiſtri & miniſtri dominationis, *ut iniquitas, avaritia, ambitio ſub virtutum & juris nominibus lateant.* Boecler.

Cujus integritatem.] Hoc in Catonem conferri, credibile non eſt, cujus per omnem vitam laudata a bonis omnibus integritas. Addendum igitur puto, *non*: ut ſit *non laudari, nefas eſt*. Manut. Hoc in Catonem conferri, credibile non eſt, ait doctiſſimus vir in Notis. imo nihil mage credibile; Si illuſtro, quod facile tibi non Suada perſuadeo. Locus deſumtus e Philoſophorum ſcitis, inter quae & hoc copioſe ab Ariſtotele primo Ethicorum tractatum: *Praeſtantiſſimarum rerum, & optimarum, nullam eſſe laudem. laudem enim comparatione conſtare: illarum autem nullam comparationem. unde dii honorantur, non laudantur, & Eudoxus primas voluptati detulit.* Catonis ideoque Vellejus integritatem adeo cognitam & praeſtantem eſſe ait, ut piaculi ſit, eam laudare & conferre. cum praeſtantiſſimorum nulla laus ſit, nulla collatio. ita dum non laudavit, maxime laudavit. Diſſimile illud Taciti: *praefulgebant Caſſius atque Brutus, eo ipſo, quod eorum effigies non viſebantur.* Schegk. Aldum hic culpat Rob. Titius (lib. IX. locor. controv. 25.) qui immiſſa negatione legit (profecto male) *non laudari.* Sed Titius ipſe an extra culpam? Lectionem retinet, in ſenſu parum videt. Nam ſic explicat: *adeo praeſtabilem eſſe Catonis integritatem, ut quaſi polluatur, ſi laudibus eum quis proſequi velit.* Et dat auctorem ejus interpretamenti Ariſtotelem, qui primo ad Nicomachum ait: ὅτι τῶν ἀρίστων οὐκ ἔστιν ἔπαινος: *quod optimarum rerum*

rum non ſit laudatio. *Itaque & Deos felices beatosque praedicamus, & virorum eos qui Diis proximi: non autem laudamus.* Sed nos, Titi, tam libere a te diſcedimus, quam tu a recto ſaepe & a vero. Nihil minus Vellejus voluit. Quid ergo? hoc argute ſaltem dixit, Nefas eſſe laudari in Catone integritatem & a pecunia abſtinentiam, cum aliae ſint ejus magis eximiae, magis rarae virtutes. Integritas in alium aliquem etiam e vulgo cadat; in Catone laudetur, quidquid in alio haud temere exſtet. Ita Claudianus in laudatione Mallii: *Nam ſpretas quis opes, intactaque pectora lucro Commemoret? fuerint aliis haec forte decora, Nulla poteſt laus eſſe tibi quae crimina purget.* Plane ad hanc ſententiam eſt etiam illud Taciti de Agricola cap. 9. *Integritatem atque abſtinentiam in tanto viro referre, injuria virtutum fuerit.* Quae una & clara fax huic loco. Lips. Quare? quia ita ab omni vitio utique remotus, ut minime laudi ducat, facere officium ſuum, Ita Terentius in Phorm. Act. 1. ſc. 2. *ut nunc ſunt mores, adeo res rediit, ſi quis quid reddit, magna habenda gratia eſt.* Ita etiam Claudianus de Mallio; *Nam ſpretas quis opes* &c. Et hoc eſt quod innuit Plinius, Panegyrici cap. 42. ubi laudato Trajano, quod dominos liberaſſet ab accuſatione ſervili, infert: *Non vis interim laudari, nec fortaſſe laudanda ſint: grata ſunt tamen recordantibus,* &c. Gruter. Aliter explicant noſtrum alii, mihi de hac (Lipſii) interpretatione nondum opus fuit dubitare. Boecler.

Effuſa civitate.] More, tam in urbe, quam in provinciis vulgato. Cicero alibi: *Quid habet admirationis tali viro advenienti candidato conſulari obviam prodiiſſe multos, quod niſi eſſet factum, magis mirandum videretur, quod ſi etiam illud addam, quod a conſuetudine non abhorret.* Schegk.

Per Tiberim ſubiret.] Vereor, ne illud *per* ſit a mala manu, nam *ſubire Tiberim*, eſt adverſo fluvio navigare. Sueton. Claud. 38. *quia ſibi ſubeunti Tiberim ſcaphas obviam non miſerant.* Val. Flacc. v. 185. *Ac dum prima gravi ductor ſubit oſtia pulſu. ſubvehi* dixit Sueton. Calig. 15. & Tib. 72. Burm.

Is egreſſus eſt.] Lego, *iis egreſſus eſt.* Manut. Legendum cum Lipſio *iis*. Voss.

Immanes res.] De quibus vide, quos Camers notavit

vit ad Flor. III. 10. & adde Dion. XL. BOECLER. Ovid. II. Triſt. 335. *Divitis ingenii eſt immania Caeſaris acta Condere.* ubi nos plura dicemus. BURM.

Ac ſuo.] *Acciſum* Warburt. Bibl. Brit. T. VII. p. 285. Forte voluit *abſciſum*. BURM. *in marg.*

Invictum par conſulum.] Cum in V. C. ſit: *Victus par Conſulum*, &c. poſſet legi: *Vetus par Conſulum*, &c. URSIN. Bonhom. *vietus par*. miror, ſed magis, quod illud ipſum in Tacito I. Annal. mihi repertum verbi: *antiquam* (loquitur de Rufo) *duramque militiam revocabat invictus operis ac laboris*. Editio Martini Herbipolenſis anno MDIX. *vietus operis & laboris*. mitto lineam aliis expoliendam. SCHEGK. Quomodo *invictum*, video. ſed profecto aliter Vellejum ſcripſiſſe, mihi ſubolet, neſcio unde. neque ſum tam ſagax conjecturae, ut veri veſtigia inveniam, etſi animum verto in omnia. Forte, *inviſum*: ut quorum occultam conſpirationem jam populus olfecerat. Forte, *invinctum*: ut ſimul reſpiciat, de quo ſimul agit, ad Caeſarem, cum quo hi potentiae ſocietatem inierant. Invinctos ergo dixerit, quaſi complices, & vinclo conjurationis mutuo innexos. Nihil definio. ACIDAL. Age Pompejus invictus eſto, (etſi Caeſar aliter docuit) quid? etiamne Craſſus? inconveniens plane verbum. ſcribo, *inclytum par*. LIPS. Latet mendum in priore voce, quod arguunt libri veteres, in quibus *victus par*: forte legend. *vetus*, nam uterque tum ſenex: & ambo ſimul Coss. iterum. Sic Lucillius & Columella, *Vetus ille Cato*. POPM. Manavit hoc a Rhenano. Nam in ipſo codice fuit, *victus pars conſulum*. In Bonhomaei editione erat, notante Schegkio, *vietus par conſulum*. Quae merae nugae. Magis etiam nugantur, qui ex lectione Rhenani novam exſculpere conati. Neque ego tamen me veram inveniſſe affirmaro. Neutiquam interim abſurde legi poſſe arbitror, *vinctum par conſulum*. Ut triumviralem illam conſpirationem notet Vellejus. Non minus tamen placet conjectura Urſini, reponentis, *vetus par conſulum*. Nam & antea iidem ſimul conſulatum geſſerant. VOSS. Vitioſiſſime *victus pars conſulum*. unde Rhenanus *invictum par conſ.* fecerat, quod retinuimus, in textu, non quod ceteris conjecturis doctorum praeferremus; ſed quod nihil certi aut firmi in omnibus eſſe cerneremus. Lipſius, *inclytum par*; Urſinus,

nus, *vetus par*, legunt. Boecl. *Victus pars conſulum* editio Rhenani. ſed cur *invictum par?* De Pompejo dederim, *invictum* poſſe dici: de Craſſo non feram. Certe Lucullus Craſſo Imperator longe melior, non niſi *paene bello invictus* cap. 33. noſtro dicitur. Popma non male. Opinabar aliquando voluiſſe Vellejum *inclutum par conſulum.* quomodo Lipſius. & ita Livius, *Egregium par Conſulum fore, ſi M. Livium C. Claudio adjunxiſſent.* lib. xxvii. cap. 34. *Inclytum quoque par.* lib. viii. cap. 29. *L. Papirius Curſor, Q. Fabius Rullianus par nobile: rebus in eo magiſtratu geſtis, diſcordia tamen nobilius.* Heins. V. Miſc. Obſ. V. viii. p. 459.

Neque petitus honeſte, &c.] Nam & factioſe ac paene per vim, ex arbitrio ſuarum partium, invaſerant conſulatum, & magiſtratus quos vellent conſtituebant, & omnia potentiae augendae patrabant novabantque. inter quae etiam decretae in alterum quinquennium (Dio de *triennio* meminit, ſed intellexerim de conſultatione potius, quam de decreto) Caeſari Galliae, Pompejo Hiſpania & Africa; Craſſo Syria & vicinae provinciae, referri debent. Dio xxxix. Plut. Caeſ. & Craſſ. Appian. ii. bell. civ. Boecl.

Caeſari lege.] *Caeſari legem* Edit. Rhen.

Craſſo bellum Parthicum in animo molienti.] *Jam molienti* Latinius ſit utique. natus inde error, quod librarius primam in *molienti* ſyllabam perperam geminaſſet. Poſſis &, *jam animo volventi*, ut apud Tacitum Hiſt. i. cap. 30. *ſtupra & commiſſationes & faeminarum coetus volvit animo.* ii. cap. 49. *atque illum ſupremas jam curas animo volutantem repens tumultus avertit.* quem locum Rhenanus fruſtra ſollicitavit. ſic & Livius non ſemel. Lucanus lib. i. *Utque ducem varias volventem pectore curas Conſpexit.* Heins. Nihil muto temere: nam ita *in animo cogitare*, dixit Terent. Adel. i. i. [*Animo putare* Pricae. ad Apul. Apol. p. 177.] Burm.

Cetera ſanctiſſimus.] E Graecia vectum ſermonis genus, uſitatum ab optimo quoque. Tacitus; *cetera equeſtri familia;* & *Juvenis alia clarus.* Agellius, *pleraque doctus.* Apulejus *pleraque mundus.* Et Florid. i. *Marſias Phryx cetera, & barbarus.* Scheck.

Diris cum omnibus.] Minutius in Octav. *Et ut Thraſimenus Romanorum ſanguine & major eſſet & decolor,*

ſpre-

ſprevit auguria Flaminius: & ut Parthos ſigna repetamus, dirarum imprecationes Craſſus & meruit & irriſit. Quales fuerint, & quia mire huc faciunt, & antiqui ritus, ſupra repetam ex Appiani Parthico: *Solus Atejus occurrens, primum voce cohibebat; denuntians ne procederet; deinde adparitorem juſſit, detineret eum injectis manibus. verum id collegis Tribuni non permittentibus, adparitor Craſſum miſſum fecit: Atejus vero ad portam accurrens, poſuit ibi ardentem foculum: & Craſſo praetereunte ſuffitum faciens, libansque inſuper, diris eum devovebat exſecrationibus, nova & horrenda nomina Deorum invocans. eas exſecrationes ſecretas & priſcas Romani talem vim putant habere, ut nemo ſic devotus poſſit evadere, immo nec illi, qui devovet, bene cedere: quamobrem non temere his utuntur.* Gemina germana Plutarchus in Craſſo. Schegk. De his devotionibus, diris, imprecationibus ſollenniter publiceque conceptis, vide omnino doctiſſimi Briſſon. I. formul. ſolenn. ubi & hujus hiſtoriae occurrit declaratio ex Plutarcho, Appiano, Dione, Cicerone, Lucano. Adde Noſtrum ſupra II. 22. 2. Boecl. *Diris cum ominibus.* Ed. Rh. Ita *diris hoſtilibus* devoviſſe Trib. Pl. dicit Flor. III. II. mox *exſecrationes* vocat noſter & omnes, qui de hac re agunt. acceſſerunt quidem omina, ſed illa nihil ad Trib. Pl. attinebant, deeſſe tamen aliquid videtur his verbis: nam *diris cum ominibus retinere*, non recte dici poteſt. neque etiam *ominibus* cum *proficiſcentem* vellem jungi. Burm.

Utile imperatoris damnum.] Ne crede tam maligne de Craſſo ſenſiſſe, aut ſcripſiſſe Vellejum, ut cenſeat utilem patriae fuiſſe ejus mortem. Honeſtius veriusque; *vile Imperatoris damnum.* id eſt, exigua, nec in magno, jactura. Lips. Lipſius, *vile* reponit. Caeterum ſcriptores belli Parthici vide notatos ad Flor. III. II. Eſt autem memorabile cumprimis in exitu Craſſi exemplum, *qualis vindicta injuſtiſſima bella, avaritiamque inexplebilem ſoleat conſequi.* nam id magno conſenſu agnoſcunt ſcriptores obſervantque hoc loco. Boecl. Optime Lipſius, *vile imperatoris damnum*, non *utile*. Tacit. II. An. 85. ſi *ob gravitatem coeli interiſſent, vile damnum*. Heins. *Utilis* & *vilis* paſſim permutari vidimus ad Quinct. V. Inſt. 7. & in declamationibus centies. Ita apud Tacit. II. Annal. 86. *vile*, an *utile damnum* ſit legendum,

non

non convenit inter Freinſhemium & Gronovium. Burm.

Circumfuſis immanibus copiis equitum.] V. C. *circumfuſos.* Forte, *circumfuſum.* Voss. *Circumfuſis immanibus copiis*, pro ſe circumfundentibus, haudquaquam ſollicitandum venit. ſic *circumfuſus ſatelles* apud Naſonem, Metam. XIV. Quinctilianus Inſtit. Orat. lib. II. cap. 20. *Nonnunquam, ut in judicio Miloniano, inter circumfuſa militum arma, dicendum eſt.* Nihil magis obvium apud ſcriptores melioris notae. Heins. Poſſet & legi *circumfuſus*, ſcilicet Orodes, ut in Naſonis loco *circumfuſus ſatelles.* Nam & Regi circumfundi copiae, qui eum comitantur, & hoſtibus, cum cingunt undique, dicuntur. Vid. Freinſh. Indic. in Florum, ex cujus lib. III. I. tamen hic *circumfuſis* rectius legeretur. Burm.

Rex Orodes.] Plutarcho in Craſſo eſt Ὑρώδης: Africano apud Euſebium Ἡρώδης. Malim utrobique legere, Ὀρώδης, ex Vellejo, Floro, Appiano, Dione, & aliis. *Morodem* hunc vocare videtur Servius ad XI. Aeneidos 19. Sed videtur tantum. Nam omnino locus illius eſt mendoſus. Nos eum integrum adſcribemus, non ſolum, ut prodeat emendatior, ſed etiam quia hiſtoriam hancce Craſſi illuſtrat. *Romana, inquit, ſigna figebantur in caſtris: & cum ad bellum eundum foret, captatis auguriis evellebantur e terra. Nam alibi ea figi non licebat. Sed inter auguria hoc habebatur, ſi evellentem facile ſequerentur. Adeo ut cum filio in Orodis bello* (ita lege, non *Morodis*) *ſit Craſſus occiſus, qui iturus ad Parthiam* (V. C. legit, *praelium*) *evellere ſigna vix potuit.* Refert inde hiſtoriam ſimilem Flaminii; in qua pro *Thraſyniminam*, *Thraſymenum*, legendum, apparet. Voss.

Amplius quadringenta.] Valde atterit Caeſarianam laudem (ſi modo laus e caedibus:) atterit inquam prae aliis & libat. Nam ecce Plinius ſcribit, *Praeter civiles victorias, undecies centena & nonaginta duo millia hominum occiſa ab eo proeliis.* Et Appianus in Celticis: Μυριάσι τε γὰρ ἀνδρῶν ἀγρίων, ἐν τοῖς δέκα ἔτεσιν, ἐν οἷς ἐστρατήγησεν, ἐς χεῖρας ἦλθον, εἴτις ὑφ' ἓν τὰ μέρη συναγάγοι, τετρακοσίων πλείοσι. Καὶ τούτων ἑκατὸν μὲν ἐζώγρησεν, ἑκατὸν δὲ ἐν αὐτῷ πόνῳ κατέθανον: *Quadragies centena milia ferocium hoſtium (ſi quis partes in unum & in ſummam redigat) decem illis annis, quibus* Galliae *praefuit, manus cum eo conſeruere. e quibus decies centena millia*

lia capta fuere, decies altera in ipſo certamine periere: reliquis ſcilicet elapſis. Nec aliter Plutarchus per occaſionem enumerat, in Pompejo. Quis ergo ambiget hic reſcribere DCCC: id eſt, *octingenta millia hoſtium?* Etiam ſi quis amplius volet, per me liceto. LIPS. Malim CIↃC. Nam Plinius, Solinusque ſcribunt, *praeter civiles victorias undecies centena, & nonaginta duo millia occiſa ab eo praeliis.* Niſi malis cum Lipſio, DCCC. Nam Appianus in Celticis decies centena millia tantum occiſa eſſe tradit. VOSS.

Saepe in agminibus.] Ex definitione agminis intelleges quam adpoſite hic noſter locutus ſit. adi Iſidor. lib. XIX. cap. 3. SCHEGK. Malim ad Livianum exemplum, *ſaepe agminibus.* Ille XXI. *Magis agmine, quam acie, in via concurrerunt.* Agminibus concurrere eſt, non explicatis ordinibus diſtinctaque acie. LIPS. Etiam malim cum aliis abeſſe voculam *in*, nam quod habemus Livii lib. X. 45. *Saepe in acie, ſaepe in agmine, ſaepe circa ipſam urbem adverſus eruptiones hoſtium pugnatum;* forte & ibi abjicienda utraque praepoſitio. GRUT. Retineo praepoſitionem: *in agmine* enim eſt, cum agmen duceret, *in itinere*, ut loquitur Sueton. Aug. III. & Salluſt. Jug. 88. Idem Caeſar. 57. *In agmine nonnunquam equo, ſaepius pedibus anteibat.* & ita paſſim alii. BURM.

Vix ulla non.] Durior locutio videtur, quae molliretur, ſi legeretur, *ex novem denique aeſtatibus vix ulla, qua non j. t. emeritus.* BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 51. 382. V. IX. p. 263.

Circa Aleſiam.] Sic malui cum veteribus libris & doctis viris, quam *Alexiam.* Condita autem ab Hercule, totius Galliae Metropolis, libera ac ſui juris usque ad C. Caeſaris aevum. Diodorus lib. V. Situm ejus Caeſar lib. VII. bell. Gall. & Strabo habent deſcriptum. SCHEGK. Repone, *Aleſiam*, ex MS. Ita ſemper Graeci, plerumque etiam Latini. Non ignoro tamen, *X* & *S* crebro commutari. Florus lib. III. cap. 10. ſcribit, totam belli molem circa Gergoviam fuiſſe; non Aleſiam, ut Vellejus, aliique. Cujus errorem jam olim etiam deprehendit Anonymus, ſeu Caeſaris, ſeu Julii Celſi, exſcriptor. Et ſane nil manifeſtius. Nec facile invenias, juxta Romam olim a Senonibus captam, quae Gallis Ro-

manos infeſtiores reddiderint, quam pericula apud Aleſiam adita. Inſignis de hoc eſt Taciti locus, lib. XI. Annalium 23. ſed etiam ſummi viri Juſti Lipſii ſententia, tam prodigioſe corruptus, ut ne Attius Navius quidem pater augurum, ei ſine libris mederi queat. Verba Taciti haec ſunt, ex oratione contra proceres Galliae Comatae; qui nuper jus civitatis conſecuti, etiam jus adipiſcendorum in urbe honorum petebant. *Oppleturos omnia divites illos; quorum avi proavique hoſtilium nationum duces, exercitus noſtros ferro vique ceciderint; divum Julium apud Aleſiam obſederint. Recentia haec: quid ſi memoria eorum inoreretur, qui Capitolio, & ara Romana, manibus eorundem proſtratis. Fruerentur ſane vocabulo civitatis: inſignia patrum, decora magiſtratuum ne vulgarent.* Ego tamen mihi bene perſanaſſe viſus ſum. Scribo: *Quid ſi memoria eorum inoreretur, qui Capitolio, & ara Romana, moenibus eorundem proſtratis, fruerentur? Sane vocabulum civitatis; inſignia patrum, decora magiſtratuum ne vulgarent.* Per aram Romanam, Maximam intelligit Tacitus: quam, ut & Capitolium, non fuiſſe proſtratam, ex Plinio, Solino, aliisque, ſatis conſtat. Sed nolo pluribus conjecturam noſtram firmare. Jam enim ſatis orbitam exceſſiſſe videor. Merebatur interim hoc Taciti locus. Voss. *Florus* Alexiam vocat, III. 10. 23. vide ipſum Caeſ. bell. Gall. VII. Plutarch. in Caeſ. Διὰ πολλὰ μὲν οὖν εἰκότως ὁ πρὸς Ἀλησίᾳ κίνδυνος ἔσχε δόξαν, ὡς ἔργα τόλμης καὶ δεινότητος, οἷα τῶν ἄλλων ἀγώνων οὐδεὶς, παρασχόμενος. *Multas ob cauſſas gloriam Caeſaris auxit hoc ad Aleſiam certamen: quippe ubi ea virtutis conſiliique documenta, qualia non in alio facile certamine edidit.* Boecl.

Septimo ferme anno.] Menda haec eſt, & non eſt. Antiqua ſcil. ſcriptura, pro *ſeptimum ferme annum*: quomodo hodie velim reponi. De ſequentibus ita Florus lib. IV. cap. 2. *Exinde quoniam mutuo metu tenebantur, Craſſi morte apud Parthos & morte Juliae, Caeſaris filiae, quae nupta Pompejo, generi ſocerique concordiam matrimonii foedere tenebat, ſtatim aemulatio erupit.* Simillima Lucan. lib. I. Acid. *Septimum fere annum.* ego. Lips. Recte emendant viri docti *ſeptimum annum*, notat enim continuum tempus haec conſtructio, de qua plenius ad

Ovid.

Ovid. I. Art. 647. Burm. V. Miſc. Obſ. V. viii. p. 52. 383.

Ex invidia Ponti ac Camiliae cohaerentis.]. Rhen. & Bur. cum monſtro ſuo lectionis Morboniam ablegavimus. Lucanus de Julia, lib. I. 111. — *nam pignora juncti Sanguinis, & diro feraleis omine taedas Abſtulit ad maneis Parcarum Julia ſaeva Intercepta manu; quod, ſi tibi fata dediſſent Majores in luce moras, tu ſola furentem Inde virum poteras, atque hinc retinere parentem; Armatasque manus excuſſo jungere ferro, Ut generos ſoceris mediae junxere Sabinae. Morte tua diſcuſſa fides*, &c. Schegk. Diſplicet ſuſpectumque eſt in primore loco nomen *Pompeji.* Si rectum, quid ita ſtatim *Pompejum* repetit? cur non potius ſcribit, *inter eum & C. Caeſarem?* ſeries & mos ſtili ſic poſtulabat. Cur etiam ſolum Pompejum cauſſam facit inſidae hujus concordiae? peccavit enim non minus Caeſar. Denique primogenia lectio nulla habet Pompeji nomen. Illa ſic: *ex invidia Ponti ac Camilie.* Profectò legendum: *ex invidia potentiae male:* Nam fuit compendio ſcriptum, *pontide.* Bona prae vulgata veraxque haec ſententia: Obiit, ait, Julia, unicum pignus ſive vinculum concordiae male jam haerentis, quia alter alterius potentiae invidebant: hic illius creſcenti, ille hujus adultae. Lucanus ad Juliam: *Morte tua diſcuſſa fides, bellumque movere Permiſſum ducibus, ſtimulos dedit aemula virtus.* Aemulationem mutuam expreſſit, uti & hic Vellejus. Lips. Lectio fabricata in officinis correctorum. Nam membranae, *ex invidia Ponti ac Camiliae cohaerentis*, ex quo ego effingebam *ex invidia potentiae aemulae, cohaerentis inter.* Vultque appoſite tunc demum Juliam pignus concordiae cohaerentis, nam antea ſane non erat opus tali obſide. Gruter. Aliena omnino huic loco vox *Pompeji.* Nec fuit ſane in MS. in quo legebatur, *ex invidia ponti ac camiliae cohaerentis inter Cn. Pompejum* &c. Unde Gruterus legebat: *ex invidia potentiae aemulae, cohaerentis.* Quod non placet. Neque enim dicit Vellejus, Juliam ex invidia potentiae aemulae diſceſſiſſe; ſed ob invidiam male cohaeſiſſe concordiam inter Pompejum, & Caeſarem. Verior ergo conjectura Lipſii: *ex invidia potentiae, male cohaerentis*, &c. Error inde ortus, quod compendio primitus *pontiae*,

pro

pro *potentiae*, fuerit exaratum. Voss. Eſt haec inter praecipuas Lipſii emendationes. nam in MS. erat: *ex invidia Ponti ac Camilie*. unde quidam fecerant: *ex invidia Pompeji male cohaer*. Ita autem Pompeji nomen inficete ſtatim repeteretur. Ergo hoc dicitur: *Concordiam male cohaeſiſſe ex invidia potentiae*. prorſus praeclare & ſententioſe. *inter ſocios potentiae, eſt invidia & aemulatio potentiae: haec facit ut infida ſit ſocietas, ut male cohaereat concordia*. Boecl. *Cum medium jam ex invidia potentiae male cohaerentis*. Haec Lipſiana conjectura eſt, nec infelix. membranae exhibebant, *ex invidia ponti ac camiliae*. Forte, *ex invida potentiae ac aemulatu cohaerentis*: ſi Senecae credimus, optime cohaerebat, non male. Conſolatione ad Polybium: *vixit Sex. Pompejus ſorori ſuperſtes, cujus morte optime cohaerentis Romanae pacis vincula reſoluta ſunt*. Florus lib. iv. cap. 11. de hac ipſa re; *Exinde, quoniam mutuo metu tenebantur, Craſſi morte apud Parthos, & morte Juliae Caeſaris filiae, quae nupta Pompejo, generi ſocerique concordiam matrimonii foedere tenebat, ſtatim aemulatio erupit*. Haec ille, ut ſolet, a Lucano mutuatus eſt, qui paria de clade Craſſi & Juliae morte libro 1. ipſam allocutus Juliam, —— *Tu ſola furentem, Inde virum poteras atque hinc retinere parentem. Morte tua diſcuſſa fides*. Valerius Maximus lib. iv. cap. 6. ubi Juliae mortem enarrat: *atque ita exſpiravit, magno cum totius terrarum orbis detrimento: cujus tranquillitas tot civilium bellorum truculentiſſimo furore perturbata non eſſet, ſi Caeſaris & Pompeji concordia communis ſanguinis vinculo conſtricta manſiſſet*. Heins. *Ex invidia Pompeji male cohaerentis*. Eraſmus & Steph. Manut. Popm. Voſſ. & alii. Nec Lipſii & aliorum emendationes valde placent, quia ſenſum non admodum perſpicuum reddunt: nos locum deſperatum aliis relinquimus ſanandum: ſed forte aliquid latet de *Ponto* & *Gallia*, in quarum una regione Pompejus olim res magnas, in altera tunc maximas gerebat Caeſar; certe tale quid ex *Ponti ac Camilie*, poſſet excudi. ſed contineo. Burm.

Filius quoque parvus Pompeji.] Laudat hunc locum Belgii noſtri lumen Electorum lib. 11. cap. 17. ubi defendit Suetonium, damnatque Dionem Caſſium, quorum hic adſeruerat, neptem natam e Julia C. Caeſaris; ille vero nepotem. Et verum eſt, ſtat a Tranquillo prae-

 ter

ter Vellejum noſtrum etiam Lucani verſus, volentibus MSS. pluribus Bibliothecae Palatinae: deque tribus Tranquilli codicibus, unus tantum praefert: *neptem.* Sed tamen tantum abeſt, ut ego Dionem deſerendum putem tanquam reum, ut contra adſeram, habuiſſe non ſolum auctorem quem ſequeretur Plutarchum; ſed etiam Senecam. Is enim diſerte conſolatione ad Helviam cap. 34. *Vixit Sextus Pompejus, primum ſorori ſuperſtes, cujus morte optime cohaerentis Romanae pacis vincula reſoluta ſunt,* &c. ad eum locum ſummus ille vir fatetur, nihil ſe videre, nihil extricare. quae enim haec *ſoror Sexti Pompeji*, quam neptis Julii? quam filia Cn. Pompeji? haec produxi, ut conſtet ſummos quoque viros, homines eſſe, id eſt, errare & labi; neque ſtatim ſcurriliter iis inſultandum, ſi quid forte committant, quo ſe probent humanos. Grut. Non convenit inter autores filium an filiam eſſet enixa Julia Pompejo. Vellejus diſerte filium fuiſſe ait, quem Lucanus nepotem Caeſaris. *Mortemque nepotis.* Suetonius, Plutarchus, & Dio filiam: *neptem* enim, non nepotem dicunt. Popma.

Tum in gladios caedesque civium.] Tribunorum praeſertim plebis ferocia tumultus excitabat, comitia turbabat, pro conſulibus tribunos militum poſtulabat (quo nimirum plures remp. capeſſerent) populo ſuis malis applaudente & in perniciem ſuam ſaeviente. *Οὔτε γὰρ ἐμετρίαζον, οὐθ' ὑγιὲς οὐδὲν ἐποίουν, ἀλλήλους παρώρμηντα, πολλὰ μὲν δαπανώμενοι, πολλῷ δ' ἔτι πλείω μαχόμενοι. Neque enim moderati ſanique quidquam agebant, ſed tumultuabantur invicem, turbabantque tum largitionibus multa, tum pleraque certaminibus gerentes ac caedibus*, inquit Dio xl. p. 159. apud quem plura antecedentium & conſequentium vide, ut aeſtimes, quantum brevitate mirifica, ſignanter tamen, expreſſerit Vellejus. Similia habet Plut. in Caeſ. p. 721. Boecl.

Tertius conſul. &c. adverſ.] De *Catone* praeſertim & *Bibulo* Plutarchus in Pomp. de totius ſenatus conſilio Dio xl. fuiſſe inter artes *Ariſtocraticas*, ut Pompejo ſoli delatus Conſulatus & dictaturam impediret, quam tribuni pl. Pompejo magnis jam clamoribus deſtinabant; & Pompejum a plebe avocaret, atque ad optimatium partes traduceret; denique ne duriore in ſervitio eſſent Romani, ſi cum Pompejo Caeſar, quod timebant, conſul

factus

factus eſſet. Sed quid eſt *τὰ ναυάγια πολιτεύεσθαι*, ſi hoc non eſt? Nulli jam prudentiae, nulli arti ſua vis. mutabantur miſeriae, non tollebantur. Et jam ὠδῖνες reip. regnum parturientis occoeperant. Boecl.

In coërcitionem ambitus.] Vide Dion. xl. Appian. ii. B. C. Plut. Pomp. Sigon. de judic. ii. 29. Boecleri. *In coërtionem* Rhenani Editio. Vid. infra ad cap. 121.

Exercuit.] Potius, *exeruit*. Lips. Commutari quidem haec verba verum eſt, & nos ad Quinct. lib. iv. Inſt. 1. & alibi, vidimus; ſed hic nihil muto; *exerimus* enim vim antea tectam aut diſſimulatam, ut Tiberius *paullatim exeruit Principem* Suet. 34. ſed aperte *exercebat* hic Pompejus vim ejus Conſulatus, qui ſimilis erat Dictaturae, a quo non niſi titulo diſtabat, in coërcitionem. Sueton. in Domit. 1. *omnem vim dominationis tam licenter exercuit*, &c. & in Tib. 11. *exercere jus Tribunitiae poteſtatis. Vi exercere imperium* dixit Curt. x. 3. Burm.

P. Clodius, &c.] Quod tantum tumultum in urbe excivit, ut S. C. factum ſit; *Dent operam interrex, Tribuni plebis, Cn. Pompejus procos. ne quid detrimenti Reſp. capiat.* Paedian. in Milon. Epitome Livii cvii. Schegk.

Exemplo inutili.] In antiqua editione eſt, *exemplo inutiliter facto* &c. Unde legendum putamus. *Exemplo inutili, ſed facto ſalutari reip.* Ursin. In V. C. fuerat: *exemplo inutiliter facto*, &c. Forte in codice MS. quaedam liturae ob vetuſtatem fuerant extritae; legendumque, *exemplo inutili, interim facto ſalutari Reip.* &c. Voss. Supra aliquid jam de judicio auctoris noſtri diximus ad ii. 20. 3. Boecl. *Inutiliter facto* vetuſtus codex. Fortaſſe *exemplo inutili: ceterum facto ſalutari*; vel *verum*: ut ſupra cap. 45. *ſera Pompeji cura, verum & cupiti interrita.* Tacitus Annal. xii. cap. 59. *pauca repetundarum crimina, ceterum magicas ſuperſtitiones objectabat.* Florus lib. iii. cap. 1. *& Zomam quidem fruſtra diu voluit, caeterum Thalam diripuit*: atque ita paſſim & alii. Livius lib. i. cap. 30. *peditum quidem numero, ceterum equitatu nuper aucto, plurimum Romana acies valuit.* Joh. Ortuinius, *tamen facto ſalutari.* Heins.

Quem quidem M. Cato palam lata abſolvit ſententia.] Dubitat doctiſſimus Ciceronis interpres, Aſconius Pedianus, commentationibus in Milonianam. Cujus corrupta

verba partim Velleji, partim ipſius Aſconii cauſa, adſcribemus: *Fuerunt* (inquit) *qui crederent, M. Catonis ſententia eum eſſe abſolutum. Nam & bene cum Rep. actum eſſe morte P. Clodii non diſſimularat, & ſtudebat in petitione conſulatus Miloni, & reo aſſuerat. Nominaverat quoque eum Cicero praeſentem, & teſtatus erat, eum audiſſe a M. Favonio, ante diem tertium, quam caedes facta erat, Clodium dixiſſe, periturum eo triduo Milonem. Sed Milonis quoque notam audaciam vetiar e p utile viſum eſt.* Barthius quidem Adverſ. lib. XVI. cap. 4. reſcribit: *Sed Milonis quoque notae audaciae obviam iri reipublicae utile viſum eſt.* Verum enimvero quam expedita foret ratio veteres emendandi, ſi ita in eorum ſcriptis graſſari liceret! Equidem, unica tantum litera addita, ſcribendum puto: *Sed Milonis quoque notam audaciam verti a rep. utile viſum eſt. Verti*, pro *averti*: quomodo Valerius Flaccus lib. II. 572. ait: —— *Priami ſed quis jam vertere regnis Fata queat.* Non ergo dubitamus, quin haec vera ſit lectio. Voss.

Quam ſi maturius tuliſſet.] *Qui* prima editio. *cui*, ſi quid video, *non defuiſſent* videlicet. Heins. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 52.

Inimicior.] Ita & Cicer. II. Verr. 43. *Quid ſi omnium mortalium Sthenio nemo inimicior?* ubi Gruter. in MSS. repperit *inimicitior*, quod dignum examine judicat. An quia *inimiciter* veteres dixere, credidit poſſe *inimicitius* & *inimicitior* dici? ego non puto. apud eumdem Cicer. II. Phil. 37. *Qui enim cuiquam inimicior?* ubi nulla varietas notatur. Burm. Sunt lapſus ſcribarum. Ita *amicitior* apud Apulej. Apol. Vid. Pricae. p. 52. Sic *pudicitior* in tribus Voſſianis Codd. apud Martial. II. 59. Salluſt. Jug. X. ubi v. Cort. Idem *in marg.*

Per Afranium.] *Afrannium* Ed. Rh.

Qui ab ipſo adverſabatur.] Voculam *quoque* reſtitui, auctoritate libri calamo exarati, antea injuria exſulabat. Ceterum nihil mutandum in illo *aſſentabatur*: nam & *adſentari* idem eſſe cum *adſentiri* docui in Suſpicionum libellis. Gruter. Lipſius *adſentiebatur*. Raphel. *Aſſentabatur iis qui*, ita legend. non *aſſentiebatur*. nam *aſſentandi* verbum interdum uſurpatur pro illo *adſentiendi*, & *aſſentatio* pro *aſſenſione*. Vellejus infra cap. 128. *M. Tullio tantum tribuere, ut paene aſſentatione ſua qui-*

bus

bus vellet principatus conciliaret. Petronius Satyrico cap. 17. *Tacentibus adhuc nobis, & ad neutram partem aſſentationem flectentibus.* POPM. Omnino MS. lectio retinenda: *iis, qui ab ipſo quoque, adverſabatur.* VOSS. Rhenani editio, *iis qui ab ipſo quoque.* non debuit mutari. BOECLER. In editione Rhenani ego lego, *iis qui dimittendos ab ipſoque.* Sed Burerius aliam illam ex ſcripto codice lectionem profert: *iis qui dimittendos ab ipſo quoque* Eraſmus, & eum ſecuti alii. Ita ſaepe *hodie quoque*, pro *hodieque*, & ſimilia occurrunt. BURM.

Ante biennium.] Ex fide hiſtoriae Lipſius mallet *annum*. RAPH.

Perfectis muneribus theatri.] Vox *muneribus* mihi ſuſpecta eſt, atque eo magis, quod homo doctiſſimus Bernardinus Rutilius pro ea *meribus* in ſuo codice ſubſtituerit, quod quid ſit mihi non liquet, niſi forte *moeniis* ſcribere voluerit, quod verbum pro aedificiis, ut Feſtus dicit, antiqui ponebant. *Munera* tamen pro aedificiis Vellejus poſuit infra, ut ſuo loco dicemus. Itaque nihil mutandum reor. URSIN. Nec heic quidquam mutandum, notanda tantum notio rarior *muneris*, quam iterum invenimus cap. 130. ipſo principio. GRUTER. Vellejus infra 130. *quam magnifico animi temperamento Cn. Pompeji munera abſumpta igni reſtituit.* Nil itaque mutandum. Notandam tamen ſignificationem rariorem *muneris*, cenſet Gruterus. Et ſane non eſſe vocabulum e vulgo, ſatis indicat Frontinus, libello de Aquaeductibus Urbis Romae, his verbis: *quantum publicis operibus, quantum muneribus (ita enim cultiores appellant), quantum lacubus*, &c. *beneficio principis detur.* Sic recte edidit Onuphrius. Et ita etiam, ante viſum Onuphrii codicem, legendum conjeceram, uſus ſola editione Florentina Juntae; in qua perperam, *appellantur.* VOSS. Non ſpectacula tantum, quae in theatris edebantur, dicta *munera*, ſed aedificia quoque a privatis in publicum collata. Naſo de porticu Octaviae & Marcelli Arte Amatoria. I. 69. *Aut ubi muneribus nati ſua munera mater Addidit, externo marmore dives opus.* Noſter infra cap. 130. *Gnei quoque Pompeji munera abſumta igni reſtituit.* hoc eſt theatri Pompeji. HEINS. Vid. & Cl. Graev. praefat. ad Tom. v. Antiquit. Roman. [Sic & VI. Faſt. 92. & ibi Heinſ. vid. Polen.

ad Frontin. praef. de Aquaed. qui tamen non recte cepit.] Burm.

Operum quae ei circumdedit.] Quae iſta opera circa theatrum Pompeji? ſigna marmorea, non ſingularum modo perſonarum; ſed etiam nationum & gentium: de quibus Plinius lib. xxxvi. cap. 5. *Idem & a Coponio* xiv. *nationes, quae ſunt circa Pompeji, factas autor eſt.* Jam marmorea domus magnificentiſſima, nomine Regiae inſignita, Aedes Veneris theatro ſuperimpoſita. Suetonius Auguſto cap. 31. *Pompeji quoque ſtatuam circa theatri ejus regiam marmoreo fano ſuppoſuit.* Tertullianus de ſpectaculis: *Pompejus magnus ſolo ſuo theatro minor, cum illam arcem omnium turpitudinum exſtruxiſſet, veritus quandoque memoriae ſuae cenſoriam animadverſionem Veneris aedem ſuperimpoſuit.* Popma.

Vota pro ſalute ejus.] Juven. Satyr. 10. *Provida Pompejo dederat Campania febres Optandas; ſed multaeque urbes, & publica vota Vicerunt. igitur fortuna ipſius, & urbis Servatum victo caput abſtulit.* — Primi Neapolitani, auctore Praxagora. Plutarchus. Quod ſane, inquit Dio lib. xli. *magnum fuiſſe & ſplendidum munus, nemo omnium negaverit, nimirum ulli umquam alii, praeter eos, qui poſt ea tempora ſummam in omnia poteſtatem obtinuere, decretum.* Lubido paucula quaedam obſervare mihi collecta poſt alios adferre de Votis. Quae aut pro Imperatore, aut pro populo. Panegyricus: *Nuncupare vota pro aeternitate imperii, & pro ſalute civium, immo & pro ſalute principum, & propter illos pro aeternitate imperii ſolebamus.* Illa concepta iii. Nonas Januar. non ipſis Kalendis, placitum & erudite probatum ad Tacitum Lipſio, Annal. lib. xvi. Cui commodo manum, & aſſero porro verbis Caji JC. in l. ſi calvitur, ccxxxiii. de verbor. ſign. *Poſt Kalendas Januarias die tertio pro ſalute principis vota ſuſcipiuntur.* immo dies hicce ſollemnis, qua concipiebantur, abſolute κατ' ἐξοχὴν dictus, *Vota.* Vopiſcus Tacito: *Divorum templum fieri juſſit, in quo eſſent ſtatuae principum bonorum, ita ut iisdem natalibus ſuis, & Parilibus, & Kalendis Januar. & Votis, libamina ponerentur.* Haec quae pro populo, ipſis Kalendis. Tacit. lib. iv. Annal. *Sed Caeſar ſollemnia incipientis anni Kalend. Januarias epiſtola precatus.* & ſtatim: *Quem enim diem vacuum poena, ubi inter ſacra & vota,*

quo

quo tempore verbis etiam profanis abſtinere mos eſſet, vincula & laqueus inducantur? Spartianus in Aelio Vero: *Orationem pulcerrimam paraſſet, qua Kalendis Januariis Hadriano patri gratias ageret, accepta petitione, qua ſe exiſtimaret juvari, Calendis ipſis periit, juſſusque ab Hadriano, quia vota interveniebant, non lugeri.* Duravit inde a tempore Reipub. liberae, & conſulum, qui vota pro ſalute populi ipſis Kalendis in Jovis opt. max. templo nuncuparunt. oſtenſum a doctis ex Ovidio, frequentatum in Livio. Immo illis ipſis ſibi mutuo populus hinc inde vota ſignabant, ſtrenas mittebant. Ovidius I. Faſtorum; *At cur laeta tuis dicuntur verba Kalendis? Et damus alternas accipimusque preces?* Et Tibullus de Meſſalla, libro quarto; *Nam modo fulgentem Tyrio ſubtemine veſtem Indueras, oriente die duce fertilis anni;* ſubdit: *Quin largita tuis ſunt multa ſilentia votis.* Ad ſtrenas referri non inſcite poteſt locus Paulli JC. in l. 12. D. de adminiſtr. tut. ait: *Sollemnia munera parentibus cognatisque mittet.* Mittebant & Imperatori. teſtis praeter Suetonium, Dio lib. LVII. *Fuit & alia cauſſa, cur iis Kalendis extra urbem eſſet, nempe ne hominibus anni auſpicio, & feſto die occupatis negotium praeberet, neve ſtrenas ab iis acciperet, quod Auguſtum feciſſe improbabat.* quod tamen deinde tamquam debitum ſibi poſcebant principes. apud Juſtinian. C. de oblatione votor. *Impp. ARCADIUS & HONORIUS A. A. BASILIO P. V. Quando votis communibus felix annus aperitur, in una libra auri, & ſolidis obryziacis* (de his Cujac. ad tit. de vet. num. pot.) *principibus offerendi devotionem animo libenti ſuſcipimus; ſtatuentes ut deinceps ſequentibus annis uniuscujusque ſedulitas principibus ſuis talia ingerant ſemper, & deferant.* Haec de ſollemnibus votis. moris praeterea in adverſa valetudine principis ſuſcipere, clarum ex Xiphilino, Suetonio, Tacito, aliis, & adſcribere Epiſtolis ad principem, *ſe vota ipſi facere.* Dio lib. LVII. *Denique tanta utebatur clementia, ut cum aliquando Rhodiorum magiſtratus data ad eum epiſtola non ſubſcripſiſſet illud conſuetum; Quod vota ipſi facerent, celeriter eos excitos, quaſi malo multaturus, cum id quod deerat, adjeciſſent, indemnes dimiſerit.* SCHEGK. Dio XLI. pr. Plut. Pomp. Juvenal. X. BOECL.

Defuiſſet fortunae.] Tali ſententia Plutarchus in Pom-

pejo optat: *Utinam tum obiiſſet* (poſt tertium triumphum) *cum adhuc Alexandri fortunam haberet. nam quae ſecuta ſunt non minimam felicitati ejus impoſuere labem.* BOECLER.

Deſtruendi.] Vid. ad Quinct. VIII. Inſt. 3.

Apud ſuperos.] Non intelligendi Caeleſtes Dii, ut vulgo notantur hoc nomine, ſed homines viventes. Antiquus lapis apud Fabrett. cap. IV. p. 264. FUIT APUD SUPEROS MENS. VI. Valer. Flac. I. 791. —— *ut noſtra videres Funera, & oblitos ſuperûm paterere dolores.* [Vid. ad Lucan. III. 702.] BURM.

Non alius majorem.] Nam perturbatis reip. temporibus tales homines, qualis hic deſcribitur Curio, idonea ſunt inſtrumenta dominationis conſilia agitantibus. BOECLER.

C. Curio.] Hic eſt ille C. Curio Tribunorum, ut Appianus tradit, eloquentiſſimus & apud populum gratioſiſſimus, de quo Caelius Epiſt. ad Ciceron. *Quod tibi ſupra ſcripſi Curionem frigere, jam calet, nam ferventiſſime concerpitur. belliſſime enim quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum, & pro Caeſare loqui coepit.* Huc referendum non abſurde putant locum iſtum de Curione ex Varr. lib. IV. de vita pop. Rom. apud Non. *Obſtringillare*. SCHEGK.

Ingenioſiſſime nequam.] Idem eſt quod de Petronio dicit Tacit. XVI. An. 18. *erudito luxu.* [V. infr. 68.] BURM.

Facundus malo publico.] Saepe ita *peſſimum publicum*, *divinum publicum*. Livius. *Egregium publicum*. Tacit. *bonum publicum, malum publicum*. Omneis. SCHEGK. [V. Juret. ad Symm. I, 43.] BURM.

Cujus animo, voluptatibus, vel libidinibus, neque opes ullae neque cupiditates ſufficere poſſent.] Supra *omnino* legendum videri monui. quod quo conſidero magis, eo placet magis. ACIDAL. Polylogia diſplicet. Malim, *cujus animi voluptatibus*. Primum enim quaſi honeſtius loquitur de Curione, & animi voluntates varias appellat: mox ſe corrigens, libidines. Sed *Cupiditates*, quod ſequitur, quomodo rectum? An *cupidines*, cupidines expleant? Vide num, *civitates*, hoc ſenſu. Ejus libidines tam avidae, tam capaces, ut non ſuffecerint iis explendis ſatiandiſque aut opes aut civitates. Da aurum,

da

da opida tota, Curio hiat. Lips. Varie varii huic loco medentur. mihi ſemper illa, *voluptatibus vel libidinibus*, viſa ſunt interpretis additamentum, ſuper vocem *animo*. Gruter. Forſan tale quid ſubintelligendum, *inquinato*, vel, ut Salluſtius loquitur, *cooperto*. Thysius. Haud dubie corruptiſſimus eſt hic locus. cui medelam hactenus nemo excogitavit. Lipſius tentavit: *cujus animi voluntatibus*; & poſtea pro *cupiditates*, *civitates* ſubſtituit. Gruterus illa verba, *voluptatibus vel libidinibus*, a mala manu eſſe, itaque deleri oportere exiſtimavit. Acidalius, pro *animo*, legit *omnino*. Quidquid horum conſideras, vel ſtilus vacillabit, vel ſenſus. Boecler. *Voluptatibus vel libidinibus* tollenda eſſe Grutero ſe probabat. ſed tunc cauſa non exprimitur, cur Curioni nullae ſufficerent opes. Forte, *cujus animo, volutanti in ſuis velut libidinibus, neque opes ullae neque cupiditates ſufficere poſſent. velut volutanti*, ſic ſaepe alias, cum modos adhibet loquendi parum uſitatos. a ſuibus enim hoc transtulit, quae *volutari in luto* dicuntur. Vide nos infra ad cap. 91. Cicer. IX. ad fam. Ep. 3. *Cum omnes in omni genere ſcelerum & flagitiorum volutantur*. Seneca de Ira libro III. cap. 27. *tota vita inter errores volutabitur*. Ep. LXXIX. *animus volutatur in tenebris*. Ep. LXXXII. *officiorum vorticibus volutari*. Fuit & cum caſtigari poſſe opinarer; *cujus animo involuto ſuis velut libidinibus*. Poſſis &, *cujus animo volutanti in libidinibus*. idque verius mihi viſum. Heins. *Hujus animo* Ed. Rhen. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 52, 383. V. IX. p. 264.

Mox ſimulatione.] Cujus ſimulationis conſilia expoſuit diligenter Dio XL. non procul a fine. Boecler.

Accepto centies H. S.] Exiguum corrupti Curionis pretium, immani aere alieno oppreſſi. nam centies H. S. ſcutatorum modo ſunt trecenta millia. *Trecenties* igitur pro *centies* omnino legendum exiſtimo, adductus in hanc opinionem Appiani teſtimonio, qui lib. I. de Bell. civ. Paullum Aemilium conſulem emptum a Caeſare ait talentis D. Curionem aliquanto etiam majore mercede, utpote qui Caeſaris cauſſae utilior, quam Paullus, eſſe poſſet, quod res ipſa declaravit. nam Paullus, Marcello collega Caeſarem oppugnante, non reſtitit, ſed tantum tacuit. at Curio tribunus pleb. ne fieret S. C. de Galliarum ſucceſſione interceſſit. Manut. Vix muta-

verim. ponamus viri docti correctionem, tamen nihilominus nimium quantum ad Appiani (agit de M. D. talentis) exorbitat ſummam, ad phraſim, illud Ciceron. in Salluſt. *Ne cauſſam diceret ſeſtertio duodecim cum Caeſare paciſcitur*. SCHEGK. Jure in ſumma ambigit Aldus, & ſpernit ut minutam. Mallet, *trecenties*. Ego alterum addo, ſcribo & *ſexcenties*. Cauſſam habeo: quod Dio Caſſius auctor lib. XL. *omni aere alieno, quo ingenti erat obſtrictus, Curionem a Caeſare liberatum*. atqui *forum noſtrum*, ait Valerius lib. IX. cap. I. *Curionis filii ſexcentis ſeſtertium aeris alieni aſpexit*. Cauſſam etiam alteram, quod Plutarchus & Appianus conſentiunt, *Paullum conſulem emptum a Caeſare mille quingentis talentis; Curionem autem majore etiam ſumma*. Si ita eſt, cum tot iſta talenta, paullo minus quadringenties *H. S.* efficiant: quidni Valerium audiamus in majore ſumma. LIPS. Legendum *ſexcenties* e Valerio Max. ut recte vidit hoc loco & lib. II. cap. 12. de Magnit. Rom. Lipſius. HEINS.

Et coaleſcentis conditiones pacis.] Parum forſan intereſt, ſed e conſuetudine Velleji, verius, *coaleſcentis*. Sic infra cap. 90. *Sepultis, ut praediximus, bellis civilibus, coaleſcentibusque reip. membris, quae tam longa annorum ſeries laceraverat*. Venit hic in mentem Juſtiniani loci, quem operae pretium erit, a doctiſſimi hominis correctione vindicare lib. XVIII. *Hoc igitur modo Tyrii Alexandri auſpiciis conditi parcimonia & labore quaerendi cito convaluere*. Mutat quidam, *coaluere*. minime ad Juſtini genium: cui *convaleſcere* ſignificat creſcere ſeu potentia augeſcere. lib. III. ubi de Charillo Polybytae filio Lycurgo: *Medio igitur tempore, dum infans convaleſcit, tutelamque ejus adminiſtrat, non habentibus Spartanis leges inſtituit*. Et ibidem paullo poſt. *His igitur moribus ita brevi civitas convaluit*. Idemque verbi reſtituo lib. XXXVI. ubi de Aegyptiis & eorum ſacris; *Semperque exinde hic mos apud Judaeos fuit, ut eosdem reges & ſacerdotes haberent: quorum juſtitia religione permixta, incredibile quantum coaluere*. Indubie ſuperiorum locorum exemplo, *convaluere*, ſcribendum. ACIDAL. Tolle τὸ &. HEINS.

Diſcuſſit ac rupit.] Quo ſenſu etiam Lucanus lib. I. tribunos *faces belli* vocat, Curionique praeſertim orationem, qua Caeſar ad audendum bellandumque inſtigatur, tribuit. Ita quidem ex parte Caeſaris; ſed ex Pompeji

par-

parte Lentulus aliique ſimilem cenſuram merentur, qui non paſſi ſunt ipſum pacis conſiliis animum adjicere, BOECL.

Unice cavente Cicerone.] Commendat etiam virum optimum hoc nomine Plutarch. in Caeſ. *Κικέρων ὁ ῥήτωρ ἄρτι παρὼν ἐκ Κιλικίας καὶ διαλλαγὰς πράττων, ἐμάλαττε τὸν Πομπήϊον, ὁ δὲ τἄλλα συγχωρῶν τοὺς στρατιώτας ἀφῄρει. καὶ Κικέρων μὲν ἔπειθε τοὺς Καίσαρος φίλους συνενδόντας ἐπὶ ταῖς εἰρημέναις ἐπαρχίαις, καὶ στρατιώταις μόνοις ἑξακισχιλίοις, ποιεῖσθαι τὰς διαλύσεις.* *Reverſus modo e Cilicia Cicero Orator de reconciliatione agebat, Pompejumque mitigabat, ut in aliis concederet, legiones tantum Caeſari adimeret. Itaque rurſum Cicero perſuaſit amicis Caeſaris, ut contenti, quas praediximus, provinciis militumque ſex millibus, concordiam pacemque admitterent.* meminit & in *vita Ciceronis*. BOECL.

Cum juſtis aliorum voluminibus.] Malum profecto aliorum ſtomachum fuiſſe oportet, qui veterem, veramque lectionem non potuerunt concoquere. Ea eſt, *cum juſtius aliorum voluminibus promatur*, &c. VOSSIUS. *Juſtius* prima editio, & rectius. ſic cap. 98. *Mores rigore ac lenitate mixtis juſtiſſime.* ut illuc caſtigamus. *juſtius promatur*, i. e. plenius, & ut debet. interpolavit, qui meminerat horum cap. 99. *Quis fuerit eo tempore habitus civitatis juſto ſervemus operi.* & cap. 103. *laetitiam illius diei concurſumque civitatis vix in illo juſto opere abunde perſequi poterimus.* cap. 119. *Ordinem atrociſſimae calamitatis juſtis voluminibus, ut alii, ita nos conabimur exponere.* ſed nec alterum propterea damnandum, immo praeferendum, ne toties idem modus loquendi iteretur. HEINS.

Promitur.] *Promatur* Rhen. Ed.

Quieta.] Clarius inſerta dictione, quae delituit: *quieta ea, aut.* uti ad rempub. referas. LIPSIUS. *Lipſius* interponit: *quieta ea aut c. n. p.* ut ad remp. referatur. ita enim omnino neceſſe eſt. nam quae alias illa multitudo epithetorum, ſi de morte capias? *Fatali morte*, bene ſe habet, nec erat mutandum. Ceterum pertinet huc locus Ciceronis de Hortenſio, in Bruto cap. 96. *Sic Q. Hortenſii vox extincta fato ſuo eſt; noſtra, publico.* & mox: *Sed fortunatus illius exitus, quia ea non vidit cum fierent, quae providit futura. ſaepe enim inter nos im-*

impendentes caſus deflevimus, cum belli civilis cauſſas in privatorum cupiditatibus incluſas, pacis ſpem a publico conſilio eſſe excluſam videremus. ſed illum videtur felicitas ipſius, qua ſemper eſt uſus, ab eis miſeriis, quae conſecutae ſunt, morte vindicaſſe. Tali ferme figura Tacitus Agricolae ſuo *opportunitatem mortis*, quam vocat, gratulatur, & *feſtinatae mortis grande ſolatium tuliſſe*, ait, *evaſiſſe proſtremum illud tempus, quo Domitianus non jam per intervalla ac ſpiramenta temporum, ſed continuo & velut uno ictu rempubl. exhauſit.* Agr. 44. & 45. 5. Boecl. Tranſpoſitis duabus vocibus clariorem puto multo ſententiam fore, *Qui cum ſine invidia floruiſſent, e. ſ. p. in repub. quieta, aut certe non praecipitata, fatali* &c. Burm.

Fatali.] Male *fatali morte functos* dicit Q. Catulum, duos Lucullos, Metellum & Hortenſium. imo reſcribendum, *fatale ante initium bellorum civilium, morte.* Vult enim ablatos ſuo bono ante illud initium bellorum civilium; quod vult fuiſſe fatale, neque ulla ratione declinandum. Sic paullo poſt, *Tum Caeſar cum exercitu fatalem victoriae ſuae Theſſaliam petiit.* & cap. 60. *Sed adferebant ſalutaria Reipub. terrarumque orbis fata conditorem conſervatoremque Romani nominis;* & aliis locis mille. Gruter. Non video, cur Gruterus hanc lectionem falſam dicat, reſcribatque: *fatale ante initium*, &c. Movit forſan, quod Cornelius Nepos Lucullo venenum a Calliſthene liberto praebitum ſcripſerat. Nam ita Lucullus fatali morte functus dici non poſſit, & Vellejus ſibi ipſi adverſetur: qui infra, ubi de Africano minore loquitur, per *fatalem mortem*, intelligit ἴδιον θάνατον, ut id Gloſſae Latino-Graecae interpretantur. Quam mortem *naturalem* vulgo nuncupant. Sed nihil eo mutaverim. Sequitur Vellejus communem opinionem, quae erat, Lucullum ſpontanea & fatali morte periiſſe: ut in vita ejus indicat Plutarchus. Voss.

Et annis A. CCIII. & LXXIIX. *quam tu M. Vinici.*] Illud *anno* inſertum eſt, & poterat abeſſe. Boecler. Scribo: *& ante ſeptuaginta octo.* Lips. Miſſis aliorum conjecturis, repone authentici libri ſcripturam, *&* LXXVIII. *quam tu* &c. *Quam*, Vellejo, & hic, & alibi, valet *antequam*. Quod certiſſimum. Voss. Rhenani editio *anno* non habet, ſed tantum *&* LXXVIII. Sed Eraſmus interpoſuit, a quo fluxit in ſequentes.

Al-

Alterius ducis cauſſa melior videb.] Egregia diſſertatio de partibus belli civilis. de qua ſingillatim aliquid dicemus. *Videbatur ſane Pompeji cauſſa melior*, quia a Coſſ. mandata ipſi erat defenſio reipub. contra Caeſarem hoſtem judicatum: ſed videbatur tantum, non erat. Satis notum eſt, & ſcriptoribus diligenter memoratum, quod uterque pro ſua dominatione, neuter pro repub. bellaverit. *Solus Cato fecerat aliquas & reip. partes*, ſicut Seneca loquitur epiſt. 104. Quanquam haec ipſa ſpecies & ſplendida nomina Pompejanorum non parum deformata ſunt illa intemperantia, qua tractationem Caeſaris de pace repulerunt. τὴν εὐπρεπεστάτην Καίσαρι τῶν προφάσεων αὐτοὶ μηχανησάμενοι. *ſpecioſiſſimum colorem ac praetextum Caeſari hoc pacto concinnantes.* Plutarch. Caeſ. Scriptores hujus belli vide Camerti notatos ad Flor. 4. 2. quibus omnibus *Dionem* adde. Boecl.

Hic omnia ſpecioſa, illic valentia.] Ita eſt: Pompejus ipſe multa geſtorum gloria, multis regum amicitiis, populorum auxiliis ſubnixus, & jam reip. ac libertatis propugnator habebatur: ſed revera majus in Caeſarianis partibus robur, ſive ducem ſpectares, ſive milites, ſive inſtrumenta belli ſolida. Caeſar ipſe in orat. ad milit. ridet inania Pompeji nomina & ſpeciem, apud Lucan. I. 311. —— *Veniat longa dux pace ſolutus Milite cum ſubito, partesque in bella togatae, Marcelluſque loquax, & nomina vana Catones*, &c. Boecl. Juſtinus XIV. 6. *Specioſus magis, quam utilis grex comites fuere.*

Pompejum ſenatus auctoritas.] Scriptores paſſim teſtantur. Vide orationem Lentuli ap. Lucan. principio lib. V. ubi inter alia: —— *non unquam perdidit ordo Mutato ſua jura ſolo, moerentia tecta Caeſar habet, vacuaſque domos legeſque ſilentes, Clauſaque juſtitio triſti fora. Curia ſolos Illa videt Patres, plena quos urbe fugavit. Ordine de tanto quiſquis non exſulat, hic eſt.* Boecler.

Cauſſae, non Pompejo.] Ego vero haec non capio. Quid eſt *cauſſae deferre ſummam imperii?* Illa igitur imperavit? exercitus duxit, inſtruxit? nugae. Nos arbitramur fuiſſe: *cauſſa nominis, Pompejo.* Illud ſane conſtat, regimen & imperium in hoc bello delatum ad Pompejum, idque (ut Vellejus per me nunc dicit) cauſſa famae & nominis Pompejani. Ille enim triumphis victoriiſque celeber, & in ore omnium Magnus. Lentulus ipſe Conſul,

ſul, qui more majorum alioqui dux, apud Lucanum V. 46. auctor hujus ſententiae; *Conſulite in medium Patres, Magnumque jubete Eſſe ducem. Laeto nomen clamore Senatus Excipit, & Magno fatum patriaeque ſuumque Impoſuit.* Caeſar III. Civil. in oratione Bibuli: *Poteſtatem ſe ejus rei nullam habere: propterea quod de concilii ſententia ſummam belli rerumque omnium Pompejo permiſerint.* Lips. Viri ſummi iſthaec mutant; tanquam cauſſae deferri nequeat ſumma imperii, ignarae ſcilicet imperare, exercitum ducere, inſtruere, &c. Sed nihil tamen vetat auſpicia eſſe penes cauſſam; ducatum vero penes Pompejum: ut prae ſe ferat auctor, non tam militaſſe Conſules Senatumque Pompejo ejusque ambitioni, quam cauſſae ſuae publicae. De auſpiciis multa diximus in Diſcurſibus ad Tacitum prioribus. Et tale quid etiam reſpexit in reſtituendo Capitolio Helvidius Priſcus, de quo nonnulla ſignavimus ad librum IV. Hiſtoriarum Taciti cap. 9. loco autem iſti interpretando, unice facit Lucanus limine lib. V. —— *docuit populos venerabilis ordo Non Magni partes, ſed Magnum in partibus eſſe.* Gruter. Nihil hic mutandum. Senſus eſt, Pompejo delatum imperium, non quod ei faveret ſenatus, ſed quod cauſa ejus videretur juſtior. Vidit hoc Gruterus; vidit & Gillotius apud Savaronem in erudito ad Sidonium commentario lib. III. ep. 8. ubi multis hanc lectionem confirmat. Vossius. Gronovius diatrib. ad Stat. lib. III. ſilv. 3. cap. 32. legit: *cauſſae nomine Pompejo*, &c. id eſt, *ut ipſe cauſſam Senatus tueretur*, *ſubintellige*, *non ut imperaret, vel potius dominaretur, cum contra Caeſarem ſui dominium aſſererent.* Boecl. Joh. Fredericus Gronovius *cauſae nomine Pompejo.* Lipſius *cauſa nominis.* Nil immuto. Non tam Pompejo, quam cauſae, ſummam imperii delatam innuit Vellejus a Senatu. Sic Lucanus de eadem re: —— *Docuit venerabilis ordo Non Magni partes, ſed Magnum in partibus eſſe.* Heins. defendit vulgatam & D. Voſſius ad Caeſar. lib. I. de Bell. Civil. 4.

Nihil relictum a Caeſare.] Vide, quam diſſentiat Plutarchus in Antonio. Manut. Ita quidem prae ſe ferebat, ſed fortaſſe veriſſimum eſt judicium Plutarchi in Antonio. Caeſari bellum pridem & vehementer cupienti fuiſſe; quippe quem ſtimularet ἔρως ἀπαρηγόρητος ἀρχῆς καὶ

καὶ περιμανὴς ἐπιθυμία τοῦ πρῶτον εἶναι καὶ μέγιστον, *inexplebilis imperandi amor, & inſana principatus cupiditas*, cujus tegendae, jurisque titulo exornandae maximas interim occaſiones Pompejani praebuere homini, quod negari non poteſt. BOECL.

Cum alter Coſ.] *Cum altero Coſ. juſto.* Ed. Rhen.

Juſto eſſet ferocior.] *Marcellum* intelligit, cujus ferociam praeſertim etiam ex Appian. II. licet intelligere. Porro uterque Coſ. ideo creati erant; quia Caeſarem ſummo odio proſequerentur: notante eodem. BOECL.

Lentulus, &c.] Propter magnitudinem ſcilicet aeris alieni: nam his nimirum *civili bello opus*, ſive, ut apud Salluſtium notantur, *his perdita rep. opus eſt.* Caeſar I. B. C. *Lentulus*, inquit, *aeris alieni magnitudine, & ſpe exercitus ac provinciarum & regum appellandorum largitionibus movetur: ſeque alterum fore Syllam, inter ſuos gloriatur, ad quem ſumma imperii redeat.* BOECL.

M. Cato.] Vide quae ſupra notavimus ad l. II. 7. 2. BOCLER.

Et illa glorioſa, haec terribiliora duceret.] Conjectavi aliquando, *haec vero utiliora.* Alterius enim, ut ſupra eſt, cauſſa melior videbatur, alterius erat firmior: apud alterum omnia ſpecioſa, apud alterum valentia. Quamquam nunc vulgatum non rejicio, & ſcio quo genere defendi poſſit. ACIDAL.

Vir antiquus & gravis.] Hic nomen viri alicujus illuſtris deeſſe videtur: quis enim, ſi de Catone haec capienda, fando audivit umquam, illum ſecutum partes Caeſaris; niſi quis mallet legere, *prudens vereretur Caeſaris.* Ampl. Cuperus, quocum olim agebam de hoc loco, haec verba ἐπιφώνημα Velleji continere putabat. Quaſi dicat, aliquis Vir antiquus & gravis laudaret magis Pompeji partes, ſed alius prudens rerum civilium, ſequeretur Caeſaris, & *illa glorioſiora* (ita legit) *haec terribiliora diceret.* Sed ulcus latere puto. neque, quo *glorioſa* & *terribiliora* referas, aliquid praecedit, niſi legas, *prudens ſequeretur Caeſaris arma.* Videant eruditi, mihi indicaſſe ſufficit, nam mederi neſcio. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 53. 384. V. IX. p. 265.

Tantummodo contentus.] Hoc usque ad verbum *decreverat*, parentheſi ſejungendum opinor a reliqua periodo, adhibita etiam correctione quadam; alioqui tota com-

comprehenſio ſatis apte non cohaeret. quod ut judicari commodius poſſit, verba ipſa, qua mihi probantur & diſtinctione, & correctione, recitabo: *Ut deinde, ſpretis, quae Caeſar poſtulaverat, (tantummodo enim contentus cum una legione titulum retinere provinciae; privatus in urbem venire, & ſe in petitione conſulatus ſuffragiis P. R. committere decreverat) ratus bellandum Caeſar cum exercitu Rubiconem tranſiit: Cn. Pompejus, Conſulesque, & major pars Senatus, relicta urbe, ac deinde Italia, transmiſere Dyrrhachium.* MANUT. *Privatusque i. u. venire.* Ed. Rhen.

Committeret decrevere.] *Privatus in urbem veniret, & ſe in petitione conſulatus ſuffragiis P. R. committeret, decrevere.* Ita correxi ad libros, & hiſtoriam, vere. miror hoc leve a docto viro non animadverſum. *Committere decreverat.* male. SCHEGK. Verba, quae praecedunt, & ipſa ſententia poſtulat, ut legatur *committere, decrevere: ratus bellandum*, &c. URSIN. *committeret decrevere.* Haec eſt ſcriptura exemplaris ſcripti; agiturque de decreto Senatus. alii nobis oggeſſerunt, *decreverat retinuere:* at id natum omnino circa pulpitum Burrerii. GRUTER. MS. habuit, *decrevere.* Non dubium itaque eſſe debet, quin legendum ſit, *committeret, decrevere.* Ita bene Gryphio, Stephano, & aliis editum. VOSS.

Relicta urbe.] Deſcribit eam ex urbe fugam graphice Dio XLI. Caeterum *an prudenter a Pompejo factum ſit, quod Urbem Italiamque reliquit*, non una erat ſententia. Quidam, inquit Plutarchus in Pompejo, ἐν τοῖς ἀρίστοις τίθενται στρατηγήμασιν, *in optimis belli conſiliis ponunt* Pompeji ex Italia diſceſſum: *Ipſe Caeſar mirabatur, quod relicta munita urbe, cum praeſertim ex Hiſpania copias exſpectaret, marique polleret, Italia tamen excederet. Cicero etiam reprehendiſſe fertur, quod Themiſtoclis potius conſilium, quam Periclis imitatus ſit Pompejus, cum tamen tempora hujus caſus, non illius exemplum ſuppeditarent.* Quod peritiſſimorum virorum judicium non videtur de nihilo: cum praeſertim non tam conſilio Pompeji, quam impetu Pompejanorum ſuſcepta profectio videatur. Poteſt tamen opponi: *Pompejum illis populis, regibus, tetrarchis, dynaſtis, quorum amicitia nitebatur, propiorem factum, Caeſarem in adverſa & inimica loca perlicere debuiſſe.* Sed imbellem illam gentium multitudinem Pompejus

pejus cum Caeſariani militis bello indurati peritia & virtute debebat contendere; ſimul illud reputare, minorem ubique eſſe cedentis auctoritatem, & qui recedat, fugere credi. Certe non omiſit Dio notare talem eventum lib. XLI. p. 178. Πομπήιος μὲν οὖν τήντε πατρίδα καὶ τὴν ἄλλην Ἰταλίαν οὕτως ἐξέλιπε, πάντα τὰ ἐναντιώτατα τοῖς πρόσθεν, ὅτε ἐς αὐτὴν ἐκ τῆς Ἀσίας κατέπλευσε, καὶ ἑλόμενος καὶ πράξας, ἀφ' ὧνπερ καὶ τὴν τύχην καὶ τὴν δόξαν ἀντίπαλον ἐκτήσατο. *Atque ita Pompejus patriam omnemque Italiam reliquit, longe ille quidem diverſa ac plane contraria iis molitus, quam antea probaverat, cum ex Aſia rediret. Itaque & FORTUNAM & EXISTIMATIONEM priori contrariam nactus eſt.* Vide Cicer. Ep. ad Att. lib. VI. 8. VII. 5. 8. II. 24. 25. VIII. 2. IX. 4. 14. 17. 18. BOECL.

At Caeſar, &c.] Quae de Domitio, item de oratione Caeſaris in urbe hic memorantur, praeter Dionem, Appianum, Plutarchum, praeſertim ipſe diligenter expoſuit I. bell. civ. Noti ſunt & jam ſupra indicati ſcriptores totius civilis belli: e quibus deinceps, ea tantum mutuabimur, quae noſtro inſtituto opportuniora videntur. BOECL.

Legionibusque.] Caeſar in hac re legiones non nominat, ſed cohortes XXXIII. quae nondum fuiſſe videntur ſub legionum ſuarum ſignis. Sunt autem illae ipſae cohortes, quae, in judicio Milonis, praeſidium judicibus & Pompejo. Lucanus ad Domitium l. II. 479. — *tua claſſica ſervat Oppoſitus quondam polluto tiro Miloni.* Ubi mirum niſi ſcribendum, *pullato.* id eſt, ſordidato & reo. Talis enim, Romano ritu, eorum veſtis. Pollutum autem cur appellet, quiane pollutum illum & foedum interemit? LIPS. Vindicandus in tranſcurſu Lucani locus lib. II. a caſtigatione magni Lipſii. —— *Tua claſſica ſervat Oppoſitus quondam polluto tiro Miloni. Pollutum*, inquit ille, *cur appellat Milonem? quiane pollutum illum & foedum interemit? Mirum, ni ſcribendum, pullato Miloni*, id eſt, *ſordidato & reo.* Immo *pollutus*, quia Clodiana caede tribuniciam poteſtatem, quae ſacroſancta habita, violaverat. hinc ſacroſanctum caput Tribuni Floro. Sed & ipſe Tribunatus poteſtas ſacroſancta Livio, Valerioque Maximo. Plinio *Jus ſacroſanctum dicitur.* Videndus omnino idem Livius lib. III. cap. 55. Sic Si-

lius Ital. lib. I. initio *Pollutum fraterno crimine regnum* vocat Tyrium, ob parricidium Pygmalionis interfecto Sychaeo fratre. HEINS.

Duce aliisque, qui voluerant abire ad Pompejum, ſine dilatione dimiſſis, perſecutus Brundiſium.] Leviter haec trajicienda ſic videntur: *ad Pompejum, dimiſſis ſine dilatione perſecutus.* ACIDAL. *Aliisque qui venerant.* Ed. Rhen. *qui voluerant* ab Erasmi correctione fluxit.

In urbem revertit.] Et conſulem ſe creavit, Floro. Dictatorem Eutropio. neuter recte & ordine. Conſule Dionem, Plutarchum, Appianum. SCHEGK.

Maſſilia.] Celebre Maſſiliae nomen, cujus diſciplinam atque gravitatem non ſolum Graeciae, ſed haud ſcio an cunctis gentibus anteponendam jure dicam. Cicero pro Flacco, & Tacitus ait, *Locum Graeca comitate & provinciali parcimonia miſtum & bene compoſitum.* Mollitiei tamen nomine differt Athenaeus, quia credebantur γυναικοπαθεῖν. Hinc Plauto *Maſſilienſes mores*, & (cum Appulejo loquor) *patiarii.* SCHEGK.

Quam conſilio prudentior.] Melius ſe medios & neutrius partis praeſtitiſſent hoc tempore Maſſilienſes. Certe ſi ullum tempus cuiquam civitati ἀδιαφορίαν ſuaſit, hoc videtur illud fuiſſe. Utrique obſtricti erant, Pompejo Caeſarique: nec de juſtitia cauſſae aliquid certi in re perplexa videre licebat. Atque etiamſi Pompeji vetuſtiora, Caeſaris recentiora eſſent merita, par tamen obligatio gratiam & fidem ex aequo poſtulabat. Itaque honeſta ſane fuiſſet oratio, prudensque conſilium, quod praeferebant initio apud Caeſarem l. I. B. C. *Intelligere ſe diviſum eſſe P. R. in partes duas: neque ſui judicii, neque ſuarum eſſe virium diſcernere, utra pars juſtiorem cauſſam habeat: principes vero eſſe earum partium Cn. Pompejum & Caeſarem, patronos civitatis; quorum alter agros Volcarum Arecomicorum & Helviorum publice iis conceſſerit; alter bello victas Gallias attribuerit, vectigaliaque auxerit. quare paribus eorum beneficiis parem ſe quoque voluntatem tribuere debere, & neutrum eorum contra alterum juvare, aut urbe aut portibus recipere.* Hoc reſponſum etiam Dio vocat, ἀπόκρισιν ἀξιομνημόνευτον. Sed mox Pompejanis ſe partibus adjunxerunt, eaque re iram Caeſaris aſperarunt. Quem errorem nec Strabo omiſit notare lib. IV. τῷ κρατηθέντι μέρει προσθέμενοι τὴν πολλὴν τῆς

εὐδαι-

εὐδαιμονίας ἀπέβαλον; *cum parti victae ſe adjunxiſſent, plerumque felicitatis ſuae perdidere.* Scilicet *arbitria* volebat agere Maſſilia principalium armorum, ut Vellejus judicat, quia dum Pompejum ſequitur, Caeſaris cauſſam damnavit: neque prudenter fidem alteri approbare conata eſt, quam utrique debebat: ſicut nec illa pars reſponſi ſatis prudens erat; cum Caeſaris conſilia ſe morari velle profiterentur; antequam ſatis expendiſſent ſuas ad morandum vires opesque. Unde Vellejana ἐπίκρισις illa ſubnaſcitur: *Principalibus armis ii ſe debent interponere, qui non parentem coërcere poſſunt.* quaſi diceret, ſi Maſſilienſes iis inſtructi fuiſſent opibus, quibus Caeſar potuiſſet terreri compeſcique, tum ſane quiviſſent dicere: *abſtine partibus noſtris Caeſar; omitte arma adverſus Pompejum; excede finibus noſtris, aut pacato habitu ingredere. Nunc ſtultitia erat leges dicere ei, qui armorum minas armis eludere poſſet.* Miſeratione interim digniſſima eſt optima & de Romano nomine praeclariſſime merita civitas. Quare Cicero II. Offic. 8. ſerio deplorat, *in triumpho portatam eam urbem, ſine qua nunquam Romani imperatores ex Transalpinis bellis triumpharant.* id quod indigniſſimum merito viris bonis videbatur: non debebat enim triumpho oſtentari, quod miſeratione moeſtitiaque publica potius abſcondi merebatur. BOECL.

Arbitria captans.] Trogi Epitoma exordio hiſtoriae, *Populus nullis legibus tenebatur, arbitria principum pro legibus erant.* SCHEGK. Melius huic loco reſpondet alter Juſtin. lib. XX. 11. 2. *Hamilcarem exorat, ut inter ſe & Syracuſanos pacis arbitria ſuſcipiat.* & ita idem lib. V. 2. *Arbitrum pacis ac belli* dixit.

Quibus ii.] *Quibus hi* Rhenan. Edit.

Coërcere poſſunt.] Ergo jure quieſcant inferiores. Livius lib. IX. cap. 14. de Papyrio: *Signa inde ferre juſſit, & copias eduxit; vaniſſimam increpans gentem, quae ſuarum impotens rerum, prae domeſticis ſeditionibus diſcordiisque, aliis modum pacis ac belli facere aequum cenſeret.* ubi nos plura hujus commatis. GRUTER.

Adventus vigore.] *Adventu vigore* Edit. Rhen. forte, *ipſius ſub adventu, vigore* &c. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 54.

Remiſſi ad Pompejum.] Ita ab initio capitis, *Domitium captum aliosque qui voluerant abire ad Pompejum ſine dilatione*

tione dimiſit. Qua re & gloriae non parum & inſigne ad res gerendas momentum ſibi peperit Caeſar. ſicut Dio animadvertit. Moderationis hujus exemplum etiam apud Suetonium habemus Caeſ. 75. *Denuntiante* enim *Pompejo, pro hoſtibus ſe habiturum, qui Reip. defuiſſent: ipſe medios & neutrius partis, ſuorum ſibi numero futuros pronuntiavit. Quibus autem ex commendatione Pompeji ordines dederat, poteſtatem transeundi ad eum omnibus fecit.* Prudenter ſane, nam quid *invitis*, id eſt, *infidis* auxiliis fidas ac adjutoribus? Nam & ſegnius tua imperia exſequentur, & quamprimum poterunt, diſceſſione ac deſertione te nudabunt. Ita ſunt homines: cogentem fugient, non invitantem ſponte ſequentur. cenſetur enim ibi plus juris eſſe ac fortunae, ubi minus eſt coactionis. Boecler. *Remiſit ad P.* Ed. Rhen.

Caſtris Pompejo retinetur.] In MS. fuit: *caſtris Pompejo retineretur.* Nec fuit mutandum. *Retinere* autem, pro ſimplici *tenere*, etiam apud Florum lib. II. cap. ultimo: ſive potius lib. III. cap. I. Sic enim optime in editione, quam habemus, principe diſtinguitur. Verba Flori haec ſunt; *Provinciam P. R. non bello, ſed, quod eſt aequius, hereditario jure retinebat.* Voss. Satis Latine, ſed *Pompejo retinetur* princeps editio. Fuit a Vellejo, *caſtris Pompeji obtineretur.* ſic *obtinere Aſiam proconſul* cap. 41. *obtinere Hiſpaniam ex conſulatu* cap. 78. *obtinebant omnia maria praedones* cap. 43. atque ita paſſim. Frontinus Strateg. lib. I. cap. 8. *Afris neceſſe fuit capta caſtella praeſidio ibi tenere.* ſcribe, *praeſidio obtinere.* Livius lib. XXI. cap. 26. *Volcae ulteriorem ripam amnis obtinebant.* cap. 27. *omnem ripam equites virique obtinentes.* nihil familiarius apud illum. Heins. Sed & *teneretur* poteſt defendi, vid. ſupr. ad cap. 25.

Regumque tetrarcharum ſimulque.] *Regumque & tetrarcharum*, ab Eraſmo fluxit.

Quo minus &, cum vellet, ipſe exercitusque claſſibus perveniret.] Meo animo rectius; *& quo vellet.* alterum quam vim habeat, (non pudet fateri) neſcio. Acid. Lego: *quo minus eo cum vellet,* &c. Nimirum Brunduſium. Mirum hoc eruditorum oculos ſuffugiſſe. Voss. Dyrrachium credo Voſſium voluiſſe, non Brunduſium. Burm. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 54.

Sed inopia obſidentibus.] Mira tamen tolerantia Caeſariani

riani ſuſtinuere illam inopiam, dictitantes: *prius ſe cortice ex arboribus victuros, quam Pompejum e manibus dimiſſuros.* Caeſ. B. C. III. Sueton. Caeſ. 68. Plutarch. Dio XLI. Appian. II. B. C. BOECL.

Balbus Cornelius.] Omnium ſua aetate ditiſſimus, & qui moriens pop. Rom. viritim vicenos quinos denarios legavit. Dio lib. XLVIII. Plin. VII. Ejus patruus Plinio lib. V. cap. 5. & Aſinio Epiſtola ad Plancum apud Ciceronem nominatus. SCHEGK. Obſervate Politici. mira & audax haec corruptio, ſed ſine qua perierat Caeſar. Talia firmiter & pertinaciter tentanti vix deeſt ſucceſſus. Idoneum autem inſtrumentum hic Balbus, quia amicus, & ab interiore nota, Lentulo. Ipſe ad Ciceronem (inter Epiſtolas ad Atticum lib. VIII. ep. 15.) *Quod Lentulum Conſulem meum voluiſti hic remanere, Caeſari gratum, mihi vero gratiſſimum medius fidius feciſti. Nam illum tanti facio, qui non Caeſarem magis diligam.* Et plura, quae addit. LIPS.

Non Hiſpaniae Aſiae natus.] Subobſcurum videtur: quod ſi legas, *natus eſſet*, id eſt, Conſuleret, & ſplendorem afferret, ipſeque Caeſaris gratia potens & clarus non dico in Hiſpania ſua fieret, ſed homo Hiſpanus & pontificatum & conſulatum poſtea adipiſceretur: planius erit. MANUT. Aldus melius feciſſet, ſi a loco adeo deplorato manus continuiſſet. Ego malui intactum relinquere, quam abſurda & inepta effutiendo, ut ille, deridiculo eſſe. Facere tamen non poſſum, quin Velleji incuriam notem, qui duos Balbos confundit, Gaditanum utrumque, quorum unus Conſul fuit cum P. Canidio Craſſo A. U. C. DCCXIII. alter fratris filius Proconſ. Africae, primus omnium exterorum triumphavit de Garamantibus Anno DCCXXXIV. illius ad differentiam Plinius *Cornel. Balbum majorem* appellat lib. V. 5. & VII. 44. PUTEAN. Foede corruptus locus. Si ejicere iſta liceret, *ſed Hiſpanus*; rem factam habebam: *quibus homo Hiſpaniae Gadibus natus, in triumphum.* Alias, mutabam: *natus, ab Hiſpanis in triumphum.* quod ſic probo, ut quod paullo plus, quam nihil. Etiam trajectio mihi tentata: *quibus homo Hiſpanus, & Hiſpaniae Gadibus natus, in triumphum.* Eamque non aſpernandam putem. Objectum enim illi, Gadibus natum eſſe, in accuſatione, ut minus honorificum, ex Ciceronis oratione

pro eodem patet. Occurrunt & nunc alii modi, quos premo, ne ſine modo vanum hoc divinandi genus habeam. De ipſo Cornelio Balbo, quem ſuo modo noſter Balbum Cornelium, verſo nominum ordine, ut in aliis plerunque (& hoc pridem homines docti accurate notarunt) multa praeclara Tullius memorat loco, quem dixi: ſed ante haec tempora, & hoc facinus. ACIDAL. Obſcurum ait Aldus: vere. Sed quantula lux, quam ipſe affert? Legit, *natus eſſet.* id eſt, inquit, *Conſuleret & ſplendorem afferret.* Sed ſic quoque locus parum ſplendet: quem in clarorem fortaſſe magis dabit noſter Phoebus. Ille ſuadet: *quibus non Hiſpanienſis, ſed Hiſpanus.* Affirmo ita ſe rem habere. Hac audacia, ait Vellejus, effectum, ut Balbus ille, non dicam civis e Latio aut incola Hiſpaniae ſaltem, ſed vere Hiſpanus & externus, Romae perveniret ad ſacerdotium & triumphum. Certe hoc novum. Nam plene civibus, hoc jus magiſtratuum & imperiorum tantum. Plinius clare ab hac ſententia, de Africa & Garamantibus lib. v. cap. 5. *Omnia armis Romanis ſuperata, & a Cornelio Balbo triumphata, unius omnium externo curru & Quiritium jure donato. Quippe Gadibus nato civitas Romana, cum Balbo majore patruo, data eſt.* Atque idem de Balbo majore lib. VII. cap. 43. *Fuit & Balbus major*, inquit, *Conſul, primus externorum, atque etiam in Oceano genitorum uſus illo honore, quem majores Latio quoque negaverunt.* Videsne exteros non admiſſos ad magiſtratus, etſi in civitatem admiſſos? In utroque igitur Balbo hoc novum. in altero, quod Conſul primus exterorum; in altero, quod Pontifex & Triumphalis. Sed de vocum quoque diſcrimine (proprie enim & ſignate Vellejus ſcripſit) addam. Soſipater: *Cum dicimus Hiſpanus, nomen nationis oſtendimus; cum autem Hiſpanienſis, cognomen eorum, qui provinciam Hiſpaniam incolunt, etſi non Hiſpani.* Martialis praefat. lib. XII. *Ne Romam, ſi ire decreveris, non Hiſpanienſem librum mittamus, ſed Hiſpanum.* Idem diſcrimen paſſim apud ſcriptores in *Siculo*, & *Sicilienſi*; *Graeco*, *Graecienſi*; *Germano*, *Germaniciano*; & talibus. Vide Feſtum in *Corinthienſes.* LIPS. Libri antiquitus excuſi, *non Hiſpaniae ſuae natus*: quam ſcripturam integram judico, ſi unius literae immutatione legatur *notus.* Non ut eſſet notus, inquit, & clarus in Hiſpania patria ſua, ſed ut Hi-

Hiſpanus Romae in triumphum, pontificatum adſurgeret. Duo autem Balbi Gaditani celebres fuerunt, quorum alter Balbus major, alter ex maioris fratre natus, minor dictus eſt. Major a Pompejo civitate donatus, & Corneliae genti inſertus, pro quo exſtat Ciceronis oratio. Caeſari amiciſſimus fuit, & ejus negotiorum procurator, ut conſtat ex epiſt. 3. lib. VII. ad Atticum, ubi appellatur *Tarteſſius ſenex*. Minor cum patruo civis factus, fuit Quaeſtor Caeſaris bello Hiſpanienſi, & Conſul ſuffectus cum T. Canidio Craſſo, anno DCCXIII. Praetor ex Africa quarto Kalendar. Aprilis anno DCCXXXIX. triumphavit. Ejus meminit Cicero ad Atticum lib. VIII. Vellejus hic, & Plinius lib. V. cap. eod. POPMA. In MS. erat: *Hiſpaniae Aſiae natus*, &c. Unde optime emendavit Lipſius: *non Hiſpanienſis natus*, &c. *Hiſpanus* eſt *αὐτόχθων*, *Hiſpanienſis* autem, cujus majores aliunde orti. Flavius Vopiſcus: *Bonoſus homo Hiſpanienſis fuit, origine Britannus.* Soſipater: *cum dicimus Hiſpanus, nomen nationis oſtendimus; cum autem Hiſpanienſis, cognomen eorum, qui provinciam Hiſpaniam incolunt.* Unde patet, in veteribus excerptis differentiarum a Bongarſio editis, male legi: *Inter Hiſpanum & Hiſpanienſem hoc intereſt, quod Hiſpanus natione dicitur, Hiſpanienſis, Maſſilienſis & ſimilia.* Priora addita voce ſic legenda videntur: *quod Hiſpanus natione dicitur, Hiſpanienſis habitatione.* Ceterum non video, cui bono ſit illud, *Maſſilienſis*. Satis enim conſtat, illud urbis ejus ἐθνικὸν eſſe. Viderint itaque alii, an non reſcribendum ſit: *ut Sicilienſis, & ſimilia.* Quae Aldus, Acidalius, Popma, aliique ad Velleji hunc locum notavere, ut mera ſomnia, refellere non eſt animus. VOSS. *Non Hiſpaniae Gadibus natus*, Eraſm. Stephan. & alii. [V. Gundlingiana T. XXIV. p. 308. *Non Hiſpanus, ſed Hiſpaniae Gadibus natus* Rigaltius de populis Fundis.] BURM.

Conſularis.] Hoc eſt *conſul*. Etſi enim *conſularis* vix aliter ſumitur, quam pro *exconſule*: ſi originem tamen vocis conſideres, quemcunque extulit conſulatus, ſeu eum gerat, ſeu geſſerit, recte eum conſulari dignitate inſignem, ac proinde *virum* dixeris *conſularem*, ſive *conſularis dignitatis*. Sic etiam interpretor Florum lib. III. cap. 21. *Haec tot ſenatus funera in-*

tra Kalendas, & Idus Januarii menſis, ſeptima illa Marii purpura dedit. Quid futurum fuiſſet, ſi annum conſularis impleſſet? Ut fortaſſe nihil attineat reponere, *conſulatus*, vel *conſularem.* Voss. Sed cur ex *privato conſulem factum* Balbum Cornelium ait? *ex privato* capiebam ex Senatore. cum nullo magiſtratu adhuc perfunctus eſſet. atqui quaeſturam geſſit Balbus teſte Aſinio apud Ciceronem lib. x. ep. 33. Quid ergo? Cum teſtetur Burrerius in vetuſto Velleji codice complura fugientibus litteris vix ſatis liquido legi potuiſſe, crediderim ab ipſo Vellejo non ſcriptum fuiſſe; *ex privato*, ſed *ex tributario.* Sic *civis Romanus* & *tributarius* ſibi opponuntur in fragmento Petronii Traguriano. *Eques Romanus es? & ego Regis filius. Quare ergo ſerviſti? quia ipſe me dedi in ſervitutem, & malui civis Romanus eſſe, quam tributarius.* Sic *Tributarium ſolum* Morinos vocat Plin. Nat. Hiſt. xxi. cap. 1. Ceterum Jacob. Perizonius de Balbo minore haec capiebat, cum Sigonius in Faſtis, Onuphriusque ad majorem referant, quod minor conſulatu functus non legatur, quem major geſſerit A. U. C. DCCXIII. Atque cum in Faſtis Municipii Apiani L. quidam Cornelius inter ſuffectos Conſules inveniatur, non dubitabat is, eum ipſum eſſe hunc L. Cornelium Balbum probabili conjectura. Ut immerito Paulus Manutius ad Cicer. lib. vi. Ep. 12. famil. aliique erroris Vellejum inſimulent. Heins. Ex privatis plurimi, & omnes, ut ita dicam, conſules facti ſunt, nemo enim Conſul vel Conſularis naſcitur. Quare totum locum ita reſcriberem, *Quibus non Hiſpanienſi cive natus, ſed Hiſpanus in triumphum & Pontificatum adſurgeret, fieretque ex peregrino Conſularis.* ex *Hiſpaniae Aſiae* facile eſt facere, *Hiſpanienſi cive.* deinde ex *peregrino*, quod per compendium ſcriptum *prino*, fecit locum *privato*, quod ſcribebant *privo* librarii. *Conſularem*, non *conſulem*, dicit, quia cum in paucos dies fuerit ſuffectus, vix Conſulis munus attigit, ſed nihilominus dignitatem inde conſularem obtinuit per totam vitam. apud Florum vero lib. iii. 21. malim legere, *ſi annum conſulatus impleſſet*, ut eſt in quibusdam codicibus, & tuetur Freinshemius, qui recte obſervat, nusquam *conſulares* dictos conſules, cum funguntur eo magiſtratu. Burm. V. Periz. Ep. Syll. T. iv. p. 777. &c.

Pom.

Pompejanis proſpero.] Adeo quidem ut Caeſar diceret: *Actum de nobis erat, ſi hoſtis ſciviſſet victoria uti.* Vide ſcriptores paulo ante laudatos. BOECL.

Neque Hercules.] Abſolute Livius lib. XXII. *Neque Hercules montibus his ab tranſitu Poenorum ullo Veragri incolae jugi ejus norunt nomen inditum.* Apulejus Mileſ. II. *Et vellem Hercules materiam reperire aliquam.* SCHEGK.

Partibus illis.] An, *Partibus illius?* BURM.

Salubrius fuit.] Ita etiam Appianus judicat. Certe etiam alterum iſtud conſilium *trahendi belli* prorſus e re Pompeji futurum erat: ſicut clare Plutarchus explicat. Sed Pompejum non tam *impetus ſuus*, quod hic Vellejus dicit, quam fatalis ſuorum temeritas in noxia conſilia & exitium praecipitavit. BOECL.

Dignatione.] Hoc pacto plana & prompta ſententia, Gryphium ſecutus, edidi. Voce *dignationis* uſus Cicero lib. X. ad Atticum & Tacitus ſaepe. SCHEGK. Melius editio Princeps, *partium in dies ipſis magis.* Idem enim dicit quod Tacitus lib. III. Hiſt. cap. I. *Supereſſe Veſpaſiano mare, claſſes, ſtudia provinciarum.* GRUT. *Quod dignationi partem indies ipſi magis proſperum fieret.* Erat in MS. niſi quod pro *ipſi* legeret *ipſis.* Forte ſcribendum: *quod dignationi partium, indiem ipſi magis proſperum fieret. Indiem*, pro *indies*, Livio aliquoties uſitatum. Ut lib. XXI. *Sed interiora tuendo, minorem indiem urbem Saguntini faciunt.* Idem, *indiem rapto vivit.* Rhenanus emendarat, *indies ipſis magis proſperum fieret.* Cui multum repugnare nolim. *Dignationis* vero vox Tacito, Suetonio, & aliis familiariſſima. Ut monſtri ſit ſimile, quod Titius lib. VII. loc. cont. 9. emendare conatus ſit, *quod dilatione partium indies ipſis magis proſperum fieret.* Quod ab Ariſtarcho ejus Yvone Villiomaro praetermiſſum miror. VOSS.

Aciem Pharſalicam.] Vide Caeſ. III. bell. civil. Plut. Caeſ. & Pomp. Dion. XLI. Appian. II. B. C. Flor. IV. 2. 44. &c. Liv. epit. CI. Lucan. VII. aliosque. BOECLER.

Et conſilio inter ſe duo capita.] *Conliſa inter ſe* Eraſmus edidit, quem ſecuti reliqui.

Effuſumque alterum Romani imperii lumen.] *Effuſum lumen* Latinae linguae ratio reſpuit, *exſtinctum* probat:

nec tamen affirmare de mendo auſim, qui, Vellejum non optimum eſſe Latinitatis auctorem, probe noverim. MANUT. Edit. Baſil. prior *effoſſum* habet, quod perſpicue rectum eſt. PUTEAN. Hoc modo cum Rhen. & V. N. Jano Duza ad illud in Praecidaneis. *Effoſſos oculos voret atro gutture corvus*, legendum. error ex promiſcua *V* & O litterarum uſurpatione. Deinde perſiſtit Vellejus in ſchemate; Dixerat, *colliſa inter ſe duo Reip. capita*: ſubdit, *& alterum Rom. imperii lumen*, ſive oculum, *effoſſum eſſe*. Maro Aeneid. III. de Polyphemo: — *& ad aequora venit; Luminis effoſſi fluidum lavit inde cruorem.* Laberius apud Agellium x. 17. *Democritus Abderites Phyſicus Philoſophus, clypeum Conſtituit contra exortum Hyperionis Oculos effodere ut poſſet ſplendore aereo.* Et Oroſius lib. I. cap. 13. *Devorandas crudeliter addicebant, atque informe prodigium* (Minotaurum) *effoſſis Graeciae luminibus ſaginabant.* Quid multa circuitione? tam in proclivi veritas, quam olim cum pluit imber. SCHEGK. Retinui antiquam ſcripturam, quam Rhenanus & alii ejecerunt, ſubſtitueruntque *effoſſumque*, ut Virgilius III. Aeneid. *Luminis effoſſi fluidum lavit inde cruorem.* Sed alterum magis hic convenit, nec Latinae linguae ratio reſpuit, cum optimi Auctores eo utantur. Ulpianus tit. Locat. LXIII. *Si ſutor puero parum bene facienti forma calcei tam vehementer cervicem percuſſerit, ut ei oculus effunderetur, ex locato eſſe actionem patri ejus.* Idem tit. ad legem Aquiliam L. V. *Forma calcei cervicem percuſſit, ut oculus puero perfunderetur.* Tum etiam *ſuffundere* de oculis dicitur, unde Celſus libro ſexto *ſuffuſionem* appellat morbum oculorum, quem Graeci ὑπόχυσιν, Plinius ſemper *glaucomam* nominat. POPMA. Orta haec lectio ex errore editionis Gryphianae, & aliarum, quae *effoſum* expreſſere. Scoppius (lib. III. Veriſ. 18.) igitur, Popma, aliique, *effuſum* omni vi propugnant. Mihi nil certius, quam Vellejum reliquiſſe, *effoſſumque*. Hoc qui negare audeat, neget ſimul eſſe Latinum, & conjectaneo plus fidei adhibendum afferat, quam MS. lectioni. VOSS. [V. Scalig. ad Moret. p. 168.] *Effuſum* tuetur etiam Barth. x. Adverſ. 5. Sed omnes antiquae Editiones *effoſſum*, quod cur mutent nihil eſt. aliud enim eſt apud JCtos *effundere oculum*, quod fit non animo

ocu-

oculum effodiendi, ſed ſi quis cervice vehementius percuſſa, ex illa capitis concuſſione effundit oculum? *effodere* vero eſt telo, ferro vel alio inſtrumento extrahere. *Suffuſio* vero oculorum huc minime pertinet: eſt enim cum quaſi tenebrae oculis ſuffunduntur, quae omnia aliena. Terent. Eun. IV. 6. *Oculi illico effodientur.* Sic Plaut. Trin. II. 4. *oculum ego effodiam tibi*, & quis non? Sic & apud Flor. lib. III. 21. legerem, *oculis*, *manibus cruribusque effoſſis*; illo verbo, quod ad *oculos* proprie pertinet, conſueto more veteribus, ad reliqua vim extendente. Vid. Cl. Graev. Salluſtius apud Gell. II. 2. *aliquod adverſis cicatricibus, & effoſſo oculo.* [V. ad Lucan. II. 185. VI. 542. Dempſter. ad Roſin. I. 18. *Excutere* Suet. Aug. 27. Tib. 53.] *Eruere oculos* hoc dicitur non in diſſimili re. Juſtin. lib. V. 8. *negarunt ſe Spartani ex duobus Graeciae oculis alterum eruturos.* & ita Quinct. praefat. lib. VI. [V. Rob. Tit. Contr. loc. l. XXII. 16.] BURMAN.

Quam omnes partes.] De Clementia Juliana ſermo eſt: ſed quid ad eam dimiſſio haec in partes? Scribe *ut omnes partes.* Mens. Nihil prius Caeſar habuit, quam ut omnes adverſarios ſuos incolumes dimitteret, gladiis & militari ſaevitiae ſubduceret. Hos autem tales vocat *partes*, idque *militari verbo*, inquit: quia durum videbatur in civili diſſenſu dicere *Hoſtes.* Uſum hujus vocis crebrum alibi notavimus: tu hic originem vides, & nondum tritum id ſatis fuiſſe hoc ſignificatu. Cur enim alias excuſet? Quod quidam *patres* legunt, ſperno. Nec enim militiae aut caſtrorum, ſed Curiae hoc verbum. Vide etiam an non aptius, *militari verbo ex conſuetudine utar. Ex*, inquam, pro *&*, copula. Quae enim hic conſuetudo proprie? quinimo hoc dictum voluit, Uti ſe verbo militari, idque ex conſuetudine, & quia diu miles. LIPS. *Dimitto* verbum militare, pro in diverſas partes mitto, ut Imperator, Legatos, praefectos, milites alios alio dimittit. Sall. Catilina: *Igitur C. Manlium Feſulas atque in eam partem Etruriae, Septimium quendam Camerteum in agrum Picenum, C. Julium in Apuliam dimiſit.* POPMA. Lipſius arbitrabatur, militare illud verbum eſſe, *partes*, itaque emendabat: *quam ut omnes partes* &c. Potius militare id verbum eſſe cenſeo, *dimitteret.* Virgilius XII. ardui operis: *Juturnamque*

pa-

parat fratris dimittere ab armis. Ubi Servius: *Per tranſitum* (inquit) *hiſtoriae uſus eſt verbis. Nam, qui ab exercitu relaxantur, ab armis dicuntur dimitti. Salluſtius de Appio, ubi eum Cotta in concione ab exercitu cogit abſcedere, dicit ſe ejus opera non uſurum, eumque ab armis dimittit.* In Velleji vero verbis, *ut*, intelliges, non repones. De quo alibi. Voss. Legebatur, *quam in omnes p.* &c. Quidam emendabant, *quam ut omnes Patres.* Quod aſpernatur Lipſius, & *Partes* vocari hic militari verbo autumat; quia durum videbatur in civili diſſenſu *hoſtes* dicere. Videtur tamen *verbum militare* Velleji potius de *dimiſſione* intelligendum eſſe. Senſus fuerit: *nihil prius habuit Caeſar poſtquam in ſua manu victoriam intellexit, quam ut omnem inimicitiam, partiumque odium ex animo abjiceret, neque jam Pompejanos ut hoſtes ſuis, neque ſuos ut Pompejanis hoſtes, ſed utrosque ut cives conſiderabat, adeoque veluti ſimul & ſemel, tanquam dimiſſis a bello, finem odii noxaeque indiceret.* Alluditur ad Caeſaris vocem: *Miles parce civibus.* Ecce, non ut partes adverſas nominat Pompejanos, neque ſe ut diverſae partis conſiderat, *Civis civibus* vult parci. Boecler. Locus varie tentatus. Verbum illud *militare* Popma & Voſſius *dimittere* contendunt eſſe. Sic cum Florus de Tarento dixit, *illam in omnes terras vela dimittere*, lib. I. cap. 17. illud quoque pro militari eſſe habendum. Lipſius militare verbum refert ad *partes*. Mihi caſtigandum videtur, *quam indemnes partes dimitteret.* Poſſis & *incolumes.* ſed alterum malo. Pompejanas partes videlicet, quod ex ſuperioribus liquet. ſic cap. 36. *Norbanus inviolatus a Sulla dimiſſus eſt.* tum mox, *Sertorium & alios dimiſit incolumes. indemnes*, nullo damno adfectos. utitur eo vocabulo, inter alios, Donatus vita Virgilii. quod & confirmant ſequentia apud noſtrum. Seneca Epiſt. 9. *qui per ferrum & ruinas & ignes illaeſus & indemnis evaſit.* de vita beata: *Liber eris, tutus, indemnis.* de conſtantia ſapientis cap. 5. *Megara Demetrius ceperat, Stilphoni philoſopho & filias rapuerat & patriam. at ille urbe capta non invictum tantum, ſed indemnem eſſe ſe teſtatus eſt.* initio lib. VI. Nat. Quaeſt. *Campaniam nunquam ſecuram mali hujus, indemnem tamen magna ſtrage vaſtavit.* idem vocabulum, ut & *indemnitas*, apud veteres Juriſconſultos non ſemel occurrit. aetate Velleji tamen

men nondum in uſu videtur fuiſſe, niſi inter ſolos milites, a quibus id ſcriptores ſint mutuati primo: quare & praefatus veniam noſter eo vocabulo utitur hic loci. Quinct. lib. VIII. cap. 3. complura id genus vocabula paullatim in uſum recepta narrat. Habebant autem milites, ut vulgus & ruſtici, vocabula nonnulla peculiaria, quibus uterentur. ſic apud Vegetium lib. I. cap. 56. *Equi, quos vulgo trepidarios, militari verbo guttonarios vocant.* Apud Plinium praefatione Hiſt. Naturalis. *ut obiter emolliam Catullum conterraneum meum. agnoſcis & hoc caſtrenſe verbum. conterraneus* caſtrenſe verbum Plinio eſt. A. Gellius Noct. Atticarum lib. XVII. cap. 2. cum ex primo annali Q. Claudii haec produxiſſet, *Romani multis armis & magno commeatu praedaque ingenti copiantur*, addit, *copiari verbum caſtrenſe eſt, nec facile id reperias apud civilium cauſarum oratores, ex eademque figura eſt, qua lignantur & pabulantur & aquantur.* ſed ſi militari e conſuetudine fuit, *partes indemnes dimittere*, cur id tanto opere hic laudatur a Vellejo? forte is dederit, *ut militari verbo e conſuetudine utar. verbum* autem *militare* pro *militari vocabulo* dixit. de militaribus vocabulis plura videantur apud A. Gellium lib. X. cap. 9. *inhiberi remos non* diſſimili modo *verbum nauticum* Ciceroni dicitur libro ad Atticum Ep. 21. HEINS. *Quam ut omnes partes (ut militari & v. e. c. utar) dimitteret* Eraſmus & alii. niſi quod Eraſ. *patres* edidit. locus obſcurior. & militare illud verbum, nec *partes*, nec *dimittere*, ſi ſeparatim ſumantur, eſſe certum mihi eſt: non *partes*, quia illae magis civiles ſunt, & ubi invaluere, demum in bella erumpunt: non *dimittere*, niſi *exercitum*, *ab armis*, aut ſimilia adjungas. Praeterea non video Caeſarem, quomodocumque capias, poſt inclinatam aciem, *omnes partes dimiſiſſe*, id eſt, odium omne partium abjeciſſe, cum tantum fugientibus parceret, & reſiſtentes docta illa voce, *faciem feri*, juberet interimi. *Dimiſiſſe* autem *incolumes*, licet multis veniam dederit, hinc non licet colligere, quia tunc non eſt militare verbum vel res. *Dimiſiſſe* etiam exercitum vel milites, veritati non congruit; & factum aliquid noſter reſpicit, quod in ipſo proelio, inclinata acie Pompejana, eſt factum, & cujus adducitur exemplum, Brutus. quare forte exciderit aliquid, quod indicet, dimiſiſſe *certos milites* vel *viros*, in omnes partes, qui conquirerent

rent eos, quos ſalvos volebat Caeſar, idque eveniſſe Bruto; qui, ut Plutarch. in Caeſare ait, cum ſtatim poſt proelium non reperiretur, deinde magno Caeſaris gaudio repertus, & incolumitate donatus eſt. Si vero nihil deeſt, haec ſimplex phraſis, *dimittere in omnes partes*, ex ſententia Velleji eſt militaris; & hoc notare debet, dimittere quosdam ad proelio ſuperſtites ſervandos. Sed & in explorationibus; & aliis caſibus in re militari, & extra eam, uſos veteres videbimus ad Ovid. III. Met. 381. BURM. *Dimittere nuncias manus* Caeſ. VI. B. G. 34. V. 49. 53. VI. 43. VIII. 7. Infr. 70. *cum dimiſiſſet evocatum*. Ovid. III. Met. 181. V. Cuper. in Syll. Epiſt. II. ad Heinſ. CDXXXIX. Cic. V. Tuſc. 14. *quod multas naves in omnem oram maritimam dimiſiſſet.* Ita ἐπὶ πολλὰ μέρη διαπέμψας Polyaen. l. III. Strat. IX. 42. Caeſ. III. B. Civ. ult. IV. 9. Liv. VIII. 7. Virg. I. Aen. 577. V. Repub. der Geleerden 1719. Sept. p. 274. *Inſomnes* & *utens* Warburt. Bibl. Brit. T. VII. p. 290. IDEM *in marg*. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 460. Graev. Ep. Syll. T. IV. p. 403. Heinſ. p. 408. &c.

Quod hujus voluntatis erga Brutum ſuae.] Etiam Plutarchus in Caeſ. & Dio fine XLI. ſtatim in comparationem ingrati animi, quo poſtea Brutus violavit conſervatorem ſuum, ſententiam acuit. Timuerat Caeſar Bruto, cum non compareret, ſalvumque poſtea gaviſus benigne exceperat. BOECL.

Quos victores darent comites.] Hoc equidem, ut nunc legitur, tam intelligo, quam ſi natus nunquam eſſem. Quod ſi ſic: *quos, victore Caeſare, comites ei fortuna aggregaverat*, nihil erat apertius. Audax conjectura: fateor: aliquanto tamen eorum audacior, qui illud, *victores darent*, delent. MANUT. Aldus prae nimia properatione incogitantiaque omnia turbat, ac miſcet: non probat homo religioſus eorum audaciam, qui illud *victores darent* delent. Quanto ipſe audacior, ne quid gravius dicam, qui aliena verba in contextum invehit. id autem in errorem Aldum induxit, quod in Edit. Baſil. vana illa lectio, *victores darent*, quae pertinent ad illa *victoriam daret*, e regione τοῦ *comites* ſecundo infra verbo perperam poſita eſt: de quo errore admonuit is, qui varietates veteris libri ad calcem operis collegit. PUTEAN. Audaces viro docto, qui verba, *victores darent*, delent, ille

ille mihi, qui recepit. reperita namque ex praecedente verſu, *victor jam daret.* quod notavit Burer. quem ſicut & alios non inſpexiſſe miror, certe iſtis fuiſſet, Velleji mactius litaſſet genio. SCHEGK. Voces, *victores darent*; contra virum doctum, ſpuriae mihi & irreptitiae cum elegantiſſimo Schegkio judicatae, damnatae. ACIDAL. In aliis libris duae iſtae voces, *victores darent*, non repe-riuntur: & recte, ut cenſet Lipſius: repetitae enim ſunt e ſuperioribus lineis. Aldus, *quos victore Caeſare, co-mites*, &c. RAPHEL. Duas voces, *victores darent*, non-nulli temere ejecerunt, ſunt enim parentheſi includen-dae, tanquam correctio praecedentium. profugiens cum quatuor comitibus, (quos victores in praelio ſervave-rant, hos fortuna ei comites aggregaverat.) POPMA. Recte omnino jam viderunt alii duo verba, *victores da-rent*, temere repetita ex ſuperioribus ab oſcitante libra-rio, hinc omnino removenda eſſe, nam Popma, qui vul-gatam tuetur, non eſt audiendus. HEINS.

Aliis ut Parthos.] De Parthis etiam Appianus. Sed refutat eam ſententiam Dio principio lib. XLII. idem qui gravi obſervatione perplexitatem Pompeji, & ex per-plexitate deſperationem arguit. Didicerat alias Pompe-jus in adverſis bene ſperare, idque tanto viro, tantaque indole ac experientia dignum erat. nunc omnem ſpem abjicit, cum tamen multa ad ſperandum & reſurgendum ſupereſſent. Scilicet antea adverſos caſus, antequam acciderent, praeviderat, & quid facto opus foret, ſi accidiſſent, meditatus erat: nunc certa ſpe victoriae praerepta, inopinato caſu perculſus, conſilium timore & conſternatione perdidit. Vide ipſam Dionis ſuper iſta re φιλοσοφίαν. BOECL.

Puero quam juveni propior.] Similiter Seneca Tragicus in Oedipo. act. IV. *Inter ſenem juvenemque, ſed propior ſeni.* Appianus ſcribit Ptolemaeum egiſſe annum decimum ter-tium, Plutarchus admodum adoleſcentem fuiſſe. POPMA.

Sed quis in adverſis, &c.] Pleni ſunt auctorum libri talibus ſententiis: quippe id argumentum locis Rhetori-cis opportunum eſt cum primis. hic Rhetorum campus. Caeſar in hoc ipſo ſcelere Aegyptio commemorando l. III. B. C. *plerumque in calamitate ex amicis inimicos ex-ſiſtere*, notat. BOECL.

Aegy-

Aegyptii mancipii.] Senec. ep. 4. *De Pompeji capite pupillus & ſpado tulere ſententiam.* Idem brev. vit. 14. *Pompejus Alexandrina perfidia deceptus, ultimo mancipio transfodiendum ſe praebuit.* Boecl.

Viri in id evecti.] In laudibus Pompeji, Jupiter, ut luxuriat ubique Cicero. cui innatum Pompejanarum partium amorem noſter ſcripſit. Poſt reditum in ſenatu: *Cn. Pompejus omnium gentium, omnium ſeculorum, omnis memoriae facile princeps.* Ad Quirites: *Cn. Pompejus, vir omnium, qui ſunt, fuerunt, erunt, virtute, ſapientia ac gloria princeps.* Acidal.

In tantum.] Ita (*intantum*) & quoſdam cenſere notat Cerda ad Virgil. vi. Aeneid. 177. Sed perperam. & recte codex Rhenani ſeparat has voces: ſaepius hac locutione utuntur Livius, Valer. Max. Juſtin. & alii, ut & noſter infra cap. 79. & alibi: vid. ſupr. ad lib. i. cap. 13. Sine praepoſitione dixit Hyg. fab. 193. *tantum bellatrix evaſit, ut etiam ſaluti fuerit parenti.* ubi *in* addendum judicant Scheffer. & Munker. [V. Barth. & Heinſ. ad Claudian. iv. Conſ. Hon. 406.] Burm.

Diſcordante Fortuna.] Valde ſignanter & ἐμφατικῶς iſtam fortunae diſcordantis ἀντίθεσιν tractat Dio xlii. p. 210. & 211. adde Lucanum, fine viii. Boecl.

Deeſſet ad ſepulturam.] De Pompejo mortuo jactatum dixit Hadrianus Imperator τῷ ναοῖς βρίθοντι πόση σπάνις ἔπλετο τύμβου. *qui templa ſibi paſſus decerni caruit ſepulcro.* Et vetus epigramma in Licinium libertum Caeſaris. *Marmoreo Licinus tumulo jacet, & Cato parvo, Pompejus nullo; credimus eſſe Deos?* Caeterum Strabo lib. xvi. & Ammianus tradunt Pompeji ſepulcrum fuiſſe in Caſſio monte Aegypti. Alii ad Peluſium, quod in Lybia ad Nili oſtium, qua oppidum excurrit. Petronio Satyrico, *Libyco jacet aequore Magnus.* Popma.

Et pene noſtri ſeculi principis viri.] Ita ſupplendus hic locus, cum in vulgatis editionibus deſit verbum *principis*, quod ad ſententiam neceſſario requiritur. Ursin. Male: *pene noſtri ſeculi vir*, eſt qui prope noſtram aetatem attigit: ut ſupra cap. 36. *proximi noſtro aevo*, ex emendatione noſtra. [Ita *litterae noſtri ſeculi* Val. Max. ii. ix. 4.] Burm.

Fefellit quinquennium.] Errorem hunc errarunt Plutarchus & Appianus, ut docuit Sigonius in Faſtis. Schegk.

Tam

Tam facilis.] Probum eſt. tamen editio vetus: *tam felix.* An fuit: *tam non fallax.* Lips. *Tam felix eſſet.* Ed. Rhen. Obvia eſt in MSS. horum verborum confuſio. *facilis* ab Eraſmo repoſitum fuit.

Non fuit tamen major.] Quod receperunt Manut. Lipſ. & alii. Caeſar fine III. b. c. & Hirtius bell. Alex. Plutarch. Caeſ. Appian. II. b. civ. Suet. Caeſ. 35. Flor. IV. 2. 54. &c. Liv. epit. CXII. Boecl.

Utrique ſummo.] Suſpicetur aliquis membrum deeſſe, *alteri mortuo:* cui recte ſubjunctum, *alteri ſuperſtiti.* Etiam *meritis*, melius quam *meritas*. Lips. Nihil deeſſe puto. nam facile alter mortuus intelligitur, altero ſuperſtite. fere ſimili modo Virgil. III. Ecl. 34. *Bisque die numerant ambo pecus, alter & haedos.* unde poſſet & hic legi, *alteri etiam ſuperſtiti.* Burm.

Ubique Jubae nomine.] Ut ſagittario ſcopus, item nobis, ubi quid cupimus emendare, propoſita debet eſſe ſententia, operaque danda, ut eam ita attingamus, ne litterae corrigentes longius a corruptis, quas ob ſimilitudinem falſa quaedam veritatis imago peperit, receſſiſſe videantur: quod ego, quantum licet, retinere inſtitutum decrevi, nec tamen is ſum, qui ſi quis a me diſſentiat, continuo ei, quod nonnulli ſolent, inimicitias indicam. Decet enim eos, qui ſeſe honeſtiſſimis liberalium doctrinarum ſtudiis dederunt, multo magis de litterarum utilitate, communique commodo, quam de ſua laude, laborare. Itaque meas opiniones, ut olim ſuas tabulas Apelles, patere omnibus volo: reprehendentibus, & meliora oſtendentibus, non modo aſſentiar, verum etiam gratiam habebo, eoque majorem, quo magis id fieri non obtrectandi conſilio, ſed ſtudio excitandae virtutis intelligam. Ego hic, quam recte, aliorum eſto judicium, pro, *Jubae*, reſtituto, *vivens* vel *vigens*. Ut aliquid tamen aptius excogitari poſſe, non diffitear. Manut. Aldus hic multa verba fruſtra fundit: atque pro *Jubae* ſubſtituens *vivens*, vel *vigens*. abeſt haec vox a poſterioribus editionibus, quod probo; procul dubio, ſic a verſu ſequenti irrepſit. defeſſus ſum in erratis Aldi notandis: idcirco inſigniora tantum proſequar. Putean. Bonhom. Gryph. *adhuc ubique nomine:* forte an τὸ *Jubae*, ex ſimilitudine vocis *ubique*, natum, quod fieri amat & placet. Scriptura quoque expreſſa corriga-

tur, ſive non, commode tolerari poteſt illo pacto, ut legas, *ubique ibat nomine:* hoc modo ut ſentiat Vellejus: etſi nusquam erat Pompejus corpore; tamen adhuc ubique Jubae cauſſa, fama, celebratione, parte. non turbant ſequentia haec; *quod ciebat rex Juba.* Similis forma ſupra: *cum medium jam ex invidia Pompeji male cohaerentis inter Cn. Pompejum & C. Caeſarem concordiae pignus.* Schegk. Meam hic quoque ſymbolam conferam: *adhuc ubi ubique nomine.* Sic fere dictum, ut *longe longeque, magis magisque, nimium nimiumque.* Acidal. Titius lib. v. locor. contr. 19. legit, *ubique ibat nomine.* Merito rejicit is, qui eum confecit, Yvo: atque ipſe vult deleri ut ſupervacuum *Jubae* nomen. Aſſentior. etſi haud male reſcripſeris, *ubique nomine.* Lips. Non poſſum non accedere Chironis illius diſſimulato alumno Villiomaro, arbitranti vocem *Jubae* ſupervacuam. Nam notat Vellejus, velut rarum, exſtincto capite partium non etiam exſtinctum bellum, ut ſolet. Alexander apud Curt. lib. iv. 13. *Darius haud procul deſtitutus a ſuis, aut victus, aut oppreſſus eſt; in illo corpore poſita & victoria noſtra, & tantae celeritatis eſt praemium.* neque alio ſpectant verba Ciceronis pro Muraena 16. ubi loquitur de Pompejo & Mithridate. *Qua ex pugna cum ſe ille eripuiſſet, & Boſporum confugiſſet, quo exercitus adire non poterat, etiam in extrema fortuna, & fuga nomen tamen retinuit regium. itaque ipſe Pompejus regno poſſeſſo, ex omnibus oris ac notis ſedibus hoſte pulſo tamen tantum in unius anima poſuit, ut cum omnia, quae ille tenuerat, adierat, ſperarat, victoria poſſideret, tamen non ante quam illum vita expulit, bellum confectum judicaret.* Verum de hac item re, niſi memoria fallor, alia multa diximus in diſcurſuum libellis editis. Grut. Yvo Villiomarus, ſive Scaliger, recte τὸ *Jubae* delendum cenſuit. Non eſt tamen, quod nimium emendatione ſua glorietur. Nam & ita jam ante eum a Gryphio, Marneſſio, Stephano, aliisque fuit editum. Voss. Hic itidem ſe divexant. Sequenda eſt Eruditiſſimi viri, Joannis Iſacii Pontani, conjectura, quae habet *jugi*, ad illud Macrobii lib. vii. 14. *Ergo cenſet Epicurus ab omnibus corporibus jugi fluore quaepiam ſimulacra manare.* Boxh. Delebat vocem *Jubae* magnus Scaliger, ut e praecedentibus ſubnatam: nec repugno. Fors fuerit tamen, *adhuc ubique vivebat nomi-*

ne,

ne, vel e nomine; caſtigante Lipſio. quod ſane concinnius Titiano *ibat nomine*. Poſſis &, *ubique jubar e nomine*. niſi quod id poëticum nimis. Valer. Max. lib. v. cap. 3. *Quo te nunc modo, magne Pompeji, attingam neſcio: nam amplitudinem fortunae tuae, quae quondam omnes terras & omnia maria fulgore ſuo occupaverat, intueor.* lib. I. cap. 4. *qui nulla praeterquam avito fulgore vinceretur.* & *fulgor Romani nominis* apud Livium lib. XXI. cap. 43. *fulgor carminum* noſter ſupra de Homero. HEINS. Eraſmus jam ejecit τὸ *Jubae*. forte truncata vox *Jubae* fuit, vel per compendium ſcripta, ut multae in Vellejo, qui ſcripſerat: *adhuc ubique ſuperſtes nomine*. vel *ſupererat*. Ita mox cap. 55. *paterni nominis magnitudinem ſequentium*. BURM.

Bellum.] Hirtius de bell. Afric. ceterique, quos jam ſaepe laudavimus. BOECL.

Ante biennium.] *Triennium*. Profecto *Triennium* eſt, ſi quidem duxit eam in tertio ſuo Conſulatu, Plutarcho notatum. Nec tamen muto. Solennes ejusmodi diſſenſus. LIPS.

Locorumque.] Quid ſi, *aquarumque*. RAPHEL. Emendo, *liquorumque inopia*. Anſa erroris fortaſſe, quod olim *licorumque* fuerit ſcriptum. Ita enim ſcribebant; ut, *inicus*, pro, *iniquus*, *cum*, pro *quum*, *locutus* pro, *loquutus*, aliaque id genus. Siccum illud Catonis iter, praeter alios, eleganter deſcribit Lucanus lib. IX. Pharſaliae. VOSS. Cave mutatum eas in *liquorum inopiam*. *locorum iniquitas & inopia* Frontino Strategem. lib. I. cap. 5. exempl. 28. apud Livium lib. I. *loci inopia*. *jugum inops* eidem lib. XLIV. 4. apud Curtium lib. IV. cap. 8. *loca ſolitudine & inopia vaſta*. *penuriam locorum* pari modo habes apud Columellam lib. IX. cap. 6. *cum aut morbo, aut ſterilitate, aut penuria locorum vexatas conveniat in aliam regionem mitti*. HEINS.

A militibus.] Cum in antiqua editione ſit: *Cum ſummum ei ambitus deferretur imperium*, &c. poſſet legi: *Cum ſummum ei ab illis deferretur imperium*, &c. URSIN. *a militibus*, germana lectio. Nam ita in MS. fuiſſe, teſtatur Burrerius. Incuria ſcribae poſterioris in Rhenani editionem irrepſerat, *ambitus*, pro *a militibus*. Quod monendum fuit, ne quis audiat Urſinum reponentem, *ab illis*. VOSS.

Honoratiori parere maluit.] Clarius Appianus: *recuſaſſe* Catonem imperium, *quod adeſſent legati conſulares, cum ipſe praetorius tantum eſſet, itaque hic quoque legum habendam rationem*, quod apud Plutarch. in Cat. min. additur. Paulo antea legitur in Noſtro: *itinerum locorumque inopia*: rectiſſime. ne quis correctionibus indulgendum hic putet. BOECLER. *Parare* Edit. Rhenan. ſed correctum a Burerio.

Primo varia fortunam expugnavit via.] Muto pauca, & meliorem, ut opinor, apertiorem certe ſententiam reſtituo: hoc modo: *Primo varia fortuna, mox pugna vicit.* MANUT. Hoc quidem inſanum, cui nec medicina viri docti multum profuit. Ego videor perſanaſſe: *Ibi primo varia fortuna, mox pugnavit ſua.* qua lectione quicunque lector nihil eſſe lectius fatebitur. *Sua fortuna*, de eo, cui *reſpiciens* & *obſequens*. Proprie vero de Caeſare, cujus omnibus conatibus fortunam ſubſcripſiſſe Cicero, ni fallor, alicubi dicit: & multi in hanc ſententiam alii cum magna Caeſarianae felicitatis admiratione. Itaque & noſter paullo ante, *Sequens fortunam ſuam Caeſar.* nec poſt longule: *Sua Caeſarem in Hiſpaniam comitata fortuna eſt.* Noſtri autem Dii, venti, & conſimiliter de aliis, cum faventes ad votum & propitii, vulgata jam formula: qua illud Juſtini quoque legi placet, lib. 11. 9. *Magna igitur in pugnam euntibus alacritas animorum fuit: adeo ut cum mille paſſus inter duas acies eſſent, citato curſu ante jactum ſagittarum ad hoſtem venerint. nec audaciae ejus eventus defuit.* Corrigo: *nec audaciae ſuus eventus defuit.* Quoniam autem ad Juſtinum iterum delapſi, ut ſaepe antea, ſumus, non diſcedam prius, quam ternas eodem e libro, ſed parvas, quod poſt Bongarſium, & Modium, viros maxime induſtrios & felices neceſſe eſt, maculas detergeam. Ante hunc locum cap. 7. de Solonis ſimulata dementia eſt, *factoque concurſu hominum: quo magis conſilium diſſimularet: inſolitis ſibi verſibus ſuadere populo coepit, quod vetabatur.* Malim: *inſolitis ibi.* Etiam anterius cap. 6. de Athenienſium origine: *Et quia non ut ceterae, a ſordidis initiis ad ſumma crevere.* Diſtinctio ſaltem mutanda: *Et quia non, ut ceterae a ſordidis.* Ad finem libri propius: *Namque Athenienſes poſt pugnam Marathoniam praemonente Themiſtocle victoriam illam de Perſis, non finem,*

ſed

ſed cauſſam majoris belli fore, CC. *naves fabricaverunt.* Tempus narrationi magis appoſitum, *fabricaverant*. Haec ita brevior, nam quid in talibus moram exigit? ACIDAL. Ferent hoc purae & Latiares aures, ſpernunt meae. Lege firmiter: *primo varia fortuna, mox pugnavit ſua.* Acute. Initia, inquit, belli ambigua, laetus exitus & a fortuna plane Caeſariana. Riſit enim ſemper illi viro, & in bellis utique viſus eam habere in mancipio & poteſtate. Ipſe gloriatur apud poëtam, quem ſenſuum & honeſti acuminis cauſſa amo: —— *quem numina nunquam Deſtituunt, de quo male tunc Fortuna meretur, Cum poſt vota venit.* LIPS. Ingenioſiſſima eſt emendatio Lipſii, an Acidalii? *ibi primum varia fortuna, mox pugnavit ſua.* & ſi non ita ſcripſit auctor, ſcribere debuit. GRUTER. Elegantiſſime emendant Lipſius, ac Acidalius: *Ibi primo varia fortuna, mox pugnavit ſua.* Ἰδίαν τύχην alias etiam Caeſari attribuit Vellejus. Imo & Lucanus: ut lib. v. —— *Pariter tot regna, tot urbes, Fortunamque ſuam tacta tellure recepit.* Voss. Pulcherrime Lipſius, *ibi primo varia fortuna, mox pugnavit ſua*, quae reſtitutio loci depravati ut res ipſa eſt, ſic excogitata perquam ingenioſe. infra cap. 74. *uſus Caeſar virtute & fortuna ſua.* cap. 55. *ſua Caeſarem in Hiſpaniam comitata fortuna eſt.* HEINS.

Hiſpanienſi.] Vide Hirtium de bell. Hiſp. ceterosque. neque enim toties repetemus ſatis nota cuivis nomina. BOECL.

Victus ab eo Pharnaces.] Quia hunc *Caeſar adgreſſus* (Florus) *uno & non toto praelio obtrivit more fulminis, quod uno eodemque momento venit, percuſſit, abſceſſit; nec vana praedicatio de ſe Caeſaris, ante victum hoſtem, quam viſum*: ideoque his tribus ſolummodo verbis, *veni, vidi, vici*, victoriam ſuis ſignificaſſe, eorumque in triumpho inter pompae fercula poſtea praetuliſſe titulum (non acta belli oſtendens ſicut caeteris, ſed celeriter confecti notas,) tradunt Dio, Plutarchus, Appianus, alii. Seneca tamen pater Suaſor. lib. I. imitatione Tuſci haec tria protuliſſe Caeſarem ſignificat. SCHEGK. Vide Flor. IV. 2. 6. ibique notas Freinshemii. BOECLER.

Adſtruxit.] Scribendum cum Lipſio, *adſtruxerit.* RAPHEL. De hoc verbo vide Heinſ. ad Ovid. II. Art.

Amat. 119. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 54. 385. V. IX. p. 266.

Veſtigio ſe non receſſurum.] Scilicet rebus tam dubiis periculorum remedium ſunt ipſa pericula, neque temeritas videri debet, neceſſaria audacia: ſive, ut accuratiſſime omnium *Tacitus* loquitur, ubi *praeſidium ab audacia mutuatur*, quem virtus jam non poteſt eripere. Qua de re multa multi, quae non exſcribimus. Adi Scipion. Amirat. diſſert. polit. ad Tac. IX. BOECL.

A duce.] Si divinatio locum habet, emendo: *ceterum a duce*. MANUT. Ita fuit in MS. Aldus emendabat, *caeterum a duce*. Quod non diſpliceret, ſi in MSS. *C.* ſoleret pro *caeterum* poni. Malim ergo: *Sed a duce*, &c. VOSS. In Membrana, *reſtitutae C. A. duce.* ſcribe, *acies reſtituta, ac a duce, quam a milite fortius.* HEINS. Malim, *certe a duce, quam a milite fortius*, nam illud *ac a* aures non admittunt. BURM.

Labienum.] Cujus forti ac fideli opera uſus Caeſar in Galliis. Cicero ad Tironem: *maximam autem plagam accepit* (Caeſar) *quod is, qui ſummam auctoritatem in illius exercitu habebat, T. Labienus, ſocius ſceleris eſſe noluit, reliquit illum & nobiſcum eſt.* & ad Attic. lib. VII. *Labienum ἥρωα judico. facinus jamdiu nullum civile praeclarius, qui, ut aliud nihil, hoc tantum perfecit: dedit illi dolorem.* cauſſam tranſitionis exprimit ipſe Caeſar. SCHEGK.

Caeſar omnium victor.] Tè *omnium* fuit cum tolli praeſtare cenſerem, cum ſubſequatur denuo, *omnibus, qui contra ſe arma tulerant, ignovit.* Tamen pari modo, *Regulus omnium victor*, Floro dictus lib. II. cap. 2. Interpretatur Vellejum Valerius Maximus lib. V. cap. 7. *Caeſar omnium jam externorum & domeſticorum hoſtium victor.* HEINS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 55.

Omnibus, &c. *ignovit.*] De clementia ſua Caeſar ipſe gloriatur. Epiſt. ad Ciceron. *Recte auguraris de me (bene enim tibi cognitus ſum) nihil a me abeſſe longius crudelitate. atque ego cum ex ipſa re magnam capio voluptatem, tum meum factum probari abs te, triumpho & gaudeo.* De magnificentia Caeſaris in muneribus etiam mentio apud Salluſtium II. Orat. SCHEGK.

Quinque egit triumphos.] Loquitur de triumphi ferculis,

lis, ſimulacris, imaginibus aliis diverſa confectis materia. Sueton. cap. 37. *Egit diverſo quemque genere & adparatu.* ita doctis placitum. Non diſſentit Dio, qui ebur ad Hiſpanienſem refert: *Sed Fabio etiam Pedioque* (ait lib. XLIII.) *legatis ſuis, quique nihil propriis auſpiciis geſſerant, triumphandi copiam fecit: qua in re id riſum multum excitavit, quod ii, imaginibus ferculisque nonnullis non eburneis, ſed ligneis utebantur.* Hincque jocus apud Quinctilianum eadem de re lib. VI. *ut Chryſippus, cum in triumpho Caeſaris eborea oppida eſſent translata, & poſt dies paucos Fabii Maximi lignea, thecas eſſe oppidorum Caeſaris dixit.* Agit enim de triumphis non Caeſaris, ſed ejus legatorum. & notum ebur omnibus triumphis tralaticium fuiſſe. Vir clariſſimus hic pro *citro*, legendum monet *cedro*, ut pro *lance* accipiatur; quod aperte pugnat cum verbis Velleji: deinde telum quod torquet, eadem ratione retorqueo. confer inter ſe ex variis editionibus haec capita Plinii lib. XVI. cap. 43. lib. XII. cap. 3. lib. XV. cap. 7. & II. aut vehementer fallor, mecum vulgatam defendes. Citreae menſae mentio apud Ciceronem in Verrinis. & citri uſus jam inde cum cedro in ſacro fumo. Plinius lib. XIII. *Raſile argentum* capio, ſimulacra, ferculaque ex argenteis laminis politis, levigatis, non caelatis. Catullus; *Transfer omine cum bono Limen aureolos pedes, Raſilemque ſubi forem.* SCHEGK.

Gallici apparatus ex citro.] *Cedro* reſcribunt viri docti, qui putant opera citrea non ſatis digna ad apparatum Gallici triumphi, quem primum & praeſtantiſſimum egiſſe Caeſarem tradit Suetonius cap. 37. ſed cur imagines, ſimulacra, fercula e citro cenſerentur indigna in pompa triumphali, cum maxime laudarentur in aedibus citreae fores, in ſupellectili citrei lecti, citreae menſae magno pretio aeſtimatae, quarum meminit Cicero in Verrinis, & Martialis lib. XIV. Cato in Ptolemaeum: *dicere poſſum, quibus villae atque aedes aedificatae atque expolitae maximo opere, citro atque ebore, atque pavimentis Poenicis ſtent.* Varro in Geruntodidaſcalo, *Libyſſa citrus faſciis cingit fores.* Perſius Satyr. I. *Non quidquid denique lectis Scribitur in citreis.* Mox *Acanthus* eſt arbor albo & nigro, itemque viridi colore, quae *acacia* etiam dicitur, de qua Plinius lib. XXIV. cap. 12. *Teſtudo* ſecta in

laminas & ferculis triumphalibus obducta a Caeſare, ſic ut ſolebant obduci lectis & abacis, de quibus Plinius lib. IX. cap. 13. & lib. XXXII. cap. 11. Clemens Alexandrinus Paedagog. lib. II. cap. 3. *Argentum raſile* eſt, quod in argenteas laminas diductum politur, & laevigatur, ut *Raſilis foris* apud Catullum, *Raſilemque ſubi forem. ex torno raſile buxum* Virgil. POPMA. Torrentius ad Suetonii Julium, legendum arbitrabatur, *cedro. Nam citrum* (inquit) *vix ſuo tempore novit Plinius: tantum abeſt, ut univerſum triumphum Gallici inſtrumentum citro conſtiterit.* Ubi primum mihi monendum arbitror, quod Plinium attinet, apud eum paſſim lib. XIII. cap. 15. & ſequentibus, pro *citrum*, librarios imperite ſcripſiſſe, *cedrum.* Quo vitio ubique fere carent MSS. & vetus editio Parmenſis anni CIↃ CCCCLXXVI. ſolideque adeo id firmat, quod eandem arborem dicat, quae Graecis θύον vocatur. Ut ad antiquiora tranſcendam, habemus illud Catonis apud Feſtum, ex oratione, Ne quis iterum Cos. fiat: *Dicere poſſum, quibus villae, atque aedes aedificatae, atque expolitae maximo opere, citro, atque ebore, atque pavimentis Poenicis ſtent.* Nimirum Africa Romanorum jugum jam induere coeperat. Quid multis? omnem dubitationem eximit Lucanus lib. X. 143. ubi loquitur de convivio Caeſaris, ac Cleopatrae; *Dentibus hic niveis ſectos Atlantide ſylva Impoſuere orbes, quales ad Caeſaris ora Nec capto venere Juba. Pro caecus & amens Ambitione furor! civilia bella gerenti Divitias aperire ſuas, incendere mentem Hoſpitis armati. Non ſit licet ille nefando Marte paratus opes mundi quaeſiſſe ruina: Pone duces priſcos, & nomina pauperis aevi, Fabricios, Curiosque graves: hic ille recumbat Sordidus Etruſcis abductus conſul aratris: Optabit patriae talem duxiſſe triumphum.* Ait priſcos etiam duces, quos fama ob continentiam adeo laudat, optaturos fuiſſe triumphum agere, qualem Caeſar, hoc eſt, cujus apparatu ex citro conſtaret. Nam de citreis operibus heic Lucanum loqui, certum vel ex illo Martialis lib. XIV. lemmate, *Menſa citrea. Accipe felicis Atlantica munera ſylvae: Aurea qui dederit dona, minora dabit.* Quae quidem ad Torrentii opinionem refellendam ſuffecerint. Ridiculum vero, quod dicat Popma, alios *cedri* ſubſtituere, quod opera citrea viliora arbitrentur, quae triumphum Caeſaris adornarent. Itaque

in eo totus eſt, ut citri praeſtantiam extollat. Nec ſaniora ſane, quae de hoc Velleji loco promit Dalecampius ad Plinii Nat. Hiſt. lib. XIII. cap. 15. Voss.

Pontici ex Acantho.] Cenſebat Aeneas Vicus Parmenſis, in Julio Caeſare ſuo, militum chlamydes ex acantho herba contextas fuiſſe. Nam ex ea veſtes confici ſolitas, docent Dioſcorides lib. III. cap. 17. Virgilius Aeneid. I. & ad eum Servius, qui & haec Varronis verba adducit: *Neanthes in India eſſe ait arbores, quae ferant lanam. Item Epicadus in Sicilia, quarum floribus cum dempti ſint aculei, ex his implicitis mulieres multiplicem conficere veſtem.* Ita ex codice Fuldenſi locus ille legi debet. *Neanthes* tamen pro *Neſcientes* de conjectura repoſui. Ut fuerit illud ex libris ejus τῶν κατὰ πόλιν, quorum meminit Ammonius de Vocum Diff. Atque idem ſane de acanthinis veſtibus liquet ex Plinio Nat. Hiſt. lib. XXIV. cap. 12. & aliis. Nequeo tamen Vico aſſentiri. Nam Vellejo quidem de curru triumphali ſolum, & oppidis in triumpho praeclaris, ſermonem eſſe arbitror. Sic ſane in triumpho Alexandrino oppida eburnea intelligenda eſſe, liquet ex Quinctiliano lib. VI. cap. 4. Acanthum igitur arborem Aegyptiam, non herbam, in Vellejo intelliges. Voss. De Acantho vide interpretes Virgil. ad Ecl. III. 45. & I. Georg. 119. & variis in Exercitationum Plinianarum locis Salmaſium, praecipue pag. 370. & ſeqq.

Sexties millies.] Viſa haec quoque ſumma oppido tenuis Clar. Juriſconſulto Fr. Hotomano. reponit, *ſexagies millies.* At depoſuit duntaxat ad Opis ſepties millies; & ad Perſei bellum, non bellum. Scheck. Haud muto, & videtur haec ipſa pecunia eſſe, quae depoſita poſtea ad Opis, quam *ſepties millies* fuiſſe Cicero non ſemel indicat, & poſtea Vellejus. Juriſconſulto celebri an adſentiar *ſexagies millies* reponenti? *opido* enim *tenuis*, inquit, *eſt haec ſumma.* Miror. Nam *ſexies millies* faciunt aeſtimatione Budaeana (quam haud temere quis mihi carpat) *centies quinquagies centena millia aureorum.* Et an Paullus Aemilius tantum intulit? an ipſe Pompejus? longe infra. Illud tamen fateor, paullo majorem ſummam in Appiano me reperiſſe: qui tuliſſe in triumpho Caeſarem dicit: Μυριάδας ἓξ καὶ ἥμισυ ταλάντων. *ſexagintaquinque millia talentum.* Ea eſſent quaſi *decies ſexies millies H. S.*, computatione Romana: haud dubie

 ſu-

ſupra Vellejanum numerum, ſed longe infra immanem illum correctoris. Nam *ſexagies millies*, fecerit *centum quinquaginta aureorum* (cum vulgo loquar) *milliones*. Lips.

Plus quinque menſium.] Cicero ad Att. lib. x. ep. 7. dixit, ejus Regnum vix ſemeſtre eſſe poſſe. Manut.

Idibus Martiis.] De caede *Caeſaris* plerique, quos hactenus ſaepius nominare opus fuit. An merito acciderit ei hic exitus, varie disputatur. & jam olim *occiſus Caeſar aliis peſſimum, aliis pulcerrimum facinus videbatur*, teſte Tacito I. A. 8. 7. ad quem locum vide quaeſo, quae Vir Illuſtris Chriſtophorus Forſtnerus notavit: ubi praeſertim cum Dione ac prudentiſſimo quoque Hiſtoricorum, *praejudicium divinae ultionis adverſum parricidas* urget, magnisque exemplis confirmat. Res tota illuc videtur redire: *paſſionem*, ſecundum tritum vulgi verbum, *juſtam*; *actionem injuſtiſſimam* cenſeri debere. Immiſerat ei hanc cladem haud dubie Divina Juſtitia, tum alia facinora, tum Pompejanarum partium funera reique publicae perturbationem, & civilem ſanguinem ultura: ſed interfectores ipſi ſceleſtiſſimo conſilio auſuque facinus ſuſcepere. cum praeſertim, non dum invadit dominationem, ſed poſtquam jam pacto & jurejurando civium, jus quodpiam nactus erat, interfecerint Caeſarem. Nam quod Brutus apud Appianum jactitat οὐδὲν πιστόν ἐστι Ῥωμαίοις πρὸς τυράννους, οὐδ᾽ ἔνορκον, merito refutat Hugo Grotius de jur. bell. & p. II. 13. 15. confer I. 4. 19. & III. 19. 2. Egregia eſt diſſertatio Dionis principio lib. XLIV. Certe inter inſignes *ſoloecismos politicos* retulerim illam Ciceronis intemperantiam, qua toties caedem & percuſſores Julii extollit & immodice praedicat: cum tamen ex illa de tyrannicidio quaeſtione, cujus ſaepe in epiſtolis mentionem facit, nunquam ſe plane pleneque extricare queat. Boecl.

Quorum alterum promittendo.] Principem vere lupum auribus tenere, cum candidatis omnibus non ſatisfacit, pluribus explicavimus in Livio, in Tacito, ubi circus noſter eſt. Gruterus. Vide Plutarch. in Caeſ. ſubtili ſententia ambitioſorum ὑπόθεσιν notat Vellejus, *qui cum habere, quam exſpectare malint honores, nec promittendo mitigantur, & differendo offenduntur.* Quanquam animo invidiae facibus jam ſuccenſo, *omnia ſunt ingrata, nihil*

ſo-

feciſſe benigne eſt. Vide de his & ceteris popularibus ſceleris Dion. XLIV. pr. BOECLER.

Conſiliariis.] Tentabam, *conſciis aliis caedis.* LIPS. Εὐστόχως quidem qui refingunt, *conſciis aliis caedis famil.* ſed cur ea huic loco minus conveniat, facit quod ſtatim ſequatur, *aliisque clari nominis viris.* *Conſiliarios* heic vocat, conſilii ejusdem participes; qua ſignificatione & uſus Cicero. GRUTER. Pro *conſiliariis caedis* corrigo, *conſciis variis caedis.* ni mavis cum clariſſimo Lipſio *conſciis aliis.* HEINS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 55.

In ſummum evectis.] *In ſummum revectis.* Rhen. Edit.

Invidiam conciliarat.] Poſſis *concitarat.* ſed nec alterum damna. *ſeditionem conciliare* Frontino in Strategematis. *Incommoda alicui conciliare* Lucretio lib. III. *odium omnium hominum conciliare* Plinio lib. XXVIII. cap. 8. HEINS.

Imponendo capiti ejus.] Vere audax & indignum facinus, praeter mille alios, elegantiſſime Cicero II. Philipp. narrat, & exagitat acerrime cum hac, tum inſequentibus ferme omnibus. ACIDAL.

Quod ab eo ita repulſum.] Recte emendavit Rhenanus. vulgo, *quod ab eo id repulſum erat, ut non offenſum videretur.* Forſan *offenſum* referendum ad inſigne regium, ut ſenſus ſit, ita repulſum inſigne, ut tamen non offenſum, non turbatum capite videretur. THYS. *Quod ab eo ideo repulſum*, vetus Rhenani liber. an, *quod ab eo quidem repulſum erat?* HEINS.

Repulſum.] Suet. Caeſ. 79. Dio. XLIV. p. 278. Plut. in Caeſ. & Anton. Vanitas inſignis Antonii: quam merito exagitat Cicero in Philippicis & apud Dion. XLV. in oratione adverſus Anton. BOECLER.

Ut principatum armis quaeſitum.] Conſilium; cujus cubilia erui meis ad Tacitum diatribis. GRUTER. Henricus Savilius, cujus erudit iſſimum de militia Romana librum ex Anglico Latinum fecit G. M. Lingelshemius, Praetorianorum cuſtodiam non niſi foris in bello uſurpatam Romanis ait: *donec Sulla & Caeſar uſurpato dominatu, domi quoque tanquam inter hoſtes retinuerunt conſuetam cuſtodiam. Sed Sulla reſignato ſimul dominatu & praeſidio* (Appian. I. & II. ἐμφ. Salluſt. & alii.) *quamobrem a Caeſare notatus*, neſcire litteras, *poteſt videri ſecutus*

ſa-

ſaniorem Grammaticam, quam ipſe Caeſar, qui dimiſſo praeſidio, nec ſimul dominatu, commiſit periculoſum & inſignem ſoloecismum in politica adminiſtratione, & viam ad ſuam perniciem patefecit. Lubens adſcripſi verba elegantiſſimi libelli; e quo & Clapmarius quaedam mutuatur Arcan. III. 14. ubi plura ſuper hoc argumento. BOECLER.

Plurima praeſagia.] Manilius IV. 56. *Ille etiam caelo genitus caeloque receptus, Cum bene compoſitis victor civilibus armis Jura togae regeret, toties praedicta cavere Vulnera non potuit, toto ſpectante ſenatu Indicium dextra retinens, nomenque cruore Delevit proprio, poſſent ut vincere fata.* SCHEGK. Manilius eandem rem narrans lib. IV. ait. *Ille* &c. In quibus verſibus pro *nomenque* perperam Scaliger reponit *omenque.* Senſus enim eſt, Caeſarem ſanguine ſuo deleſſe tabellas ſibi traditas, quae conjurationem, & conjuratorum nomina indicabant. De qua re vide Suetonium, Dionem, & alios. VOSS.

Libelli conjurationem nuntiantes, dati, ab eo, neque protinus lecti.] Superius, *adeo*, legi. quod hic iterum moneo, ne temere praetereatur. ACIDAL. Scribe, *libelli conjurationem nuntiantes dilati ab eo, neque protinus lecti erant.* Ita hiſtorici omnes de hac re. c. 79. *extra dilationes poſitus*, minime cunctator. Ipſe Caeſar ſuperiori capite dicitur, *offendiſſe Caſſium differendo.* Poſſunt & levi transpoſitione vocum haec ita ordinari: *libelli conjurationem nuntiantes dati, neque ab eo protinus lecti.* Nam *dare libellos* proprium tali in re. Plinius lib. VII. Ep. 27. *In ſcrinio Domitiani datus a Caro de me libellus inventus eſt.* Adde antiquam inſcriptionem in opere magno apud Gruterum pag. DCVII. ubi *exemplum* habes *libelli dati* Antonini Aug. *Dandi* verbo etiam Florus in hac narratione eſt uſus. *Quanta vis fati! manaverat late conjuratio. Libellus etiam Caeſari datus eodem die,* lib. IV. cap. 2. Quae & ipſa non ſatis integra ſunt, & nimis circumciſa. Debuit enim addidiſſe, quid libellus iſte complecteretur. Forte voluerat Florus: *Libellus etiam ea de re datus eodem die.* Aperta omnia & plena apud Suetonium: *Libellum inſidiarum indicem ab obvio quodam porrectum libellis ceteris, quos ſiniſtra manu tenebat, quaſi mox lecturus, commiſcuit.* vides dilatum libellum. HEINS. Ego puto hic latere nomen ejus hominis,

qui

qui libellos dedit; Artemidorum Gnidium Plutarch. in Caeſare vocat, unde poſſet legi, *libelli* &c. *dati ab Artemidoro neque protinus lecti erant.* Sed & ab alio fuiſſe datos tradi etiam addit Plutarchus; & Appian. lib. II. Bell. Civ. pag. 501. Artemidorum veniſſe quidem in curiam, ut proderet conjurationem, ſed inveniſſe jam interfectum tradit. quidquid ſit, ſimile quid latere puto, & *ab eo* conjungendum cum *dati*, non *lecti*. ex Suetonio poſſet fingi, *dati ab obvio*, etiam non abſurde. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 56.

Cujus cum fortunam.] Quo diligentius animadverto, eo magis abundare, *cum* intelligo. Alii: *cujuscumque fort.* MANUT. Repetit inferius c. 119. *Quippe ita ſe res habet, ut plerumque qui fortunam mutaturus eſt, conſilia corrumpat, efficiatque quod miſerrimum eſt, ut quod accidit, etiam merito accidiſſe videatur, & caſus in culpam tranſeat.* plura ad hanc mentem Lipſius in arduo illo opere Conſtantiae. SCHEGK. Primo editi, *cujus quem.* Facito, *cujuscumque.* LIPS. Aptius foret *vis: cujuscumque fortunam.* GRUTER. Recte Lipſius: legebatur enim, *cujus quem f. m.* Plut. in Caeſ. *ἀλλ' ἔοικεν οὐχ οὕτως ἀπροσδόκητον, ὡς ἀφύλακτον εἶναι τὸ πεπρωμένον. Non tam improviſum, quam inevitabile videtur fatum eſſe.* Appianus: *χρῆν γὰρ ἃ ἐχρῆν Καίσαρι γενέσθαι.* Talia paſſim obvia. vide Cl. Freinshem. ad Curt. V. 11. 10. & Lipſ. I. polit. 4. Vellem tamen Lipſium (quippe qui ad uſum pietatis & vitae eam doctrinam tradere inſtituit) cautius adhibuiſſe quaedam gentilium loca; quae nimirum ſtudioſe a Stoicae neceſſitatis hypotheſi repurganda, & ad Chriſtianam philoſophiam diligentius exigenda ſunt. BOECLER. Prima editio habet *cujus quom*, non *quem*; ſed Burerius in codice eſſe *cujus cum* notat. *cujuscumque* jam Eraſmus & Stephanus ediderunt. BURM. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 168.

Quo anno id patravere facinus Brutus & C. Caſſius.] Rectius ſit, *M. Brutus & C. Caſſius.* HEINS.

Praeter tyranni.] Plutarchus in Anton. *ἐκώλυσε δὲ Βροῦτος, ἀξιῶν τὴν ὑπὲρ τῶν νόμων καὶ τῶν δικαίων τολμωμένην πρᾶξιν, εἰλικρινῆ καὶ καθαρὰν ἀδικίας εἶναι. Prohibuit autem Brutus* (ſc. interfici Antonium) *cupiens actionem pro legibus & jure ſuſceptam, ſinceram & ab iniquitate puram eſſe.* Hic color nimirum facto quaerebatur. BOECLER.

Dolabella.] *Dolobella* Ed. Rhen.

Quem ſubſtituturus ſibi Caeſar.] Ad bellum Parthicum profecturus paucis diebus antequam occideretur, Dolabellam in reliquum annum Coſ. ſibi ſubſtituerat, & deſignaverat magiſtratus in biennium vel quinquennium, ut eſſent qui ipſo abſente res urbanas adminiſtrarent. Cicero ad Atticum, Dion & Appianus. Popma.

Conſularia.] Hoc fluxit ab editoribus poſterioribus (in Manutii primum video) nam Rhen. Eraſm. & Steph. habent *Coſ.*

Liberos ſuos obſides.] Cicero Philipp. I. *Pax denique per eum* (Antonium) *& liberos ejus cum praeſtantiſſimis civibus confirmata eſt.* Intelligitur unus Antonii filius. Nam idem ſubjungit: *Reipubl. tuus parvulus filius in Capitolium a te miſſus pacis obſes fuit.* & idem Philipp. II. *Pacem haberemus, quae erat facta, per obſidem puerum nobilem, Bombalionis filium.* At Livius & Dio Antonii & Lepidi volunt. Scheck.

Decreti Athenienſium.] Juſtinus l. v. memorat: Ipſum decretum μὴ μνησικακεῖν. de quo certatim hiſtorici. Quod ad Vellejum; de tota re ipſe Cicero praeclariſſime initio Oration. Philipp. primae: *Nec vero usquam diſcedebam, nec a Repub. dejiciebam oculos ex eo die, quo in aedem Telluris convocati ſumus, in quo templo quantum in me fuit, jeci fundamenta pacis: Athenienſiumque renovavi vetus exemplum. Graecum etiam verbum* (τῆς ἀμνηστίας) *uſurpavi, quo tum in ſedandis diſcordiis erat uſa civitas illa; atque omnem memoriam diſcordiarum oblivione ſempiterna delendam cenſui.* Acidal. Intelligitur Ἀμνηστίας ψήφισμα, *decretum, ſive Lex oblivionis.* Cujus inventores Athenienſes celebrantur. Nobilis eſt praeſertim Ciceronis de Amneſtia oratio, cujus hic meminit Noſter, deſcripta Dioni lib. XLIV. Boecler.

Teſtamentum apertum eſt.] Adoptio ſecundum JC. duobus modis fit; aut principali reſcripto, aut imperio magiſtratus. hic notabis tertium, per Teſtamentum. Suetonius Tiber. *Teſtamento adoptatus haereditate adita mox nomine abſtinuit.* Eutropius; *Vindicaturus patris ſui mortem, a quo per teſtamentum fuerat adoptatus.* plura reperies apud JC. in Obſervationum libris. De variis modis, per arma, barbam, comam ſive capillum, ſacras preces, adoptandi poſterioribus principibus placitis, do-

ctiſſimus

ctiſſimus Pithoeus Adverſar. 1. Ait, *Nepotem ſororis ſuae Juliae*, vere. Suetonius, Dio, Appianus, Plutarchus Bruto & Antonio; ſi ſequeris Sigonii ac Xylandri correctionem, quamvis vulgata eodem argumento defendi poſſit, quo noſter & Suetonius Caeſarem avunculum magnum Octavii, avunculum nominare non erubeſcunt. SCHEGK.

Nepotem ſororis ſuae.] Filium ſororis falſo nominat Plutarchus in Antonio. MANUT.

Etiam ſi praeventis pauca.] Legerem, *etiam ſi praeventis tamen pauca dicenda ſunt.* MANUT. Falſi ſuſpecta vox, *praeventis.* Nam quid ob hanc rem ſe excuſet? an aliorum omnium origines ante ipſum indictae, intactae aliis, quas paſſim heic inſerit? aut cur non & ibi excuſat idem? Sed legendum arbitror, *etiamſi properanti, heic pauca dicenda ſunt.* Feſtinare ſe innumeris locis ait, quin & curſim, & in transcurſu omnia haec ſcribere: adeoque opus ipſum appellat transcurſum. Sic ergo rectius moram excuſet. Nec a literis abitur longius, corruptionis originem ſi ſpectes, quae intelligentibus obvia monſtrari non deſiderat. Quod ſi malis, etiam mihi volenti erit ſcribere, *properanti, ſed pauca.* Illud tamen quoque *Heic* & *Hei*, ſaepe in *Et* librariorum incuria depravavit. quod eveniſſe & Propertii iſti loco cenſeo, lib. III. Eleg. *Quid mirare. Quid? modo quae noſtris opprobria vexerit armis, Et famulos inter foemina trita ſuos, Conjugis obſceni pretium Romana popoſcit Moenia, & addictos in ſua jura patres.* Quamquam enim hic prius &, pro *etiam* defendi poſſit, non negabis tamen ardori orationis, & indignitati rei magis convenire σχετλιαστικὸν illud: *Hei famulos inter foemina trita ſuos.* Idem accidit & Flori, quantum nunc memini, duobus locis lib. I. cap. 19. *In ſe converſis Marianis atque Sullanis, noviſſime Pompeji & Caeſaris manibus, quaſi per rabiem & furorem & nefas ſemet ipſe laceravit.* Certe enim corrigo: *quaſi per rabiem & furorem (hei nefas) ſemet ipſe laceravit.* l. IV. cap. 2. *Si moram belli quatuor annis, & pro clade rerum breve tempus:* legendum pronuntio: *Si moram belli; quatuor annis: hei pro clade rerum breve tempus.* Memini idem quoque in pluribus aliis, verum nos ad Vellejum, in quo quidem poterat & ſcribi *brevianti.* Facit enim heic quaſi Breviculum corum

rum omnium, quae in illis juſtis voluminibus toties tanta oſtentatione promiſſis, late & copioſe perſecuturus fuit. Poterat denique *prementi:* ad literas omnium proxime: id eſt, coarctanti, cohibenti, ut Virgil. *Et premere & laxas ſciret dare juſſus habenas.* quamquam eadem vox huic etiam ſignificationi ſuſcipit aliquando contrariam. Sed laqueum conjecturis. ACIDAL. In antiqua editione eſt, *de cujus origine etiamſi prevenit & pauca.* ſed fortaſſe legendum eſt, *de cujus origine etiamſi perveteri & pauca.* &c. URSIN. Lipſius *at pauca.* RAPHEL. Omnes Viri Eruditi hic operam luſere. Scribendum eſt: *Etiamſi praevenit, & pauca dicenda ſunt.* Ita erat in autographo. Non cogitavere interpretes, Auguſtum ipſum vitam ſuam perſcripſiſſe; ibique de majoribus etiam tractaſſe. Quod vel ſola Suetonii verba initio illius vitae ſatis declarant, qui, ubi aliorum retulit ſententias, ſubjicit: *Ipſe Auguſtus nihil amplius, quam equeſtri familia ortum ſe ſcribit, vetere ac locuplete, & in qua primus ſenator pater ſuus fuerit.* Fragmenta ejus in variis lectionibus collegit Janus Rutgerſius. Nos aliud praeterea e Tertulliani libro de Anima eruiſſe nobis viſi. Locus ejus vulgo ita circumfertur. *Reformatorem imperii, & puerulum adhuc, & privatum loci, & Julium Octavium tantum, & ſibi ignotum, M. Tullius jam & Auguſtum, & civilium turbinum ſepultorem, de ſomnio norat. In Vitelliis commentariis conditum eſt.* Nam quis Vitellios commentarios fando unquam audivit? ita igitur reſcribendum putamus: *de ſomnio norat; ut in Vitae illius commentariis conditum eſt.* Quae, ut nobis quidem videtur, non conjectura, ſed res ipſa eſt. VOSS. Ita plerique edidere. Urſinus tamen monuit, legi in veteri codice: *etiam ſi praevenit; & pauca dic. ſ.* Quae lectio proba videtur; ut ad Auguſti commentarium, quem de vita ſua ſcripſit, reſpiciatur. BOECLER. *De cujus origine, etiamſi praevenit & pauca dicenda ſunt* membrana; quae locum duabus litteris dedit auctiorem, quam oportuit. Repone igitur pro *praevenit &*, *praenitet. etiamſi praenitet.* cap. 35. *virtus Catonis conſpicua & praenitens.* cap. 39. *Forum Auguſti victarum gentium ſpoliis praenitet. praefulgere* dixit alibi; ut lib. I. cap. 14. de coloniis: *nam militarium & cauſae & auctores ex ipſarum praefulgent nomine.* HEINSIUS. Malim, *etiamſi per ſe nitet, pauca dicenda;* illud certe

prae-

praevenit, ita abſolute poſitum, pro occupavit prius; non placet. Burm.

Fuit C. Octavius.] Sueton. Aug. III. & IV. Dion XLV. Boecler. Meminit hujus Cicero ad Trebatium bis, Suetonius Aug. c. IV. & inſcriptio Romae in hortis Colotianis, quae locum hunc valde illuſtrat. C. OCTAVIUS. C. F. C. P. N. PATER AUGUSTI TRIB. MIL. BIS. Q. AEDELIS PL. CUM C. TORANO. JUDEX QUAESTIONUM. IMPERATOR APPELLATUS EX PROVINCIA MACEDONIA. Popma.

Praetor.] A. U. C. DCXCIII. Vide Pighii Annales.

Appellatusque in ea Imperator.] Legendum: *Appellatusque ex ea Imperator*, &c. Nam de hoc ipſo Octavio extat vetus inſcriptio, in qua eſt: IMP. APPELLATUS EX PROVINCIA MACEDONIA. Ursin.

In ea.] Rhen. *in eam imperator.* antique: Saluſtius Catilin. *quod L. Sulla exercitum, quem in Aſiam* (ita in veteribus legi & monuerunt quidam, & ipſe deprehendi) *ductaverat.* Fragmenta legis Agrariae: *QUEI. AGER. POBLICVS. POPVLEI. ROMANEI. IN. TERRAM. ITALIAM. P. MVCIO. L. CALPVRNIO. COS.* Et Thoriae: *QVEI. EORVM. IN AMICITIAM. POPVLI. ROMANI. BELLO. POINICO. PROXIMO. MANSERVNT.* Scheckius.

Hiſpanienſis militiae.] Scribo, *Hiſpanienſi militia.* Suetonius c. VIII. Aug. *Profectum mox avunculum in Hiſpaniam adverſus Pompeji liberos, per infeſtas hoſtibus vias ſubſecutus, magno opere demeruit.* Lips. Malebat Juſtus Lipſius *Hiſpanienſi militia.* Sed nihil mutaverim. Nam *cauſa*, aut tale quid intelligitur. De Hellenismo hoc aliqua ad librum priorem annotavimus. Voss. *Lipſius* malebat: *Hiſpanienſi militia.* Mihi nil mutandum videtur. ſed nec *Hellenismus* hic exiſtimari debet, cum haud dubie *comes Hiſpanienſis militiae* clare & ſimpliciter dicatur. Suet. Aug. VIII. Boecler. *Hiſpanienſis militiae* cave cum Lipſio immutes. *Hiſpanienſis militiae comitem habuit*, pro in militia Hiſpanienſi. ſic paullo poſt, *belli Getici ac deinde Parthici habiturus commilitonem.* c. 80. *inutilis alienae victoriae comes.* ut & illic caſtigandum e veſtigiis membranae. & appoſite Valer. Max. lib. IX. cap. 2. *Vetus amicus & Pompejanae militiae comes.* Heins.

Ita *comes viae* corrigit in Statio II. Silv. I. 228. Weſſeling. II. Obſ. 20. BURM. *in marg.*

Pacatis bellis civilibus.] Lego, *patratis*. Alii *peractis*. MAN. Aldus, *patratis*, alii *peractis*. Ego nihil mutandum cenſeo. Nam bella civilia pacata, potius, quam patrata, aut peracta erant. Quod verius dici potuiſſet, *niſi aut Pompejus liberos, aut Caeſar haeredem reliquiſſet*; ut utar verbis Flori l. IV. cap. 3. VOSS. In Edit. Rh. erat, *paratis bellis.*

Ad erudiendum ſingularis indolem juvenis.] More antiquo pro ad erudiendam indolem. Vide cap. 28. *qua ad vindicandum ſe majores uſi ſunt.* HEINS. In editione Thyſii quidam (puto ipſe Thyſius) conjicit legendum, *ſingularis indolis juvenem.* quod minime abſurdum puto. Ita mox cap. 64. *tanti juvenis indole*, quidem occurrit, ſed longe ibi alia ratio eſt, atque hic *erudire indolem juvenis*, quod durius & inſolentius; cum neminem offendat *cognita indole juvenis.* praeterea puto *ad erudiendum* eſſe reti ſimplicex antiqua formula capiendum, id eſt, miſit juvenem *ad erudiendum.* Ita & Juſtin. XVII. 3. *Athenas quoque erudiendi gratia miſſus*, id eſt, ut erudiretur: ita ad *imperandum*, & ſimilia vulgo nota: illa autem ſequentia *eum in ſtudia*, credo a gloſſatore profecta, qui cum Academias ſuo tempore *ſtudia* vocari noſſet, ut & hodie Itali appellant, ita interpretatus eſt illa *erudiendum.* nam certe inexcuſabilis eſt tautologia, *ad erudiendum liberalibus diſciplinis eum in ſtudia miſerat.* BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 57. 386. V. IX. p. 266.

Apolloniam.] Rei militaris & litterarum cauſa. Appian. Sita in Macedonia ad Mare Jonium, optimis olim inſtitutis & diſciplinis. Strabo. SCHEGK.

In ſtudia miſerat.] Id agente tum fato, ut qui Monarchiam Romanam conditurus eſſet, omnibus ad tanti faſtigii gubernationem artibus inſtructus accederet. ſatis nimirum intelligebat Caeſar, *indolem* ſolam, ut ut *ſingularem*, non ſufficere ad abſolvendum ſingularem virum: niſi accedant liberales diſciplinae, id eſt, ſolida rerum gerendarum inſtrumenta. Operae pretium eſt autem inſpicere Dionis verba, qui lib. XLV. pag. 307. emphatice deſcribit *ſtudia*, quibus Auguſti ingenium ad ſummae fortunae cultum excitatum eruditumque eſt. Primo uni-

univerſim memorat, *Julium ſtuduiſſe, ut Octavius ad gerendam rempubl. erudiretur, & in omnibus iis recte inſtitueretur, quibus indiget, qui tanto imperio digne functurus eſt*, ὁ Καῖσαρ οὖν μεγάλα ἐπ' αὐτῷ ἐλπίσας, ἔς τε τοὺς εὐπατρίδας αὐτὸν ἐσήγαγε, καὶ ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ἤσκει, καὶ πάνθ' ὅσα προσήκει τῷ μέλλοντι καλῶς καὶ κατ' ἀξίαν τηλικοῦτον κράτος διοικήσειν, ὑπάρχειν, ἀκριβῶς ἐξεπαίδευσε. Poſtea ſigillatim quaedam nominat: Λόγοις τε γὰρ ῥητορικοῖς οὐχ ὅτι τῇ τῶν Λατίνων, ἀλλὰ καὶ τῇδε τῇ γλώττῃ ἠσκεῖτο. καὶ ἐν ταῖς στρατείαις ἐῤῥωμένως ἐξεπονεῖτο, τά τε πολιτικὰ καὶ τὰ ἀρχικὰ ἰσχυρῶς ἐδιδάσκετο, *Exercebatur etiam in ſtudio eloquentiae, non modo ad Latinae, ſed & ad Graecae linguae promtitudinem. Laboribus militiae ſtrenue inſueſcebat; denique quidquid ad remp. gerendam imperiaque & magiſtratus adminiſtrandos pertinet, egregie condiſcebat.* An habemus totam & exempli loco commendandam ejus informationis deſcriptionem, qua ſummis publicisque rebus nata ingenia praeparari debent? In *diſciplinis* τὰ πολιτικὰ καὶ ἀρχικὰ, uno verbo *ſtudium Politices*; quod cum latiſſime pateat, imperandi praeſertim artes hic complectitur: in *Linguis eloquentiam Graecam Latinamque*: in *Exercitationibus*, *opus militiae*: in *apparatu ſubſidiisque*, *quidquid juvare prudentiam, aut dignitatem ornare, vel commendare elegantiam principalis faſtigii poteſt. Modum* praeterea *rationemque inſtitutionis*, non ad ſcholam aut umbram, ſed ad lucem & vitam tendentis praeclara indicant illa: τὸ ἀκριβῶς, τὸ ἐῤῥωμένως, τὸ ἰσχυρῶς. quibus & *ſolide*, & *ſtrenue* & *efficaciter* geri in hoc negotio omnia debere, oſtenditur. Vide quae Lipſius diſſeruit ad lib. II. Polit. ſuorum, c. 10. Tetigimus etiam id argumentum in comment. Nepot. p. 43. BOECLER.

De caede avunculi.] Monui, frequenter cognationum gradus confundere ſcriptores: ut conſobrinum cum ſobrino, hic, avunculum cum avunculo magno. itaque Sueton. cap. 8. *Profectum mox avunculum in Hiſpaniam adverſus Cn. Pompeji liberos.* & cap. 10. *Nihil convenientius ducens quam necem avunculi vindicari.* Epitoma Livii: *ut ſibi adverſum avunculi percuſſores adeſſet.* SCHEGK.

Suam ſuorumque.] *Suae ſuorumque* Edit. Rhen. legendum ergo etiam eſſet *operas.* & mox *eas ſpernendas*, niſi *ſuas* referas ad *legiones*, quod non puto.

Salvidienus.] Placuit cum Rhen. Gryph. & Suetoni Auguſt. Livii Epitom. prae illo Manutii, *Salvidenus.* Credo iſtum eſſe, cui gregem paſcenti flamma e capite emicuit, & quem conſulatu honeſtavit Auguſtus, Suetonius c. 66. Dio lib. XLVIII. SCHEGK. *Salvidienus* legendum, non *Salvidenus*, ut ediderat Aldus. Vide Suetonium in Auguſto, Dionem lib. XLVIII. Epitomen Livii, lib. CXXXIII. ubi perperam Carolus Sigonius *Salvidienium* ſubſtituit, vitioſos Suetonii codices ſecutus. Apud Appianum tamen III. de bellis civilib. legitur etiam Σαλουιδηνός. Sed mendoſe. Nam a *Salvidius*, eſt *Salvidienus*, ut a *Naſidius*, *Naſidienus*, a *Gallius*, *Gallienus*, & ſimilia. VOSS.

Omnem ordinem & necis & teſtamenti Brundiſii comperit.] Ad marginem aliorum librorum, *ordinantem*, e quo nihil verius quam *ordinem ante*, reponendum. ACIDAL. Alii, *ordinem.* Sed non video, cur vetus lectio mutari debeat. VOSS. *Ordinatio* necis parum hic ad rem facit, etſi non ignoro, *ordinationem provinciae*, paſſim apud ſcriptores occurrere, & apud noſtrum cap. 124. *ordinationem comitiorum.* Puto Vellejum dediſſe, *omnem ordine rationem & necis & teſtamenti B. comperit.* Thomas Munkerus ſaepe laudatus, *omnem ordinem ac rationem necis* &c. ut infra cap. 119. *ordinem atrociſſimae calamitatis* HEINS. *Ordinem* ediderunt Eraſmus, Stephan. & Wechel. alios *ordinantem* legere notat Raphelengius. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 57. 387. V. IX. p. 268.

Solis orbis.] Elegans locus de capite radiato ſive radio, qui proprius Deorum. Pacatus: *Si olim ſeveri credidere majores, Caſtores geminos albentibus equis, & ſtellatis apicibus inſignes, pulverem cruoremque Theſſalicis equis abluentes.* Suetonius Auguſt. cap. 94. *Sequenti nocte ſtatim videre viſus eſt filium mortali ſpecie* (hic nota ſeorſim ire in praeſagio a Vellejo) *ampliorem, cum fulmine & ſceptro exuviisque Jovis opt. max. ac radiata corona ſuper laureatum currum, biſſenis equis candore eximio trahentibus.* Lucanus VII. 458. *Fulminibus manes, radiisque ornabis & aſtris.* Et poſtmodum principum, a Julio Caeſare, cui populus inter alios etiam hunc honorem tribuit. Florus IV. 2. *Circa templa imagines, in theatro diſtincta radiis corona: ſuggeſtus in curia, faſtigium*

in domo. *Auguſtus vero ſerio ſe templis & effigie numinum per flamines & ſacerdotes coli voluit*, Tacito 1. Ann. 10. teſte. effigie praecipue Jovis. Lipſius ibi. cauſſam colliges ex adducto Suetonii loco. Exinde mos transmiſſus ad poſteros. Plinius in Panegyr. *Horum unum ſi praeſtitiſſet alias, illi jam dudum radiatum caput, & media inter Deos ſedes auro ſtaret, aut ebore.* Panegyr. Maximiano dictus: *Trabeae veſtrae triumphales, & faſces conſulares, & ſellae curules, & haec obſequiorum ſtipatio, & fulgor, & illa lux divinum verticem claro orbe complectens, veſtrorum ſunt ornamenta meritorum pulcerrima & Auguſtiſſima.* Lucanus in Alexandro, Erasmo interprete: *Romam urbem repetes, & claras Tibridis undas, Vertice ſerta gerens radiis diſtincta ſerenis.* Ad formam refero illud magni vatis: *Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt.* Silius Ital. lib. III. *Hoſpitia excipiunt coeli, ſolioque Quirinus Concedet, mediumque parens fraterque locabunt. Siderei juxta radiabunt tempora nati.* SCHEGK. Ambitioſius hoc narrat Vellejus. Nam ſimpliciter Suetonius cap. 95. *liquido ac puro ſereno circulum ad ſpeciem coeleſtis arcus orbem ſolis ambiiſſe.* Seneca Natural. quaeſt. lib. 1. cap. 11. *Circa ſolem viſum coloris varii circulum, qualis eſſe in arcu ſolet.* Dion ait fuiſſe ſignum, non futurae Auguſtae magnitudinis, ſed ſecutarum mox turbarum civilium: Oroſius lib. VI. ideo hoc ſignum a Deo editum, quod ſub imperio Auguſti venturus eſſet, qui ipſum ſolem ſolus, mundumque totum & feciſſet & regeret. POPMA. Sueton. Auguſt. 95. *Poſt necem Caeſaris, reverſo ab Apollonia & ingrediente eo urbem, repente liquido ac puro ſereno, circulus ad ſpeciem coeleſtis arcus orbem Solis ambiit.* Dio XLV. p. 308. *ἐς γὰρ τὴν Ῥώμην ἐπιόντος αὐτοῦ, ἶρις πάντα τὸν ἥλιον πολλὴ καὶ ποικίλη περιέσχεν. Ingrediente eo urbem, iris magna & varia totum ſolem ambivit.* Seneca ita deſcribit quaeſt. natural. 1. 2. *videamus nunc, quemadmodum fiat is fulgor, qui ſidera circumnectit. Memoriae proditum eſt, quo die divus Auguſtus urbem ex Apollonia reverſus, intravit, circa Solem viſum coloris varii circulum, qualis eſſe in arcu ſolet: hunc Graeci* Halo *vocant, nos dicere* Coronam *aptiſſime poſſimus.* & paulo poſt, *Aream* vocat. Plinius II. 28. *cernuntur & circa ſolis orbem ceu ſpecie coronae & verſicoloris circuli:*

qualiter Auguſto Caeſare in prima juventa urbem intrante poſt obitum patris ad nomen ingens capeſſendum. Adde Obſeq. cap. 28. BOECL.

Atiae.] *Acciae* Ed. Rhen. Eraſm. & aliorum.

Nomen invidioſae fortunae.] Adit nomen, qui teſtamento adoptatus nomen ſuſcipit, quod ferre juſſus eſt. Lucem a Cujacio pete Obſerv. VII. SCHECK.

Terrarum orbis.] Malim *orbi.* BURM.

Et Caeſari.] Eradendum & fortaſſe cui videatur; ego nego. Vis peculiaris voculae & ineſt. Maluit primo ut avunculo, deinde ut Caeſari, tanto viro & tali, de ſe credere, quam vitrico, non ea forte (ut ſolet non minor ſaepe vitricorum, quam novercarum eſſe malitia) in privignum voluntate, neque ea prudentia & judicio. ACID. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 58. 387.

Credere.] Ed. Rh. *cedere.*

Semetipſum.] Legendum videtur: *Sibimetipſum videri indignum*, &c. nam praecedit: *Quo nomine Caeſari dignus eſſet viſus*, &c. URSIN. Forte, *ſemet ipſis* (ſcil. Atiae & Philippo) *videri indignum.* BURM.

Vixque admiſſo.] Vide hiſtoriam illius congreſſus colloquiique apud Appianum 3. ἐμφυλ. BOECL.

Velut inſidiis ejus petitus.] Plutarch. in Anton. BOECL.

Antonii ac Dolabellae.] Quae duo capita *nata eſſe poſt homines natos teterrima & ſpurciſſima* Tullius inquit II. Philipp. ACIDAL. Nemo iſta clarius annotavit Appiano III. ἐμφυλ. qui & ipſe conſilium δυναστείας μοναρχικῆς Antonio tribuit: tacitamque Dolabellae, quem Senatus Antonio oppoſuerat, cum eo colluſionem memorat. Ita tum erant tempora: quibus Senatus factionum compreſſionem mandabat, ii ad factioſos tranſibant, ſuaeque ſtudentes potentiae, nihil penſi moderatique habebant. BOECL.

H. S. ſepties millies.] Cicero Philipp. II. 37. *Ubi eſt ſepties millies, quod eſt in tabulis, quae ſunt ad Opis? tu autem quadringenties H. S. quod Idibus Martiis debuiſti, quonam modo ante Cal. Aprileis debere deſiiſti?* Idem: *Illa vero diſſipatio pecuniae publicae ferenda nullo modo eſt, per quam ſepties millies falſis perſcriptionibus, donationibusque avertit.* Philipp. VII. vocat *pecuniam maximam.* Philipp. II. *innumerabilem.* Philipp VIII. ad Att. lib. XIV. cum Appiano II. ait Dolabellam collegam pecunia ad-

adjunxiſſe. Fruſtra igitur adlaborat vir ſui aevi doctiſſimus lib. IV. Animadverſorum cap. 10. *τὸ ſepties*, inducendo. At Plutarchus ita ſuadet. at Cicero diſſuadet. utri credendum? SCHEGK. Delemus *τὸ aedem*. idque paulo verius, quam Bataviae lumen alterum Had. Junius *τὸ ſepties*. Nam inductus a Plutarcho, qui in Antonio *quattuor* modo *millia talentum* in hac re numerat, vult hic fuiſſe *H. S. millies*: quod reſpondet Graecanicae illi ſummae. Sed vere inductus. Cicero nonne aliquoties cum Vellejo? ut Philipp. II. 37. *Ubi eſt ſepties millies, quod eſt in tabulis, quae ſunt ad Opis?* cap. 14. *Septies millies falſis proſcriptionibus donationibusque avertit.* Atque alibi vocat *pecuniam maximam*: &, *pecuniam innumerabilem*. LIPSIUS. Recte ſe habere hunc numerum Lipſius ex Cic. Philipp. II. contra H. Junium probat. ſed quod Idem delet *aedem*, non video quid cauſſae habeat. cum praeſertim etiam Cicero Phil. II. ita loquatur. BOECLER. Vid. Jun. Animadv. IV. 10. [Ruald. Animadv. ad Plutarch. 33.] BURM.

Inſertis falſis, civitatibusque.] Sic antiqua editio, non obſcuro mendo. Ego ſic: *inſertis falſis, ſublatisque*: nam illud, *corruptis*, ad *commentariis* refero: ut ſit, *actorum ejusdem corruptis, commentariis.* Corrupit autem Antonius duobus modis, quia falſa & inſeruit, &, quae Caeſar pro rep. ſcripſerat, ipſe ſuſtulit. MANUT. Legendum, *inſertis falſis civitatibus, corruptisque commentariis.* Atque haec lectio non diſcedit ab antiqua ſcriptura, quam alii mutantes emendaverunt ita, *inſertis falſis, indubitateque c. c.* URSIN. Video ab aliis edi, *indubitateque corruptis*: anne a conjectura? Fas & nobis ea uti: *commutatisque & corruptis*. LIPS. Nec hic aliquid mutandum cenſeo. Appianus III. de bellis Civil. *πολλὰ εἰς πολλῶν χάριν προσετίθει, καὶ ἐδωρεῖτο πόλεσι καὶ δυνάσταις, καὶ τοῖσδε τοῖς ἑαυτοῦ φρουροῖς. Multa in multorum gratiam apponebat, & gratificabatur civitatibus, ac dynaſtis, ac ſui ipſius cuſtodibus.* VOSS. *Inſertis falſis civitatibusque*, ediderat Rhenanus aliique. Lipſius mallet: *commutatisque & corruptis*. Aldus: *inſertis falſis, ſublatisque.* Urſinus exiſtimat retinendam veterem lectionem, *inſertis falſis civitatibus, corruptisque commentariis.* Mihi ne quidem ſatis perſanatus videtur locus; cujus ſcilicet manet inſolens adhuc, & ſuſpicionem corru-

ruptionis praefert ſtructura. De re ipſa Cic. in Philipp. & Appian. III. ἐμφυλ. p. 529. πολλὰ ἐς πολλῶν χάριν προσετίθει, καὶ ἐδωρεῖτο πόλεσι, καὶ δυνάσταις, καὶ τοῖςδε τοῖς ἑαυτοῦ φρουροῖς, καὶ ἐπεγράφετο μὲν πᾶσι τοῖς αἰτοῦσι τὰ Καίσαρος ὑπομνήματα, τὴν δὲ χάριν οἱ λαβόντες ᾔδεσαν Ἀντωνίῳ. *Multa in multorum gratiam adjecit, civitatibus, dynaſtis, ſuisque cuſtodibus gratificans: & praeferebantur quidem Caeſaris commentarii, quaſi perſcripta in iis haec omnia eſſent, ſed qui acceperant, Antonio ſe debere gratiam, facile intelligebant.* Boecl. Pro *civitatibus*, licenter quidam, *indubitateque corruptis. commutatisque & corruptis* Lipſius. Opinor, *civitatisque corruptis commentariis*, hoc eſt publicis actorum urbis Romae commentariis. lib. I. cap. 14. ſic Lipſius *civitatem propagatam* legit, & capit de Romana: quod in *civitates propagatas* mutaverant. nihil vulgatius, quam *civitatem* & *urbem* poni pro Roma. *diurna urbis acta* habes apud Tacicitum Annal. lib. XIII. cap. 31. de quibus adeundus idem Lipſius Excurſu ad Annal. lib. v. A. littera. Petronius ex ſchedis Tragurianis: *interpellavit ſaltationis libidinem actuarius, qui tamquam urbis acta recitavit.* Jacobus tamen Perizonius in amicis meis, haec omnia ita conjungebat, *H. S. ſepties millies depoſitum a Cajo Caeſare ad aedem Opis occupatum ab Antonio, actorum ejusdem inſertis falſis* —— *civitatibusque corruptis commentarii.* &c. ut *immunitatibus*, vel quid ſimile exciderit, quomodo Tullius Philip. I. 10. & II. 26. de eodem Antonio. Poſtea, *ad aedem Opis*; nil neceſſe *aedem* cum Lipſio expungi. neque enim ellipſis illa ubique in ſcriptoribus antiquis habet locum. Heins. *Indubitateque* credo Eraſmum auctorem habere. neque hic agi de urbis actis, ſed de Caeſaris actis, ſive Tabulis aedis Opis, quas corrupit Antonius, ne ſumma pecuniae pateret, ut Cicero ait. nam ait, *actorum ejusdem* ſcil. Opis. his pro ſumma a Caeſare depoſita inſeruit falſas. vel forte, *actorum* venit ab *actores*, legendumque, *Actorum ejusdem*, (Opis) *inſertis falſis* —— *corruptis commentariis.* ut corruperit commentarios, ſive tabulas, Actorum vel Scribarum Opis inſertis falſis vel nominibus, vel ſummis pecuniae: nam ita ſupplendam lacunam puto, quam nunc *civitatibusque* occupavit, in qua voce ulcus latet. Burm. Forte latet nomen *Taberii.* *a Taberioque* Cicero

XIV.

XIV. ad Attic. 18. ubi v. Not. Pop. IDEM *in marg.*

Atque omnia pretio, &c.] Malim, *itaque*: vel ſi videbitur, *adeoque*. Nam expreſſum minime placet. De re frequentiſſime vehementiſſimo cum ſtomacho Tullius in Philipp. quarum ſecunda: *Cum domi tuae turpiſſimo mercatu omnia eſſent venalia.* Ibid. *Cujus domus quaeſtuoſiſſima eſt falſorum commentariorum & chirographorum officina, agrorum, oppidorum, immunitatum, vectigalium flagitioſiſſimae nundinae.* Ibid. *Neque vectigalia ſolum, ſed etiam imperium pop. Rom. hujus domeſticis nundinis imminutum eſt.* Ibid. *Omnino nemo ullius rei fuit emptor, cui defuerit hic venditor.* Item III. *Una in domo omnes, quorum intererat totum imperium Pop. Rom. nundinabantur.* Item V. Sed quorſum Ciceronem exſcribemus? cujus integrae potius orationes, quam fruſta legantur. ACIDAL.

Temperata.] Videndum an pro *temperata* legendum ſit *temptata.* URSIN. Forte *temptata.* PUTEAN. Urſino, ac Cl. Puteano, *temptata* videtur reponendum. Quod mihi quidem non diſplicet. Vulgatam tamen lectionem non auſim rejicere. VOSS. Scribe, *omnia pretio temerata*, non *temperata.* aliud eſt, *exercitum majorem cum videret, quam ut temperari poſſit*: nam ibi pro *regere* ponitur. nec bene Fulvius Urſinus & Puteanus *tentata.* apud Tacitum Hiſt. I. cap. 48. *cum vigilias & caetera militiae munia eadem laſcivia temeraſſet.* ita bene Rhenanus: cum vulgo *tentaſſet*, in ſcripto *temperaſſet* legeretur. Pari modo codices variant apud Valer. Max. lib. V. cap. 6. ubi recte Lipſius, *everſa domo intemeratus reipub. ſtatus manere poſſet.* Non diſſimili modo Tullius Agrar. II. *Ut nihil auro & argento violari, nihil numero & ſuffragiis declarari, nihil elata manu perfringi poſſet, quod non vos oppreſſum, atque ereptum teneretis.* HEINS. Poſſet & legi, *impetrata*, quod melius reſponderet τῷ *vendente*: & facilis horum verborum eſt confuſio, ut τῶν *imperare* & *temperare*, de quibus vidimus ad Quinctil. X. I. BURM.

Vendente Remp. Conſule.] Quo nomine Cicero eum graviter exagitat in Philippicis. BOECL.

Idem provinciam.] Vide omnino Cic. Philipp. II. BOECL.

Interque naturaliter diſſimillimos.] Neque ideo mirum, ſi ſaepius redintegrata deinde amicitia nunquam ſerio fuit.

Idem enim velle, idem nolle ea demum firma eſt amicitia, inquit Salluſtius, quam ſententiam excutimus in diſſertationibus Livianis. GRUTER. Diſtinctio exemplarium vitioſa hic eſt. Non enim intelliguntur *Antonius* & *Dolabella* (quippe qui ex diſſidio, communione διανοίας τυραννικῆς in gratiam redierant, parique voluntate dominationem moliebantur, ut antea dictum eſt) ſed *Antonius* & *Caeſar* Octavius. unde mox cum notatione cauſſae ſequitur: *eoque C. Caeſar juvenis quotidianis Antonii petebatur inſidiis.* Diſtinguendum ergo: *Dolabella transmarinas decrevit ſibi. interque naturaliter diſſimillimos ac diverſa volentes creſcebat odium: eoque C. Caeſar juvenis quotidianis Antonii petebatur inſidiis.* Eſt autem eadem ſententia, qua ſupra de Clodio & Cicerone dixit: *quid enim inter tam diſſimiles amicum eſſe poterat?* II. 45. BOECL.

Torpebat.] *Torquebatur* Warburt. Bib. Brit. T. VII. p. 291. & mox pro *Senatu*, legit *aetate* Markl. ad Stat. V. Silv. II. II. BURMAN. *in marg.*

XIX. *annum.*] Alii legunt, XIIX. male. vide Tacitum lib. XIII. MANUT. Non ſatis vere ac per adulationem ait Octavium ingreſſum XIX. annum imperium arripuiſſe: cum conſtet illum annum Nono Kal. Oct. ingreſſum anno, qui praeceſſit caedem Julii Caeſaris, ut qui in lucem editus eſſet Cicerone & Antonio Cos. Ipſe Auguſtus in Breviario ſe tum natum fuiſſe tot annos teſtatur. *Annos undeviginti natus exercitum privato conſilio & privata impenſa comparavi.* Plutarchus in M. Bruto ſcribit Auguſtum in Commentariis retuliſſe, ſe viceſimum annum agentem conſulatum accepiſſe. Florum plane fugit ratio, cum prodit Octavium, quando Antonio coepit reſiſtere, fuiſſe intra decem & octo annos. POPMA. Bene viri docti obſervarunt, ambitioſe ita loqui Vellejum, quod jam XIX. annum aetatis propemodum Octavius confeciſſet. Peſſime autem Florus lib. IV. cap. 4. *Intra decem & octo annos* Caeſarem hoc tempore fuiſſe ſcribit. Veriſſime ipſe Auguſtus in monumento Ancyrano, ANNOS VNDEVIGINTI NATVS. Voss. Princeps editio XVIII. *annum.* & ſic Florus lib. IV. cap. 4. *intra decem & octo annos* eadem de re. aliter Auguſtus ipſe, & quidem vere, in monumento Ancyrano, *annos undeviginti natus exercitum privato conſilio & privata impenſa comparavi.* Natus autem Auguſtus Cicerone &

An-

Antonio Cos. Kal. Octob. Poſſis alioquin hoc loco, XVIII. *annum egreſſus*. HEINS. Editio Rhenani. XIX. *annum ingreſſus*.

A Calatia:] *A Galatia* Edit. Rhen. Apud Plinium lib. III. 5. *Galatiae* legi Cluverius teſtatur in Ital. lib. IV. cap. 5. ubi vulgo *Calatiae*. *Calatini* in lapide apud Gruter. LIX. 6. BURM.

Veteranos excivit paternos.] Hinc *evocati* dicti, quod miſſi militia rurſus ad eam convocarentur. Dio. plura ſtatim ſcribo. SCHECK. Similiter epitome Liv. lib. CXVII. *Caeſar Reip. vires contra eum paraturus, deductos in colonias veteranos excitavit.* Ubi malim, *excivit*, ut in Vellejo. VOSS. Quae hic Noſter memorat, latius expoſita vide apud Dion. XLV. p. 313. & 314. Appian. III. ἐμφυλ. p. 552. Hoc quoque a Prudentibus reprehenſum eſt in actionibus Auguſti ap. Tacitum I. A. 10. I. *cupidine dominandi concitos per largitiones veteranos*. BOECL.

In brevi in formam juſti exercitus coiere.] *Coire* prima editio. ne hoc quidem male. mox perperam Popma, *exercitu* pro *exercitui*. HEINS. Ego *coiere* lego in prima editione.

Antonius occurriſſet exercitu.] Ita ſcripſi, cum vulgo legeretur *exercitui*. Nam Antonius ex Macedonia ab L. Antonio fratre Brundiſium portari curaverat tres legiones, quibus Octavio occurreret: ſed ex his duae, Martia & Quarta, ad Octavium tranſierunt. Cicero in Philippicis, ad Atticum. Appianus. POPMA. Non placet Popma, qui e ſola conjectura edere non dubitavit, *exercitu*. Vulgata lectio omnino retinenda eſt. Non enim Antonius occurrit Caeſari, ſed exercitui, quem ex Graecia acciverat. Hoc eſſe verum, liquet ex Ciceronis Philippicis, Appiano, Dione, aliiſque. VOSS. Ignoravit Popma *occurrere* etiam pro praeſentem eſſe, venire ad aliquem vel locum vel hominem, Latinis uſitatum. Ita l. XIV. ff. de Re Milit. *Dum non tardius a loco profectum ſe probet, quam ut occurrere poſſet intra commeatum.* & ſaepe. Dativum adjungit huic verbo Livius. vide Gronov. ad libr. XXIX. 34. & XXXVI. 24. a quo locis Livii laudatis adde lib. XXVIII. 8. XXXIX. 6. vide & Graev. ad Suet. Calig. 26. & Vorſt. ad Valer. Max. IV. 4. 7. BURM.

Legio Martia & Quarta.] Quarum mentio apud Ciceron. Epiſtol. libro ad Plancum. De Legionum nominibus non exſcribo Dionem, literatiſſimum Stewechium ad Vegetium, Goltzium, alios, quis haec cura curata. SCHEGK. Non *Tertia*, ut te docebit Cicero in Philipp. & Appianus III. bell. Civil. Meminit hujus legionis etiam auctor fragmenti perperam Vellejo adſcripti; item inſcriptio apud Gruterum, in qua expreſſum, LEG. MARTIA VICTRIX. Inveni etiam in Gloſſario noſtro MS. *Legio Martia, quaſi numerus militum Marte conſecratus.* Ubi *Marti* legendum quivis videat. VOSS. Inſcriptio illa legitur apud Gruterum pag. 493. I. & Cambden. Britann. pag. 46. ſed mutila, nam legionis nomen deeſt. in Gruteri vero theſauro eſt, *legio* IV. *Gemina Martia, Victrix*, ita ut *quarta* & *Martia* eſſet eadem. Sed & Cicer. v. Phil. II. duas diverſas facit: apud Gruterum vero abraſam eſſe partem numeri legionis puto & legendum, *Legatum legionis XIV. Geminae Martiae victricis:* nam ita occurrit pag. 568. II. & 1102. 4. ubi perperam legio XIII. appellatur; ut recte obſervavit Reineſ. ad Claſſ. I. Inſc. 192. BURM.

Equeſtri ſtatua.] De hoc equeſtris ſtatuae honore a Senatu C. Caeſari decretae, extat mentio apud alios etiam ſcriptores. At non a Senatu, ſed a populo Romano decretum eum honorem fuiſſe, apparet ex argenteo denario, in quo adjecta eſt inſcriptio, POPVLI IVSSV; Quamvis in alio etiam ſimili denario, S. C. inſcriptio poſita ſit. Ut videri poſſit duas C. Caeſari adoleſcenti equeſtres ſtatuas decretas fuiſſe, unam a Senatu, alteram a populo Romano. De ea, quam decrevit Senatus praeter denarium, in quo eſt S. C. meminit hoc loco Vellejus, & Cicero etiam in epiſtola ad Brutum XV. & ad Q. Fratrem lib. III. De ea vero, quam populus Romanus poſuit, argenteus item Auguſti denarius extat, in quo diximus inſcriptum eſſe, POPVLI IVSSV. URSIN. Ita etiam narrant alii ſcriptores. Et fatetur Urſinus, extare denarios, in quibus haec equeſtris ſtatua conſpicitur, adjecta inſcriptione, S. C. Objicit contra, quod in argenteo denario legatur, POPVLI IVSSV. Itaque exiſtimat, duas Octavio adoleſcenti equeſtres ſtatuas eſſe poſitas, alteram ex S. C. alteram POPVLI IVSSV. Quod non diſplicet. Sed videtur tamen Urſinus tempo-

râ non bene diſtinxiſſe. Satis enim conſtat, honorem equeſtris ſtatuae tributum Caeſari propraetori, conſulibus Hirtio & Panſa. At vero, quod eodem honore populus eum ornaverit, id videtur factum ipſo jam triumviro. Hoc liquet ex argenteo numiſmate apud Occonem. quod equeſtrem figuram exhibet cum hac ſcriptura, POPVLI IVSSV. In altera vero parte caput Caeſaris cum literis circum, C. CAESAR III. VIR. R. P. C. Voss. De honoris hujus praecellentia tractat Herm. Hugo milit. equeſtr. V. I. BOECL.

Indicat.] Forte rotundior eſſet ſenſus, ſi legeretur, *indicante*, niſi verba illa, *aetatem ejus ſcriptura indicat*, parentheſi includas, ut duae ſint in una periodo parentheſes. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 58.

Qui non alii.] Intelligit honorem equeſtris ſtatuae in roſtris poſitae, quem Cicero Philippica V. ait *maximum videri, & pro ampliſſimis meritis reddi.* idem Philipp. IX. cap. 2. *Cn. Octavii clari & magni viri, qui primus in eam familiam, quae poſtea viris fortiſſimis floruit, intulit conſulatum, ſtatuam videmus in roſtris.* POPMA.

P. R. una cum conſulibus deſignatis.] Sigonius emendat, *pro Praet. u. c. Coſ.* & rectiſſime, conſimilemque maculam ex Liviana Epit. CXVIII. ſuſtulit. profert ille locum Ciceronis Phil. V. cui addi poteſt & hic Suetonii Aug. 10. *Juſſusque comparato exercitu pro Praetore praeeſſe & cum Hirtio & Panſa, qui conſulatum ſuſceperant, D. Bruto opem ferre.* & C. Tacit. lib. 1. ſcribit Caeſarem Aug. *Faſces & jus Praetoris patrum decreto invaſiſſe*: ut Plutarchi, Appiani, Dionis de hac ipſa re locos omittam. PUTEAN. *Demus imperium Caeſari, ſine quo res militaris adminiſtrari, teneri exercitus, bellum geri non poteſt, ſit propraetore eo jure, quo qui optimo.* Tullius Philipp. V. Manutius hic legit *propraetorem.* SCHEGK. Ita legendum eſſe pridem animadvertit *Robortellus* in emendat. II. 23. ſive potius *Sigonius. De bello hoc Mutinenſi* vide Flor. IV. 4. & quos ibi *Camers* notavit. quibus adde praeſertim Dionem XLVI. BOECL. Vide Sigon. ad Liv. Epit. CXVIII. & I. Emend. 17. & II. 31. ubi Robortellum furti accuſat.

Conſulibus deſignatis.] A Caeſare, recte & ordine capies. SCHEGK. Hic requiro diligentiam Velleji. inierant enim Hirtius & Panſa conſulatum Kal. Januar. cum illud

lud Senatus Conſultum eſt factum auctore Cicerone, quo hic honor Octaviano delatus. Suetonius Aug. Popm.

Ab eo annum agente viceſimum.] Legendum, *id ab eo annum agente:* nam praecedit vox *bellum.* Ursin. Lege cum Lipſio, *id ab eo.* Raph. Parum attente; malim, *undeviceſimum,* argumentum a conſulatu. Schegk. Legendum, *id ab eo,* &c. Quod Urſino, aliisque etiam, obſervatum. Pro *viceſimum* autem Schegkius malebat, *undeviceſimum.* Sed retinenda lectio vulgaris, niſi monumentum Ancyranum damnemus, quod paullo ante laudavimus. Nec argumentum a conſulatu magni eſt momenti. Scio, advocari poſſe, quod de Octavio Plutarchus in Bruto ait: Ὑπατείαν ἔλαβεν οὔπω πάνυ μειράκιον ὤν, ἀλλ' εἰκοστὸν ἄγων ἔτος, ὡς αὐτὸς ἐν τοῖς Ὑπομνήμασιν εἴρηκεν. *Conſulatum accepit adoleſcens, & vigeſimum annum agens, ut ipſe in commentariis retulit.* Vere hoc dictum, ſed paullo ambitioſius, quia uno duntaxat die vigeſimo minus erat. Vellejus infra: *conſulatumque iniit Caeſar pridie quam viginti annos impleret.* Vossius. *Id* jam addiderat Erasmus.

Conſulum autem alter in acie.] Quis rumor de morte conſulum percrebuerit, ex *Tacit.* I. A. 10. 2. *Sueton. Aug.* 11. *Dion.* XLVI. p. 360. ſatis conſtat. Boecler.

Omnia ante, &c.] *Quae in hoc capite habentur, vide apud Dionem* lib. XLVI. *Appian.* III. ἐμφυλ. Liv. epit. CXIX. Boecl.

Receſſit.] An *deceſſit?* de quo nos ad Quinct. Decl. VI. 6. Burman. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 58.

Quicumque his ſe.] Non diſplicet: interdum tamen in mentem venit, ſcripſiſſe Vellejum: *laudati, quicumque hiſce exercitus tradidiſſent.* Manut. In quibusdam editionibus τὸ *ſe* omiſſum. Aldus vero ſcribendum putabat, *hiſce.* At vulgata lectio in principe editione comparet. Nec eſt mutanda. Mens eſt: *quicunque exercitus ſe his tradidiſſent.* Voss. *Se* omiſit Erasmus & Stephanus.

Dum reſpubl. conſtaret concordia.] Non conſtat lectioni ſua ſinceritas, ni *Reipb.* ſcribatur. Acidal. Videtur neceſſario legendum, *dum Reipubl. conſtaret concordia,* aliter ſententia vix conſtat. Ursin. Lipſius, *dum reipb. c. c.* Raph. Melius, *reip.* ut Gryphio, Marneſſio, & aliis editum. Vossius. *Reip.* Erasmus & Stephanus.

Pari.

Pari.] Forte *parato*. V. ad Suet. Caeſ. 65. BURM. *in marg.*

A volentibus.] Forma ſermonis non protrita & conculcata. Noſter infra 69. *Vatinioque circa Dyrrachium volentes legiones extorſerat.* Livius libro XXI. *Grande periculum Lilybaeo maritimisque civitatibus eſſe, & quibusdam volentibus novas res fore.* Salluſtius Jugurth. 100. *uti militibus exaequatus cum imperatore labos volentibus eſſet.* Tacitus in hiſtoriis, *In verba adigi volentibus fuit.* SCHECK. Vid. Ryck. ad Tacit. III. Hiſt. 43. [ad Ovid. II. Met. 128.] BURM.

Quod alieno beneficio.] Niſi vigilans ſomnio, legendum: *quom alieno beneficio viveret*: Octavii nempe, a quo Mutinenſi obſidione liberatus fuerat. Invidioſe hoc Vellejus. ACIDAL. Inepte; quaſi illa cauſſa aut praeſcriptio triumphi. lege, *qui alieno.* LIPS. Lege cum Acidalio *quum.* VOSS. Neſcio, cur hoc mutatum cupiant. Utique *alieno*, id eſt, Caeſaris Octavii beneficio vixit Brutus, cujus milites nihil aliud, quam de muro ſpectarunt praelium, ſicut in expoſitione hujus hiſtoriae Dio notat. Itaque non ſine ironia opportune Vellejus, *Decretus eſt*, inquit, *Bruto triumphus.* ob *quas res geſtas?* Responderet εἴρων aliquis; *quod incolumis evaſit, non ſane ſua aut ſuorum militum virtute, ſed alieno beneficio, & Caeſaris Octavii victoria. id nimirum erat, ob quod triumphare deberet.* Quod nonnulli reponunt, *quam* pro *quod*, neſcio an ipſis an typothetae tribuam. Forte alicui doctorum in mentem venerat, *quum alieno beneficio viveret*: quod ſenſum non incommodum parit, ſed pro neceſſaria correctione haberi non debet. BOECLER. Non debuit immutari a Lipſio aliisque. invidioſe enim dictum & acerbe adverſus ingratum: ut recte vidit Cl. Boeclerus. quare & infra cap. 64. non male prima editio, *Cenſebatque aequum, quae acceperat a Caeſare, retinere, Caeſarem, quia* (non *qui*) *illa dederat, periſſe.* cap. 83. *Hanc tamen Antonius fugam ſuam, quia vivus exierat, victoriam vocabat.* apud Florum quoque libro IV. cap. 10. de eodem Antonio malim, *quaſi viciſſet, quia evaſerat.* Plin. lib. I. Epiſt. 13. *Diem, quia non perdiderat, perdidiſſe.* HEINS.

Panſae atque Hirtii corpora.] Valerius lib. V. c. 2. *M. Cornuto praetore funus Hirtii & Panſae juſſu ſenatus locante, qui tunc Libitinam exercebant, cum rerum ſuarum uſum,*

uſum, tum miniſterium ſuum gratuitum polliciti ſunt; *quia hi pro Rep. dimicantes occiderant; perſeverantique poſtulatione extuderunt, ut exſequiarum paratus ſeſtertio numo ipſis addiceretur.* Locum exſcripſi ex optimo codice, olim a me collato. cujus bonitatis in eodem eximium ſpecimen hoc eſto. Lib. VII. c. 3. vulgatur, *Sordida Magorum dominatione oppreſſa, Darius Rex adjutoribus ejusdem dignitatis aſſumtis, pactum cum praeclari operis conſortibus fecit.* Ita vulgare viſum eruditiſſimo Pighio; Lipſio diſplicitum. Muſae quam fruſtra ambo! noſter: *Sordida magorum dominatione Perſide oppreſſa, Darius adjutoribus ejusdem dignitatis aſſumtis, cum eos occidiſſet, pactum cum praeclari operis conſortibus:* & quae ſequuntur. Examuſſim convenienter. At ne patricias objiciant arteis, inſpiciant licet, editionem Herbipolenſem Martini an. MDVII. quae fere accedit. Redeo ad Coſſ. quos Auguſti inſidiis praeter Suetonium alii obiiſſe innuunt. hinc Tacit. I. *Sive hoſtes illos, ſeu Panſam venenum vulneri adfuſum: ſeu milites Hirtium, & machinator doli Caeſar abſtulerat.* SCHEGK.

Diſſimulando Caeſar] *Caeſari* Editio prima.

Laudandum & tollendum.] Vide Ciceronem, Famil. epiſt. 20. lib. XI. & ad Attic. ep. 5. lib. XV. MANUT. Id eſt, *laudandum aperte, ſed occulte e medio tollendum: laudandum, ut ſecurus & incautus tolli poſſet.* Quali arte apud Tacitum IV. H. 39. 6. Mucianus Antonium Primum opprimit. *Igitur Mucianus,* inquit Hiſtoricus, *quia propalam opprimi Antonius nequibat: multis in ſenatu laudibus cumulatum, ſecretis promiſſis onerat, citeriorem Hiſpaniam oſtentans, diſceſſu Cluvii Rufi vacuam. ſimul amicis ejus tribunatus praefecturasque largitur. Dein, poſtquam inanem animum ſpe & cupidine impleverat, vires abolet,* &c. His inſidiis Manlium Valentem Fabius appetiit. *ſecretis eum criminationibus infamaverat Fabius ignarum, & quo incautius deciperetur, palam laudatum.* I. H. 64. 7. Erraſſe autem Tullium hac in parte, alibi diximus. BOECLER. Sueton. Aug. XII. habet, *ornandum & tollendum,* elegantius, ut alludatur ad victimas, quae ornantur infulis & ſertis, antequam mactantur; ut de Caeſare ſimiliter loquitur Florus IV. 2. *Haec omnia, ut infulae in deſtinatam morti victimam, congerebantur.* Vid. & Liv. II. 54. & alios. Vellejus vero *ornandum* videtur

tur accepiſſe eo ſenſu, quo aliquem *laudibus ornare* dicimus. Brutus in Epiſtola ad Ciceronem, lib. XI. ad Fam. 20. habet, *laudandum*, *ornandum & tollendum*. BURMAN.

Repulſus a M. Lepido.] Minime. ſed probo, quod in editione prima eſt, *primo ſpe colloquii repulſus*. Id eſt, dejectus etiam a ſpe colloquii: quia Lepidus nec miſcere ſermones cum eo ſub initia volebat. Dio clare lib. XLVI. aliique. LIPSIUS. Sic prima editio: adeo ut eis minime auſcultandum ſit, quibus proditum, in ea legi, *primo ſpe colloquii repulſus*. viſatur Burerius, viſatur Rhenanus; non invenient ſcripturam hanc. ſecunda nata eſt in officina Gryphii. etſi eam non damnem tamen. GRUT. *Primo per colloquia repulſus a Lepido*, ſic habuit V. C. Nihil ergo mutaverim. VOSS. Haec vera & genuina lectio a *Rhenano* etiam exhibita, ſicut jam *Gruterus* notavit. Rem ipſam habes apud Dion. XLVI. Plutarch. in Anton. Per *colloquia* autem intelliguntur, apud *Vellejum* πυκναὶ διαπομπαὶ, ſive *crebri internuntii*, quibus Antonius cum Lepido egit, cum Lepidus abnueret diu ſocietatem, teſte Appiano III. ἐμφυλ. pag. 589. Ergo cum *Dio* refert, *Lepidum ipſum abnuiſſe colloquia & congreſſum*, non capienda ſunt colloquia per internuntios; de quibus Vellejus & Appianus. BOECLER. Lipſius, *primo ſpe colloquii repulſus*, non *per colloquia*: fidemque ac auctoritatem primae advocat editionis, in qua nos vulgatum tamen exſtare deprehendimus. HEINS. *Primo ſpe colloquii* ab Eraſmo repoſitum.

Furto creatus.] Non enim comitiis, & populi ſuffragiis, ut debebat, ſed a ſacerdotum collegio, Antonii Conſulis opera & ſtudio Pont. Max. in Caeſaris locum ſuffectus eſt, teſte Dione lib. XLIV. *Furto* fieri dicitur omne, quod clam fit; *Furta belli* Salluſt. POPMA.

In Gallia morabatur.] In Gallia Narbonenſi, cum finitima Hiſpania, ſibi decreta ab ipſo Caeſare, paullo ante necem, Dion lib. XLIII. Hinc legantur ipſius epiſtolae ad Ciceronem ſcriptae ex caſtris ex ponte Argentei fluminis, quod in provincia Narbonenſi Plinius conſtituit lib. XII. cap. 4. POPMA.

Per averſa.] Aut, *averſa*, ſimpliciter enunciatum, *averſam* caſtrorum partem ſignificat, aut addendum, *partem*, legendumque, *per averſam caſtrorum partem eruto*

 vallo

vallo militibus receptus eſt. MANUT. Quid hac lectione ſincerius, aut quis feret Aldum mutantem aliquid, addentemve? *Proruere vallum*, Livio, Tacito, aliisque veteribus Auctoribus, genus eſt loquendi uſitatiſſimum. PUTEAN. Haec lectio nobis valde placet; nam *averſa caſtrorum*, Vellejus dixit Graeca forma, qua multa alia a Latinis prolata eſſe conſtat. Poſſet etiam legi: *Per averſam caſtrorum portam proruto vallo*, &c. nam *averſam* habet antiqua editio, & verbum *portam*, poteſt videri omiſſum a librario, qui deceptus ſit ex ſimilitudine ſequentis vocis, *proruto*. URSIN. Sermo transmarinus. Livius, *per intima Italiae vagatus.* Florus l. II. *Haec inter diverſa terrarum Pop. Rom.* & lib. I. *Ad ſubita belli.* Noſter infra, *per avia itinerum:* Virgil. —— *Opaca locorum.* Caſſius Parmenſis: —— *Et chordis indoctae diſſona vocis.* Plurimum Tacitus & Horatius. SCHEGK. Veriſſima lectio, licet in MS. fuerit, *averſam.* Quod monuit etiam Sylburgius, ac Lipſius ad III. Hiſtor. Taciti cap. 85. quem iſtum in modum emendare conatur. Nam ubi vulgo legitur: *Vitellius capta urbe per averſam palatii partem Aventinum, in domum uxoris, cellula defertur.* Legit ille, refecta voce: *per averſa palatii:* eo impulſus, quod in Romano codice invenerat *portam.* Quae tamen lectio minus placet. Nam, more ſuo, Salluſtium expreſſit Tacitus, apud quem in Catilina legas: *in abditam partem aedium ſeceſſit.* VOSS.

Proruto vallo militibus.] *Proruta vallo* prima editio. Lege *proruto vallo a militibus receptus eſt.* HEINS. *Per averſa*, Erasm. Steph. ſimilis diverſitas apud Tacitum II. Hiſt. 51. *Verginius per averſam domus partem furtim digreſſus*, ubi aliae editiones *portam*, vide Ryckium. BURM.

Qui titulo imperii cedebat Lepido.] Plutarchus: καὶ τῷ μὲν ἔργῳ πάντων αὐτὸς ἦν κύριος, ἐκείνῳ δὲ ὄνομα καὶ τιμὴν αὐτοκράτορος διετέλει φυλάττων. *Et Antonius quidem re ipſa omnia in poteſtate habebat, Lepido tamen nomen & honorem Imperatoris conſervare non deſtitit.* BOECLER.

Juventius.] Vide Dion. l. XLVI. Appian. III. b. c. ubi & de *Planco* ac *Pollione.* BOECLER.

Gladio ſeipſe transfixit.] Ob quod Senatus laudationem, ſtatuam, publicumque funus decrevit. Dio, Cic. epiſt. ad Planc. SCHECK.

Plan-

Plancus deinde.] Eſt ille, qui diſcipulus Ciceronis, orator diſertus, cujus epiſtolae lib. x. Tullii, contra quem Aſinius Pollio orationes cum ſcriberet, ac nollet eas, niſi poſt obitum ſuum edi, reſpondiſſe Plinius in Prologo ſcribit, *cum mortuis non niſi larvas luctari.* praefectus urbi C. Caeſare Dictatore III. Numi apud Goltzium. Conſul deſignatus cum D. Bruto. Arbiter ſponſionis Cleopatram inter & Antonium. Auctor Octavio cognominis Auguſti. Ejus filius credo fuit, qui Tacito lib. I. cum C. Silio conſul. SCHEGK.

Se litteris venditans.] Exſtant litterae ejus hac de re in Epiſtolis Ciceronis ad Plancum lib. x. 8. SCHEGK. Plena tum omnia σκήψεων, καὶ προφάσεων, καὶ παλιλογιῶν. Coloribus, inquam, praetextibus, ſophiſmatis, pleraque agebantur. vide Planci epiſt. ad *S. Pop. pl. Q. R.* apud Cic. epiſt. x. 8. tum multas ad ipſum Ciceronem eodem libro. ubi & C. Aſinii Pollionis litterae. BOECLER.

Firmus propoſito.] Si Velleji ſcripturam divinando ſum unquam aſſecutus, heic me fruſtra minime fuiſſe arbitror: *firmus propoſiti.* Merus amor, merae deliciolae noſtri, iſte ſermo: quo & paucis ſupra lineis uſus, *irritus conſilii.* Alibi, *modicus virium, & immodicus gloriae*, aliaque ſimilia. quorum exempla & in aliis ſcriptoribus plurima, veluti gemmae inſignes, emicant. ACIDAL. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 59.

D. Brutus deſertus.] Exitum hujus viri ſcribunt Dio XLVI. Appian. ἐμφυλ. extremo. qui illum hoſpitem Bruti *Camillum* vocat. Liv. epit. 120. ubi *Capenus Sequanus*, pro *Camelio* habetur. BOECLER.

Nobilis viri, nomine Cameli.] Inepte vir doctus cum Beato praeoptavit *Camelii.* SCHEGK. Certe illud *nobilis viri*, eſt ab judicio exſcriptorum, forſan etiam, *cujusdam*, ac *nomine.* GRUTER.

Cameli.] Pro *Camelii.* P. Camelium Heraclam, item C. Camellium Africanum Fabianum, habes in Inſcriptionibus Gruteri: Schegkio tamen hoc ineptum videbatur. Itaque, aliorum conjecturam ſecutus, edidit, *Capeni.* Credo, quod ita id nominis ſcribatur in epitome Liviana lib. CXX. Cui tantum abeſt ut auſcultem, ut ibi potius *Camelii* ſcribendum exiſtimem. VOSS.

In hoſpitis cujusdam, nobilis viri Cameli domo.] Τὸ *cu-*

 jusdam

juſdam ſatis deſignat hunc Camelum non fuiſſe magnae dignationis virum, ſed obſcurum plane, inter Romanos certe. Putabam igitur *ignobilis viri.* apud Tacitum Hiſt. II. cap. 61. *Maricus quidam e plebe Bojorum.* & cap. 72. *Exſtiterat quidam, Scribonianum ſe Camerinum ferens.* Servum fuiſſe nomine *Getam* hunc ipſum mox innuit. Annal. IV. cap. 62. *Atilius quidam libertini generis.* lib. II. cap. 51. de liberta Epichari: *Interim Epicharis quaedam accendere & arguere conjuratos.* Curtius lib. VIII. *Agis quidam Argivus, peſſimorum carminum poſt Choerilum conditor.* Epitome Liviani libri XLIX. *Andriſcus quidem ultimae ſortis homo, Perſei Regis ſe filium ferens.* Juſtin. lib. XXXV. *Subornant propalam quemdam extremae ſortis juvenem*, ubi, *ſubornant Balam* feliciter Gronovius; niſi quod malo; *ſubornant pro eo Balam.* Sic *colere pro Deo* tamquam Deum & ſimilia. Idem Juſtin. lib. XXXIX. *Immittit juvenem quendam Aegyptium, Protarchi negotiatoris filium.* libr. XLII. I. *Ad tutelam regni reliquit Hymerum quemdam, flore pueritiae ſibi conciliatum.* Capitolinus in M. Antonino: *Cum quendam Veteraſium famae deteſtandae honorem petentem moneret, ut ſe ab opinionibus vulgi vindicaret.* paulo poſt, *planus quidam.* In dubium tamen ut vocari poſſit haec Vellejani loci caſtigatio, facit Coelius, qui lib. VIII. Epiſt. 15. ad Ciceronem: *Bellienus verna Demetrii, qui ibi cum praeſidio erat, Domitium quendam, nobilem illic Caeſaris hoſpitem, a contraria factione nummis acceptis comprehendit.* Sed puto Coelius τὸ *quendam* addidit, ut oblique deſignaret hunc Domitium e Domitia gente non fuiſſe oriundum, ac proinde addit *nobilem illic*, hoc eſt inter ſuos. Sane & Camelus inter ſuos nobilis eſſe potuit, & tamen obſcurus ac ignobilis inter Romanos. HEINS. *Capeni* Eraſm. V. Periz. Ep. Syll. T. IV. p. 778. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 59.

Cum primus.] Prima editio *cujus cum primis omnium amicorum*, non *primus.* Forte *cui cum in primis omnium amicorum fuiſſet.* Similem mendam e Tacito ſuſtulimus. Seneca libro II. de Tranquillitate cap. 18. *Aſiaticum Valerium in primis amicis habebat.* HEINS.

Relegabat.] Vid. ſupr. cap. 44.

Qui illa dederat.] *Quia illa dederat perit* Edit. Rhen. in marg. *periſſe* vel *perire.* paullo ante ad cap. 62. probabat Heinſius τὸ *quia.*

Qui-

Quibus M. Tullius continuis actionibus aeternas Antonii memoriae inuſſit notas.] In eandem ſententiam, de re eadem ipſe Cicero, verbis quoque fere iisdem, Philip. XIII. 19. *Quem ego inuſtum veriſſimis maledictorum notis tradam hominum memoriae ſempiternae.* Sed ante ea verba male illud euſum eſt, in editione quidem recentiſſima Gothofredi, qua ſemper hoc tempore uſus ſum, fidei illa non prorſus optimae: ſed enim alia mihi nulla prae manu, ad quam comparem, quae inde neceſſe habeo depromere. Sic igitur ibi: *Pergit in mea maledicta; quaſi vero ei pulcherrime priora proceſſerint.* At ſcribendum erat: *Pergit in me maledicta:* quod neſcio an liquido alii libri praeferant. Mihi quoniam inibi eſſem, monere obiter viſum: ut & illud, quod mox ibidem ſequitur. *Ego laniſta? & quidem non inſipiens, deteriores enim jugulari cupio, meliores vincere.* Hic, incertum quid, ad marginem editor conjicit. ſed quaſi cuiquam incertum ſit, certam lectionem, *equidem*, eſſe. Niſi ſi hic obſibilabunt mihi novitii ſcribendi artifices, qui idem iſtuc eſſe ſubſtrepant: ut *Etquid* aequivalet τῷ *Ecquid*. Sane hoc ſcio. ſed Dii male tam ſpinoſo hominum male feriatorum acumini. Quae iſta tam profunda novandi omnia cupiditas? quae tam ſuperciliosa in nihili rebus oſtentatio? Doctos arbitremur, qui in his ſe jactant? Inſcitiam & ſtultitiam ſuam produnt. At enim antiqua, inquiunt, haec ſcribendi ratio. Quid, ſi ego negem? Non enim probant diffracti, diſtracti iſti atque ipſa vetuſtate paene conſumpti lapides, in queis paucula ejusmodi, errore magis, quam ſcribendi aliquo more. Jam vero aliud hoc argumentum: ipſam compoſitionis & originis rationem ita poſtulare. Sane ſi illud ſequendum, ut eadem forma compoſita ſint, qua ſimplicia, cum reſolvuntur; omnes ſufflati annitamur *adniti & ſubſtare* ſcribere. At quis unquam veterum & ſane ſapientium Grammaticorum tale quid praecepit? Ne diutius nuger, uno telo configam & conficiam omnes iſtiusmodi ratiuncularum ineptiſſimas argutias. Sermo quidam tacitus ſcriptura eſt, & ſcripta vox imago muta vivae vocis. Ut loquimur igitur, ita ſcribendum, & ex pronuntiationis conſuetudine moderanda conſuetudo ſcriptionis. Non autem aſperam illam veteres & confragoſam, quae fit in compoſitione vocum ex conſonantium utrinque jungendarum concurſu, pronun-

nuntiationem amabant: oderant imo acerbiſſime, & vitabant diligentiſſime: lenitatem vero in omnibus ſectabantur & facilitatem, ut molliter verba fluerent, & ſermo placide ſedati inſtar amnis decurreret. Hinc ſi qua erat in componendis verbis auſteritas, molliebant & coaptabant inter ſe leni & levi quadam mutatione: cujus frequentiſſimum ac potiſſimum inter caetera illud genus, ut priorem conſonantem poſteriori conformarent. Ita *allicere*, quam *adlicere*; *colligere*, quam *conligere*, & his reliqua ſimilia omnia malebant. Quid ergo ſcribere eadem omnia eodem quo dicuntur modo renuamus? De lenitate pronuntiatus, ut ad aurem jucunde verba & ſuaviter accidant, ſaepe Gellius agit, hoc loco ea nobis occaſione tali quodam in loco corrigendus. lib. xv. cap. 3. *Sed illud magis inſpici quaerique dignum eſt, verſane ſit & mutata Ab praepoſitio in Au ſyllabam propter levitatem vocis, an potius Au particula ſit propria origine.* Scribes, *propter lenitatem.* Sic paullo ſuperius. *Sed eam praepoſitionem, quo fieret vox pronuntiatu audituque lenior, verſam mutatamque eſſe in Au ſyllabam.* Nec aliter lib. xvi. cap. 6. *Tum longo uſu loquendi corruptam vocem eſſe, & ex Bidennibus Bidentes factum; quoniam id videbatur eſſe dictu facilius leniusque.* Ubi libri Stephanici quoque, *leviusque.* quam vocem ipſam libri tamen vetuſtiores prorſus ignorant. Sed haec de re non maximi ponderis acerbiuſcula pauca juvenilis mihi calor expreſſit, quibus non laceſſere magiſtellos inſanos volui, aut faſtum eorum reprimere, quem premere nemo valeat: ſed monere aequales meos, quorum plurimos jejuno animo novatam iſtam, pro antiqua, ſcribendi conſuetudinem affectare video & doleo. Hinc ad Ciceronis locum revertemur, quem nunc ſuccurrit aliter, & melius forſan emendari poſſe. Legam enim; *Ego laniſta? id quidem haud inſipiens*, ut ſubintelligatur, dictum, aut quid ſimile. Id namque innuit Cicero, non inepte plane laniſtam ſe appellatum, qui quidem jugulari malos, vincere bonos cupiat. Sed non ante hinc abeo, quia commode redire poſthac non erit, quam ex iiſdem Philippicis unum etiam, ſi forte, mendum auferam. Fine ultimae. *Cumque legio Martia princeps cum hoſtibus conflixerit, atque ita cum majore numero hoſtium contenderit, ut plurimos caederent, caperent nonnullos; cumque ſine ulla neceſſitate pro patria vitam profu-*

derint. Minime convenit, *ſine ulla neceſſitate:* quod quomodo interpolent, vidi: ſed opinor aptius, *ſumma neceſſitate.* Nam ſic ſolet in talibus rebus: *ſummo Reip. diſcrimine, neceſſario Reip. tempore:* & aliis modis, qui in ſententiis dicendis uſurpati. ACIDAL.

Actionibus.] Quibus *Philippicarum* nomen dedit. Illuſtre opus, & ſtudioſis gravioris Politicae diligenter verſandum. Vide inter ſuaſorias Senecae Rhetoris ultimam, in qua, non ad veritatem hiſtoriae, ſed ad declamandi exercitium Deliberatio habetur Ciceronis: *An ſcripta ſua comburat, promittente Antonio incolumitatem, ſi feciſſet.* BOECLER.

Tribunus Canutius continua rabie,] Tribunus pleb. fuit hoc anno. Interdum tamen, *Tib. Canutius*, (id ei praenomen fuit) legendum eſſe cogitavi. Quod quia nihil affert ad ſententiam, valde non laboro. MANUT. Idem refert Dion. ſed in praenomine variat. lib. XLV. nominat Tiberium. lib. XLVIII. Titum. Suetonius in libello De Claris Rhetoribus C. *Canutii* meminit, hujus Tribuni, an alterius neſcio. Appianus praenomen omittit, ut & Priſcianus lib. V. 11. POPMA. Imo *honeſtiſſimis concionibus*, ſi credimus Ciceroni Philip. III. 9. Apud Appianum lib. III. bell. Civ. mendoſe ſcribitur, Καρνούτιος. Reponendum, Καννούτιος, ut in Dione. Apud Dionem vero lib. XLVIII. in praenomine erratum. Legitur enim ibi, *Καννούτιος ὁ Τίτος.* Sed ſcribe, ὁ Τιβέριος, ut apud ipſum lib. praecedente. Planeque hic idem videtur, qui Suetonio lib. de Clar. Rhet. dicitur C. *Canutius.* Ut iſtic quoque praenomen videatur emendandum. VOSS. *Cannutius* Ed. Rhenan. Eraſmi & alior. Sed in lapide apud Gruter. pag. 935. 9. CANVSIVS, quod idem eſſe, ac *Canutius* & *Canuſtius* nomen, cenſet Reineſ. ad claſ. XIV. 198. BURM.

Commiſſa proſcriptio.] Mutaturus eram, *commiſta*, nunc exaudio, ut quaſi cum mortuo etiam commiſſa in luctam ſit proſcriptio. Hic quoque Gelliani loci recordor, quem meo more ponam, ut emendem lib. XVII. cap. II. *Atque illam, de qua Eraſiſtratus dixerit, ἐπιγλωττίδα non idcirco in eo loco conſtitutam, ne quid ex potu influeret in arteriam (nam pulmoni quoque fovendo rigandoque utiles neceſſariosque humores videri) ſed appoſitam quaſi moderatricem quandam arbitramque prohibendi admi-*

ſcendive, quod ex ſalutis uſu foret. Lego, *prohibendi admittendive.* Rectius enim *prohibere* & *admittere* invicem opponuntur. ad hoc, idem verbum poſtea de re illa ipſa reperitur. Acidal. Sic hunc locum legendum puto, *utrique vindicta libertatis morte ſtetit; ſed Tribuni ſanguine commiſſa proſcriptio, Ciceronis, veluti ſatiato Antonio, poenâ finita. commiſſa* hic eſt coepta, ut apud Nonium *committere*, cui mox opponitur *finita. poenâ* autem auferendi caſus eſt. Putean.

Vel ſatiato Antonio.] Aptius atque apertius: *velut ſatiato.* Cremutius Cordus: *Quibus viſis* (capite & dextra Ciceronis) *laetus Antonius, cum peractam proſcriptionem ſuam dixiſſet, eſſetque non ſatiatus modo caedendis civibus, ſed defectus* (corr. *defeſſus*) *quoque, pro roſtris exponit.* Lips. Multum, ſi non ſanguinis, at certe vigoris detraxeris orationi, reponendo, *velut ſatiato;* quod placuit viris ſummis. nam innuere vult, renuntiaſſe demum proſcriptioni Antonium Cicerone oppreſſo: utpote cujus ſanguinem ante ceteros omnes avide ſitierat. at enim *velut*, ſpeciem potius innuit, quam rem ipſam. Gruter. Nihil mutandum, ut bene monuit Gruterus. Cremutius Cordus dicit, *non ſatiatum modo caedendis civibus, ſed defectum fuiſſe Antonium.* Ubi perperam Lipſius, Scottus, aliique reponunt, *defeſſus. Defectus* enim eſt *deficiens.* Phaedrus lib. I. fab. 21. *Defectus annis, & deſertus viribus.* Appulejus IV. de Aſino: *viae pondere defectus.* Quem locum ad Phaedrum etiam adducit Schoppius: ſed male utrobique reponit, *defeſſus.* Similiter loquuntur Valerius Flaccus, Martialis, aliique. Nil itaque certius. Voss. Puto, *velut ſatiato Antonio*, ſed quod jam vidit Lipſius cum Puteano. cap 69. *Neque reperias, quos aut pronior fortuna comitata ſit, aut veluti fatigata maturius deſtituerit.* deinde opinor *paene finita.* ut ad *ſanguinem* referatur. ſic ſolet Vellejus. Neque enim ultimus ab Antonio jugulatorum Cicero, ſed inter ultimos. at vero ſi de ſola proſcriptione accipitur, commode tolerari vulgata poteſt. Seneca Suaſoria VI. e Cremutii Cordi Hiſtoria de Cicerone: *Quibus viſis laetus Antonius, cum peractam proſcriptionem ſuam dixiſſet eſſe, quippe non ſatiatus modo caedendis civibus, ſed defectus quoque, juſſit pro roſtris exponi.* Heins. Forte, *Ciceronis nece ſatiato Antonio, paene finita.* Burm. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 169.

Ja-

Jacta] Salluſt. Jugurth. *Inter alia jacit.* Tacitus hiſtoriis; *Jacere fortuitos ſermones.* Et, *Si qua diſcordes jeciſſent.* Manutius, *facta*, Burrerii conjecturam ſecutus. SCHEGK. Reſtitui priſtino loco ſcripturam codicis ſcripti: nam *facta*, quod jam ſeculum durat in libro, agnoſcit parentem ſuum Burerium, ut liquet ex ejus notis. GRUTER. Francof. editio non male *jacta.* RAPHEL. Rectiſſime ita Gruterus ediderat, auctoritate MSC. & loquendi elegantia ſatis ſuffultus. Nam quod alii *facta* praetulere, a correctoris ingenio eſt. BOECLER. Videtur defendi poſſe *jacta*, ex auctoritate MS. *Jacere ſermones, probra*, aliaque ejus generis, elegans loquendi formula, & antiquis trita. VOSS. *Jacta* maneat. Livius lib. XXXVIII. 25. *ad hoc colloquium utrinque ventum eſt*, &c. *Jactae ſunt pacis conditiones.* ubi ſummus Gronovius dubitat tamen, an non praeſtet *jactatae.* Apulej. I. Met. *qui ſermonem jecerat priorem.* Sueton. Ner. XXXVII. *Multas nec dubias ſignificationes jecit.* Vid. Gronov. ad Liv. XXIII. 22. Barth. ad Stat. I. Theb. 411. Heinſ. ad Ovid. V. Metam. 665. Vorſt. ad Val. Max. I. V. 8. ſic & *foedus jacere* dixit Sidon. Apol. Carm. II. 357. *jacere* vero & *facere* paſſim a librariis inter ſe commutata. vid. Heinſ. ad Ovid. II. Faſt. 590. BURM.

Cum Antonius & ſubinde Caeſarem admoneret.] More ſuo hic *Vellejus* brevi expoſitione magnae amplitudinis hiſtoriam complectitur. Ceterum de hac *conſpiratione Triumvirali*, quam potentiae ſocietatem, id eſt, ὀλιγαρχίαν Vellejus vocat, ſecutaque *proſcriptione*, diſerte Florus IV. 6. & quos Camers adſcripſit Auctores. quibus omnino addendus eſt Dio, qui fine XLVI. & principio XLVII. accuratiſſime deſcribit omnia, & praeſertim ipſa *conſilia* Triumviralis coitionis, ut & *Rationem illam ſtatus*, quam ſecuti ſunt, qui nihil jam praeter ſuam potentiam curabant cogitabantque, μάλα πολιτικῶς explicat. BOECL.

Debere.] Niſi Grammaticorum genii mihi ſunt irati, certo *ultioni* legendum ſtatuo. Leve hoc quoque: at levia iſta perſequi, non tam mihi indecorum, quam reliquiſſe aliis, non glorioſum. ACIDAL. *Ultioni* legendum eſſe, non *ultione* nemo non videt. URSIN. Potius, *initur.* Quippe in V. C. erat, **tur initur* &c. Factum autem hoc apud Confluentes circa Bononiam, & Muti-

nam, ut conſtat ex Appiano, Dione, & aliis. Florus lib. IV. cap. 6. ſic ait: *Apud Confluentes inter Peruſiam, & Bononiam, jungunt manus.* Sed & hic, & alibi, ſe plane ἀγεωγράφητον oſtendit. Nam Confluentes, de quibus loquitur, a Peruſia facile diſtant ſpatio XC. milliarium Italicorum, aut ultra. VOSSIUS. Scriptus liber, teſte Burrerio, *tur initur.* Lege, *igitur initur.* & ſic Voſſius. HEINS. Non video Burerium *initur* reperiſſe in MSS. ſed *inita.* quare ego Rhenani correctionem, quam Eraſmus & Stephanus receperunt, *igitur inita* admiſi. BURM.

Facta affinitas.] Malim *pacta affinitas*, quam *facta*, *Paciſcendi* enim verbum in re nuptiali locum habet admodum frequentem. *pacta pax* apud Tacitum Ann. IV. *pactum matrimonium*, *pactae nuptiae*, & ſimilia eidem. quare & apud Florum malim lib. I. cap. 15. *A Latinis aggreſſus gentem Sabinorum, qui immemores pactae ſub Tito Tatio affinitatis, quodam contagio belli ſe Latinis adjunxerant.* Livius lib. XXXIV. cap. 32. *Non ſocietatem ſolum cum Philippo hoſte noſtro, ſed affinitatem etiam pepigiſti.* Ita & *matrimonia pacta*, & *pacta conjugia. contrahere affinitatem*, dixit noſter cap. 44. *jungere affinitatem*, Livius non uno loco, & Juſtinus lib. XXIV. *inſtituere affinitatem* Gellius non uno loco. Noſter libri primi initio, *quod pactae ei Hermiones nuptias occupaverat.* Naſo in Faſtis de Caſtore: *Leucippo fieri pactus uterque gener.* Livius lib. IV. cap. 4. *ex qua pactus eſſet vir domo, in matrimonium duceret.* ibidem, *pactionem nuptialem* habet. *pacta generi nuptias* apud Juſtinum lib. VII. Plura nos ad eundem Naſonem Metamorph. VII. v. 701. HEINS. V. Pricae. ad Apul. Apol. p. 195.

Conſulatumque iniit Caeſar pridie quam XX. *annos impleret*, X. *Kal. Octob.*] Puto, errare Vellejum. Sextili enim menſe Auguſtus primum conſulatum iniit: ut liquet ex SC. apud Macrobium Saturnalium lib. I. cap. 12. & Dione Caſſio lib. LV. VOSS.

Pridie quam viginti annos impleret.] Contra leges annarias, ſeu annales; diſtincte Dio. De aetate Auguſti cum conſulatum iniret, fere conſentit Sueton. ſcribens, XX. *anno invaſiſſe*, quod de anno viceſimo primum coepto capiendum patet hinc. natus Coſ. Cicerone 9. Kalend. Octob. Interfectis Hirtio & Panſa ſuffectus Conſul,

10. Kalend. Octobr. quae ſi ad calculum revocaveris, numerabis 20. annos uno die minus. ideoque exacte noſter. Dio tamen deſtruit; qui vita exceſſiſſe Auguſtum 14. Kalend. Septemb. qua die quondam primum conſulatum iniret, ſtatuit. videoque ſequi Lipſium ad 1. Taciti. SCHECK.

Annis DCCIX.] Lege DCCXI. MANUT. Adi Sigonium comment. in faſt. & triumph. Rom. ad *ann.* DCCX. & Onuphr. Panvin. comment. in lib. II. faſt. ad ann. DCCXI. BOECL.

Vidit hic annus Ventidium.] Hunc locum illuſtrat Valerius lib. VI. cap. 9. quem conſulas. hiſtoria apud Dionem lib. XLIII. Agellium lib. XV. cap. 4. Plutarch. Antonio, Appianum Bel. Civil. & Parthico. Plin. lib. VII. SCHEGKIUS. Vide Dion. fine XLIII. & lib. XLVII. p. 382. Val. Max. VI. 9. 6. Gell. XV. 4. Appian. Parth. Plut. Anton. BOECLER.

Conſularem praetextam jungentem praetoria.] Cum enim praetor eſſet, conſul factus eſt. vide Dionem lib. XLVII. & Faſtos. MANUT.

Praetoria.] Lipſius, *Praetoriae.* RAPHEL. Omnes fere uno agmine, emendandum cenſent, *praetoriae.* Falluntur. Eſt enim ἔλλειψις τοῦ, *cum.* Infra 86. *Dia clementia luctatus ſua Caeſar.* Item 87. *Quam profeſſione ejus, qua ſemper uſus erat, congruebat.* Quamquam & illi loci ferrum criticum effugere non potuerint. Sed injuria. Ἔλλειψιν etiam aliarum praepoſitionum Vellejo familiarem eſſe, alibi oſtendimus. VOSS. Verum eſt, *conſularem praetextam jungentem praetoriae*, quicquid obloquuntur. ſic cap. 92. *conſulatum praeturae ſe juncturum.* HEINS. *Praetoriae* Eraſm. Steph.

Emeruiſſent.] *Quid emeruiſſent* habet V. C. Non audiendi ergo, qui edidere, *meruiſſent*, aut *demeruiſſent.* VOSS. Vid. ad Ovid. Epiſt. VI. 138.

Repugnante Caeſare.] Suetonius Aug. 27. *In triumviratu*, inquit, *reſtitit quidem aliquamdiu collegis, ne qua fieret proſcriptio, ſed inceptam utroque acerbius exercuit.* De Ciceronis proſcriptione ſeorſim, *repugnaſſe collegis per biduum, tertioque demum die conceſſiſſe* auctor eſt in Ciceronis vita Plutarchus. De cetero excuſat Auguſtum Dio XLVII. p. 377. omnemque crudelitatis triumviralis invidiam in collegas ejus rejicit. utri credimus, Sueto-

nio,

nio an Dioni, quorum neuter ſine auctoritate & argumentis agit? BOECL.

Sed fruſtra adverſus duos.] Florus lib. IV. cap. 6. *Quid? contra duos exercitus neceſſe fuit venire in cruentiſſimi foederis ſocietatem.* Ita παρέργως diſtinguendum moneo. Nihil enim mutandum; quod cenſent viri eruditi. VOSS.

Coactus eſt.] Video te, Velleji, ſervire temporibus. verius enim Suetonius, de Octavii crudelitate contra proſcriptos. MANUT. Notat Manut. Vellejum ſervire tempori. pro Vellejo Dio lib. XLVII. SCHEGK.

Aut bullo.] Legendum, *ab ullo* cum Lipſio. RAPH. Legebam, *ab ullo.* Quod firmat res, & MS. in quo, *bullo*, erat expreſſum. Vix poſſunt de hoc dubitare, niſi hiſtoriae imperiti. VOSS.

Abſciſſaque.] Lege, *abſciſaque ſcelere*, &c. & mox, *Clariſſimi capitis abſciſi* ex editione prima, non *abſciſſa* & *abſciſſi.* HEINS. *Abſciſaque*, ut & cap. 119. *Vari caput abſciſum*, Edit. Rhenan. Eraſm. & Heinſii, & mox *abſciſi.* dubia fere ſemper inter has voces eſt lectio. Vid. Gron. ad Liv. XLIV. 5. Gifan. Ind. Lucret. & Vorſt. ad Val. Max. I. I. 18. & praecipue Drakenborchium noſtrum ad Sil. Ital. XV. 473. BURM.

Nihil tamen egiſti, M. Antoni, &c.] Hanc egreſſionem Vellejanam non immerito, etiam eloquentiae nomine, eximiam praedicavit Rhenanus. Ceterum de exitu & elogio Ciceronis auctores plerique jam ſaepius nominati, quibus adde omnino e ſuaſoriis Senecae ultimas; ubi tum cetera magnifice, tum hoc veriſſime dicitur: *in Ciceronis laudes ſequendas Cicerone laudatore opus eſſe.* adde Plin. VII. 30. Pontan. Philocal. VI. 22. BOECL.

Auctor. funebri.] De hoc eſt diſſertatio Davidis Bernardi Vitembergae habita A. 1720. BURM. *in marg.* V. Grut. Ep. Syll. T. IV. p. 423. &c.

Tantique conſulis irritando necem.] Lipſius *invitando.* RAPHEL. Alii, *invitando.* Male. Q. Haterius apud M. Senecam Suaſoria VII. *Non feres, inquam, & iterum irritare inimicum in mortem tuam cupiés.* Cujus mentione injecta, non poſſum praetermittere emendationem cujusdam loci ex eadem Suaſoria. Legimus in ea: *Apud Ceſtium Praetorem declamabat hanc ſuaſoriam Surdinus.* Ubi Andreas Scottus emendabat, *Ceſtium Pium*,

aut,

aut, ut conjecerat etiam Nic. Faber, *praeceptorem.* Quod miror. Nam facillimum ſane fuit veram lectionem conjicere, quae eſt, *Ceſtium Rhetorem.* Ex quo tam multa idem Seneca. Voss. Forte *invitando* non ſpernendum: facilius enim lapſus. nam *invitando* Ed. prima. ita mox *invitamentum*; ubi vide.

Vitam inferiorem te principe.] Schegkius edidit *miſeriorem*, quod & Lipſio placebat. RAPHEL. Sic editio Rhenani. Non diſpliceat tamen, *miſeriorem.* Quomodo in Baſileenſi poſteriori, & aliis editionibus, emendatum. Voss. Alias legitur *inferiorem.* veroſimile eſt fuiſſe in autographo *infeliciorem.* GRUTER. *Inferiorem* prima editio. nimirum fuerat credo in vetuſtis membranis, *infeliorem*, contracte. hoc eſt *infeliciorem.* ſed Gruterus jam id quoque occupavit. HEINS. An caecutierint tot viri docti neſcio, ſed prima editio habet *miſeriorem*, ut & Erasmi & Stephani; *inferiorem* habet Aldina editio, quam Voſſius & alii ſecuti ſunt.

Per omnium ſaeculorum memoriam.] *Per omnem* ex prima editione revocandum. HEINS.

Dumque hoc vel forte, vel providentia, vel utcumque conſtitutum rerum naturae corpus.] Vide hic pietatem auctoris noſtri. SCHEGK. Non congero huc ſimilia Auctorum loca: illud tantum moneo ſtudioſam juventutem, ut obſervet caecitatem gentilium & infelicitatem, quorum ſapientes non raro in auctoritatem ſapientiae habent, *de origine mundi, imo de ipſa Providentia* (quis enim non videt connexos errores eſſe?) *dubitare.* BOECL.

Aevi ſui comitem.] Quintil. XI. I. *brevi detrimento jam ultimae ſenectutis aevum ſeculorum omnium conſecutus.*

Quam cadet.] Mendoſum hoc eſſe, omnes fatentur. Alii alia addunt. Patet, nihil addendo, minima fere mutatione, ita legi: *citiusque in mundo genus hominum concidet.* MANUTIUS. Paullo Manutio placuit. *genus hominum concidet.* Nos explemus; *quam ea cadet. Ea*, nempe laus Ciceronis, de qua praedictum. Vide textum. Univerſus autem hic locus expreſſus ab Arellio Fuſco: *Quoad humanum genus incolume manſerit, quamdiu uſus literis, honor ſummae eloquentiae pretium erit, quamdiu rerum naturae aut fortuna ſteterit, aut memoria duraverit, admirabile poſteris vigebis ingenium, & uno proſcriptus ſaeculo proſcribes Antonium omnibus.* Ubi παρέργως

legi

legi velim: *honor ſcientiae, eloquentiae pretium erit*, elegantius magisque membratim. atque etiam verius, quia non honos tantum eloquentiae pretium, ſed opes & fructus. Scribo item: *rerum naturae aut forma ſteterit*: non *fortuna*. LIPS. Lacunulam alii aliter atque aliter explent. mihi videtur, *Tullii* cognomen una litera fuiſſe expresſum, ideoque mox intercidiſſe. belle profecto omnia cohaerent, ſi legatur, *citiusque in mundo genus hominum, quam Cicero cadet*. GRUTER. Fortaſſis deeſt *Cicero*, vel *ille*. *Cadere* tralate pro occidere & perire. Seneca praefat. controverſ. *Nec Dii tantum mali permittant, ut cadat eloquentia*. Petronius, *ut corpus orationis enervaretur & caderet*. POPM. Deeſſe aliquid vidit Lipſius, repoſuitque, *quam ea*, nempe laus Ciceronis, de qua agit Vellejus, *cadet*. Sed id mihi longius videtur petitum. Ego legam numero plurium, *quam ea*, nempe ſcripta Ciceronis in Antonium, de quibus in proxime antecedentibus eſt, *cadent*. BOXH. *Cedet* editio prima. locus mutilatus. Opinor, *citiusque e mundo genus humanum, quam ea cedet*. Laus nimir. Ciceronis, vel *ea cedent*, ut ad viri ſcripta referatur. *Ea cadet* Lipſius. Johan. Ortuinius *quam illa cadent*, ut de eloquentia & ſcriptis Tullianis intelligatur. In loco, quem producit appoſite idem Lipſius Arellii Fuſci Suaſoriae ſeptimae apud Senecam, ſcribendum eſt: *Quoad humanum genus incolume manſerit, quam diu ſuus litteris honor, ſuum eloquentiae pretium erit*, &c. *admirabile poſteris vigebit ingenium*. nunc circumfertur, *quamdiu uſus litteris, honor ſummae eloquentiae*. HEINS. Non diſplicet mihi Rhenani conjectura. Ita Ovid. I. Am. 15. *Ennius arte carens, animoſique Accius oris, Caſurum nullo tempore nomen habet*. Certe *cadet*, prae *cedet* arridet. BURM. V. Mic. Obſ. V. IX. p. 169.

Ne deflere.] Ex vet. *nec deflere*. Et ita edidit Rhenanus.

Potuit.] Abeſt vet. editioni illud *potuit*: recte. LIPS. Superfluum forte, ut placet viris in hac litteratura eminentiſſimis, vox *potuit*: ſed non ideo etiam temere expunxerim. comparet enim in editionum omnium prima, neque aliter fuiſſe in authentico, inde colligamus, quod Burrerius tantum ſubnotet in eo conſpici, *nec deflere*. Si licet & mihi indulgere conjecturae, malim, *nec deflere*

qui-

quidem quiſquam digne potuit, nedum exprimere verbis; omiſſo illo poſtremo, *poteſt*. GRUTER. *Ne deflere quidem quiſquam ſatis digne potuit.* Sic manifeſte prima editio: ne quid tollamus *τὸ potuit* cum Lipſio. mox recte idem, *ullibi* pro *ulli*. Poſtea pro illo, *inter exſecrationem*, & *inter exſecrationem* ſenſus poſtulat. HEINS.

In proſcriptos fidem.] Copioſe Appianus. SCHEGK.

Ne quid ulli.] Scribo, *ullibi*. LIPS. Satis negotii eſt, ejicere invitis auctoribus obtruſas malae notae voces; quid opus illis vitioſas ſponte dare. *Ullibi* & *nullibi* ignorat vetus & caſta Latinitas; nec video neceſſe mutare. Caeſar coactus erat Ciceronem, ſed alienum & extraneum, proſcribere, hi jam coguntur proximos. *Ne quid* ergo *ulli*, aut cognato, aut etiam fratri, ſancti relinqueretur, Antonius proſcribit avunculum, Lepidus fratrem. BURM.

Velut in dotem invitamentumque ſceleris.] Per mutuas dominationis pactiones nimirum, & διαλλαγὰς τῶν δυναστειῶν, quas *Dio* vocat. qui non tantum hanc atrocitatem, ſed etiam, quae Vellejus *de fide uxorum, ſervorum*, &c. tetigerat, exemplis memorabilibus illuſtrat lib. XLVII. ut & Appian. ἐμφυλ. ubi amplius liberorum in parentes impietas annotatur. BOECLER. Vetus editio Rhenani, *vel in dotem*. deinde eleganter *invitamentum ſceleris* dixit, quo firmari poſſet Lipſii emendatio, ſuperiori capite legentis, *auctoramento ad necem invitando*. Sic Curtio lib. IV. cap. 10. hanc vocem reddidit Modius, *eximiam pulchritudinem formae ejus, non libidinis habuerat invitamentum, ſed gloriae.* ubi vulgo *incitamentum*: quae emendatio firmatur ex Suet. Calig. 41. *miſit circum fora & baſilicas nomenclatores ad invitandos in libidinem juvenes ſeneſque.* & ex loco Ovidii lib. II. Amor. IV. 9. ubi nihil mutem: *Non eſt certa meos quae forma invitat amores.* Ubi *irritat* Heinſius, quod & in Claudiano lib. II. in Eutr. 239. videtur maluiſſe, ubi nunc: *Sociis quae viderit, ordine pandit, Invitatque ſequi.* —— Noſter infr. cap. 129. *Ut neque luxuriam invitaret, neque honeſtam paupertatem pateretur dignitate deſtitui. Dotem* vero eleganter dixit, ut Ovidius Epiſt. VI. 138. *crimine dotata eſt.* BURM.

L. Caeſarem avunculum.] Dio l. LVI. *L. Antonium Caeſarem* vocat. Sed gentile Antoniorum nomen videtur

tur irrepſiſſe. Bene fecit interpres, qui omiſit. Voss.

De Germanis.] Captatur acumen ex ambiguo, ut nomen gentis videatur, quod alterius gentis nomini opponitur, cum interim ſignificentur fratres, in illo verſu. Intelliguntur autem hoc loco adoptivi fratres. vide Rutgerſ. Var. Lect. 1. 9. & not. ad Nepot. in Cimon. Thys.

Duo triumphant conſules.] *Deſignatos* intellige *conſules.* Vide Sigon. in comment. in faſt. & triumph. R. ad ann. DCCX. Boecler.

Neque enim perſona umbram actae rei capit.] Umbroſum hoc ſane, quid ſi & mendoſum? Arbitror, & emendem: *umbram ac tenebras capit.* Non ille Coelius, inquit, homo genere ingenioque nobilis, qui latere in umbra ſilentii ac tenebris debeat. Extraham etiamnunc, etſi alieno loco & tarde. Lips. Lipſio obſcurum hoc videbatur. Itaque emendabat, *umbram ac tenebras capit.* Ego locum non ſollicitandum cenſeo. Ita fere dixit Livius lib. XXI. *Certe variata memoria eſt actae rei.* Sic lego, cum Aldina editione, non *varia*; ut editiones vulgares. Voss. De vitio hujus loci ne dubitandum quidem arbitror. Cui ſine Codicibus difficulter medeare. Boecler. Volebam, *umbram tantae rei capit. tantae rei*, qualis fuit acies Pharſalica & bellum civile. ſic lib. II. cap. 7. *Rei tantae parum id ad notitiam pertinens interponatur.* Vulgata tamen ſcriptura habet quoque, quo ſe tueatur, *actae rei*, rei geſtae; Thomas Munckerus, *umbram actae rei facit.* Perſonam videlicet non facere, ut res acta in tenebris jacere mereatur. Vulgatae etiam ſuus ſenſus ineſt, ut hoc velit Paterculus, M. Coelium, hominem factioſum & nequam vix meritum, ut nomen ſuum bellis civilibus, quae inter ſummos duces decertata ſint, inſeratur. Mentem Velleji minus percepit magnus Lipſius. ſic infra de Quinctilio Varo videtur caſtigandum c. 117. *Rei cauſa perſona moram exigit.* Exigit moram Varus non tam ſua, quam immenſae cladis, ſub illo acceptae, cauſa. mox malim, *ſed utroque perfectior.* Perfectior Curione & eloquio & animo. Sollemniter peccavit Vellejum deſcribendo librarius, dum τὸ *in* paſſim intempeſtivus inculcat, ut mox videbimus. Heins. Ego vulgatam ita explico. referendam hanc rem actam eſſe, quia non ab ignobili & obſcuro, ſed ab illuſtri viro eſt geſta. Perſona Coelii, viri tam illuſtris non capit umbram, id eſt, non

non patitur, ut ſilentio praetereamus, neque etiam ut leviter haec res inter belli civilis graviſſimos motus perſtringatur. quod ſi fieret, ſub umbra tantarum rerum lateret; ſed requirit peculiarem ſibi locum, ut clarius innoteſcat. *non capit* eleganter dictum, pro non convenit ei umbra, non capax eſt tenebrarum & oblivionis. Ita Spartianus dixit; *nota eſt fabula, quam Marci vita non capit.* de quo vid. Caſaub. ad Spart. Ael. Ver. 4. Quinct. decl. xv. 3. *quorum felicitas capere poſſet in amore luxuriam.* id eſt, quorum felicitati convenit luxuria, divitibus ſcil. non pauperibus conveniens. [V. ad Quintil. Decl. 382.] Munckeri emendatio etiam non abſurda. nam *umbram facere*, pro obſcurare recte dici docuit Barth. XXII. adv. 14. ſed vulgatam praefero. BURM. Vid. Joh. Chriſtii Noct. Academ. Spec. I. p. 33. qui legit *neque enim perſonae unius rationem actae rei capit ordo.* IDEM *in marg.* V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 59, 387. V. IX. p. 169, 268.

Dum in acie Pharſalica Africaque.] Conſidera, falſum reperies hunc contextum. Tempus ſeditionis Coelianae indicare voluit: an hoc igitur, cum Caeſar in Pharſalia & Africa dimicat? De Pharſalia, verum eſt. ſed de Africa, certe diu poſt Coelii motum & mortem illud bellum. Qui praeceſſit Aegyptium ſive Alexandrinum; alterumque cum Pharnace. Denique Caeſar etiam interea in urbe. Omnino falſa haec ſignatio: per Vellejanamne incuriam, an ſcriptoris? Hunc culpari mitius eſt. εὐστόχως fortaſſe emendem: *dum in acie Pharſalica circaque.* Nihil pronius, quam *Africam* ex eo feciſſe; ſi littera finalis adhaeſit, ut ſolet, capiti ſequentis. Interpretor autem: Dum Caeſar in Pharſalia pugnat & circa; nempe ad Dyrrhachium viciniſque locis oppoſitus Pompejo. Pugnas autem & ibi aliquot fuiſſe, notum. Quod tueri vulgatam aliquis conetur, quaſi de Africano bello Curionis in Jubam & Varum ſentiat: fruſtra ſit. Nam nec *Caeſar* ibi *dimicavit*: nec certe de *ſumma rerum.* quod utrumque hic ſcriptum. LIPS. Lipſius reponit *in acie Pharſalica circaque.* Poteſt tamen vulgata defendi. Licet enim tum in Africa ductu non militabat Caeſar; tamen auſpicio, & per ſuos. *Atqui non de ſumma rerum*; inquis. Imo vero: de ſumma rerum ἀπὸ κοινοῦ refertur ad Pharſaliam Africamque; ut fortaſſe ſufficeret; ſenſim

phraſeos praeciſe ad unum membrum determinari, licet σύνταξις ad utrumque congruat, qualia exempla non deſunt. Sed quid argutamur? Utique etiam tum per ſuos de ſumma rerum dimicavit Caeſar in Africa: niſi quis credat, ſummam rerum ad Caeſarem venire potuiſſe, partibus Pompejanis tam valide bellum alibi ſuſtentantibus. De ſeditione *M. Caelii* ſive *Caecilii Rufi*, ut & *Milonis*, vide Dion. XLII. p. 219. & 220. Liv. epit. CXI. Caeſ. III b. c. BOECLER. Lipſius, *Dum in acie Pharſalica circaque de ſumma rerum Caeſar dimicat*, pro *Africaque*. de quo loquendi modo nonnihil jam dictum a nobis libro primo capite 3. Huic tamen loco controverſiam haud temere movendam eſſe contendo. Praecipua enim, ſi Pharſaliam excipimus, belli civilis Caeſarem inter ac Pompejum geſti, moles & tempeſtas uni Africae incubuit. ubi & praeliis compluribus hinc inde decertatum eſt, ducesque non pauci partis utriusque conciderunt, quos inter Curio, Scipioque, & Petrejus, & Cato, ne de Juba Rege dicamus. Quid quod Africam cum Pharſalia Lucanus non ſemel, aliique Scriptores, cum belli hujus injecta eſt mentio, conjungunt. Florus libro IV. cap. 2. *Sic cum exteris: ac in Africa cum civibus multo atrocius, quam in Pharſalia.* ubi plura ad rem occurrunt. HEINS. Lipſium ſequitur V. C. Perizonius ad Sanctii Minerv. lib. IV. c. 13. quia Coeliana ſeditio & mors longe ante Africanum bellum contigit. CELLAR.

M. Coelius.] *Caecilium Rufum* Livius lib. XCI. corrupte. Caeſar lib. III. Bell. Civil. *Iisdem temporibus Romae M. Coelius Rufus praetor, cauſſa debitorum ſuſcepta, initio magiſtratus tribunal ſuum, juxta C. Trebonii praetoris urbani ſellam collocavit.* SCHEGK. Hic eſt M. Coelius Rufus, pro quo exſtat oratio Ciceronis, ad quem ſunt ipſius epiſtolae lib. VIII. Epiſt. Quaeſtor *fuit in* Africa C. Curionis, a quo poſtea defecit, & Praetor factus C. Caeſare II. & P. Servilio Iſaurico Coſſ. ſeditiones in urbe excitavit, novarum tabularum ſpe ſollicitata plebe. Plura Caeſar lib. II. Bell. Civil. Dion & Appianus. POPMA.

Nec minus ingenioſe nequam.] Nam & ita de Curione ſupra cap. 48. *Suae alienaeque & fortunae & pudicitiae prodigus, homo ingenioſiſſime nequam.* ACIDAL.

Cum in modica quidem.] Alii aliter. Ego quoque, ſi eſt

eſt indulgendum conjecturae, legerem: *Cum ne modica quidem re ſervari poſſet.* Nulla enim ei res erat, quod oſtendunt verba, quae ſequuntur. MANUT. Gryph. & alii, *cum ne a Diis quidem ſervari poſſet.* Bene ad ſententiam; non ad verba. perſuaſum mihi ab audaci correctoris manu eſſe, qui ad illud Plauti Terentiique, *Ipſa ſi ſalus, Jupiter, Juno, Opi, ſervare cupiat, non poſſit*, reſpexerit. SCHECK. Hoc ſi quis intelligere ſe profitetur; dubito: eum non intellexiſſe, qui emendare aggreſſus eſt; certo ſcio. Mentem ego loco reddam; hoc de me audacter: verba ipſa Velleji germana, omnia non pollicebor. Sed lego: *cum in re modicà nequitiem ſaturare non poſſet.* Optime ſic orationis inter ſe membra cohaerent, & ſententia fit, cui aliam auctor voluiſſe non poteſt. Cum in anguſtiâ rerum & egeſtate voluptatibus indulgere & explere libidines Coelius nequiret, ad turbandam Remp. ſe contulit, & molitus eſt, quae Vellejus narrat. Verbum *ſaturare*, utrum auctor hic poſuerit, ambigo: convenientius excogitare mihi negatum. quod ſi quis poterit, a me gratiam inibit non minorem, quam toto de collegio literatorum. *Nequitiem* vero hic germanam vocem, ſic videor affirmare poſſe, ut quod certiſſimum. Nec vero ipſa res dubitare quemquam ſinet, vim verbi modo noverit: quam diſcere vel e Donato, vel Gellio poterit, ſi novit minus. ACIDAL. Mendoſiſſimus locus ita ſanari poſſet, ſi conjectura longius diſcedere liceret; *Cum ne a Diis quidem ſervari poſſet.* URSIN. Caſtigandum; *cum ne modico quidem &c.* Frigent hic plane aliorum conjecturae: quas cui bono recenſeam? VOSS. Erat, *cum in modica quidem ſervari poſſet.* Quod cum aperte vitioſum eſſet, varie emendare conati ſunt viri docti. Aldus, *cum ne modica quidem re.* Sed Voſſiana lectio, manifeſtis ſcripturae indiciis, ultro ſe emergit & commendat. Itaque nil dubitavimus in textum recipere. BOECLER. *Cum in modica quidem* editio Rhenani. unde *modico* Voſſius; alii alia. Forte, *in re modica vix idem ſervari poſſet.* Vel *cum ne inter immodica quidem ſervari poſſet.* Cum ſervari ac ſalvus eſſe non poſſet, quamvis immodica conſecutus: Tacitus Ann. XIV. c. 21. *As ne immodica quidem ſtudia plebis exarſere.* Supra c. 15. C. Marius *immodicus gloriae, inſatiabilis, impotens* dictus. & de Pompejo cap. 32. *in appetendis honoribus immodicus.* Tò *in* paſſim in

vetuſto codice redundabat librarii vitio. vide mox infra. Sed & rurſus libro I. cap. 25. *aquas ſalubritate in medendisque corporibus nobiles*. infra cap. 180. *Inutilis in alienae victoriae comes*. & *intueri* pro *tueri* ibidem. cap. 83. *in omnia & in omnibus venalis*, pro *& omnibus*. cap. 86. *in priſca gravitate*. cap. 105. *virum multiplicem in virtutibus*. cap. 119. *In omnibus autem Pannoniis*. cap. 115. *Per gentis in integras*. cap. 126. *In partibus eloquatur*. cap. 128. *in cujuscumque animo virtus ineſſet*. & aliis compluribus porro locis. Poſſis &, *cum inter modica fidem ſervare non poſſet*. Livius lib. XXIII. cap. 48. *Niſi fide ſtaret reſpublica, opibus non ſtaturam*. Salluſtius in epiſtola Pompeji: *Ego non rem familiarem modo, ſed etiam fidem conſumſi*. *Fides fori* apud noſtrum cap. 126. ubi dictum nonnihil. De Othone Tacitus Hiſt. I. cap. 20. Plane is illud Flori lib. IV. cap. 3. de Antonio, *Nam aliter ſalvus eſſe non potuit, niſi confugiſſet ad ſervitutem*. HEINS. *Cum ne a diis quidem ſervari poſſet* edit. Eraſm. Steph.

2. *Quippe pejor illi res familiaris*.] Et hoc idem infra, cap. 91. de Ruſo Egnatio repetit, ſolemni ſui ipſius imitatione. *Cum eſſet omni flagitiorum ſcelerumque conſcientia merſus, nec melior illi res familiaris, quam mens foret*. ACIDAL.

Auctoritate Coſſ.] Hoc valet *Conſulum*. Atqui, ne juventus erret, *Coſ.* ſive *Conſulis* ſcribendum eſt. quia unus Servilius tunc in urbe, cui Caeſar collega, ſed abſens & in bello. LIPS.

Haud magis.] Argutabar: *in agris occulte*. Nam ita res fuit, Romae ſeditionem, in agris bellum movebat per Milonem. Caeſar lib. III. *Clam nunciis ad Milonem miſſis, evocatoque in Italiam: eum in Thurinum ad ſolicitandos paſtores praemiſit*. LIPS. *In urbe ſeditionem, haud magis occulte*, eſt lectio repraeſentata a Rhenano: nam illud, *ſeditionem, magis occulte autem bellicum tumultum*, eſt ariolatio Burreriana. GRUTER. *In urbe ſeditionem magis, occulte autem bellicum tumultum movens*, repoſuit Burrerius. Nec fugit me, commodum hinc ſenſum elici poſſe, contra quam exiſtimaſſe videtur Lipſius. Nimirum, ut dicat Paterculus, Coelium in urbe magis ſeditionem, quam bellum, ſed occulte interim bellum paraſſe. Cur tamen pro Burreriana hariolatione digladiemur?

mur? Rhenanue e MS. ediderat: *In urbe ſeditionem, haud magis occulte bellicum tumultum movens.* Quod non ſatis placet. Nonne rectius? *aut magis occulte, &c.* Quomodo Gryphio, Marneſſio, Stephano, aliisque excuſum. Voss. *Aut magis* Eraſm. mihi Lipſiana correctio perplacet; nihil enim, ſi aliter legas, eſt quod τοῖς *in urbe* opponas. *ſeditio* vero proprie eſt urbana, *tumultus* vero motus in agris vicinis urbi, ut notiſſimum eſt. & ita Ulpianus leg. 1. ff. de Leg. Jul. Majeſtatis diſtinguit: *quo ſeditio tumultusve adverſus rempb. fiat.* legam igitur, *in urbe ſeditionem, in agris autem occulte bellicum tumultum movens.* Illud *magis* facile corruptum fuit ex *in agris.* nam *m* ſaepe pro *in* fuiſſe ſuppoſitum a librariis, ſexcentis poſſit exemplis oſtendi. Burman. V. Miſc. Obſ. V. viii. p. 169.

Thurios] *Turios* Ed. Rhen.

Incepto pari] Cuſum non moveo, de conjectura noſtra ſaltem moneo: *Interfecto pari.* quod puto erit qui pro meliore lectione habeat. *Par* pro compare, collega, ſive ſocio & aequali. Cicero in Piſonem. *Edicere eſt auſus cum illo ſuo pari, quem tamen omnibus vitiis ſuperare contendit.* Acidal. Minime habuerim pro lectione meliori conjecturam reſcribentium, *interfecto pari, ſimilis.* Sic enim perit auctori dogma ſuum, quo innuit eosdem ſortiri eventus, qui ſimilibus auſpiciis res minime ſimiles exorſi ſunt. de Caelio & Milone ſic breviter Epitoma Livii cxi. *uterque cum bellum molirentur, interempti ſunt.* Gruter. Lego, *in coepto pari*, &c. Epitoma Livii, lib. cxi. *Uterque cum bellum molirentur, occiſi ſunt.* Acidalius conjecerat, *interfecto pari.* Quod merito refellit Gruterus. Vossius. Cur *inceptum* displiceat Voſſio non video: de audaci enim & temerario conſilio & facinore dici conſtat. Terent. Andr. 1. 5. *Hoccine eſt humanum factum, aut inceptum.* Heaut. iv. 6. *ut te omnes dii deaeque, Syre, cum tuo iſto invento, cumque incepto perduint.* & ita ille ſaepius. Virg. 1. Aeneid. 137. *Mene incepto deſiſtere victam.* Suet. Caeſ. 59. *Nulla religione a quoquam incepto abſterritus.* & ita pasſim alii. Burm. V. Miſc. Obſ. V. viii. p. 50, 388. V. ix. p. 268.

Compſam in Hirpinis.] Caeſar ad *Coſam* ſcribit interfectum in *agro Thurino.* Etiam Euſebius, ſed a nobis

corrigendus: *M. Caelius Praetor, & T. Annius Milo exſul oppreſſi, res novas in Tiriano Brixioque agro molientes.* Scribendum: *in Thurino Brutioque.* Lipsius. Quid putidius, quam hic cum Cluverio intrudere, *Caſſanum in agro Thurino oppugnans?* Nititur tamen ſe defendere auctoritate Plinii Nat. Hiſt. l. 11. c. 55. Addit praeterea majorem fidem Caeſari habendam, quam Vellejo; cujus verba ex 111. de bello civili ita emendat: *Milo, quibusdam ſolutis ergaſtulis, Caſſanum in agro Thurino oppugnare coepit.* Ubi omnes quidem codices, tam MSS. quam impreſſi, habent, *Coſam.* Quorum auctoritate motus, nihil temere mutare auſim. Per *Coſam* vero intelligimus eandem urbem, quae Vellejo *Compſa.* Nam hodieque appellatur *Coſſa.* Scio quidem, illam eſſe Hirpinorum proprie, non Thurinorum. Sed tuetur me ſatis Strabo lib. iv. qui, ubi ſtudioſe de his gentibus agit, fatetur, eas vix certis terminis poſſe diſtingui. Unde etiam eſt, quod Compſam Lucaniae attribuat Ptolemaeus. Nec minus vulgatam Caeſaris ſcripturam firmant verba Euſebii: qui palam in Thurinis id factum refert. Sic enim ille, in Chronico: *M. Caelius praetor, & T. Annius Milo exul, oppreſſi, res novas in Thurino Brutioque agro molientes.* Multo autem infirmior Cluverii argumentatio petita ex verbis Plinii, qui, loco jam ante memorato, Milonem apud *caſtellum Carſſanum* periiſſe tradidit. Reſtituebat ille, *Caſſanum.* Sed cur non eodem jure mihi reponere liceat, *Caſſanum*, aut, *Compſanam?* Denique, quo ſana eſſe Velleji verba magis conſtet, addo, falſum eſſe, quod ſcripſerat Cluverius, narrationem Caelii praecedentem multis eſſe verbis mutilatam. Non tamen leviter corruptam fuiſſe negem. Sed ea, quae lectori aliquam poterant moleſtiam creare, nullo quaſi negotio antea reſtituimus. Voss.

Ultra fortem temerarius.] Imo vero *ſortem.* Magis audax ſcilicet, quam pro conditione exſulis, cujus eſt jacere fere, nec attolli. Lips. *Ultra fortem*, id eſt, temerarior quam fortior. ſic noſter infra cap. 83. *& infra ſervos cliens.* & cap. 88. *mollitiis ultra feminam fluens.* denique cap. 118. *ultra barbarum promptus ingenio.* Alii revocant conjectaneum Rhenani, *& ultra ſortem temerarius.* ſed non video, cur Miloni exilium moderari debuerit temeritatem, homini feroci & alteri, ut dicam,

Co-

Coriolano. GRUTER. De uſu vocum *ultra* & *citra* eleganti agemus ad Albinov. Eleg. in Druſum 50.

Quatenus autem aliquid ex omiſſis peto.] Scripſit Vellejus, *Quatinus*. Id illius & inferioris ſeculi ſcriptoribus eſt, *quoniam*. Docuit Feſtus. In Floro corrupte excuſa eadem particula quatuor locis, quae ordine dabo & emendabo. Lib. 2. cap. 15. *Quippe per continuos decem & ſeptem dies vix potuit incendium extingui, quod domibus ac templis ſuis ſponte hoſtes immiſerant, ut quatenus urbs eripi Romanis non poterat triumphis, arderet.* Scribo ac diſtinguo, ut mihi vetus Florentinum exemplar praeijt. *ut quatinus urbs eripi Romanis non poterat, triumphus arderet.* Ita eleganter & acute, vix ut quidquam videatur poſſe ſupra. In ferculis triumphalibus notum, urbium, fluviorum, maris, aliorumque ſimilium, victa quae eſſent, ſimulacra geſtabantur; ſimul quae inde capi & rapi potuiſſent, oſtentabantur. Ne quid de ſuis tale poſſet, omnia Carthaginienſes incenderant: ut quoniam urbs ipſa non poſſet Romanis eripi, triumphi materies tamen in ignem omnis iret. Ut magis hoc accipias, lege quod de Numantia idem Florus hoc ipſo libro cap. 18. ad finem, ita ſcribit. *Noviſſime maximo duce oppreſſa civitas, nullum de ſe gaudium hoſti reliquit. Unus enim vir Numantinus non fuit, qui in catenis duceretur: praeda ut de pauperibus nulla: arma cremaverunt. Triumphus fuit tantum de nomine.* Porro lib. III. cap. 8. ejusdem Florentini auctoritate ſcribendum: *Quatinus Metelli Macedonici domus bellicis nominibus aſſueverat, altero ex liberis ejus Cretico facto, mora non fuit, quin alter quoque Balearicus vocaretur.* Horum exemplo non aliter ſcribi debuit lib. IV. cap. 11. *Furor Antonii quatinus per ambitum non interiret, & luxu & libidine exſtinctus eſt.* Ubi & *interierat*, forte ei particulae magis appoſitum. Denique eodem lib. c. 12. *Sed quatinus ſciebat patrem ſuum Caeſarem bis trajecto ponte Rheni quaeſiſſe bellum, in illius honorem concupiit facere provinciam.* Hos mihi licuerit e Floro libare floſculos: quibus ita reſtitutis major acceſſit a nobis nitor, quam ab ipſis mihi accedere poteſt honor. Juſtinus id verbi liquido ſcriptum exhibet, lib. XLI. cap. 11. *Jubentes eum ſolum cum patre ſuo Hammone inire bella, quatinus milites ſuos faſtidiat.* Ad quem denuo delapſus, non poſſum, quin eodem libro cap. 4.

noſtra iterum opera fiat melior. De Alexandro, cujus luxuria milites commoti totis caſtris indignabantur: *A Philippo illum patre tantum degeneraviſſe, ut etiam patris nomen ejuraret, moresque Perſarum aſſumeret, quos propter tales mores vicerat.* Ubi quid vir maximus, eſt quidem in memoria, nec appoſite illud nego: ſed mihi tamen viſum: *ut etiam patriae nomen ejuraret.* Nam certum, de luxu regis & mollitie tantum, non de ſuperbia, querela: ut qui quos armis ſubegerat, eorum vitiis ſuccumberet. Et aſtipulatur nobis, quod eſt abhinc non longe: *Maxime indignabatur carpi ſe ſermonibus ſuorum, Philippi patris patriaeque mores ſubvertiſſe.* Hoc igitur aegre exercitus ferebat, maſculum Macedonum nomen, belli fama orbe toto, cujus univerſi paene imperium ſua militia regi quaeſierant, celebre & terrible, moribus effoeminatis Perſarum corrumpi, & ipſum velut effoeminari. Nec de re plura; at de verbo aliquid ſaltem addam: de quo apud Nonium. Inde aliquanto longius, *Deinde quod primo ex Perſico ſuperbiae regiae more diſtulerat, ne omnia pariter invidioſiora eſſent, non ſalutari, ſed adorari ſe jubet.* In manuſcriptis eſſe notarunt, *in primo.* quod ſcribe junctim *inprimo:* vetus adverbium, nec dubium, quin a Trogo uſurpatum. e quo priſcae, ut ipſemet ait, eloquentiae viro, auctor deſumpta antiquaria verba ſparſim epitomae ſuae inſeruit. Eandem vocem in Salluſtio & Plauto alicubi Palmerius repoſuit. Etiam hinc longinquius: *Oppidani invictum ferro audientes, ſagittas veneno armant: atque ita gemino mortis vulnere hoſtem a muris ſummoventes, plurimos interficiunt.* Scribo *geminae mortis.* Etenim non duplex vulnus, ſed in vulnere vis geminae mortis, qua ab ipſis ſagittis, qua ab ſuperinlito veneno. Acidal.

Aliquid ex omiſſis peto.] *Repeto* ſcribatur, ut ad ſuperiora illa reſpexerit, *ſuo praeteritum loco referatur.* Juſtinus lib. II. c. 5. *Nunc Athenarum origo paucis repetenda eſt.* Heins.

Adverſus C. Caeſarem.] Julium Caeſarem capies. Quod non monerem, niſi fuiſſent, qui Auguſtum intellexiſſe viderentur. Adi Valerium Maximum lib. V. cap. 6. Suetonium in Caeſare, & Dionem lib. XLIV. Voss.

Marullum Epidium, &c.] Cauſſa expreſſa in Sueton. cap.

cap. 79. Appiani libris. SCHEGK. Sueton. Caeſ. 79. Val. Max. v. 7. 2. Plut. Caeſ. Appian. ἐμφυλ. 11. ſed nemo accuratius Dione XLIV. p. 277. BOECLER.

Flavumque Caeſetium.] Ita emendavi, quod vulgo legebatur *Flaviumque*: perſpicuo mendo, cum duo nomina gentilitia ſimul eſſe non poſſent; & Suetonius in Julio cap. 79. nominat *Caeſetium Flavum*, atque ita reſcribendo pro Φαβιὸς, vel Φλακκὸς apud Plutarchum in Caeſare & Dionem lib. XLIV. qui hanc hiſtoriam copioſius & verius narrant, quam Vellejus, Julianarum partium adulator. POPMA. Duo gentilitia nomina non debent conjungi. Bene ergo in Gryphiana, & aliis quibusdam editionibus, emendatum eſt, *Flavumque*. Flavi autem cognomen Caeſetio tribuunt Livius, Suetonius, Plutarchus, aliique. Nam in Dione lib. XLVIII. mendoſe legitur, Λεύκιος Κεσέτιος Φλάκκος. Scribi debet, Καισήτιος Φλάουος. Appianus hunc ubique Sittium nominat. Errore, ut puto, non librarii, ſed ipſius Appiani. VOSS. *Flavum Caeſetium* bene editio Rhenani. deinde opinor, *In hoc tamen ſpem laceſſiti principis ira exceſſit.* ſpem & exſpectationem noſtram exceſſit. tum, *natura ſua ei cedendum*, non *excedendum*. HEINS. *Flavum Caeſe etiam*, Ed. Rh. V. Miſc. Obſ. VIII. p. 60.

Natura ſua ei excedendum.] Rarior locutio, cui ſimilis illa Hirtii Bel. Afr. 73. *ex priſtina bellandi conſuetudine celeritateque exceſſerat.* BURM.

C. Trebonium.] De Trebonii interitu, ipſiusque, quod ſequitur, Dolabellae fato vide Dion. XLVII. p. 392. & 393. Liv. epit. 119. Appian. IV. ἐμφυλ. BOECLER.

Cui ſuccedebat.] Succedebat non a ſenatu, ſed a ſe & ſcelere ſuo miſſus. Nam provincia illi Syria erat, atque in eam ibat. LIPS.

Statio Murco.] *Statio Murco. & M. C. P. V. imperatoribus, praevalidis leg.* &c. ita legendus locus hic, deleta voce *qui* ante verbum *praevalidis*. Statius autem Murcus in argenteo etiam denario IMP. dicitur. URSIN. *Statio*, non *Staio* legendum, ut bene ex numismate emendat Urſinus. Vocabatur autem hic *L. Statius Murcus*. Ut conſtat ex Cicerone, ac Dione Caſſio. Appianus non uno loco *Sexti* praenomen ei tribuit. Sed fallitur. VOSS.

Criſpo Marcio.] Falluntur, qui ex Dionis lib. XLVII. reponunt, *Criſpo Marco*, vel *M. Criſpo*. Nam ipſe Dion mendoſus, & apud eum pro Μάρκου Κρίσπου legendum, Μαρκίου. Similiter etiam apud Hirtium lib. de bello Africano, *Marcium Criſpum*, non *Marcum*, optimi MS. fide reponendum cenſeo. Docet hoc Casſius apud Ciceronem lib. XII. epiſt. ad Fam. ac ipſe Cicero Philipp. II. Appianus hunc ſaepiuſcule Minutium Criſpum vocat. Sed in hoc quoque eum fugit ratio. Voss.

Imperatoribusque praevalidis.] Lege, *Imperatoribus qui praevalidis*. MANUT. Quibusdam abeſt illud *que*. Bonhom. *imperatoribusque validis*, quam rectam puto, peccatum adfinitate *que*, & *prae*. Ita in Plauti Aulular. Prologo, ubi vulgatur, *Inopemque optavit potius eum relinquere*, editio Merulae: *Inopem praeoptavit potius*. SCHECK. Non ſequor Schegkium, qui probabat: *imperatoribusque, validis*, &c. Quod in Bonhommaei editione invenerat. Mihi vera lectio videtur: *imperatoribusque praevalidis*. Quod Aldo etiam monitum Voss. Verius eſt, *Imperatoribusque P. Ro. validis in Syria legionibus*. infra c. 90. in membranis ſimili errore legebatur, *Praetor imperatoribus*, pro *P. R. tot imperatoribus*. Nam ſatis erat dixiſſe *validas legiones*. Tacitus Ann. XII. cap. 19. *Po. Ro. Imperatoribus Regibusque nationum magnarum primam ex ſimilitudine fortunae amicitiam*. Plinius Panegyrico: *Foeda facies, cum Po. Ro. Imperator alienum curſum velut capta nave ſequeretur*. Ita & Livius aliique non raro. Caſſius Hemina apud Nonium in *proletariis*. *Tunc Marius P. Ro. Cos. primum proletarios armavit*. ubi peſſime hunc circumfertur *Marcus praeco*. res, quam tangit, geſta bello Jugurthino. *Conſulem* quoque *populi Romani*, & *Praetorem* dicebant, & *Senatorem*. Seneca de Ira lib. III. cap. 13. *quantulum fuit lucem exſpectare, ne Senatores Po. R. ſoleatus occideret*. In antiquis nummis, VESTA. P. R. QVIRITIVM, & GENIVS P. R. apud Tacitum An. XV. *Penates populi Romani*. *Sacerdotia populi Romani* apud Florum lib. I. cap. 2. *Augures, Salios, caeteraque per ſacerdotia*. Ita ſcripti praeſtantiores. unde faciebam PO. R. *ſacerdotia*, ſed ita Salmaſius quoque. *imperium* P. R. Gronovius Livio reſtituit lib. XXVIII. cap. 42. Simili mo-

modo Ciceronis locum pro lege Manilia reſtituit Gronovius obſervationum lib. IV. cap. 14. Hinc caſtigandus vexatiſſimus locus Aelii Lampridii Alexandro Severo. *Dicebat malum pupillum eſſe imperatorem, qui ex viſceribus provincialium homines non neceſſarios nec reip. utiles paſceret.* De *pupillo imperatore* merae ſunt affaniae. Salmaſius, *malum villicum eſſe Imperatorem.* fruſtra quoque. Neque enim ſi Juvenalis ridiculi cauſa & licentia Satyrica uſus praefectum urbis vocavit villicum, ſerios ſcriptores id ipſum ſibi permiſiſſe credimus. Sed hac de re pluribus alibi. Scribe interim, *Malum pop. R. illum eſſe Imperatorem.* HEINS. *Imperatoribus, qui praevalidis* Ed. Rhen. forte & eodem modo corrigi poſſet Petronius cap. III. *cum interim Imperator Provinciae latrones juſſit crucibus adfigi*, unde inepte *Imperatores Provinciae*, quidam fecere, ut olim vidimus. nunc placet legendum eſſe, *Imperator* P. RO. *provinciae latrones.* ut illae literae P. RO. abſorptae fuerint a prima ſyllaba τοῦ *Provinciae.* Similes corruptiones vidimus etiam ſupra ad cap. 15. & 24. BURM.

Incluſum Dolabellam.] Haec corruptiſſima ſunt; neque Velleji magis, quam correctorum. Sane ex editione principe, & variantibus Burrerii lectionibus, ita in MS. expreſſum fuiſſe liquet: *Incluſum Dolabellam, qui praeoccupata Aſia in Syriam pervenerat, Laudicia expugnat ea urbe fecerat, ita tamen ut ad jactum*, &c. Puto me veriſſime emendaſſe: *Laudiceae, expugnata ea urbe, coeperat (ita tamen, ut ad ictum, &c. praeſtaret) & decem*, &c. Conſulendi in hanc rem auctores, quos paullo ante laudavi. *Laudicea*, ut *Laudice* apud Juſtinum. Sic *Laumedon*, pro *Laomedon*, *Lautumiae*, pro *Laotumiae.* Ita & *Theudoſius* pro *Theodoſius* apud Claudianum, & alios: item in epigrammate veteri, quod lib. III. Catalectorum Pithoei legitur: *Omnia Theudoſio cedunt, ſobolique perenni.* Perperam enim excuſum, *Theodoſio.* VOSS.

Laodiceam expugnata.] Lege *expugnarat.* MANUT. Vet. *Laodicea expugnata ea urbe fecerat, ita tamen.* Cenſet Rhen. *Laodicea expugnata interfecerat: ita tamen.* SCHEGK. *Expugnarat* mavult cum Aldo Schegkius. Libri vet. *Laodicea expugnata ea urbe fecerat ita tamen.* Ex quo Rhenan. leg. cenſet, *expugnata interfecerat*; vel

con-

confecerat; ita tamen ut ad ictum. RAPHEL. Locus corruptus, & mutilus in libris vulgatis, quem reſtitui ex veteri iſta ſcriptura, *Laodicea expugnata ea urbe fecerat.* Hiſtoria de Dolabella ejecto Laodicea nota ex Appiano, & Dione. POPM. *Expugnata* Rhenanus, non male meo judicio, nam ad vocem *interfecerat*, rectius quadrant, quae mox per ἐπίπληξιν, ſive quendam ἐπανορθώσεως διορισμὸν adduntur. Quanquam ne ſic quidem locum perſanatum credam. Voſſiana emendatio iſta eſt: *Laudiceae, expugnata ea urbe, ceperat (ita tamen*, &c. BOECL. Vetuſtus codex, *Laudicia expugnata ea urbe fecerat*, unde recte Voſſius, *Laodiceae, expugnata ea urbe, ceperat.* ni mavis expungi duas voces, *ea urbe*, quae interpretamentum fuerint adſcriptum *Laodiceae.* ut ſit, *Laodicea expugnata ceperat.* HEINS. Nec in editione Rhenani, nec in Burerii notis extat *Laudicia*, ſed *Laodicea.* Popma edidit, *Laodicea expugnat. Ea urbe ejecerat, ita* &c. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 170.

Ita tamen, &c.] Si haec parentheſi includantur, haud paullum ad periodi lucem factura judicat Lipſius. RAPHEL. *Ita tamen ut adjectum.* Ed. Rh.

Volventis.] Scribendum *volenti*, non ut eſt in vulgatis editionibus *volentes.* URSIN. Quid ſi, *valentes?* Sane ſic paullo ante etiam, *praevalidis legionibus*, dixit. Tamen nil muto pro vulgari lectione MS. & quod cap. 62. ſimili modo protulerit Vellejus: *pecuniasque a volentibus acceperant.* Fruſtra vero Urſinus ſcribebat, *volenti.* Nam quomodo cohaeret, *volenti extorſerat?* Eſt hoc plane contra Velleji mentem, qui paullo poſt etiam ſubjicit de Bruto, *Vatinium dignatione obruerat.* VOSS. Alii *valentes* volunt. mihi nihil mutandum videtur. De re ipſa ſcriptores paullo ante laudati. BOECL. Vid. ſupr. ad cap. 62.

Laceſſierat, Vatinium.] *Laceſſierat Vatinius.* Ed. Rhen.

Nulli nomini.] Forte *minimo.* PUTEAN. Puteanus legit, *nulli minimo.* Aliquando putavi legendum, *nulli homini.* Poſſet & illud *nomini* deleri, tanquam gloſſema ad τὸ *nulli*, cum prius gloſſema eſſet, *nemini*, ex quo factum ſit, *nomini.* MANUT. Correctores velut agmine facto ruunt ad defendendum iſtuc *nomini.* Ego ſi impetum ſuſtinere poſſim, jubeam quieſcere. *Nullum*

no-

nomen, eſt nemo. Sic ubique *nomen Romanum*, pro Romanis: rem ut pro nomine intelligas. Epicedio Druſi Albinovanus: *Fluminaque & fontes & nomina magna locorum*. pro ipſis locis. Caecilius apud Nonium in *Deintegrare*. *Nomen virginis, niſi mirum eſt, deintegravit.* pro virgine ipſa. quem tamen locum aliter legebam, neſcio an bene, ut jocus efficeretur: *Nomen virginis, niſi vir non eſt, deintegravit.* Auſonius epiſt. ad Theonem: *Et jacula, & fundas & nomina villica lini.* Obſcurus auctor, Diris: *Et caſti fontes, & felix nomen agelli.* Quo & ipſo in carmine, etſi non ſatis eleganti, iſtos verſus tamen per cauſſam hic emendabo. *Cur non & nobis facilis natura fuiſſet? Cur ego crudelem patior tam ſaepe dolorem?* Legendum conjeci: *Cur non & nobis facilis natura? fuiſſet, Non ego crudelem patiar tam ſaepe dolorem.* Fraudi fuit ἔλλειψις τοῦ *Si*. Et librarius cum *Non* deberet, *Cur* bis exaravit, quod utrumque praeceſſerat verſu priori. Hoc in Appendice Deum illum Criticorum, Scaligerum tetigiſſe non memini: de quo ſi ſuſpicio eſſet leviſſima dubiae memoriae, perirent potius omnia mea, quam illi dictum, idem poſt illum dicere mihi perſuaderem, aliis illius ſcrinia compilare viderer. Sed ejusdem particulae omiſſio lucem invidet Auſoniano loco, in Ecloga de Libra. *Divinis humana licet componere ſic eſt, As ſolidus, quoniam bis ſex de partibus aequis Conſtat, & in minimis paribus tamen una manet vis.* Senſus eſt; ſi fas humana divinis contendere, qui ut clarius eluceſcat, diſtingue aliter, ut heic monſtrabo: *Divinis humana licet componere, ſic eſt* &c. Ad Vellejum ut redeam, ea vis eſt ibi defenſae locutionis. Cum Brutus cuilibet ducum eſſet praeponendus: Vatinius non modo non nulli duci, ſed vel alii cuilibet viliſſimo nomini, id eſt homini, erat poſtponendus. Ut jam deſinant ſibi neſcio quas gloſſas ſomniare. Qui admittere hoc tamen nolet, potius quam deleat, liceat illi legere, *nulli omnium*. Nos retinebimus: & jam ad ordinem revertemur. Acidal. Jubent alii quaſi pro imperio, deleamus voculam *nomini*. at magna, meo animo, in illa emphaſis, ut appoſitioribus exemplis oſtendi in Suſpicionum libellis. Gruter. Nihil mutandum. Sic *nomen Romanum*, pro *Romanis*. Item Pedo Albinovanus de morte Druſi: *Fluminaque, & fontes, & nomina magna locorum.* Vale-

rius

rius Flaccus lib. v. *Sceptra tui toto Pelias ſub nomine Phoebi Maxima ſorte tenens*, &c. Ita legendum. De quo alibi. Voss. Tentabam, *nulli homini*, vel *nulli omnino*, ſcilicet ducum. oblitus erat librarius geminare ſyllabam ultimam in *omnino*, quod proximum vocabulum *non* abſorpſerit. inde poſtea *nomini* factum. Poſſis etiam, *nulli ignominia eſſet poſtferendus*. ſed prius malo, vel quod verius, *nulli in omnia*. cap. 83. *In omnia omnibus venalis*: ut illic ſcribo. cap. 97. *in omnia pecuniae cupidior*. cap. 127. *ſingularem principalium onerum adjutorem in omnia habuit*. atque ita & cap. 41. fortaſſis corrigendum de Divo Julio, *in omnia ſuper humanam & naturam & fidem evectus*. non *animo*, quod Lipſium quoque offendebat. Sed nihil illic temere immutarim. *Per omnia* ſaepe alias occurrit apud noſtrum. vulgatum Voſſius tuetur me non aſſentiente. Heins. V. Miſc. Obſ. V. viii. p. 60.

In quo deformitas.] Cicero in eum: *cujus teſtimonium propter turpitudinem vitae, ſordes domeſticas nullius momenti putaretur*. Et in Bruto ait, *eum ex ſummis & fortunae, & vitae ſordibus conſulem factum*. Schegk.

Deformitas cum.] Erat enim ſtruma tumidum Vatinii guttur, ut tradit Plutarchus. Cicero ad Atticum lib. ii. *Vatinii ſtrumam ſacerdotii dibapho veſtiant*. Popma.

Adeo ut animus ejus digniſſimo domicilio incluſus videretur.] Pulchre in hanc rem ait Eumenius Paneg. Conſt. dicto: *Naturam ipſam magnis mentibus domicilia corporum digna metari*. Voss.

Et lege.] Lipſius, *At lege*. Raphel. Adde Dion. xlvi. pag. 367. Appian. iii. B. C. p. 586. Liv. cxx. qui Caeſarem hanc legem tuliſſe dicunt. Nimirum Caeſar Q. Pedium collegam ferre juſſerat. Sigon. comment. in faſt. & tr. R. ad ann. dccx. & Onuphrius Comment. in faſt. ad ann. dccxi. Hanc legem, cum neque in univerſum, neque in futurum ſit lata, pro lege non habendam eſſe, Roſinus notat viii. 27. Boecl.

Damnatis.] Petrus Delbenius tollit, *damnatis*. Manut. Ut Cl. Delbenius cenſuit, vocem *damnatis* ejeci. Quod conſulto factum moneo, ne quis temere exiſtimet. Acidal.

Capito patruus meus.] An Attejus Capito Juriſconſultus ille nobilis? Factum ſit non abhorrens ab ingenio viri, qui adulator, & *cujus obſequium dominantibus probabatur*,

ait Tacitus. Sed vereor, ut tunc non tam grandi & Senatoria aetate fuerit, quippe qui obiit demum nono Tiberiani imperii anno. Vide Tacit. III. Ann. extremo. LIPS. Miror ambigere Lipſium, num hic ſit Attejus Capito, cujus tertio Annal. meminit Tacitus. Cum enim hunc patruum dicit Vellejus, illud nullo modo verum eſſe poteſt: niſi ſtatuas illum adoptione in Attejam familiam tranſiiſſe. Praeterea tempora vix illud patiantur. Quod tamen Lipſium non fugiſſe fateor. VOSS. Jactat *Vellejus* ſuorum in Caeſares merita, aulicique obſequii artes ab ſtirpe ſibi conciliatas, vult intelligi. BOECL. Glandorpius *Vellejum Capitonem*, patruum noſtri Hiſtorici facit.

Agrippae ſubſcripſit.] Moris recepti ſubſcribere qua in crimen, qua in poenam: de illa multi ex Verrinis & Paediano, de hac, quae principum proprie, Suetonius Nerone: *Cum de ſupplicio cujusdam capite damnati, ut ex more ſubſcriberet, admoneretur, quam vellem, inquit, neſcire litteras.* SCHECK.

Caſſius Rhodum.] Dio XLVII. pag. 305. Appian. IV. ἐμφυλ. Plut. in Brut. BOECL.

Quos aut pronior fortuna.] Fortunatorum notabilis eſt in pari fortuna diſparitas. Quorundam eximias virtutes ac prudentiam comitatur fortuna fido & aſſiduo ſucceſſu; quosdam, ubi diu comitata eſt, ad extremum deſerit. quosdam per vices, & miſcens adverſa ſecundis beat: quosdam in omni virtutis conatu deſtituit fugitque: quorundam laeta initia, in progreſſu, aut ante progreſſum, ſtatim abrumpit, quibusdam temeritas etiam & ignavia ubique procedit: plurimi majore fortuna, quam ſapientia utuntur. verum, quidquid diverſitatis habent illae Felicium notae, *commune omnibus*, ſed maxime praefidenter de ſucceſſu ſentientibus, *ancipitium* imminet. BOECL.

In Macedoniam, & apud urbem Philippos.] Sic eſt. Philippi iſti in Macedonia extrema Ptolemaeo locantur, aliis in Thracia prima. Sunt ad Strymonem fluvium, & ſubjacet planicies aptiſſima pugnae. Victus in ea Caſſius & Brutus. Diverſi omnino ab iſtis Philippi ſunt in Theſſalia, ubi Pompejus victus, ad Peneum flumen. Ergo jure miror, quid poëtis aliquot in mentem venerit confundere haec loca & urbes, quaſi ſi utrumque civile bellum in iisdem campis depugnatum. Virgilius innuit, II. Georg. 400. *Romanas acies iterum videre Philippi.* quem

tamen

tamen excuſes, quaſi Philippi iterum viderint, ſed non iidem. Manilio quid facias? qui ſic lib. I. 906. — *ducibus jurata cruentis Arma Philippaeos implerunt agmine campos. Vix etiam ſiccu miles Romanus arena Oſſa virum laceroſque prius ſuperaſtitit artus, Perque patris pater Auguſtus veſtigia vicit.* Nam vult in iisdem campis atque adeo veſtigiis pugnaſſe Auguſtum, quibus patrem: & milites ſuperſtitiſſe cadavera & oſſa. Quid poëtas culpo? Florus hiſtoricus idem peccat: IV. 7. *Brutus & Caſſius, comparatis ingentibus copiis, eandem illam, quae fatalis Cn. Pompejo fuit, arenam inſederant.* Hoc autem tam verum eſt, ut centum aliquot milliaria ſint interjecta. Vide Dionem XLVII. & Appianum IV. Civil. quorum uterque ſitum Philipporum, ubi Brutinum proelium, accurate deſignat & deſcribit. LIPS. Recte Manilium, Florum, & alios refellit Lipſius, qui Philippenſem pugnam in iisdem Philippicis campis commiſſam ſcribunt, in quibus Caeſar cum Pompejo ante dimicaverat. Immerito autem in conſortionem culpae trahunt quidam Virgilium, quod ſub finem primi Georg. dixerit: *Romanas acies iterum videre Philippi.* Nam ipſe poſtea ſe explicat, cum ait: *Nec fuit indignum ſuperis bis ſanguine noſtro Aemathiam & latos Aemi pingueſcere campos.* Ut non ſit dubium, quin geminos Philippos intelligat Maro: illos, qui in Theſſalia ſunt, & alteros, qui in Macedonia ad Haemum montem: Reliqui omnes poëtae lapſi, inter quos & Ovidius XV. Met. Niſi excipere lubeat auctorem epigrammatis, quod extat in Catalectis veterum Poëtarum: (pag. 89. Edit. Pith.) *In Macetum campis ultus jam Caeſaris umbras Sum patris, Auguſtus belloque armiſque ſuperbus. Namque meos ſenſit fugiens Antonius enſes*, &c. At quid hic Auguſtum bello contra Antonium Caeſaris manes ultum eſſe ait? Omnino id de Bruto Caſſioque accipiendum. Lege igitur: *Jamque meos ſenſit*, &c. Nihil enim certius, quam duo proelia intelligi. VOSS. Scriptores hujus belli notavit ad Flor. IV. 7. Camers. Dio XLVII. & Zonaras t. II. qui prolixius ferme, quam alias ſolet, exponit, quae a Dione mutuatur. BOECL.

Oratus etiam ab Artorio medico.] Valde celebre eſt hoc ſomnium & eventu ipſo nobile, ideoque diligenter ſcriptoribus hujus belli annotatum. Aliqui inter argumenta providentiae haec talia etiam gentilibus oblata ponunt,

di-

divinitusque immitti credunt; alii praeſtigiis Diabolicis accenſent (vide de hoc ipſo ſomnio Artorii aliisque Lactant. II. 8.) quidam naturae quandam vim hic commiſcuntur, praeſertim qui Homeri propoſitum disquirunt, Heroibus tantum ſomnia tribuentis. Verum ut de tali ſomnio, quale hic habemus, valde durum fuerit affirmare, *ex cauſſis naturalibus ortum eſſe*: ita cetera dubitatio non parum difficultatis videtur habere. *Servaſſe Deum etiam gentilium Heroas, & e periculis ereptos majoribus rebus adhibuiſſe*, negari nec poteſt, nec debet. Quocirca nec pugnat cum Divina Philoſophia, ſi dicas; *Incolumitatem talium virorum curae Deo fuiſſe; ejusque curae partem ſomniorum fatidicorum immiſſione aliquando oſtenſam.* At vero ea ſomnia ex ipſis ſpeciebus per ſomnium oblatis non uniusmodi ſunt, aut una aeſtimatione comprehendi queunt. Quae in Sacris codicibus leguntur exempla, nullas habent *imagines idolatricas, neque vel Deorum vel ſacrorum ethnicorum ſimulacra*, quanquam ethnicis oſtenſa, praeferunt: ſed in ſomnio Artorii, Minerva virum monet, alibi Jupiter in templo ſuo, e ſinu ſuo futura promit. Unde merito ambigas, *an Deus immittendis homini pagano ſomniis, profani cultus imagines adhibere voluerit*. Inquis: *ſi Diaboli praeſtigiis id aſſignat, unde & quomodo Diabolus praeſcire eventum pugnae Philippenſis potuit?* Hic ergo videatur forte diſtinctio facienda inter *illas profanas ſpecies, quatenus e cauſſis naturalibus & quotidiani uſus reliquis phantaſiae offeruntur*; & *inter diſpenſationem divinam, quae emergentibus naturaliter ſimulacris ſignificamenta μαντικὰ conjungi*, ſive *naturae occupationem ad futurorum indicia dirigere poteſt*. Conſule Tertullian. lib. de anima 46. Zwinger. Theatr. volum. V. lib. IV. tit. de inſomniis. Pontan. Philocal. X. 21. BOECL.

Ab Artorio medico.] Narrat rem quoque Valerius Maximus lib. I. cap. 7. Sed vir Clar. Petrus Lambecius lib. II. Bibliothecae Vindebonenſis p. 591. apud utrumque contendit reponi debere *Antonii* nomen, ut Antonius intelligatur Muſa, noviſſimus Caeſaris Auguſti Medicus. Sed recte Gibertus Cuperus, vir eruditionis eximiae, ſuis ad me litteris e Chronico Euſebii hunc Artorium poſt pugnam Actiacam naufragio periiſſe oſtendit. Meminit & ſomnii hujus Artoriani Dion Coccejus lib. XLVII. vel non

expreſſo Artorii nomine. HEINS. V. Cup. Epiſt. T. II. Syll. p. 724. &c.

Manifeſte denuntiatione quietis territo.] *Manifeſtae*, vel *manifeſta*. HEINS.

Male multatum.] Forte *mulcatum*. PUTEAN. Placet magis, *male mulcatum* Cicero tamen *male multare* dixit libro de claris Oratoribus. URSIN. Quod verbum Livio aliisque jam reſtitutum e membranis a viris eruditis, idque ego in optimis Curtii membranis Mediceis non ſemel ſic exaratum inveni. HEINS. Vide ad Phaedr. I. fab. 3.

In altiora ſe receperat loca.] Et hic inſignem Vellejo injuriam fecere correctores, aut verius corruptores. Tu lectionem principis editionis repone, quae eſt: *in altiora receperat loca.* Ennius Thyeſte, apud Ciceronem I. Tuſc. *Neque ſepulchrum, quo recipiat, habeat portum corporis.* Sic & Plautus Mercatore, Act. II. Sc. IV. & Rudente Act. III. Sc. poſtrema loquitur: imo & alibi. Sed haec nimis fortaſſe antiqua aliis videantur. Sciant ergo, non ſemel ita locutum Caeſarem. Bis enim terve addicentibus MSS. id locutionis genus illi reſtituimus. Valerii quoque Flacci eſt lib. V. Argon. 102. *Altius in ventos recipit ratis* — Ubi parum *εὐστόχως cecidit* a Sabellico, & aliis, repoſitum. VOSS. Ita Gruterus, Sylburgius, aliique edidere. Poteſt tamen omitti illud, *ſe*; quoniam a principe editione abeſt, quod jam *Voſſianae* notae advertere. BOECLER. *Se* addidiſſe Eraſmus videtur, quod ego non temere ejecerim, nam & Caeſar lib. III. Bell. Civ. 67. *quo pulſa legio ſe receperat.* & noſter mox, *ſe in tumulum receperat.* & cap. 74. *In Italiam ſe recepit:* & ita paſſim alii: & ſic mox, *recipere ſe ex fuga*; de qua locutione vide Davies. ad Jul. Caeſar VII. de Bell. Gal. 21. *ſe recipere* etiam pro redire dixit Cicer. III. de Offic. 10. BURM.

Cum dimiſiſſet evocatum.] Titinnium Centurionem Valerius lib. IX. cap. 9. nominat, uterque bene. Dio lib. LV. *Sicut & evocatorum ſummam dicere non poſſum, uti illis Auguſtus coepit, tum primum, cum veteranos patris contra Antonium convocavit, ſervavitque deinde, & ſunt una adhuc legio, peculiares ſuas habens vites,* (ſic malo cum Cujacio ῥάβδους vertere, *vites*, quam Xylandro parum conſiderato ad ritum, *faſces*) *quemadmodum centuriones.* Proinde Vellejus appellat *evocatum*, quia ex il-

lorum

lorum numero. Valerius centurionem; quia vite honoratus. Vitis enim inſigne Centurionum. Plinius; *Centurionum in manu vitis, atque etiam in delictis, poenam ipſam honorat.* Et Juvenali vitis pro Centurionatu: —— *aut vitem poſce libello.* SCHEGK. Valerius Max. vocat Titinium *centurionem*, quem Vellejus *evocatum:* quoniam centuriones plerumque erant evocati. Saluſtius Catilina: *Centuriones lectos & evocatos.* Suetonius Veſpaſiano cap. 5. *Centurio, incertum ſponte an evocatus.* Gloſſa; *Evocatus*, ταξίαρχος. POPMA.

Curſu.] *Curſus ad eum tendentium*, quod Latinius: tum *ingruerent*, rectius, quam *inruerent*. Sed haec leviora. HEINS. Immo *curſus* hic eleganter poſſe dici vix puto: ſed *tendentes curſu*, ſunt citato gradu euntes. Juſtin. XI. 8. *in qua feſtinatione quingenta ſtadia curſu fecit.* Lucan. I. 183. *Jam gelidas curſu Caeſar ſuperaverat Alpes.* [Front. I. v. 6. V. ad Ovid. II. Met. 547.] Et ita millies alii. BURM.

Neque pulvere.] Bucretius meus, *prae* deſiderari putat; atque inſerit, *neque prae pulvere.* Et erroris quidem in eo facilis occaſio. ACIDAL. Fruſtra legunt, *neque prae pulvere.* Nam *prae* intelligitur. Ut cum dicimus; *gaudio lachrymari, amore emori*, aliaque id genus. VOSSIUS.

Lacerna caput.] Morituri morte violenta caput veſte operiebant, ut hic Caſſius, praebiturus jugulum, lacerna caput circumdedit. Horatius lib. II. Sat. 3. *Cum vellem mittere operto Me capite in flumen.* Petronius cap. 103. *Praeligemus veſtibus capita, & nos in profundum mergamus.* Suetonius Julio: *utque animadvertit Caeſar undique ſe ſtrictis pugionibus peti, toga caput obvolvit.* POPMA. Vide ad Petron. cap. 7. & 103.

Interritus liberto praebuit.] *Pandaro*, ut nuncupat Aurelius Victor. Sed lego, *Pindaro*, ex Valerio Maximo lib. VI. cap. 8. Plutarcho in Antonio, Brutoque, Appiano lib. IV. Bell. Civil. ac Dione lib. XLVII. VOSS.

Et ita in gladium occubuit.] Ita reſcripſere homines inepti, cum optime in V. C. legatur, *incubuit.* Profecto obeſae naris eos eſſe oportet, qui non odorentur, lectionem hanc vulgata multo eſſe meliorem. VOSS.

In tumulum.] *In tumultum.* Ed. Rh.

Manum morituro commodaret.] Similiter Petronius 112. *Commodaret modo illi perituro locum.* Seneca epiſt. XIII.

Candidato vocem & manum commodarem. Plinius Panegyrico: *cum orationi oculos, vocem, manum commodares.* POPMA.

Rejectoque laevo ſuper caput brachio.] *Erectoque* opinor. ut in fragmento Petronii Traguriano, cap. 52. *Ipſe erectis ſupra frontem manibus Syrum hiſtrionem exhibebat.* HEINS. V. Graev. Ep. Syll. T. IV. p. 435. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 61. 384.

Qua cor emicat.] Lege, *quo cor emicat*, ut non ad *mamillam*, ſed ad *locum*, quod propius eſt, referatur. BOXH. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 61.

Protinus] V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 170.

Hominis grati ac pii.] Notat hujus in Meſſalla pietatis exemplum etiam Appianus v. ἐμφυλ. ubi Octavius Caeſar cladem perpeſſus, exercituque exutus, a Meſſalla, quem tamen olim proſcripſerat, cum jam in ejus poteſtatem veniſſet, conſervatus eſt. BOECLER.

Corvinus in Caeſarem fuit.] Expungo *fuit*: cum id ipſum verbum proximam quoque periodum claudat. & paſſim τὸ *eſt*, τὸ *fuit* ſubintelliguntur apud noſtrum. Quare id ipſum quoque verbi tolli oportere ſubſequenti periodo cenſebat Perizonius. HEINS. V. [Wopkens Lect. Tull. II. II.] Miſc. Obſ. V. VIII. p. 61.

Lucullum Hortenſiumque] L. Lucullus L. F. qui Philippenſi praelio cecidit, is eſt, quem Cicero III. de Finibus appellat puerum *Lucullum*, *cujus ipſe tutor fuit.* De Hortenſio, Oratoris filio prodigo ab Antonio poſt pugnam Philippicam ad fratris monumentum occiſo, Cicero ad Atticum lib. IX. Valerius lib. V. cap. 9. Plutarchus in Antonio. Ejus filius fuit M. Hortenſius Ortalus, qui nepos Hortenſii Oratoris appellatur a Tacito Annal. II. & Suetonio in Tiberio. Valerius lib. III. cap. 5. Corbionem appellat, & diſſolutum, perditum, profuſum nepotem fuiſſe ſcribit. POPM.

Hortenſiumque.] Fallor an ejus filii mentio apud Suetonium: *Pleroſque modeſtia & pudore terruit, in quibus Ortalum, Q. Hortenſii oratoris nepotem*, & Tacitum II. Annal. *quo magis mirum fuit, quod preces M. Ortali nobilis juvenis, in paupertate manifeſta, ſuperbius accepiſſet. Nepos erat oratoris Hortenſii.* Si verum, oppido juvenem tempore obitus paterni fuiſſe oportet. SCHEGK.

Nam Varro.] Quis autem iſte Varro? videatur meritiſſima

ritiſſima ἐξοχῇ noſter ille intellegi, cui Fama quam Aeternitas magis aequa. Illa nomen ejus ſervat, haec ſcripta non adſpexit: quorum tamen feracius vix fuit aliud ingenium Graecum aut Romanum. Sed videatur, inquam, iſte intelligi: non tamen poteſt. Nam proſcriptus quidem a Triumviris Varro, ſed certantibus de ſalute ejus, quibus aliqua honeſti cura, vicit Fuſius Calenus amicus Antonii, & eum ad ſe recepit. Ita tempeſtatem illam evaſit. Appianum vide, & Agell. III. cap. 10. Pugnae autem Philippenſi non opinor interfuiſſe. Aetas militia & iis actionibus virum ſolvebat: & aliquot ſane annis poſt vixit. Quid verba facio? in lectulo ſuo obiit, non properata aliqua morte: ut clare ſcribit Valerius lib. VIII. *Terentius Varro, non annis, quibus ſaeculum aequavit, quam ſtilo vivacior fuit. In eodem enim lectulo & ſpiritus ejus, & egregiorum operum curſus extinctus eſt.* Ergo alius iſte Varro, quem velim omnino magis Vellejus retexiſſet. LIPS. Hic Varro, eſt M. Terentius Varro Lucullus, filius M. Luculli, adoptatus a M. Terentio Varrone. Unde a quibusdam appellatur M. Terentius Varro Lucullus, ab aliis M. Licinius Lucullus, meminit Cicero in Bruto, & Valerius lib. IV. POPMA.

Ominatus eſt.] Livius de Aemilio Paullo: *Ac prope certa ſpe ominatos eſſe homines: finem eſſe Macedonico bello.* SCHEGK.

Druſus Livius Juliae.] *Liviae* reponendum puto, vid. pag. 75. & 95. 82. MANUT. Aldus *Liviae* reponit, ſed & illud tamen rectum eſt. Nam Livia ab Auguſto heres ex triente inſtituta eſt, nomenque ferre juſſa; auctore Tranquillo in Aug. extr. quod & Tacitus confirmat lib. I. & Dion lib. LVI. Extr. Itaque Plinius lib. XIX. 5. *Juliam Auguſtam* nominat, & Tacitus multis locis, quos deſcribere longum eſſet. Eamque ſignificat Valer. Max. lib. VI. cap. I. pr. *Tu Palatii columen Auguſtos penates, ſanctiſſimumque Juliae genialem torum, aſſidua ſtatione celebras.* neque enim Pighio aſſentior, qui vocem *gentis* ex libris manu exaratis neſcio quibus inſerit, quam mei omnium optimi & antiquiſſimi non agnoſcunt. reperiuntur & veteres numi ita inſcripti S. P. Q. R. JULIAE AUGUSTAE. PUTEAN. *Liviae* mavult Aldus: ſed vulgatam jam olim ad Tacitum firmavit Li-

pſius. RAPHEL. Vir doctus *Liviae* reponendum putat, non conſciſco. Tacitus lib. I. Annal. *Livia in familiam Juliam, nomenque Auguſtae adſumebatur.* Et lib. V. *Julia Auguſta mortem obiit, aetate extrema.* Dio lib. VII. *Et ſacerdotem Liviam, quae tunc Juliae etiam Auguſtaeque cognomen acceperat.* At ita infra. Quid tum? Liviam vocat, ſed non Auguſtam. Hoc obſervate ex numis, lapidibus, hiſtoricisque verum cognomen *Auguſtae* perpetuo *Juliae*, *Liviae* numquam aſſignari. SCHECK. Livia poſt Auguſti exceſſum vocata fuit Julia Auguſta: ſed Latini Hiſtorici ſaepe nomen vetus uſurpant, praeſertim cum non addunt cognomen Auguſtae. Philo in Apologia pro Judaeis Ἰουλία Σεβάστη. POPMA. Ita poſt exceſſum Auguſti Liviam demum dictam conſtat, κατὰ πρόληψιν ergo locutus Vellejus. Sic & Plinius lib. VII. cap. 13. *Inter ſe ſteriles, ubi cum aliis junxere, gignunt: ſicut Auguſtus, & Julia.* Sic habent MSS. non *Livia*, ut edunt. Similiter Flavius Joſephus *Liviam* ubique Ἰουλίαν appellat. Nec aliter jam olim vertit Rufinus. Ut non ſit audiendus Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis, ad numerum MMLIII. ubi non dubium eſſe ait, quin librario mendo nomen Juliae apud Joſephum jam olim irrepſerit. VOSS. Alii *Liviae* reponunt: qua correctione minime quidem opus erat. Licet enim tum temporis nondum *Julia* diceretur, nihil tamen impedit, quo minus Vellejus, reſpectu ſecuti temporis, nomen praeſertim illuſtrius, quo prius inumbratum eſt, adhibeat. BOECLER.

Ne tentata quidem.] Sic apud Curtium etiam lib. IV. 4. Alexander ſuſceptis, qui in templum confugerant, omnes interfici, ignemque tectis injici jubet, his per praeconem pronuntiatis; nemo tamen armatus opem a diis petere ſuſtinuit &c. Nimirum facit conſcientia, ne deprecari quidem pro ſe ſuſtineant, ut pluribus oſtendimus ad illa Taciti, *Admotusque filius tribunali, non defenſionem, non moras tentavit, precatus ut mors acceleraretur.* Lib. XI. Annal. 35. GRUTER.

Cum ſe inſignibus honorum velaſſet.] More priſcorum mortalium hoc tali caſu. Livius lib. V. agens de capta urbe a Gallis, prodit: *adeo haud ſecus, quam venerabundi intuebantur in aedium veſtibulis ſedentes viros, praeter ornatum, habitumque humano auguſtiorem, majeſtate etiam,*

iam, *quam vultus gravitasque oris prae ſe ferebat.* De Cleopatra Dio, & Florus lib. IV. cap. 11. *In Mauſoleum ſe recepit, ubi maximo, quam ſolebat, induta cultu, in differto odoribus ſolio, juxta ſuum ſe collocavit Antonium.* De Olympia Alexandri matre Juſtin. lib. XIV. Adi Plutarchum. Deinde in violenta morte, ſuprema illis cura honeſte cadere. De Lucretia Ovid. Faſtor. II. *Tunc quoque jam moriens, ne non procumbat honeſte, Reſpicit, haec etiam cura cadentis erat.* Lege Sueton. Caeſar. Agellium lib. XV. Plutarch. de claris mulieribus paſſim. SCHECK. Fuit haec quorundam cura, ut cum ſibi jam jam mortem ſubeundam viderent, pretioſiſſimis veſtibus ſe exornarent. Virilia exempla ſunt Patres Romani, a Gallis duce Brenno urbe capta, in veſtibulis ſedentes, vultu habituque humano auguſtiores. Quintilius Varus Bruti partium defenſor, cum ſe militaribus inſignibus velaſſet, liberti manu jugulatus. Philocles Athenienſis, quem laetum in ſplendida ſumta laena ſe jugulandum praebuiſſe effert Plutarchus in Lyſandro. Mulieres memorantur reginae tres, Olympias Macedoniae, Alexandri mater, Cleopatra Aegypti, Mummia Mileſia, Pontici Mithridatis uxor, quae cultu ornata egregio, diademate ſuo ſe ſuſpendit, quo abrupto percuſſori cervicem obtulit. Salluſt. Hiſtoriar. quarto, & Plutarchus in Lucullo. POPMA.

Corrupto animo ejus.] Omnes conſentiunt in reprehenſione ejus parricidii, etiam qui alias vehementer laudant Brutum. Valde autem notanter fatalem in hoc Bruti Caſſiique vindictam demonſtrant Appian. IV. ἐμφυλ. p. 667. p. 667. & Dio XLVIII. pr. Vellejus Noſter acuta ſententia animadvertit, unius temeritatem facti omnes virtutes corrupiſſe ac extinxiſſe, quod ſane ita ſolet in magnis ſceleribus, poſt quae vix ac ne vix quidem attolli ad virtutem priſtinam animus poteſt. Appianus ab eadem mente: *ἀλλὰ καὶ τοιοῖσδε οὖσιν αὐτοῖς ἀντίθετον ἐς ἅπαντα ἦν τὸ ἄγος τὸ ἐς Καίσαρα.* utrobique ſubindicatur, cauſſa diſſimilis animi degenerisque; fortuna ſcilicet animadvertens & vindicans & omnia retro dans. BOECLER.

In diem.] Commodius, ſi legatur, *Corrupto animo ejus una die*, &c. MANUT. *Incorrupto animo ejus in diem*, legit Tollius ad Auſonium p. 309. HUDSON.

Temeritate facti abſtulit.] *Fecit* ſcriptus liber. an *facinoris*? HEINS.

Dux Caſſius melior.] Characteriſtica comparatio, opportune χρήσεως καὶ κρίσεως πολιτικῆς ἕνεκα inſerta. Fecit idem Appianus IV. ἐμφυλ. p. 661. & 667. BOECLER.

Quanto.] Omiſit in prima parte *tanto*. Vide ad Ovid. IV. Met. 64. BURM.

Nobiliſſimae ſimplicitatis.] Eam quoque formam ſermonis in noſtro ſaepicule eſt deprehendere. Ponit autem *ſimplicitatem* pro univerſa virtute & priſca morum integritate, quam (ut de Scythis eleganter lib. II. Juſtin. praedicat) antiqui homines rudibus illis non tam bonarum, quam malarum artium ſeculis, magis ingeniis, quam legibus; magis vitiorum ignoratione & naturae bonitate, quam virtutum praeceptis inſtitutisque diſputantium philoſophorum coluerunt. ACIDAL.

Occupatis navibus, tum magno ſequentium conſilia ſua comitatu.] Lego, *occupatis navibus, cum magno*. Niſi forte potius eſt, *tam magno*. Obſervatum aliis, *tam* pro valde noſtro frequentari: quomodo & Plautus dixiſſe videatur: *Quia tractas tam*. ubi ſubintelligi ad explendum ſenſum aliud etiam adverbium opinantur. Apulejus mihi ſic etiam viſus eſt, Apol. I. *Jam cetera tam mirifica, quae ſi tu legiſſes, magis mihi peram, quam nuptias Pudentillae invidiſſes*. ACIDAL. Lege, *occupatis navibus, cum magno* &c. Quam emendationem ſibi complures vindicarunt. Nos eam in Gryphii, Marneſſii, aliisque editionibus invenimus. Quod monemus memores legis illius Laurentum: *Ne pomum ex alieno legatur in armum*. VOSS. Alii *occupatis*. Sed defendi poteſt lectio vulgata. Nonius Marcellus: *occupatus, impeditus*. BOECL. Vitioſam lectionem in Mureti editione deprehendi, quam ſecutus Le Preux, Popma, Voſſius, & alii.

Statius Marcus.] Legendum (ut ſupra diximus) *Statius Murcus*, & ſic infra. de hoc autem Murco videndus liber noſter de familiis. URSIN. *Statius Murcus* hujus ſui conſilii triſte poſtea praemium tulit, de quo infra II. 77. BOECLER. V. Spanhem. Tom. II. de Praeſt. Num. p. 31. Dav. ad J. Caeſ. B. Civ. III. 15. BURM. *in marg.*

Cum omni commiſſa ſibi parte exercituum naviumque.] Prima editio: *exercitu*. Malim unitatis numero, *exercitus*. LIPSIUS. In MS. fuit, *exercitu navium*. Credo, pri-

primitus fuiſſe: *exercitus*, *&* *navium*. Voss. Idem, *cum omni commiſſa ſibi parte exercitu navium. exercitus & navium* puto. Heins. *Exercituum* eſt in margine Rhenanae editionis. *Exercitus naviumque* Eraſmus & alii, quod mihi commodiſſimum videtur.

Sex. Pompejum.] Eleganter autem in hoc capite initia belli cum Sex. Pompejo deſignantur. cujus ſcriptores Camers ad Flor. IV. 8. collegit. adde Dion. XLVIII. Boecler.

Ad quem & e Brutianis caſtris.] Legerem *ad quem & de Brutianis* &c.

Nullum ſtatum habentibus.] Loquitur cum JC. quos vide de Cap. diminut. Schegk. Interpretor, nullum ſtatum firmumque ducem habentibus. Poſſis etiam ſcribere & diſtinguere: *nullum habentibus, ſtatim quilibet.* Facile, inquit, & cito quemcunque ducem arripiebant, qui habebant nullum. Lipsius. Interpretantur alii, *nullum ſtatum firmumque ducem habentibus*; ſed meo judicio, plane praeter mentem Paterculi; cui, ut puto ſententia ea; duci cuilibet ſeſe aptare, quibus nulla eſt conditio vitae tolerabilis. *Status* heic eſt nomen ſubſtantivum, non adjectivum. Livius lib. XXV. cap. 17. *Si non libertas ſervitute potior ſit; tamen omni praeſenti ſtatu ſpem cuique novandi res ſuas blandiorem eſſe.* Et alioquin infit Salluſtius de grege Catilinario. *Quibus mala abunde omnia erant, ſed neque res, neque ſpes bona ulla. quieta movere magna merces videbatur.* Ratio eſt in promptu, quia *inops audacia tuta eſt.* & ſententia quidem Othonis, *ſi nocentem innocentemque idem exitus maneat, acrioris viri eſt merito perire.* Tacit. I. Hiſt. 22. ad quem locum nos alia plura. Gruter. Proſcriptis enim nec locus, nec conditio ulla erat. *Status* hic ſignificat conditionem, ut apud Juriſconſultos, *Statu liber*. Suetonius de claris Grammaticis. *Permanſit tamen in ſtatu ſervitutis, praeſentemque conditionem verae origini antepoſuit.* Popma.

Sed perfugium.] *Sed* non eſt in editione prima: neque neceſſarium: nam eleganter omitti, poſt Gronovium, oſtendimus ad Quinct. Decl. XIV. cap. 6. Eraſmo hic debemus illud *ſed*. Burman.

Cogitator celer.] Primitus editi: *cogitator celer.* Certum mihi ſcribere: *concitatu celer.* Depreſſum enim hic

ubique Pompejum iſtum Vellejus it, revera vilem, bardum, & patri diſſimillimam prolem. Et fuit revera concitatu celer, magis quam cogitatu (quod in laudem valeat) id eſt, ὀξύθυμος & ὀργίλος. Lipsius. In vet. exempl. erat: *cogitator celer*. *Lipſius* mallet, *concitatu celer*, ut τὸ ὀξύθυμον notetur, *cogitandi celeritatem* in laude eſſe. Non aſſenſerim ita ſcripſiſſe *Vellejum*. nam & *manu promtus* in laude eſt, quod tamen hic Pompejo tribuitur. accipiendum itaque fuerit, non illo eximio ſignificatu, quo *cogitationis celeritas* ſummis tantum ingeniis convenit, ſed illa media notatione, qua conſilii qualiscumque capiendi & decernendi volubilitas, ut ſic dicam, indicetur: quam ego animi audacis, inquieti, praecipitis prolem dixerim. ſed neque huc ut confugiamus opus eſt. Boecler. Prima editio, *cogitator*, Lege. *cogitato celer*. Heins. V. Miſc. Obſ. V. ix. p. 170.

Is tum ut praediximus.] In antiqua editione eſt *iſtum* &c. pro quo legi poſſet *iſte*, ſed recens quoque lectio, *is tum* aeque placet. Ursin.

Mare infeſtare.] Pro *mare infeſtare piraticis ſceleribus*, malim *inceſtare*. nam *infeſtato mari* jam praeceſſerat. *Celocibus* pro *ſceleribus* quod reponit Lipſius, noluiſſem factum. Tacitus Ann. xiv. cap. 22. *Iisdem diebus nimia luxus cupido infamiam & periculum Neroni tulit. quia fontem aquae Marciae ad urbem deductae nando inceſtarat.* Ita codex ſcriptus Rodolphi Agricolae, quo ſum uſus. Vulgati *inceſſerat*. quod verbum capite praecedenti apud eundem Tacitum occurrebat, ut hic inconcinne denuo repetatur, quamquam familiare ſatis eidem. Recte autem *inceſtare*: quia fontes, aeque ac maria ſacra habebantur, & deorum receptacula ac ſedes. Valer. Max. lib. ix. cap. 2. *Captivos navibus ſubſtraverunt, ut earum carinis ac pondere eliſi inuſitata ratione mortis barbaram feritatem ſatiarent, tetro facinore pollutis claſſibus ipſum mare violaturi.* *Inceſtare claſſem funere* apud Maronem: quod *polluere* Servius interpretatur. quo verbo Lucanus uſus de hac ipſa re, *Polluit aequoreos Siculus pirata triumphos.* *Inceſtare carminibus muſas*, quod Auſon. Epiſt. ad Theonem. *Inceſte ſacrificium Dianae facere.* Liv. 1. 45. *Inceſtare Pierias aras* ſe dicit Papinius, quia orbatus verna puero, lib. iv. Silvar. *Mundum Tartareis quadrigis inceſtare*, apud Claudianum Raptu Proſerpinae. & in-

inceſtare faſtos turpi nomine. Conſ. Mall. & *Eunuchi ore cunctas vias inceſtare* in Eutrop. Pacatus Panegyrico c. 24. *Quid ita hic publicum atratus inceſtat?* HEINS.

Piraticis ſceleribus.] Cogitabam leviter, an *piraticis celocibus.* Vulgatum tamen abſit ut damnem. LIPSIUS. Non damnat hanc lectionem Lipſius. Leviter tamen ſuſpicatur, *piraticis celocibus*, ſcriptum fuiſſe Vellejo. Quod probare non poſſum. Nam *celox*, juxta Gellium, Nonium, Fulgentium, & alios, breve & exiguum navigii genus. Non autem Pompejum celocibus, aut myoparonibus, ſed triremibus, & quadriremibus, mare infeſtaſſe, ſatis eſt manifeſtum. Idcirco, *piratas navales*, ei attribuit Florus lib. IV. cap. 8. ut bene aliis obſervatum. Locum Flori, qui in editis exemplaribus diverſe legitur, ita ſcribendum arbitror: *O quam diverſus a patre! ille Cilicas extinxerat, hicce piratas navales agitare.* Cujus veſtigia comparent in optimo MSS. codicum Nazariano, in quo fuit: *hiſce pirata navalis agitare.* A quo minimum abeunt reliqui MSS. ut ex iis cognoſcas, qui variantes lectiones collegere. Voss. Talem ex comparatione ſententiam quaerit etiam Florus IV. 8, 2. *O quam diverſus a Patre? ille Cilicas extinxerat: hic ſecum piratas navales agitabat.* BOECLERUS.

Subſtitit.] Ubi vero ſubſtitit? puto excidiſſe aliquid, quod abſorptum ab ultimis literis τοῦ *provincias.* quare forte legendum, *obiturus provincias in Aſia ſubſiſtit.* Ibi enim otio, luxu & libidine marcuiſſe Antonium, omnes tradunt ſcriptores. BURM.

Quippe L. Antonius.] Scripſere hoc bellum, quos ad Flor. IV. 5. Camers notavit. quibus adde Dion. XLVIII. BOECLER.

Virtutum, quae interdum in illo erant, expers.] Rarum quippe *monſtrum nulla virtute redemptum*; hoc eſt; aliquem vitiis omnimodis infamem eſſe, neque ullo commendabilem merito. unde Tiberius apud Tacitum lib. I. Annal. cap. 46. *C. Caeſari forte orto ſermone L. Sullam inridenti; omnia Sullae vitia, & nullam ejusdem virtutem habiturum praedixit.* ubi nos de hac re uberiora. At de Lucio iſto Antonio, eadem plane prodita L. Floro lib. IV. cap. 5. *Semper alias L. Antonii peſſimum ingenium Fulvia, gladio cincta virilis militiae, agitabat.* adeo ut mirer, virum, artium harum peritiſſimum, eo loco reponere

ponere *piiſſimum.* neque enim ullus omnino auctorum laudat Lucium, niſi Appianus. nec tamen is ſimpliciter, ſed quatenus arbitratur bellum excitaſſe, non ſtabiliendae ſuae potentiae cauſſa, verum vindicandae in priſtinam libertatem Reipub. ceterum, & illi falluntur, qui *interdum* heic idem notare volunt, quod *interim.* non profecto: ut palam facimus ad locum Taciti lib. 1. Hiſt. cap. 71. *Otho interim contra ſpem omnium, non deliciis neque deſidia torpeſcere. dilatae voluptates, diſſimulata luxuria, & cuncta ad decorem imperii compoſita, eoque plus formidinis adferebant falſae virtutes & vitia reditura.* GRUTER.

Interdum.] Notabis & hic, *interdum* eſſe idem quod *interim*: ut creberrime in Apulejo: cujus unico exemplo contentus eſto, lib. III. Metam. *Quati fores interdum, & frequenti clamore januae noſtrae perſtrepi.* Nec aliter accipio apud Juſtinum lib. II. *Movebat haec multitudo hoſtium, reſpectu paucitatis ſuae, Alexandrum: ſed interdum reputabat, quantas res cum iſta paucitate geſſiſſet, quantosque populos fudiſſet.* ACIDAL.

Qui juſte.] Revera *injuſte*, vel potius *injuſta.* Nec ſenſit aut ſcripſit aliter, etſi adulator Vellejus. LIPSIUS. Lipſius *injuſte*, vel *injuſta* legendum putat. atque ita quidem ter monebat: ſed Vellejus Caeſareanis factis ubique colorem appingit, aut juris titulum. BOECLER. *Juſſa diviſione*, ni fallor. tum *ordinatisque coloniis.* Donatus in vita Virgilii: *In diſtributione agrorum, qui poſt Philippenſem victoriam veteranis triumvirorum juſſu dividebantur. Injuſta diviſio praediorum* Lipſiana longius abit. Caute, ut omnia, Vellejus, *juſſam agrorum diviſionem* dixit, quam neque ut juſtam voluit approbare, nec damnare, ut injuſtam, ne Tiberium offenderet, qui in acta Auguſti juraverat. Auctor enim praecipuus fuit diviſionis Auguſtus, dum veteranis ſtudet gratificari. HEINS.

Haec belli ſedem Praeneſte ceperat.] *Bellis* prima editio. HEINSIUS.

In Peruſinos.] Suetonius tamen diverſum teſtatur in Aug. 15. *Peruſia capta, in plurimos animadvertit: orare veniam, vel excuſare ſe conantibus una voce occurrens, Moriendum eſſe.* BOECLER.

Macedonicus.] Verum ejus nomen erat Ceſtius. Caeterum Macedonici nomen ſibi aſſumſerat, quod olim in

Ma-

Macedonia militaſſet. Auctor ejus rei Appianus in v. bellorum Civil. Voss.

Tib. Claudius Nero.] De quo praeter Suetonium cap. 3. Dionem, adi Tacit. v. Annal. & ejus interpretem clariſſimum. Schegk. Vide Suetonium Tib. iv. Dio xlviii. pag. 417. Boecler.

Doctiſſimique.] V. Miſc. Obſ. V. ix. p. 170.

Quis fortunae mutationes.] In hanc ſententiam multi, quorum querelis omnia repleta. Pulchre & Apul. lib. i. Metam. *Nae tu fortunarum lubricas ambages, & inſtabiles incurſiones, & reciprocas viciſſitudines ignoras.* Aelianus lib. iv. Var. τὰς τῆς τύχης μεταβολὰς ait ὀξυῤῥόπους καὶ ταχείας. Acidalius.

Quis non diverſa praeſentibus.] Vera gnome, & ita vivitur: aſſidue natamus inter ſpei metusque fluctus. Dea illa incerta nos quoque habet incertos: dico eos, qui ab ea pendent. Manilius lib. iii. verſ. 222. *Et ſubtexta malis bona ſunt, lacrymaeque ſequuntur Vota, nec in cunctis ſervat Fortuna tenorem.* Sapientiſſimus Romanorum Seneca: *In ſecundis nemo confidat, in adverſis nemo deficiat. alternae ſunt vices rerum. Quid exſultas? iſta, quibus veheris in ſummum, neſcis ubi te relictura ſint: Quid jaces? ad imum delatus es, nunc eſt reſurgendi locus.* Plato quoque bona imagine: πάντα τὰ ὄντα ἀτεχνῶς, ὥσπερ ἐν Εὐρίπῳ, ἄνω καὶ κάτω στρέφεται: *Quidquid eſt, velut in Euripo, ſurſum deorſumque volvitur.* Lips.

Quam transgreſſi ad Deos.] Utramque Liviae fortunam notat. Quae bimum, inquit, filium ſinu geſtans, uno tantum comitante, deviis itineribus, fugiebat iram Caeſaris, eam poſtea ipſius Caeſaris conjugem vidimus, quinetiam, poſtquam ad ſuperos migravit, ſacerdotem paene habuit, ac flaminem. Legi igitur, incolumi ſententia, poſſet: *quin transgreſſa ad Deos, ſacerdotem paene habuit, ac flaminem.* Nam Tacitus, Suetonius, Dio, noluiſſe Tiberium coeleſti religione matrem honorari, nulla controverſia tradiderunt. Quam tamen poſtea Claudius Imp. conſecravit, Suetonio teſte. Manut. Aldus hoc loco, ſi quo alio, incuriam ſuam rerumque Romanarum inſcitiam prodit. Locus eſt integerrimus atque planiſſimus. Senſus enim hic eſt: Livia Auguſti, cum quo poſtea nupta eſt, & cujus conſecrata ſacerdos ac filia fuit. Livia, inquam, Auguſti arma fugiens &

Ti-

Tiberium vix bimum, futurum & ipſum ejusdem Auguſti filium in ſinu geſtans &c. Sacerdotem Auguſti fuiſſe Dio quoque eo, quem proxime adduxi, loco tradit: filia etiam Auguſti fuit, quippe ejus teſtamento adoptata fuit, ſive in bona & nomen vocata. id quod loci ex Tranquillo, Tacito & Dione paullo ante deſcripti oſtendunt, quibus & alterum ejusdem Taciti addo princip. lib. v. *Julia Auguſti mortem obiit aetate extrema, nobilitatis per Claudiam familiam & adoptione Liviorum Juliorumque clariſſima.* Quae iisdem ferme verbis repetit ſub finem ejusdem libri. Imperite id praeterea Aldus, quod Liviae flaminem adtribuit. Auguſtarum enim conſecratarum non flamines, ſed ſacerdotes dicebantur. id quod ab hominibus Romanae antiquitatis peritis obſervatum & proditum memini. PUTEAN. Vox *filiam* hoc loco prorſus inepta eſt, totamque ſententiam perturbat. placeret magis, ſi *Iliam* pro *filiam* legeremus: ut Vellejus dicat Liviam, relato in numerum deorum Auguſto ſacerdotem ejus, & quaſi Iliam quandam, quae ſacerdotio Veſtae & Martis conjugio, licet furtivo, dignata eſt; a Tiberio filio conſtitutam eſſe: ut de Antonia Claudii matre legimus, quae in argenteo denario apud me SACERDOS DIVI AUGUSTI dicitur. Ex digamma autem Aeolico error fieri potuit, ut *filiam* pro *Iliam* librarius ſcripſerit. URSIN. Ita olim editum a Rhen. Bonhom. Gryph. volente Lipſio ad XIII. Annal. Tacit. Dio lib. LVI. *Tum vero immortalitatem ei tribuerunt, flaminesque & ſacerdotem Liviam conſtituerunt, lictoreque uti eam in ſacrificiis permiſerunt.* Ovidius IV. de Ponto; *Nec pietas ignota mea eſt, videt hoſpita tellus, In noſtra ſacrum Caeſaris eſſe domo. Stant pariter natusque pius, conjuxque ſacerdos, Numina jam facto non leviora Deo. Conjux ſacerdos*, Livia, ut monuit flos litteratorum illibatus. Turbat hic doctiſſimus vir, & quod ajunt, in ſimpulo excitat fluctus. SCHECK. Livia erat Flaminica Auguſti in Deos relati, & filia adoptione in Juliam familiam. Vellejus ſupra: *Druſus Livius Juliae Auguſtae vir.* Tacitus lib. I. Annal. *Livia in familiam Juliam nomenque Auguſtae adſumebatur.* POPMA. Repone: *ad Deos.* Quomodo habet editio Baſileenſis anni MDXLII, item aliae, quae eam expreſſere. Caeterum Urſinus vocem *filiam*, ut ineptam, rejicit, malletque *Iliam*. Sed

pror-

prorſus fallitur. Exſtat numiſma Liviae dextera pateram, laeva haſtam tenentis: in averſa autem parte Divi Auguſti caput repraeſentatur, cum literis circum, DIVUS AUGUSTUS PATER. Quo etiam pertinet numiſma Claudii, qui eam poſtea conſecravit. Hujus averſa pars itidem exhibet, S. P. Q. R. DIVAE JULIAE AUGUSTI FILIAE. Nomen autem filiae adſumpſit Livia, quod adoptione in Juliam familiam tranſierit, eamque nomen ſuum ferre Auguſtus juſſerit. Quod clare Tacitus, Suetoniusque teſtantur. Voss.

Fugiens mox futuri ſui Caeſaris arma, nus bimum hunc Tiberium &c.] Alii, *vix bimum.* non diſplicet. Manut. Putida lectio. In autographo fuit: *Caeſaris arma, nus bimum* &c. Unde lego: *futuri ſui Caeſaris arma, minus bimum* &c. Quod comprobat quoque Vellejana χρῆσις, cui familiare τὸ *quam* reticere, ut ſupra me etiam monuiſſe memini. Firmatque idem ſupputatio annorum. Nam fuga haec Neronis incidit in annum V. C. DCCXII. Antonio, & Servilio Coss. Mortuus vero Tiberius anno V. C. DCCLXXXIX. Proculo, & Nigrino Coss. anno aetatis ſeptuageſimo, & octavo. Quod Suetonio, Tacito, Dioni, & aliis etiam notatum. Horum ergo annorum computationem ſi quis accurate inſtituat, inveniet Tiberium, ſub tempus Neronianae fugae, bimatu fuiſſe inferiorem. Voss. Erat; *nus bimum.* hinc fecerant aliqui, *vix bimum*, quod Aldus approbavit & Gruterus edidit. *vix bimus*, eſt, *necdum bimus.* Boecl. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 170.

Vindicem Rom. imperii, futurumque ejusdem Caeſaris filium.] Praecedentia ad exemplar Schegkianum expreſſi, cum quo ſentiunt & libri probiſſimi, & viri doctiſſimi. In his, quae attuli, copulam trajicio leviter & interpunctionem: *Vindicem Rom. imperii futurum, ejusdemque Caeſaris filium.* Acidalius.

Futurumque ejusdem Caeſaris filium.] Eandem fortunae viciſſitudinem miratur Dio XLVIII. pag. 418. ὥστε καὶ τοῦτο ἐν τοῖς παραδοξοτάτοις συμβῆναι. ἥτε γὰρ Λιουΐα αὐτὴ ἡ τὸν Καίσαρα τότε φυγοῦσα, μετὰ ταῦτα αὐτῷ ἐγήματο, καὶ ὁ Τιβέριος οὗτος ὁ σὺν τοῖς τοκεῦσι τότε ἐκδρὰς, τὴν αὐτοκράτορα ἀρχὴν αὐτοῦ διεδέξατο. Praeceſſerat de fuga Neronis & Liviae, cui ſubjungit; *accidiſſe tum rem in maxime mirabilibus ponendam. Nam haec Livia*, inquit,

quit, *quae tum Caeſarem fugiebat, poſtea ipſi nupſit: & Tiberius iſte, qui cum parentibus tum fugiebat, principatum Caeſaris poſtea accepit.* Boecl.

Quod alieno teſtimonium redderem, in eo non fraudabo avum meum.] Forma Apulejani ſermonis, ut *in* ad ornatum abundet: quod hic, quisquis es, cave tollas. Nam ſic & Salluſtium & Virgilium alicubi locutos, clarum faciemus ſuo loco. Acidal. *Eo non fraudabo*, recte praeſtantiſſimus Munkerus. infr. cap. 92. *ne fraudetur memoria.* τὸ *in* paſſim a mala manu inculcatum. Heins. Erasmus jam ejecerat, τὸ *in*, eumque ſecutus Stephanus.

A Cn. Pompejo lectus.] Neſcio quomodo convenirè potius videtur, *a Cn. Pompejo lectos.* nam *legi loco honoratiſſimo inter plures*, non ſatisfacit auribus, multo minus animo. Gruter. Pompejus III. Conſul Judices legit trecentos ſexaginta, cum omnium Judicum numerus eſſet DCCCLI. trecenti quidem Senatorii Ordinis, reliqui cum equites, tum Tribuni aerarii; Cicero ad Coelium ep. 8. lib. VIII. ad Atticum lib. VIII. ep. ult. Paedian. & Plutar. *Honeſtiſſimum locum* vocat ſenatorium. quia ampliſſimus ordo fuit ſenatorius, qui totus laticlavius, at equeſtris in parte alius laticlavius, alius anguſticlavius, ut ex hiſtoricorum lectione facile patet. Popma.

Ac Tironis.] Lego *Ti. Neronis.* Manut. Lipſio placet, *Tib. Neronis:* quo modo Aldus emendavit. Raph. Legendum, *Neronis:* aut potius, *Ti. Neronis.* Quod Aldo in mentem veniſſe video. Voss.

Et corpore cum eſſe non poſſet.] Lego, *cum comes eſſe non poſſet.* Manut. Vulgat. *cum eum ſequi non poſſet.* Rhenan. corrupte, *cum eſſe non poſſet.* Scheck. Legitima Aldi lectio, *cum comes eſſe* &c. Voss. *Corpore cum eum ſequi non poſſet* Erasm. Steph. *cum* omiſit Manut. Lipſ. Le Preux. Forte, *cum aſſequi non poſſet.* Burm.

Venetia.] Sic Livio lib. II. & Floro lib. III. cap. 3. quoque nominata. Scheck.

Et propriae claſſis factum ducem.] *Et propriae* erat in vetuſto exemplari, unde *propriae* factum, cum *propraetore* fieri verius debuerit. Cap. 61. ubi vetuſtus codex exhibebat, *Senatus Caeſarem pro P. R.* recte Sigonius *propraetore* ad Livii Epit. lib. CXVIII. corrigit, pluresque

que ejuſcemodi maculas ex aliis tollit auctoribus. Videndus & Lud. Carrio Antiq. lect. lib. III. cap. 7. & qui a Carrione in multis diſſentit, Joſephus Caſtalio Obſervat. decade I. cap. 8. Domitius jam ante claſſi fuerat praefectus, ut apud noſtrum cap. 72. Appianum, Suetonium eſt videre. quare & *civili bello maris potentem* Tacitus Annal. IV. dixit. Huc pertinent denarii argentei, qui apud me exſtant, & a Fulvio Urſino exhibentur in gente Domitia Familiis Romanis. Iis in nummis imago Cn. Domitii ab una parte, ab altera triremis oſtenditur. lib. I. cap. 9. habuimus *Cn. Octavium praetorem navalem.* hinc & *navis praetoria*, quod claſſis ſub praetoribus. Ex Praetoribus igitur unus Praetor navalis. & qui ejus vicem claſſi ſumma cum poteſtate praeerat *Propraetor*, ſeu *Pro Praetore* dictus. Livius lib. XXX. 27. *Ut Villius Propraetor viginti navibus longis, militibus mille oram Siciliae tutaretur.* Cap. 41. Cn. Octavius *Claſſi, ſicut praefuiſſet, praeeſſe vellet. Octavio Propraetore in eum annum imperium eſſet.* Lib. XXXIV. cap. 3. *M. Valerius Laevinus Propraetor miſſus circa Vibonem duodequadraginta navibus ab Cn. Octavio acceptis Macedoniam transmiſit.* PROPRAE. pro *propraetore* etiam occurrit in vetuſto marmore Brixiano: prorſus ut in hoc ipſo Velleji noſtri jam modo videbamus loco. C. PONTIO. C. F. PALIGNO. TRIB. M. LEG. X. GEM. CUR. LOCORUM. PUBLIC. ITERUM. AEDIL. CUR. LEGATO. PROPRAE. ITERUM. apud Livium lib. X. cap. 29. *prope* codices vetuſti plerique pro *propraet. juſſeratque propraetore eſſe.* in marmoribus antiquis apud Gruterum, in magno opere PROPRAET. ad plurimum pro *propraetore.* In iisdem inſcriptionibus admodum frequenter occurrit, *claſſis praetoria Miſenenſis*, & *Miſenatium*, *claſſis praetoria Ravennatium*, & *Ravennas.* quod ſi tamen *propriae claſſis dux* placet, ita accipiatur licet, ut apud Senecam patrem Epitome lib. VIII. Controv. 2. *Teſtor Jovem proprium Phidiae deum.* utpote quem Phidias adfabre non ſemel formaſſet. apud Tacitum Ann. II. cap. 17. *Sequerentur Romanas aves, propria legionum numina.* & cap. 55. *Offenſus urbi propria quoque ira.* cum antea Piſonem Athenienſibus exprobraſſe narraſſet, quae contra remp. feciſſent. lib. XII. cap. 18. *Eunonem nullis propriis odiis infenſum.* lib. III. cap.

74. *Propriam manum Blaeſus filius duxit.* lib. IV. cap. 5. *Quamquam inſideret urbem proprius miles.* inde urbanus ac praetorianus dictus. Ann. XII. cap. 29. *Ipſi manus propria pedites.* Hiſt. II. cap. 46. *Praetoriani proprius Othonis miles* dicuntur. *propria claſſis*, quam jam ante duxerat. Ann. XI. cap. 29. *Vannio manus propria pedites. eques e Sarmatis erat. manus propria*, quam e Suevis popularibus ſuis Vannius collegerat. Sed *propria claſſis* odioſe dictum videri poſſit, quaſi in privatos magis uſus quam publicos, a Domitio comparata. tale illud Taciti Annalium initio, *Bruto & Caſſio caeſis nulla jam publica arma.* HEINS. Ingenioſa eſt Heinſii conjectura & ſimiliter Urſinus apud J. Caeſ. lib. I. de Bell. Civ. c. 64. pro *propere* reſtituit *Propraetore*; ſed quid tum faciemus τῷ, *ducem*: nam *propraetorem claſſis factum ducem*, recte dici non puto. praeterea deſidero exemplum, ubi quis *propraetor claſſis* nominetur. *Praetorem navalem* recte quidem dici puto, quamvis lib. I. cap. 9. aliter capi poſſe vidimus. Praetores & Propraetores praefuiſſe claſſibus certum quidem eſt, eodem modo ut & conſules, ſed ideo non magis *Praetores* aut *propraetores claſſis*, dici poſſunt, quam *Conſules & Proconſules claſſis*. nec inde *praetoria navis*, aut claſſis *Praetoria Miſenenſis* &c. dictae, ſed omnia *Praetoria* dicta, antiquo more, cum *Praetor* eſſet ſummi ducis, etiam Conſulis, appellatio, ut notum eſt omnibus. Sorte ergo, ſtante republ., aut ſenatus judicio Conſules aut Praetores praeficiebantur claſſibus. ſed hic Domitius, qui jam ante A. U. C. 700. fuerat Praetor & anno ſequenti Provinciam ſortitus erat, nunc poſt mortem Caſſii & Bruti, cum earum partium duces, quisque raperet ad ſe reliquias diſperſas, Domitius propriam ſibi claſſem vindicavit. ita expreſſis verbis Appian. lib. V. Bell. Civ. pag. 673. Καὶ τὴν αἵρεσιν ἐφ' ἑαυτῶν κατέστησαντο, qui cum Domitio manebant *propriam factionem conſtituerunt.* quod noſter *occupatis navibus*, poſt caedem Bruti dixit ſupra cap. 72. & ita ipſi erat *propria.* denarius quoque hujus Domitii, *imperatoris* titulum praefert, quo a ſuis ornatus fuit. v. Vaill. in Gente Domitia n. 17. BURM.

Conſiliis ſuis illectum.] Puto *conciliis*, pro conciliationibus. HEINS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 62. *Electum* habet Ed. Rhen.

Quo

Quo facto.] Facile cuique perſuaſero, imo ſibi quisque ipſe, ſcribendum, *Cui facto.* Fuit enim vetus ſcriptura *Quoi.* ut & ſupra *quoique* repoſuimus, ubi pariter corruptum erat, *quoque.* ACIDAL. Acidalius exiſtimabat ſcriptum fuiſſe, *Quoi facto*, ſive *cui facto.* ſed non opus eſt hac correctione, ut omnes vident. BOECL.

Praeparatusque.] Lege *Paratusque.* quo utuntur, pro, *apparatu.* Tacitus lib. II. *ne domum, ſervitia, & ceteros fortunae paratus repoſceret.* Ovidius lib. III. de Ponto 4. *Eſt opus exiguum, veſtrisque paratibus impar.* Manutius maluit cum Rhen. *praeparatusque.* non belle puto. SCHEGK. Schegkius, magno aliorum applauſu, edidit, *paratusque.* Sed noli aliquid mutare. Nam vulgata lectio nititur fide codicis MS. *Praeparatum* autem, pro παρασκευή, uſurpavit etiam Agellius lib. X. cap. 11. *in praeparatu rei ruſticae. Praeparatus*, ut *apparatus*; imo & *paratus*; quomodo repoſuit Schegkius. Qua voce, praeter Ovidium, Tacitumque, quos adducit, uſi etiam alii. In his Prudentius hymno in Hippolytum: *Poſtquam compoſito ſatis inſtruxere paratu Martyris ad poenam verbera, vincla, feros.* Sic & ipſe (ut hoc obiter addam) in optimo MS. inveni; non *feras*, ut vulgo. *Feros* autem poſuit Prudentius pro *equis.* Qua ſignificatione eadem vox etiam legitur apud Virgilium, Ovidium, Statium, & alios. Et ſane, Hippolytum martyrem ab equis diſtractum fuiſſe, ex praecedentibus ſequentibusque Prudentii verbis apparet. VOSS. *Praeparatusque contra eum Caeſaris.* Burerius ex Vet. Exempl. Et mox idem: *pax contra Brundiſium compoſita.* quod probum. BOECL. *Paratus* ab Eraſmo editum.

Sed pax circa Brunduſium compoſita.] Solum conjectura eſt fulta haec lectio. In MS. pro *circa*, legebatur *contra.* Quod mihi mutare religio ſit. Sane *contra Brundiſium* valet e regione Brundiſii. Sic apud ſcriptorem Belli Hiſpanienſis 27. *Eo die Pompejus caſtra movit, & contra Hiſpalin in oliveto conſtituit.* Ita enim fuit in optimo omnium codicum Petaviano: non *circa*, ut vulgo edunt. Sic & Ammianus lib. XVII. ait, *contra Valeriam.* Similiter eadem vox capitur in inſcriptione veteri Collectionis Gruterianae pag. 489. num. 4. *contra ſe porticus*; &c. VOSS. *Contra* in ſcripto. nec diſpliceret, niſi praeceſſiſſet proxime, *praeparatusque contra eum Caeſaris.*

Caeſar lib. III. Bell. Civ. 23. *Inſulam, quae contra Brunduſinum portum eſt, occupavit.* Mox, *e quo infra ſe* vetus liber, non *quo infra.* nam bene Voſſius & Puteanus e veſtigiis membranae, *niſi in id adſcendiſſet.* HEINS. *Contra* & *circa* fere ſemper in MSS. confunduntur apud noſtrum, Quinctil. & alios. *contra* vero pro e regione, exadverſum uſitatiſſimum olim fuit. ſic Livius III. 26. *Contra eum locum.* Varr. I. de R. R. 2. *contra auream imaginem.* Suet. Aug. XLIV. *contra Praetoris tribunal.* Vetus interpres Lucae Euang. XIX. 3. *Caſtellum quod contra eſt.* Ut Ovid. VII. Met. 587. *Templa vides contra.* Stat. VII. Theb. 240. *Nondum hoſtes contra.* ubi alii *circa* probant. Scribebant nempe per compendium, *cra*, unde & *circa* & *contra* faciebant. BURM.

Rufi Salvidieni.] Sueton. in Aug. cap. 66. Seneca de Clement. 9. lib. I. Livii Epit. 127. Euſeb in Chron. Dion lib. XLVIII. ſcribit Salvidienum in id dignitatis a Caeſare evectum fuiſſe, ut Conſul, cum Senator numquam fuiſſet, deſignaretur. PUTEAN. Fuit accuſatus in Senatu ab ipſo Caeſare, populi Caeſarisque hoſtis judicatus, jugulatus eſt, ſupplicationes ejus rei ergo decretae, Triumvirisque cuſtodia urbis mandata: Dio lib. lib. XLVIII. Suet. cap. 66. Et quod Vellejus ſubjungit ex equeſtri ordine conſulem creatum, hoc vult credo, Conſulem deſignatum nondum Senatorem ſive Senatorii ordinis. SCHEGK. Dio lib. XLVIII. pag. 430. Appian. v. ἐμφυλ. pag. 710. ubi etiam illa *ars Caeſaris in evertendo Salvidieno*, aliis quoque Principibus in ſimili cauſſa non raro uſurpata. Accitum enim ad ſe propere, quaſi praeſentia ejus ad negotium quoddam opus haberet, moxque ad exercitum remiſſurus eum eſſet, occidit. BOECL.

Parum habebat.] Vide quae de hac locutione notabimus ad Ovid. III. Ep. 25. BURM.

Summam accepiſſe.] Cujusvis fuerat emendare, *ſumma.* Nam eo genere ſolet, cum nihil additur. ACIDAL. Lipſius malit *ſumma.* RAPHEL. Lege *ſumma:* ſic & alii emendarunt. VOSS. *Summa* reponunt pro *ſummam.* quod in membrana fuit. quae itidem exhibebat, *ex equeſtri ordinis*, non *ordine.* Forte fuerit olim, *equeſtris ordinis conſul creatus eſſe*, ablato τῷ *ex.* praeterea, *ſummam accepiſſe reip. Parum habebat ſummam accepiſſe reip.* (vel, *p. rei.* nam & ſic dicebant quandoque.) *& proximus a Cn. Pompejo*

pejo ipſoque Caeſare equeſtris ordinis Conſul creatus eſſe, niſi in id adſcendiſſet, e quo infra ſe & Caeſarem videret & remp. ut *ſummam reip.* appellat conſulatum, quem Florus, loco itidem depravato, *caput magiſtratuum* appellat. alii *ſummum jus*, *ſummum honorem*, *culmen honorum* Claudianus, *ſummum imperium* locis plurimis Valerius Maximus; *ſummum majeſtatis decus* lib. I. cap. I. *invidioſum magiſtratus faſtigium* lib. IV. cap. I. *maximum imperium* ibidem. *Summi imperii faſtigia* lib. XI. cap. 9. ubi timide accedo iis, qui reponunt *imperii inſignia* e membranis ſuis, quod meminerim Claudiano quoque *ſummi faſtigia juris*, conſulatum dici. HEINS. Vid. ad Ovid. Epiſt. VII. 12. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 62.

Ex equeſtri ordinis conſul creatus eſſe.] Placeret magis *creatum eſſe*. nam illud *creatus* ex verbo proximo, quod praeceſſit, factum eſt. URSIN. De Salvidieno Rufo ſermo eſt, qui Conſul creatus (ait Dio XLVIII.) nondum Senator. Atque hoc eſt, quod ait *ex equeſtri ordine*. Proximus autem a Pompejo & Caeſare ideo, quia illorum quoque uterque ad hoc faſtigium venit: priusquam in Curiam aut Senatum. nec poſt eos alius, ante hunc Salvidienum. Caeſarem porro accipies, Octavianum. LIPS. Cui ignotus hic Hellenismus? Catullus: *Ait fuiſſe navium celerrimus.* Virgilius: *Senſit medios delapſus in hoſtes.* Neutiquam ſane audiendus Urſinus, qui in Vellejo legere malebat, *Coſ. creatum eſſe.* VOSS.

Ni ſimul adſcendiſſet, quo.] Sic puto legendum, *niſi in id adſcendiſſet, ex quo* &c. PUTEAN. In MS. fuit: *Niſi in is adſcendiſſet equo infra ſe* &c. Scripſit Vellejus, *niſi in id adſcendiſſet e quo infra ſe* &c. Quemadmodum etiam Cl. Puteanum emendaſſe video. VOSS. *Ni ſimul aſcendiſſet, aeque infra ſe.* Eraſm. Steph. *niſi adſcendiſſet quo infra.* Manut. Popma, & alii.

Tum expoſtulante conſenſu populi.] Utrinque coacti erant. Caeſar & Antonius a populo, Pompejus ab iis, quos ſecum habebat. Igitur nihil firmi in hac pace potuit eſſe. οἷα γὰρ οὐκ ἐθελονταὶ, οὐδὲ ἐκ προαιρέσεως, ἀλλὰ ἀναγκαστοὶ τὴν ὁμολογίαν πεποιημένοι, χρόνον οὐδένα αὐτῇ (ὡς εἰπεῖν) ἐπέμειναν, ἀλλ᾽ εὐθὺς τὰς σπονδὰς λύσαντες διηνέχθησαν. *Quia enim non ſponte neque ſuo conſilio, ſed coacti pacem fecerant, haud diu ſteterunt pactionibus, ſed*

ſtatim iis neglectis ad diſſidium redierunt. obſervante Dione XLVIII. qui paullo ante pacis, circa Miſenum initae, ac conditionum hiſtoriam deſcribit. adde Appian. v. ἐμφυλ. p. 713. Utraque pax, & illa Brundiſina cum Antonio, & haec Miſenenſis cum Pompejo, apud Tac. 1. A. 10. 4. & 5. refertur inter *arcana dominationis*, quippe ἀπάτης χάριν inita: *Pompejum imagine pacis, Lepidum ſpecie amicitiae deceptos: poſt Antonium Tarentino Brundiſinoque foedere & nuptiis ſororis illectum.* τοσοῦτος μὲν δὴ καὶ τῶν στάσεων καὶ τῶν πολέμων παράλογός ἐστι, δίκῃ μὲν οὐδὲν τῶν τὰ πράγματα ἐχόντων, νομιζόντων, πρὸς δὲ δὴ τάς τε ἀεὶ χρείας καὶ τὰ συμφέροντα σφῶν, τό τε φίλιον καὶ τὸ πολέμιον, ἐξεταζόντων, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τοὺς αὐτοὺς, ποτὲ μὲν ἐχθροὺς, ποτὲ δὲ ἐπιτηδείους σφίσι πρὸς τὸν καιρὸν ἡγουμένων. *Adeo in diſcordiis* inteſtinis *bellisque omnia praeter rationem eveniunt, ubi qui rerum potiuntur, non ex re ac jure, ſed ex utilitate ſua ac neceſſitudine amicos inimicosque exiſtimant, atque ideo eosdem, nunc amicos, nunc inimicos, pro tempore & praeſenti conditione habent.* digniſſima erant, quae hic e Dione XLVIII. p. 427. legerentur, verba. BOECLER.

Urebat.] Fruſtra conjector, qui *urgebat.* Varie uſurpata ea vox: ſic tamen, ut cum a prima ſignificatione deſciſcit, per *affligere* plerumque reddi poſſit. ACIDAL. Hinc firmari Salmaſii correctio in verbis Flori II. 6. poſſet, *urebat nobilem populum ablatum mare.*

Haud abſurdo.] An, *haud abſurdo joco?* niſi *abſurdo*, veteres dixiſſe putemus pro *abſurde.* quod ſervo propter ſimilem locum infra cap. 83.

Cum in navi Caeſaremque & Antonium coena exciperet.] Mira omnia ſunt, niſi hic Vellejo, *acciperet*, ſcriptum fuit. *Accipere* enim verbum proprie in hoſpitiorum & conviviorum re: *Excipere* ſaltem in primo congreſſu & mutuis conſalutationibus. Hinc illa proculcata, *lepide, pulcre, bene accipere* in Plauto & aliis: ubi idem eſt, quod alias dicitur, *tractare.* Hinc & in minis illa non minus protrita, *male, malis ſeu indignis modis accipere.* Terent. *Indignis ſum acceptus modis.* Et in eo ambiguo ludit Venus apud Apul. lib. VI. ubi malam rem minatur Pſychae, *Sed eſto ſecura: jam enim accipiam te, ut bonam nurum condecet.* Ita enim ſcribo, quamquam adhuc in omnibus, *excipiam.* quod hic minime convenit, ut maxi-

maxime eodem libro poſt aliquot paginas *Ad ipſamque protinus Proſerpinam introibis : quae te comiter excipiat ac benigne ; ut & molliter aſſidere & prandium opipare ſuadeat ſumere.* Eſt enim de acceſſu & introitu. Sed ibidem obiter moneo, tollendum accentum a poſtrema ſyllaba in *opipare.* Dixit enim Apul. *opipare convivium*, quod vulgariter *opiparum* : ut illi mos eſt utroque modo adjectivorum quaedam formare. *Sublimis* & *ſublimus*, *Illunis* & *illunus*, *Exoſſis* & *exoſſus* : ac in Plauto reperire eſt eadem ex nota, *Dapſilis* & *dapſilus*. Porro in Petronio etiam locus eſt, ubi *Accipiendi* verbum priſca illa forma reſcribi debere videtur cap. c. *Et ſi quis Deus manibus meis*, inquit, *Gytona imponeret, quam bene exſulem exciperet.* Videtur inquam ſic potius, *acciperet.* Nam timide hoc affirmo : quamquam nobiliſſimus Douſa jam ante nos *acciperet* molitus eſt reponere. Cujus ſi auctoritatem, noſtra rejecta timiditate ; noſtram contra ſcripturam ex antiqua venuſtate, relicta illius altera ex ſordidiore vulgi uſu, ſequere. ACIDALIUS. Nullum dubium eſt, quin recte *accipere coena* dicatur, ſed contra codices mutare *excipere*, quod aeque probum eſt, nolim. Vide quae ad Ovid. Epiſt. XII. 29. & II. Faſt. 788. adnotamus. BURMAN.

In hoc pacis foedere.] Neſcio, quomodo mihi magis placebat : *Inito hoc pacis foedere.* quod niſi per te ſtabit, per me facile cadet. ACIDAL.

Achajamque.] Achaja complecti totam Graeciam non obſcure hic ex Dione colliges, & provinciae Achajae ineſſe Graeciam docuit ex Pauſaniae lib. VII. Lipſius. SCHEGKIUS.

In quo manere.] Scilicet foedere, quam elegantem locutionem illuſtravit Gronov. ad Stat. VI. Theb. 630. BURM.

Qui ad eum ex diverſis cauſis fugerant.] Et hic potius arbitrabar, *ex diverſis caſtris.* quod paullo firmius teneam, quam ſuperius. ACIDAL. Inepte Acidalius, *caſtris. Ex diverſis cauſis* dixit Vellejus, quia alii eſſent proſcripti, alii obaerati, alii animo in eum propenſiore. Quo facit illud Appiani v. de bellis civilibus : Πομπήϊος γὰρ ἐκ τῶν προγραφῶν, καὶ κατοικήσεων τοῦ στρατοῦ, καὶ τῆς δὲ τοῦ Λευκίου διαφορᾶς, ἐπὶ μέγα δόξης καὶ δυνάμεως ἦρτο. *Pompejus enim ex proſcriptis, & militaribus colonis, & hac*

 ipſa

ipſa Lucii ſimultate, multum exiſtimatione ac viribus creverat. Voss.

Et Aruntium Actium.] Reponenda vetus lectio, quae eſt in antiqua editione: *Et Aruntium, ac Titium,* &c. & poſtea legendum: *Statium autem Murcum,* &c. ut ſupra diximus. Ursin. Gentilitia duo nomina perperam juncta. Scribes, *Aruntium ac Titium.* M. autem Titius Dioni nominatur, & Vellejo bis infra. Lipsius. *Aruntium ac Titium* editio vetus, ita ut mirandum ſit recentiores obtruſiſſe nobis, *Aruntium Actium;* & quidem Aldinam: nam in Gryphiana praeſtat adhuc ſcriptura codicis calamo exarati, quam expreſſit fere Rhenanus. Fere, inquam, nam ibi eſt *Atruntium ac Titium reſt.* Gruter.

Statium autem Murcum.] Editio vulgata hic & ſupra retinet. *Stajum,* contra autoritatem aliorum hiſtoricorum, qui *Statium* nominant. Appianus appellat Sextum. Cicero Titum. Popm. Lege, *Statium,* de eo jam diximus. Voss. *Statium* lege & hic & alibi. cujus exitum ſcripſere Dio XLVIII. (ubi ficto proditionis crimine, revera ideo ſubverſus eſt, quia Pompejus eum videbat eſſe δραστήριον καὶ φρονηματώδη, *ſtrenuum acrisque animi*, quales dominantibus, aut principibus, qui ſuam fortunam animo non aequant, ſuſpecti inviſique ſunt) & amplius Appianus v. ἐμφυλ. pag. 712. Boecler.

Et Menocrites.] V. C. *Menotrades.* Forte, *Menocrates.* Graecis quidem dicitur Μηνεκράτης: ſed ε plerumque Latini in ο mutant. Sic Πτολεμαῖος *Ptolomaeus,* Μεθώνη, *Mothone,* Κέρκυρα *Corcyra;* Βερενίκη *Beronice,* aliaque hujus generis. Vossius.

Quas magnis momentis.] Obſerva *momentis* pro motibus. quomodo & apud alios legiſſe, ſic quaſi per nebulam meminiſſe videor. Nam exempla in promptu nulla. immo ecce tibi unum Senecae, Epiſt. 50. *Exemplum* (clavi) *a piſcibus tractum eſt, qui cauda reguntur, & levi ejus in utrumque momento velocitatem ſuam flectunt.* Acidal. Florus*IV. 9. adſcriptique a *Camerte* Auctores, quibus addendus Dio XLVIII. Boecler. *Momenta* vocantur hic eventus praeliorum, obſidionum, & ſimiles, qui efficerent, ut Labienus ſuperior evaderet, & rebus bene geſtis, illis ut magnis momentis, concuteret provincias. metaphoram a libra ductam eſſe jam ſaepius adnotatum, quae parvo momento in hanc vel illam partem in-

inclinatur. ſic non *modicum victoriae momentum*, Juſtin. XXII. 5. non *mediocre momentum* lib. XI. 4. & XIII. 6. ſic *parva momenta* in re alia Ovid. IV. Met. 180. ubi ex Acidalii ſententia & pro motibus poſſit capi. Sed modus non eſſet exemplorum, quae in omnibus ſcriptoribus obvia. BURM.

Interfectoque legato Antonii.] Atqui ille ſe interfecerat. Florus IV. 9. *Saxa, ne veniret in poteſtatem, a gladio ſuo impetraverat.* LIPS. Saxam intelligit Vellejus. Atque illum ſibi manus intuliſſe, ex Floro objicit Lipſius. Sed in hoc quoque Florum fugit ratio. Mihi Vellejana ſententia multo verior; praeſertim propugnante eam Dione lib. XLVIII. Apud quem obiter moneo, Δεκίδιος Σάξας legendum, non Ξέξας, ut ex aliis, ita auctoritate Zonarae, ejus exſcriptoris: apud quem tamen legitur Δεκίλλιος. Mendoſe. VOSS. Vid. Davieſ. ad Caeſ. I. Bell. Civ. 66.

Interim Caeſar per haec tempora.] Alterutrum ſuperfluum eſt, vel *interim*, vel *per haec tempora.* Oro enim propter hoc quid utraque conjungantur? Sed ecce, aliud habeo. Neutrum delendum, una minima vocula transpoſita: *Interim Caeſar, ne per haec tempora, res diſciplinae.* *Per haec tempora* valet, ea temporum conditione, ut quibus in armis habere militem pro Repub. non neceſſe foret. ACIDAL. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 62.

Crebris in Illyrico, &c.] De quibus vid. Dio XLIX. Appian. Illyr. Liv. epit. 132. Hiſt. Miſcell. VII. 7. BOECLER.

Patientia periculorum durabat.] Vid. Cl. Drakenb. ad Sil. VI. 545. BURM. Miſc. Obſ. ibid.

Primipili centurionem.] In legione tria genera peditum: *haſtati*, *principes*, & qui omnes anteſtabant, *triarii*. In ſingulis deni centuriones, ab ordine in haſtatis & principibus nominati; nimirum primus haſtatus, primus princeps; ſecundus haſtatus, ſecundus princeps; tertius, & usque ad decimum. In *triariis* diſpar. non enim primus triarius, ſed primipilus, primipili centurio primus centurio appellabatur. hic primus in legione poſt tribunum, qui parebat legato, ut legatus Imperatori. Haec ſtrinxi e Vegetio & uberrimo Manutii noſtri de hoc tractatu. SCHEGK.

Fuſte percuſſit.] Ritu priſco, milites vel fuſtibus vel

 viti-

vitibus caſtigare, vitibus plerumque Romanos, fuſtibus extraneos. Livii Epitoma l. LVII. *Quem militem extra ordinem deprehendit, ſi Romanus eſſet vitibus; ſi extraneus virgis caecidit.* Honeſtior autem poena vitis quam fuſtis. Plinius lib. XIV. cap. I. *Centurionum in manu vitis, & opimo praemio tardas ordine ac lentas perducit aquilas, atque etiam in delictis poenam ipſam honorat.* Hinc lex a Gracchis lata, qua fuſtium poena eximebant Latinos. Plutarchus in Gracchis. Putidum ſit adſuere de militaribus poenis jam pertractatis plane, pleneque. Burrer. MS. *fuſti percuſſit.* Bonhom. *fuſtem percuſſit.* fortean *fuſtim percuſſit*, eleganti genere, ſi quid mutandum. SCHEGK. *Fuſti percuſſit.* Ita libri manuſcripti, non *fuſte*, & Valer. lib. VI. *Uxorem quod vinum bibiſſet fuſti percuſſit.* Salluſt. Hiſtor. IV. *Sorte ductos fuſti necant*: ubi *percutere* & *necare* eadem: ſicut frequenter percutiendi verbum uſurpatur pro occidendi. Suetonius Caligula: *Hoſtem cominus ſaepe percuſſit.* Ulpianus tit. de Senatusc. Silaniano: *Occiſorum appellatione eos contineri Labeo ſcribit, qui per vim aut caedem ſunt interfecti, ut puta jugulatum, praecipitatum, vel ſaxo, vel fuſti, vel lapide percuſſum, vel quo alio telo necatum.* Cauſae fuſtuarii praecipuae erant fuga ex acie, deſertio ordinum, abitio a ſignis ſine commeatu. Ritus is, quem Polybius deſcribit. accepto fuſte Tribunus vix tantum attingebat damnatum: quod ubi factum, omnes, qui in caſtris erant caedentes fuſtibus lapidibusque pleroſque in ipſis caſtris interficiebant. POPM. MS. lectio, *fuſti. Percutere* autem in fuſtigatione nihil aliud, quam φονεύειν. Sic *percuſſores*, φονεῖς. Quae moneo, ne quis audiat illos, qui apud Livium lib. V. *fuſtuarium*, leve ſupplicii genus eſſe arbitrantur. Sane clare docet Polybius lib. VI. hac poena condemnatos ad mortem usque caedi ſolere. Afficiebantur autem fuſtuario, ut idem docet, qui falſum dixiſſent teſtimonium, qui furtum feciſſent, qui juvenibus abuterentur, aut qui ter ob idem delictum eſſent puniti. Etiam qui infamiam alteri feciſſent. Hinc leges XII. Tabb. *Si quis occentaſit malum carmen, ſive condidiſit, quod infamiam faxit, flagitiumve alteri, capital eſto.* Tales enim ex cautione XII. Tabb. fuſte punitos, docent Porphyrio in Horatii lib. II. epiſt. I. & Cornutus in Perſii ſatyram I. In veteri item inſcriptione Romana

Col·

Collect. Grut. p. cIↄcxIV. fuſtuario ſubdi jubentur molendinarii, qui fraudem feciſſent. Alia de fuſtuario ſcire qui deſideret, adeat ea, quae Lipſio notata libro de Militia Romana quincto, Dialogo duodevigeſimo. Voss. Alii *fuſti*. Pertinet hoc quoque ad Vellejanae ſcriptionis commendationem, quod exempla quarumcunque rerum publice utilium ſubinde, non ſine gravitate, annotat, ſicut hoc loco & alibi, diſciplinam militarem vindicatam, in cujus ſcilicet ſinu ac tutela ſerenus tranquillusque beatae pacis ſtatus acquieſcit, ut loquitur Valer. II. 7. pr. De *poenis militaribus* valde erudita ſunt, quae tradit P. Faber Semeſtr. I. 17. Caſtigabantur autem milites, vel *fuſtibus* (quae coërcitio communis militibus & paganis erat) vel *vitibus*, quae proprie militaris animadverſio. Poteſt autem etiam de ξυλοκοπίᾳ, quam deſcribit Polyb. lib. VI. Vellejus intelligi. Adde Cael. Rhodigin. XXVI. c. ult. Lipſ. milit. Rom. I. 18. Boecler. *Fuſti* vetuſtus codex. Nec immutari debuit. Plaut. Aſinar. *tanquam ſi claudus ſim, cum fuſti eſt ambulandum.* Captiv. Act. V. Sc. 2. *fuſti pectito*. Apud Val. Max. lib. VIII. cap. I. *matrem fuſti percuſſam interemit.* ſic potiores ſcripti, ubi *fuſtim* reponunt. Tacitus Annal. III. cap. 20. *decumum quemque ſorte ductos fuſti necat.* ſic codex Mediceus, Pichena teſte. Annal. XIV. cap. 8. *prior trierarchus fuſti caput ejus afflixit.* cap. 44. *ex fuſo exercitu cum decimus quisque fuſti feritur.* nec dubito ſcribendum pari modo in Salluſtii fragmento apud Servium, *ſorte ductos fuſti necat.* mirus enim amator archaismi Salluſtius. ſic *igne* & *igni* ſimiliaque. noſter cap. 88. *vivo igni devorato*; & cap. 110. *omnia igni ferroque vaſtata. fuſti* dixit & Hirtius bello Hiſpan. cap. 27. noſter infra capite proximo in prima editione, *hac claſſi Caeſar.* Ut Maro Aeneid. VIII. *Advectum Aeneam claſſi.* Sic & ſupra cap. 31. reſtituebam, *major civi.* In his tam puſillis etſi pudet haerere, habent tamen & illa utilitatem ſuam. Vidit & Popma *fuſti* revocandum e prima editione. Copioſe de his ſimilibusque Voſſius pater libr. II. cap. 12 de Analogia. Heins. Supra 74. *Subjecto rebus & penatibus ſuis igni.* Vide ad Quinct. decl. X. 5.

Contrahendoque militi ac remigi.] *Milite ac remige* Edit. Rhen.

Navalibusque adſueſcendo certaminibus.] Active poſitum *adſueſcere*, pro adſuefacere: ut apud Horatium quoque memini. ſed locus & ipſa verba in praeſentia non ſuccurrunt. ACIDAL. Locus Horatii eſt forte I. Sat. IV. 105. ſed ibi *inſuevit* legitur: *Inſuevit pater optimus hoc me.* Ubi vide Torrentium. *Aſſuerit mentem* etiam dixit lib. II. Sat. II. 109. ſic & Lucan. V. 776. *Adde quod aſſueſcis fatis, tantumque dolorem Crudelis me ferre doces.* BURM.

M. Agrippa.] *Ignobilem loco, bonum militiae, & victoriae ſocium*, Tacit. I. vocat. adi Horat. I. Od. 6. Senecam patrem Controverſ. II. Dion. Appian. SCHECK.

Parendique, ſed uni, ſcientiſſimus.] Soli Auguſto nimirum parere doctus, ceteris omnibus ſe anteponebat. Atque hoc ipſum magnum eſt in magno ingenio, ſcienter parere Principi aut Regi. Cujus artis ſummam dixeris expreſſam a Dione LIII. ubi *Agrippam, cum multa imo pleraque glorioſa conſilia Auguſto ſuppeditaret, & facta patraret, nihil tamen prorſus ejus gloriae ſibi arrogasſe*, refert, οὐδὲ ἐπὶ βραχὺ τῆς δόξης αὐτῶν ἀντεποιεῖτο, inquit. Honores quoque ab Auguſto ſibi delatos in ipſius potius gloriam uſusque diſpenſabat, quam in ſuam libidinem. Hujus eſt illa primaria ad aulicam vitam diſciplina, qua *virum in aula victurum duabus ſibi rebus conſulere oportere* oſtendit, *primo difficultates rerum in ſe recipiendo, amoliendoque; deinde, conſummatae perfectaeque rei nomen & gloriam ipſis (Principibus) relinquendo.* Δυοῖν παραινεῖ τὸν ἄνδρα τὸν σωθησόμενον, τῆς μὲν δυσχερείας αὐτὸν τῶν πραγμάτων ἀπαλλάττειν, τὴν δὲ δὴ κατόρθωσιν σφῶν ἐκείνοις φυλάσσειν. Quem Dionis CXLIX. pag. 450. locum (ab interprete, priore moniti membro, parum congrue verſum; *ut negotio praefectus difficultatem ejus a ſe removeret*, non enim, ut *difficultatem a ſe removeat, quaſi declinando; ſed ut amoliatur.* i. e. *expediat eam ſuſtinendo agendoque*, dicitur) merito majoribus Principum adminiſtris commendavit Lipſius, III. Polit. II. 14. cum praeſertim memorabilia ſint, quae in Dione praecedunt, de ingenio Regum, omnium rerum gloriam ſibi vendicante, aliis invidente. BOECLER.

Et per omnia extra dilationes poſitus, conſultisque facta conjungens.] Simile quodammodo eſt infra cap. 110. de Pannoniis. *Itaque hercules nulla unquam natio tam matu-*

re conſilio belli bellum junxit, ac decreta patravit. Et poſt etiam de Arminio cap. 118. *Opprimi poſſe Romanos & dicit & perſuadet: decretis facta jungit; tempus inſidiarum conſtituit.* Et aliquanto inferius de L. Caeditio & aliis dicit cap. 120. *eos nec temerario conſilio, nec ſegni providentia uſos.* In hanc mentem notum lippis omnibus & tonſoribus Salluſtii ſcitum. quod quidem ſi ponam, diffidere aliorum memoriae videar, ſimul & jactare ea, quae nemo neſciat. ACIDAL.

Hac claſſe.] *Hac claſſi* Edit. Rhen.

Deſpondente ei Nerone.] Ἐξέδωκε δὲ αὐτὴν αὐτὸς ὁ ἀνὴρ, ὥσπερ τις πατὴρ, inquit *Dio* XLVIII. pag. 438. *Elocabat autem Liviam ipſe maritus, tanquam Patris loco.* Scilicet hoc ſchema quaerebatur rei, quaſi maritus ſponte concederet Auguſto uxorem. Revera autem *Tib. Neronis matrimonio Liviam, & quidem praegnantem, abduxit*, ut ſimplicius loquitur *Suetonius Aug.* 62. ſicut & Prudentes apud Tacit. I. A. 10. 7. increpant; *abductam Neroni uxorem, & conſultos per ludibrium Pontifices, an concepto, necdum edito partu rite nuberet.* Ergo inter *flagitia dominationis*, i. e. loco idoneo ac proprio, referuntur haec talia a Clapmario V. Arcan. 3. Operae pretium autem fuerit cognoſcere, quae Dio circa reſponſum Pontificum ἐπικριτικῶς annotat. fallor, an minime inuſitata ſunt recentiori quoque aevo ejus adulationis exempla, qua omnia Principum honeſta atque inhoneſta excuſare, etiam illis mos eſt, quorum conditionem dignitatemque valde videantur iſta dedecere. BOECLER.

Duxiſſet eam uxorem.] An legend. *Jam?* an *eam* παρέλκως poſuit, ut ſupra, *Qui C. Gracchus in locum Tiberii fratris* III. *virum nominaverat, eumque ſocium regalis aſſumſerat potentiae.* POPMA. Tolle τὸ *eam.* ut & paullo ante *ei.* rectius enim erit, *deſpondente Nerone.* ut infra cap. 94. Poſtea, *ita inopinato claſſis adventu* excidit vocabulum; quapropter ſcribe, *claſſis Pompejanae adventu*, vel *inimicae*, vel *adverſae.* HEINS. Forte, *cui ante nupta fuerat Livia. a. r. o. d. eam.* BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 63. V. IX. p. 171.

Pompejo Siciliaeque bellum, &c.] Praeter ſcriptores ſupra laudatos, accurate haec omnia exequitur Dio l. XLVIII. & XLIX. BOECL.

Ac diſtulit.] Eleganter, pro diſſipavit, ut hoc verbum ex-

explicat Servius apud Virgil. III. Georg. 197. *Scythiaeque imbres atque arida differt Nubila.* quod ex Lucretio ſumptum, ad cujus lib. I. 273. vide Lambin. & Gifan. indic. BURM.

Quod poſtea dubia, &c.] Quid audio? *anceps* fortuna alia, quam *dubia*? hoc enim interjecta particula *interdum* innuit. ſed ea traducta, ſcribe: *dubia interdum & ancipiti.* Niſi tamen dicas, ancipitem eſſe periculoſam, & hac quadam ratione a dubia diverſam. ancipitia enim ſine certo periculo tangi & tractari nequeunt: in dubiis non item eſt. Et hoc tamen putidum & puerile. Quin potius voculam trajiciamus, ut monſtratum. ACIDAL. Fortaſſe legendum, *dura & interdum ancipiti.* nam adverſa fortuna ſaepius uſus Caeſar. *durus* vero & *dubius* confuderunt librarii, ut clariſſime ad Quinct. lib. VI. 3. oſtendimus: ubi apud Ciceronem, *dubios caſus varioſque*, apud Fabium, *duros varioſque* legi notavimus, ut hic *dura* & *ancipiti fortuna.* Sic apud Lucan. IV. 778. *Nullo dubii diſcrimine Martis Ancipites ſteterunt caſus.* ubi *duri* eſt in codice Hamburgenſi; ſic paſſim *dura bella*, *dura proelia*, & *dubia* in MSS. confuſa. ſed de illis plenius ad Val. Fl. VI. 545. Vide interim ad Ovid. VII. Ep. 116. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 63, 389. &c. V. IX. p. 269.

Claſſis adventu.] *Cl. hoſtilis* Graev. Ep. Syll. T. IV. p. 414.

Sub ipſius Caeſaris oculis.] Sic poſtea: *in ore atque oculis Antonianae claſſis.* Apul. lib. I. Metam. *Sub oculis tuis homo jugulatur.* Idem lib. II. *Sub iſtis oculis miſer jugulatus eſt.* Seneca, *in conſpectu & ſub ictu habere*, dixit Epiſt. 73. *Adhuc eſt genus tertium eorum, qui ſapientiae alludunt: quam non quidem attigerunt; in conſpectu tamen & (ut ita dicam) ſub ictu habent.* Quod tamen a gladiatorum arte traductum videtur, qui ſub ictu habent adverſarium, cum intectum & nudum jamjam icturi ſunt: diciturque *ſub ictu eſſe*, qui ictui ſe alterius expoſuit. Et ab ea mente Lactantius quoque forſan lib. divin. inſtit. VII. cap. 12. *Corpus igitur, quoniam fictum ex ponderoſo & corruptibili elemento, & tangibile eſt & viſibile, corrumpitur atque occidit, nec vim repellere poteſt, quia ſub adſpectum & ſub ictum venit.* Gellio autem (hoc, quia ita incidit, addo) *Ictus temporis* eleganter pro momento, quod nictu ictuque oculorum vulgo me-

metiuntur. lib. XIV. cap. I. *Omnes tamen iſti aut hiantibus terris, aut labentibus tectis, aut oppidorum expugnationibus, aut eadem in navi, fluctu obruti, eodem genere mortis, eodemque ictu temporis univerſi ſimul interirent.* ACIDAL. Vide ſupr. cap. 21.

A Titio jugulatus eſt.] Phrygiae in oppido Midaio, ut Dio, an, Mileti, ut Florus, & Appianus. SCHEGK. Dubitat Schegkius, acciderine id Phrygiae in oppido Midaio, ut ait Dio, an Mileti, ut Florus, & Appianus, aſſerunt. Mihi erraſſe Dionem certum eſt. De Mileto enim teſtatur ſcriptor ejusdem propemodum temporis, atque omni exceptione major, Strabo Geog. lib. III.

Inutilis in aliena victoria.] Vetus editio, *inutilis alienae victoriae comes.* RAPHEL. *In alienae victoriae* vetus exemplar. Tollendum τὸ *in* cum Rhenano. & deinde *diffidendo Caeſari*, non *Caeſaris*, cum Acidalio. HEINS.

Diffidendo in conſiliis Caeſaris.] Venuſtius, *Caeſari. Diffidere* cum dandi caſu pro auferendi cum praepoſitione. Sic in multis verbis, & vero etiam nominibus, *alienare, alienus, alius:* & multa talia, de quibus dicendi non hic locus. ACIDAL. Accedo Acidalio. ita Horat. II. od. 2. *Redditum Cyri ſolio Phraaten, Diffidens plebi numero beatorum Eximit virtus.* ut vindicavit eum locum eruditiſſimus Bentlejus. & ad quem videndus Lambinus. ita & *diſſentire* conſtruit idem Poëta lib. III. od. 5. *Hoc caverat mens provida Reguli, Diſſentientis conditionibus Foedis.* BURM.

Interpretaretur.] *Interpretabatur.* Ed. Rh.

Non ab Scipionibus.] Factum tam memorabile Auguſti, quod hoc capite exponitur, ſcripſere etiam Dio XLIX. p. 455. Appian. V. ἐμφυλ. pag. 742. & ſeq. Hiſt. Miſcell. VII. 6. Liv. epit. 129. Suet. Aug. 16. Tacitus, una voce *exuendi*, opportune huc accommodata, rem complectitur, I. A. 2. I. BOECL.

Aliisque veteribus Romanorum ducum.] Antiquae elegantiae locutio. ita apud Ovid. Ibid. 81. *Denique ab antiquo Divum veteresque novique.* ita ex codice Francofurtenſi lego; vulgo *divi.* Apulej. Apolog. *Au iſti, quorum pleraque ſcilicet legeras apud antiquos Philoſophos.* Vid. ad Quinct. I. Inſt. Orat. 4. BURM.

Inermis & lacernatus.] Adi Dionem, cui alia mens ſedet. SCHEGK.

Ja-

Jacta.] Princeps editio, *acta*. Quod non fuerat mutandum. Nam *agere tela* aeque recte dixeris, ac *adigere:* quomodo aliquoties apud Caeſarem legitur. Sic, *actores ponderum*, impulſores vocat Ovid. in v. Faſtorum: *Fulmina de coeli jaculatus Jupiter arce, Vertit in actores pondera vaſta ſuos.* Ita emendamus auctoritate MS. e Bibliotheca τοῦ μακαρίτου Guilhelmi Noomſii, Arlanderveniae domini. Perperam enim excuſum vulgo, *auctores*. Voss. *Acta* codex antiquus, quod ferri poteſt. Opinor tamen, *adacta* a Vellejo ipſo fuiſſe. Ut in illis Curtii lib. IX. 5. *Quippe ingens telum adactum erat, & penetraſſe in viſcera videbatur.* Sic & alii. Heins. *Acta* cum prima editione retineo. ita *agere gladium* Val. Max. III. 2. 2. ſed de his plura ad Val. Flacc. II. 179. Burm.

Scires quid intereſſet.] Vide ad Petron. cap. 8. & 91.

Vita ſua.] Et ita [*vitae ſuae*] Eraſmus, Steph. & omnes fere alii.

Spoliata dignitas.] Similis locutio Hirtii lib. VIII. de B. G. 5. *qui omnem honorem & dignitatem Caeſaris exſpoliarent.* ubi vide Daviſii notas.

Quam tueri non poterat.] Manut. *intueri*. Suetonius narrat Lepidum ſupplicem conceſſa vita Circejos in perpetuum relegaſſe. Schegk. Alii *intueri*. Forte, *vi tueri*. Niſi illud ipſum ita formatum, ut Apulejo ſolens, ſuperaddita praepoſitione. Nam paſſim apud hunc, *incognoſcere*, *inconcupiſcere*, & id genus plura. Acidal.

Subita deinde.] Placet mihi, *ſecuta*. Boxh. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 64.

Exercitus ſeditio.] De hac ſeditione ejusque compoſitione & ſupplemento Campanae coloniae accurate Dio XLIX. p. 456. & 457. Appian. V. ἐμφυλ. p. 744. Hiſt. miſc. VII. 6. Noſter praecipuam artem componendae ſeditionis, *Severitatem comitatis mixtura temperatam*, hoc loco innuit. Vide Lipſ. VI. Polit. 4. & hac occaſione nota, *Libro primo Annalium Taciti, ſingulari prorſum arte copiaque id argumentum, de ſeditionibus militaribus, earumque remediis, tractatum ac veluti exemplo perfectae commentationis perſcriptum eſſe.* Boecler.

Contemplatus frequentiam ſuam.] Simile dictum Tacito lib. I. Annal. *Illi quoties oculos ad multitudinem retulerant, vocibus truculentis ſtrepere.* Schegk. Idem dixit

xit Dion: πρὸς τὴν ὄψιν τοῦ πλήθους σφῶν θρασύνονται. & Lucanus V. 259. *Ipſa metus exſolverat audax Turba ſuos, quicquid multis peccatur inultum eſt.* Ideo Domitianus prohibuit, *legionum caſtra geminari.* Suetonius in vita cap. 7. POPMA.

Quod cogere.] Exquiſitum hoc loquendi genus notavimus ad Quinctil. XI. I.

Campanae coloniae.] Tota haec res explicata ab uno Dione, lib. XLIX. qui de hac ipſa ſeditione, & ejus placamentis: Οὕτω μὲν τότε τοὺς στρατιώτας κατέστησε. καὶ τὸ μὲν ἀργύριον αὐτίκα, τὴν δὲ χώραν οὐ πολλῷ ὕστερον αὐτοῖς ἔδωκεν· ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἐξήρκεσεν ἡ ἐν τῷ δημοσίῳ τότε οὖσα, προσεξεπρίατο ἄλλην τὲ καὶ παρὰ Καμπανῶν τῶν ἐν τῇ Καπύῃ συχνὴν (καὶ γὰρ ἐποίκων ἡ πόλις πολλῶν ἐδεῖτο) καὶ αὐτοῖς τότε ὕδωρ τὸ Ἰούλιον ὠνομασμένον, ὑφ' οὗ καὶ τὰ μάλιστα διὰ πάντων ἀγάλλονται, τήν τε χώραν τὴν Κνωσίαν, ἣν καὶ νῦν ἔτι καρποῦνται, ἀντέδωκε: *Atque ita milites tunc quidem compoſuit: & argentum ſtatim, agros non multo poſt iis dedit. Quoniam enim publici, qui tunc erant, non ſufficiebant, etiam alios emit a Campanis illis, qui Capuam incolunt, eosque multos (multis enim colonis indigebat ea urbs) & ipſis tum aquam Juliam, qua maxime omnium gaudent, tum terram Cnoſiam* (*Gnoſiam* melius: eſtque Gnoſus in Creta:) *qua etiam nunc fruuntur, eorum loco dedit.* Omnia haec quaſi de induſtria ſcripta ad Velleji lucem: & quis ſcit, ſi non a Dione iſtinc ſumpta? Quod tamen hic ſcribitur: *ejus reditus erant publici*, pravum eſt. Quid *reditus* ad rem praeſentem? nec eos ſane emit Caeſar, ſed agros. In editione prima: *ejus relicti erant publici.* Certum habeo, *ejus reliqui*: Id eſt, Capua reliquos habebat agros publicos, qui nondum attributi, & qui non venerant in diviſionem. Hos (Dione palam narrante) ab iis emit Caeſar. LIPS. V. C. *relicti.* Unde Lipſius, *reliqui.* Fruſtra, cum alterum idem valeat. [V. Weſſeling. II. Obſ. 20.] Caeſar V. de Bello Gallico, *millibus circiter quatuor eſſedariorum relictis.* Ita MSS. auctoritate lego, non *retentis.* Cicero in Phaenomenis: *Quod ſupra terras prima de nocte relictum eſt?* Ac eodem opere: —— *pari ſpatio partes tres eſſe relictas.* VOSS. Erat in vet. ex. *ejus relicti erant. p.* Unde Lipſius fecerat, *reliqui*, ut ad agros referatur. i. e. Capua reliquos habebat agros publicos; qui nondum at-

Vvv tributi,

tributi, & qui non venerant in diviſionem. Hos (Dione palam narrante) ab iis emit Caeſar. Locus Dionis e XLIX. pag. 457. ita habet, οὕτω μὲν τότε τοὺς στρατιώτας κατέστησε. καὶ τὸ μὲν ἀργύριον αὐτίκα, τὴν δὲ χώραν οὐ πολλῷ ὕστερον αὐτοῖς ἔδωκεν. ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἐξήρκεσεν ἡ ἐν τῷ δημοσίῳ τότε οὖσα, προσεξεπρίατο ἄλλην τε καὶ παρὰ Καμπανῶν τῶν ἐν τῇ Καπύῃ οἰκούντων συχνὴν (καὶ γὰρ ἐποίκων ἡ πόλις πολλῶν ἐδεῖτο) καὶ αὐτοῖς τό τε ὕδωρ τὸ Ἰούλιον ὠνομασμένον, ὑφ' οὗ καὶ τὰ μάλιστα διὰ πάντων ἀγάλλονται, τήν τε χώραν τὴν Κνωσίαν, ἣν καὶ νῦν ἔτι καρποῦνται, ἀντέδωκε. *Atque ita tum quidem milites compoſuit: argento quidem ſtatim, agris paulo poſt datis. Quum enim publici, qui tum erant, agri non ſufficerent, coëmit etiam alios ſatis multos a Campanis Capuam incolentibus, quorum urbs multis colonis indigebat: iisque aquam Juliam, qua maxime omnium gaudent, tum terram Cnoſiam, qua etiam nunc fruuntur, pretii loco dedit.* BOECL. Non hoc voluit Vellejus, nec vetuſtus codex, in quo, *ejus relicti erant publici.* Opinor, *ejus reſecti erant publici.* ad agros publicos refer, qui quod refecti, hoc eſt, magnam partem Capuanis ademti erant, reſarta eſt jactura ea ex agris Cretenſibus. vide omnino Dionem lib. XLVIII. ſic & *recidere* dicebant *ſumtus.* de quo doctiſſimus Gronovius Obſervationum lib. II. cap. 22. *reciſum opus* noſter infra cap. 89. Tacitus Annal. III. cap. 53. *quid enim primum prohibere, & priſcum ad morem recidere adgrediar? reſecare* reddendum Senecae de Ira lib. I. cap. 13. *Si juſtitia bonum eſt, nemo dicet meliorem futuram, ſi quid reſectum ex ea fuerit.* Sic enim reor: cum in ſcriptis exemplaribus nonnullis *defectum* inveniatur. vulgo *detractum. publica* pro pratis publicis Naſoni jam olim reſtitutum a me Faſtorum V. *Vindice ſervabat nullo ſua publica vulgus: Jamque in privato paſcere inertis erat.* Adde Plinii locum lib. VII. Ep. 18. *Numeres reip. ſummam, verendum eſt, ne dilabatur. Des agros, ut publica, negligentur.* Sic enim vetuſtiſſimus liber Mediceus, non *ut publici.* Aſconius in Divinationem *paſcuorum publicorum* meminit, eosque, qui haec redimant ad paſcendum, dictos *pecuarios* docet; occurrunt & apud Livium *paſcua publica*, lib. XXXIX. cap. 29. Agri publici paſſim apud Livium, & de publicis agris & privatis Epitom. Liv. LVIII. Ex epiſtolis Ciceronis ad Brutum liquet etiam li-

libera repb. non inſolens fuiſſe; ut civitates Italiae reditus ſuos acciperent ex locis remotiſſimis, ut Arpinates & Atellani e Ciſalpina Gallia. Sed apud Vellejum parum proprie Capuanis *publica* aſſignantur, cum *publicum* proprie ſit populi Romani, ſi Juriſconſultis credimus antiquis. Dig. de Verb. ſign. l. XVI. Sic apud Liv. lib XXVII. 30. *Indicio quoque permiſſo, qui ager civis Campani fuiſſet, ut is publicus P. R. eſſet.* lib. XXXI. 4. *ut decemviros agro Samniti Appuloque, quod ejus publicum P. R. eſſet, metiendo dividendoque crearet.* Deinde malim, *& aqua permiſſa.* non enim promiſſa ſolum Capuanis a Caeſare aqua Julia, ſed indulta quoque ac conceſſa. Seneca epiſt. 102. *Ille qui & mari & terra pecuniam agitabat, qui ad publica quoque, nullum relinquens inexpertum genus quaeſtus, acceſſerat.* Sed id ad vectigalia referendum: *publicum* enim pro portorio aut vectigali, unde & *publicani* nomen mutuati, & *publicorum conductores* in jure. De *publicis publicoque* ea ſignificatione complura Lipſius ac ceteri interpretes ad Tacitum Annal. XIII. cap. 51. apud eundem Hiſt. 1. cap. 51. *contumacia Gallorum irritati, qui remiſſam ſibi a Galba quartam tributorum partem, & publico donatos in ignominiam exercitus jactabant.* ſic ſcribo. ut per *publicum*, tributa intelligat. HEINS. *Reditus* ab Eraſmo eſſe puto. BURM. V. Graev. Ep. Syll. T. IV. p. 382. 403. Miſc. Obſ. V. IX. p. 171.

In Creta inſula redditi.] Campani acceperant publicos reditus in Creta beneficio Auguſti, qui Italiam duodetriginta coloniarum numero ab ſe frequentavit, operibusque ac vectigalibus publicis pluriſariam inſtruxit, Suetonius cap. 46. Quamvis & libera Rep. populi Italici in remotiſſimis portoriis reditus & vectigalia habebant, ut Arpinates in Gallia ciſalpina, Attellani in eadem Gallia, teſte Cicerone ad Brutum. POPMA.

Inſtar.] Feſtus Pompejus ab *inſtar, inſtaurare* deducit: quoniam illud inſtaurari proprie dicatur, quod ad formam ſimilem exemplo priori reducitur. Hic vero *inſtar* non exemplum eſt, neque paſſive pro eo capitur, quod eſt inſtauratum, ſed enim active, ut quod inſtaurat; heic nempe ſalubritatem. ACIDAL.

Coronae claſſicae.] Tangit princeps Poëta: *Tempora navali fulget roſtrata corona.* *Roſtrata* Plinio quoque dicta, vide Agellium. SCHEGK.

Quo nemo unquam.] Si voluit dicere Vellejus, neminem ante Agrippam reportaſſe coronam navalem, hoc eſt, roſtratam; aut erravit, aut diverſum ſentit a Plinio. Is enim non dubitat affirmare lib. XVI. cap. 4. *Cedunt & roſtratae, quamvis in duobus maxime ad hoc aevi celebres; M. Varrone, piraticis bellis dante Pompejo Magno: itemque M. Agrippa, tribuente Caeſare Siculis.* Sed & idem Naturae myſtes unicus lib. VII. cap. 30. *M. Varronis, in bibliothecâ, quae prima in orbe ab Aſinio Pollione ex manubiis publicata Romae eſt, unius viventis poſita imago eſt; haud minore, ut equidem reor, gloriâ principe oratore & cive, ex illâ ingeniorum, quae tunc fuit, multitudine unam hanc coronam dante, quam cum eidem Magnus Pompejus piratico ex bello navalem dedit.* Et vero nullo aevo cuiquam contigiſſe coronam roſtratam, praeterquam uni Agrippae, idem etiam prodidit Dio Caſſius lib XLIX. nec is tantum, ſed & teſtis omni exceptione major, Livius, cujus haec legimus Epitomâ CXXIX. *M. Agrippa navali corona donatus eſt; qui honos nemini ante eum habitus erat.* quibus motus verbis, damnaverim potius unum Plinium, quam triumviros iſtos alios: etſi aliter viſum viro maximo, in libris de Militia Romana, lib. V. cap. 14. GRUTER. Uni Agrippae contigiſſe hunc honorem teſtantur, Dio XLIX. p. 457. τῷ Ἀγρίππᾳ στέφανον χρυσοῦν ἐμβόλοις ἠσκημένον ἐδωρήσατο. ὃ μή πρότερον, μήτ' αὖθις ἄλλῳ τῳ ἐγένετο. *Agrippam corona roſtrata aurea donavit: quod neque ante, neque poſtea cuiquam contigit.* Ita Liv. epit. 129. Plinius autem XVI. 4. & VII. 30. cum *M. Varrone*, cui *Pompejus coronam navalem dederit, communicat hoc decus:* Cui aſſentiendum opinatus Lipſius: Gruterus autem ceterorum auctoritatem praefert. An & Seneca ab eorum parte, cui III. *de benef.* 32. Agrippa dicitur, *navali corona inſignis unicum adeptus inter dona militaria decus:* quamquam *unicum* pro *eximio* & *ſingulari* hic accipi poſſit. Vide Turneb. XXVI. 29. & Taubm. ad VIII. Virgil. Aen. 684. BOECL.

Templumque Apollinis.] V. C. *Apollini.* Nec debuit mutari. Voss. Dio XLIX. p. 458. Sueton. Aug. 29. BOECLER. *Apollinis* editio Rhenani. HEINS. *Apollini* in Eraſmi editione demum legitur, quem alii ſecuti ſunt.

Munificentia.] Haud diſplicet Lipſio *magnificentia.* RAPHEL.

Qua aeſtate Caeſar t. p. Lepidum &c.] Locus, libris adfectus, & cui nec ego facile medendo. Vulgati nil conferunt, praeter Bonhom. qui exprimit, *qua aeſtate, Caeſar tam proſpere in Lepidum.* Si nihil deſit, tentaverim: *Qua aeſtate Caeſar tam proſpere in Lepidum in Siciliâ, paene fortuna in Caeſarem & Rempublicam* (aut, *in Caeſare & Rep.* antique) *militavit ad Orientem*, ſententia clara. *Eadem aeſtate contra Rempublicam & Caeſarem* (ſolens noſtro adulationis genus Reip. jungere Caeſarem, tanquam caput) *fortuna ſtetit ad Orientem.* Levi mutatione τὸ *bene*, in *paene*, doctus *b*, & *p.* confundi. In Livii viris maximis loco conclamato; ubi de Altinio, vulgo: *ut proditis pelli VII virali judicio eſſet*, etiam fortean, *proditis velle.* Sed quis ſcit, an in tenebris hîc & illic micaverim. Sunt, quibus placitum; *Qua aeſtate Caeſar tam proſpere L. in Sicilia devicit, bene* (immo male) *fortuna.* Ego nihil adfirmo ſerio. SCHEGK. Veſtram fidem, Muſae, quam turpiter locus elegans maculatus, an mutilatus. Tentavit induſtria ſingulari Schegkius: *Qua aeſtate Caeſar tam proſpere in Lepidum in Sicilia, paene fortuna in Caeſarem & Remp. militavit ad Orientem.* Et in hoc ſecutus librum Bonhommaei: poſt quem tentemus & nos itidem, ſi quid forte poterit clarius extricari. Sed libertate mihi opus eſt paullo majori, quam non ex mea cupidine, ſed uſu ſumam Velleji. Ergo ita auſus fuerim: *Qua aeſtate quam Caeſari proſpera in Lepidum in Sicilia, tam ſcaeva fortuna in Caeſarem & Remp. militavit ad Orientem.* quomodo conficitur idonea maxime & aperta ſententia. Verum enim verò alios etiam medicos deſiderare videtur hic locus, & non niſi ſcriptos codices: ſine quibus, qui conabitur, quidquid erit, quod praeſtiterit, itidem incertum erit, ut quod vel ego, vel ceteri omnes attulimus. ACIDAL. Nihil deeſt, nec opus ulla mutatione. hoc enim dicit: Caeſar contra Lepidum proſpere, fortuna bene in Caeſare & repub. militavit contra Antonium, quem Parthi ceciderunt. Ambitioſe & adulatorie jungit Caeſarem & rempubl., & Caeſarem tamquam caput praeponit. POMA. Edebatur hactenus: *Qua aeſtate Caeſar tam proſpere Lepidum in Sicilia * bene fortuna in Caeſare & rep. militavit ad Orientem.* In loco corrupto & mutilo varie conjecturis indultum eſt, quas enumerare ſuperſedeo.

neque enim veram lectionem facile quis invenerit. BOECLER. *Tam proſpere Libium* (in margine *Lepidum*) *in Sicilia* editio Rhenani, veteres haud dubie membranas ſecuta. Locus peſſime adfectus. Neque enim in Lepidum militavit Caeſar, ſed res novas molientem ſine bello oppreſſit. Mille opinor locis detexi in ſcriptoribus vetuſtis librariorum hanc ſupinitatem, cum bina forte concurrunt vocabula, litterarum ſimilitudine parum discrepantia, alterutrum horum uti omittant, quod & hic uſu veniſſe perſuadeor ut credam. Nimirum poſt τὸ *proſpere* ſequi oportuit, *pro re*, quod excidit: deinde pro *libium* revocandum eſt unius litterae mutatione *cibium*, ſeu *civium*. Totus ſic conſtituatur locus: *Qua aeſtate Caeſar tam proſpere pro re civium in Sicilia, paene fortuna in Caeſarem & remp. militavit ad Orientem. pro re Civium*, quaſi rei publicae, non ſuae ambitioni dediſſet Caeſar hanc expeditionem. Sic ubique ſolet Vellejus. Deinde *pro re civium* & in *remp.* concinne opponuntur inter ſe. *pene* eleganter addit, quia Antonius Caeſari ac reip. non minus infidus, quam Lepidus. ſic alibi, *Maecenas pene contentus anguſto clavo. Tam proſpere*, ſc. *militavit*, quod ſequitur, eo id refer. ſic Caeſarem & remp. etiam conjunxit ſupra cap. 45. *alterum pene imperio noſtro ac ſuo quaeſivit orbem.* Cogitabam aliquando, ſi *Lilybaeum* lateret forte ſub τῷ *Libium.* Sed cum haec ad Meſſanam geſta ſint & ad Pelorum, Lilybaeo locus vix videtur, niſi quod ex Africa trajecerat Lepidus, & à Lilybaeo Meſſanam verſus legiones duxerat. Ita hiſtorici, atque in his Appianus. Popma vulgatam ſcripturam tuetur, ut Vellejus dicat, Fortunam bene in Caeſare ac republica Orientem verſus militaſſe, caeſo nimirum a Parthis Antonio. Perizonius volebat, *tam proſpere ſibi in Sicilia.* (Ep. Syll. T. IV. p. 791. 818.) HEINS. *Eam proſpere Lepidum*, Manut. Edit. *tam proſpere Lepidum*, Eraſm. & Stephanus, qui poſt *Sicilia* vacuum reliquit verbo alicui ſpatium. ſi Heinſiana conjectura placeat, rectius legeretur *proſpere e re civium.* Ego mallem: *Qua aeſtate Caeſar tam proſpere in Lepidum in Sicilia, bene fortuna pro Caeſare & repub. militavit ad Orientem.* hoc ſenſu: damnum Antonii & cladem fuiſſe utilem Caeſari & Reipubl. quippe qui inde in odium Populi incidens, & luxuriae ſe tradens, poſtea facilem de ſe victoriam·

Cae-

Caeſari praebuerit, per quam optimus princeps Reipubl. impoſitus eſt. Fortunam hic abſentis Caeſaris vocat, cum in Lepidum bellum ſuis auſpiciis geſſiſſet. Ita Flor. IV. 2. *adverſus abſentem ducem aliquid auſa fortuna.* & ita paſſim. requiritur autem neceſſario illa oppoſitio *in Lepidum*, & *pro Caeſare*, niſi omne acumen Vellejo, qui ſibi in illis placere ſolet, demere velimus. [Jo. Chriſtius Noct. Ac. Spec. I. p. 38. legit *Caeſar jam in L. in Sic. vicit, fortuna pro C.* &c.] BURM. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 171.

Cum XIII *legionibus egreſſus Armeniam.*] Scribe, cum doctiſſimo Freinshemio, XVI. Adi eum ad Florum lib. IV. cap. 10. Malim etiam *ingreſſus*. Quomodo in Gryphiana, aliisque Velleji editionibus, emendatum. VOSS. XVI. pro XIII. reponi debere, rectiſſime monuit Cl. Noſter Freinshemius ad Flor. IV. 10. 10. E quo capite petes hiſtoriam hanc, tum ex annotatis à Camerte ſcriptoribus: quibus Dio praeſertim addendus 49. BOECLER. *Ingreſſus* Eraſm. Steph.

Et Statiano legato] Oppium Statianum nominat Dio lib. XLIX. In Plutarchi Antonio corrupte eſt Τατιανὸς, pro Στατιανὸς. Hoc eo magis moneo, ut appareat, falſam eſſe Sylburgii ſuſpicionem; qui putabat, eundem hunc eſſe, quem Florus Saxam nominat. Id vero eo etiam refellitur, quod Saxa jam eſſet interemptus; ut ex Dione, & aliis, jam ſupra oſtendimus. VOSS.

Quibus ſervari ſe poſſe.] *E quibus.* deinde, *conſilio ac fide ſervatur.* HEINS. *Periculis ſervari* dixit, ut lib. II. 28. *vindicat maximis periculis.* ubi vide.

Cum fortunam non animum.] Recte [*fortuna*], ſi fortuna primo caſu capias. Ita Horat. Epod. IV. *Fortuna non mutat genus.* Supr. tamen c. 57. dixit, *cujus fortunam mutare conſtituit.* BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 64.

Iter peterent.] An *pergerent*? Ut Cicero, Terentius & alii amant loqui. de quo ad Val. Flacc. lib. IV. 690. ſed *petere iter* etiam dici poteſt, ut *viam petere.* de quo vide Gronov. ad Liv. XLIV. 2. BURM.

Hoc M. Antonio acto, illis legionibus ſaluti fuit.] Legerem, *Hoc M. Antonii octo illis legionibus ſaluti fuit.* MANUT. At paulo ante Paterculus dixit, Antonium cum XIII. legionibus Armeniam ingreſſum eſſe, &c. Atque

ex his haud minus quartam partem amiſiſſe, quod poſtremum & hic repetens, *de quibus tamen* &c. quae verba arguunt, ſi qui numerus hoc in loco reponendus eſt, eundem eſſe oportere, quem & ſupra expreſſit. Praeterea ut ad regulas Grammaticorum hominem revocem, in his verbis, *octo illis legionibus*, τὸ *illis*, quod eſt pronomen, quemadmodum illi loquuntur, relativum, quo, quaeſo, referetur? nec enim octo, verum XIII. legiones ſupra edidit. Quod ſi Aldus e XIII. legionibus quartam partem, quam amiſſam fuiſſe Paterculus tradit, deducendam eſſe contendit, tamen ſic quoque plures quam octo ſupererunt. Verum ipſe viderit, qui iſtaec inter ſe congruere queant. Mihi quidem neque coelum, neque terram, ut ajunt, attingere videntur. Non diſplicet, quod in poſterioribus editionibus emendatum eſt: *Hoc M. Antonio atque illis legionibus.* PUTEAN. Videndum an legi poſſet, *Hoc M. Antonius acto, illis legionibus ſaluti fuit.* URSIN.

Atque illis legionibus.] Ita legendum, non *octo*, arguunt praecedentia, & Florus, apud quem XVI. *legiones.* ſtatim male vir doctus, τὸ *tertia*, omiſit. SCHEGK. Emendant, *atque legionibus*, ego, *ac tot legionibus.* LIPS. Forte legendum, *ac tot illius legionibus.* Quamquam nihil temere mutaverim. Nam, vulgatam lectionem ferri poſſe, ſupra monui. VOSS. *Atque illis legionibus.* Ita enim, vel (*ac tot illis l.*) potius legerim, quam *Hoc M. Antonio acto.* quod in libris repertum, licet ſenſum aliquem ſuſtinere poſſit, valde tamen a Vellejana elegantia videtur abeſſe. BOECLER. *Hoc M. Antonio ac tot illis legionibus ſaluti fuit.* Ita reſcripſi minimum deſcedens a veteri ſcriptura, quae habebat, *acto illis legionibus.* Voſſius, *ac tot illius legionibus.* proxime verum. Vulgo, *atque illis legionibus.* Tacitus Ann. I. cap. 6. *Germanicus, cujus in manu tot legiones. tot pulcherrimarum legionum interitus*, Valerio Maximo libro I. cap. 6. & libro VI. cap. 2. *Obſtupuerunt tot legiones tam robuſtas ſenectutis reliquias intuentes.* Adi infra c. 90. annotationes noſtras. *ac tot legionibus* Lipſius. HEINS. *Tot legiones* dici patior, ſed *tot illae legiones* durum eſt. quare mallem, *ac tot reliquis legionibus.* amiſſis enim antea duabus, mox per varia pericula magna parte exercitus, nunc indicio Romani illius, ſervata fuit pars reliqua. BURM.

De-

Deſiderata eſt.] Scribe ex editione principe, *deſiderata tertia eſt.* Agnoſcimus hinc ἀκρισίαν ſciolorum, qui optimam lectionem mutarunt. Voss. *Tertia* in Rhenani edit. expreſſa, non omitti ab aliis debuit. Boecler.

Victoriam vocabat.] Geminum pene dictum de eodem L. Flori lib. iv. cap. 10. *Egregius Imperator tandem profugit in Syriam: ibique incredibili quadam mentis vaecordia, ferocior aliquanto factus eſt; quaſi viciſſet, qui evaſerat*: ubi Philoſophice tamen magis Annaeus loquitur, quam Ethice aut Grammatice: ita enim ſolent homines, praeter ſpem vivi. Salluſtius bello Jugurthino cap. 98. *& ipſi duces feroces, ac quod ſui non fugerant, pro victoribus ſeſe agere.* Annibal apud Horatium lib. iv. Ode 4. *Cervi, luporum praeda rapacium, Sectamur ultro; quos opimus Fallere & effugere eſt triumphus.* Syrus apud Terentium Heautontimor. Actu 4. Sc. 1. —— *triumpho, ſi licet me latere tecto abſcedere.* Sed quid facio? iſta reſervanda erant Taciti verbis lib. iv. Ann. 23. *Jamque tres laureatae in urbe ſtatuae, & adhuc raptabat Africam Tacfarinas.* Gruter.

Catenis, ſed ne quid honori deeſſet, aureis vinxit.] Curtius de Dario lib. v. 12. *Agmen eorum tertio aſſecuti die, ne tamen honos regi non haberetur, aureis compedibus Darium vinciunt, nova ludibria ſubinde excogitante fortuna.* Moris antiquitus pro dignitate captivum nunc aureis, nunc argenteis, nunc ferreis vincire catenis. De aureis Clemens in Paedagogo lib. ii. *Iſtae vero veram puchritudinem obſcurant, auro eam adumbrantes, nec intelligunt quantum in ſe delictum admittunt, ſe innumerabilibus vinculis alligantes, quemadmodum dicunt apud Barbaros ſceleſtos & maleficos homines auro vinciri. Captivos hos vinctosque divites videntur eſſe aemulatae mulieres.* Auſonius de Croeſo in Solone 53. — *Croeſum in amicis habet, Vinctumque pedicis aureis, ſecum jubet Reliquum quod eſſet vitae, totum degeret.* Propertius lib. ii. 1. 33. *Aut regum auratis circumdata colla catenis, Actiaque in ſacra currere roſtra via.* Et Silius lib. xvii. 130. *Ante Syphax feretro reſidens captiva premebat Lumina, & auratae ſervabant colla catenae.* Hinc in panegyr. Maximiano dicto: *Xerxes Perſarum Rex potentiſſimus, pedicas jecit aureas in profundum, Neptunum ſe dictitans alligare.* De argenteis Dio lib. xlix. *Poſtquam cuſtodes gazae non obtemperarunt,*

& qui in armis erant, Artaxam maximum natu inter filios, regem ejus loco conſtituerunt, argenteis Artabazum catenis vinxit, quia nimirum turpe erat, regem ferreis in catenis haberi. Ammianus de Arſace, a Sapore capto, lib. XXVII. 12. *Eumque effoſſis oculis catenis argenteis, quod apud eos vanum ſuppliciorum aeſtimatur eſſe ſolatium, exterminavit ad caſtellum Agabanum nomine.* De ferreis res protrita, & quaedam non e vulgo dicam ad Ammianum mature. SCHEGK. Reges captivi aureis vel argenteis catenis vinciebantur & ducebantur. Claudianus bello Getico: *Currus regnumque catenae, Inter abundantis fati ludibria ductae.* Sic catenis aureis vinctus Darius, Croeſus & Syphax, de quo Silius lib. XVII. *Ante Syphax feretro reſidens captiva premebat Lumina, & auratae ſervabant colla catenae.* Et hic Artavasdes Armenius. Argenteis vinctus Arſaces, captivus Saporis Parthi, ut refert Appianus. Sed apud Aethiopes etiam ſervi in ergaſtulo catenis aureis vinciebantur, teſte Plutarcho & in Erotico, & Dione Chryſoſtomo in Oratione περὶ πλούτου. POPMA. Dio lib. XLIX. ἔδησεν αὐτὸν ἀργυραῖς ἀλύσεσιν. αἰσχρὸν γὰρ, ὡς ἔοικεν, ἦν, βασιλέα αὐτὸν γεγονότα σιδηραῖς δεθῆναι. *Vinxit eum argenteis catenis: turpe enim, ut videbatur, erat, regem ferreis vinciri.* Curtius de Dario: *Ne tamen honos regi non haberetur, aureis compedibus Darium vinciunt.* Sic apud Silium lib. XVII. *Ante Syphax feretro reſidens captiva premebat Lumina, & auratae ſervabant colla catenae.* Ubi παρέργως moneo, *feretrum* pro inſtrumento poni, in quo pompa triumphalis portabatur. Eadem ſignificatione vocabulum illud legitur apud Valerium Flaccum lib. III. 142. *Has precor exuvias, & opima cadavera, noſtro Linquite ait feretro,* &c. Haec enim vera lectio, ut alibi oſtendimus. VOSS. Nullo modo audiendi ſunt, qui *oneri* legunt. cui enim res ignota, cujus tot paſſim exempla extant? Curtius in eandem ſententiam de Dario a Beſſo & Nabarzane comprehenſo: *Ne tamen honos regi non haberetur, aureis compedibus Darium vinciunt.* v. 12. 20. ubi Cl. Freinshemio notata vide. Congeſſit & Schegkius complura ad hunc Noſtri locum. BOECLER.

Facultatibus licentiaque.] Tres eſſe nutriculas vitiorum, copiam, licentiam & adulationem, oſtendimus haud parce in diſcurſuum noſtrorum ad Tacitum parte prima. GRUTER.

Bel-

Bellum patriae inferre conſtituit.] Ovidius lib. 15. Metamorph. *Romanique ducis conjux Aegyptia tedae Non bene fiſa cadet, fruſtraque erit illa minata, Servitura ſuo Capitolia noſtra Canopo.* De amore Antonii in Cleopatram Horat. lib. Epodῶn. SCHEGK.

Liberum patrem.] Sed etiam Athenis. Athenaeus e quarto Socratis Rhodii. Seneca Suaſoriar. 1. Diſſenſionem Senecae & Dionis in dote notarunt Junius V. Animadv. 1. & Lipſius. eandem inſaniam inſanierunt Antigonus & Caligula. Athenaeus V. Herodian. alii. SCHEGK. Unde & Διόνυσος νέος cognominatus eſt, teſte Plutarcho. Alii aliorum Deorum aemulati ſunt habitum & caerimoniam; Bacchum autem pluribus imitari placuit, praeſertim *Mithridati*, *Antigono*, *C. Mario*, *Alexandro M.* Vide Schotti obſervat. hiſt. III. 3. & Cl. Freinshemii not. ad Curt. IX. 10. 24. BOECLER. Vid. ad Petron. cap. 41. ſic *novus Liber* Ovid. III. Met. 510. de quo vide ad Epiſt. XVI. 332.

Cum redimitus hederis.] Eodem habitu Meſſallina apud Tacitum l. XI. 31. *Simulacrum auctumni celebrans: ipſa crine fluxo thyrſum quatiens, juxtaque Silius hedera vinctus, gerere cothurnos.* plura in Commentario Lipſius. addi velim de crinibus fluxis, & hoc Catulli in nuptiis Pelei: *Saepe vagus liber Parnaſſi e vertice ſummo Thyadas effuſis evantes crinibus egit.* Et Macrob. l. 1. Saturnal. SCHEGK. *Tum* ſcribe. reſpondet enim praecedenti *cum*. Talis & Silius adulter Meſſalinae deſcribitur a Tacito Annal. XI. c. 31. HEINS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 45.

Impugnabat.] Malim *impugnarat*. BURM.

Morbo proditor.] Id eſt vitio animi. vide egregie haec illuſtrantem ſummum Gronov. ad Senec. 1. de Benefic. 14.

Et omnibus.] Nonne aequivalent, *in omnia vaenalem eſſe*, &, *in omnibus?* ego diſcrimen non video. Puto delendum poſterius τὸ, *in*, faciendumque, *in omnia, & omnibus.* Duo objicit, vaenalem ad omne facinus ac flagitium fuiſſe, & ſine diſcrimine omnibus vaenalem breviter: Ad quaevis a quovis trahi auro potuiſſe. LIPS. Lege, *& omnibus venalis.* Et ita Gryphio, & aliis, bene editum. VOSS. *Et omnibus venalis* cum Lipſio Voſſius. Ego, *in omnia omnibus venalis.* cap. 90. pari modo, *omnia omnibus locis igni ferroque vaſtata.* ubi vulgo, *& in omnibus*

bus locis. cap. III. *revocati undique omnes veterani*, non, *& omnes.* Sic & infra loco luxato cap. 103. ſcribebam, *ſit unum dixiſſe, quam ille omnia omnibus fuerit*, quando id a Lipſio jam occupatum animadverti, qui conſulendus eſt illic loci. Livius lib. XXVI. cap. 48. *cum omnia omnibus deberet.* XXVIII. 24. *cum omnia omnes auderent.* Juſtin XLIII. II. *omnia communia & indiviſa omnibus fuerunt.* Columel. I. 3. *ſed & illud cenſeo, ut omnes omnia exſequantur.* & V. II. *omnis ſurculus omni arbori inſeri poteſt.* & mox, *quo poſſit omne genus ſurculi omnibus arboribus inſeri.* ſic & lib. XIII. 26. & 27. *Nec vero terrae ferre omnes omnia poſſunt.* Apud Maronem I. Georg. 109. Ovidius de art. Amator. III. 188. *Nam non conveniens omnibus omnis erit.* Supra cap. LXIX. pari modo corrigendum, *cum Vatinius nulli in omnia non eſſet poſtferendus.* ubi vide quae a me annotantur. Non diſſimile illud Valerii Maximi, *ſi in uno Pompejo omnia reponere perſeveraſſet*, libro VIII. 68. cap. 15. HEINS. *In omnia & omnibus* Eraſm. Steph. Heinſii vero correctionem firmant ea, quae dixi ad Quinct. IX. Inſtitut. Orat. 3. Burm. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 65.

Caeruleatus & nudus, &c.] Di enim Marini antiquitus caeruleo habitu. Apulejus Mileſ. IV. de comitatu Veneris: *Adſunt*, ait, *Nerei filiae chorum canentes, & Portumnus caerulis barbis hiſpidus.* & lib. X. *Ipſe autem color Deae diviſus in ſpeciem, corpus candidum, quod coelo demeat: amictus caerulus, quod mari remeat.* & capite tecto arundine. Virgil. VIII. 33. — *eum tenuis glauco velabat amictu Carbaſus, & crines umbroſa tegebat arundo.* Immo & Neptuno glauci oculi, teſte Minutio in Octav. De Glauco poſce Servium ad illud Poëtae lib. V. 823. *Et ſenior Glauci chorus, Inousque Palaemon.* SCHEGK.

In convivio refrigeratus ab Antonio.] Ni fallor, eſt heic *refrigerare*, quod Plautus dicit, *Frigidam ſuffundere.* ACIDAL.

Cum Glaucum ſaltaſſet, in convivio refrigeratus ab Antonio, ob manifeſtarum rapinarum indicia.] Moneo diſtinctiunculam mutandam: *ſaltaſſet in convivio, refrigeratus ab Antonio.* Saltaſſe enim eum vult in convivio, non illic refrigeratum. Sed quid hoc verbi? (In hoc ſignificatu intellego, nam alias vetus) novitii, niſi fallor, & illius aevi. Valet, minus amari; ardorem illum

gra-

gratiae exſtingui; &, ut ita dicam, in amicitiam cujuſpiam frigere. Hoc inquam *Refrigerari* dicebant: atque ita Suetonii Claudio ſcriptum, cap. 41. *Cum primum frequenti auditorio commiſiſſet, aegre perlegit, refrigeratus ſaepe a ſemetipſo*, id eſt, frigore & faſtidio ſaepe affectus a ſeſe. Rem enim ipſam, & teporem illum gratiae ſive amicitiae, vocabant *Frigus*. Plinius lib. VIII. epiſt. 14. *Interim Paullo* (recitanti) *aliena deliratio aliquantum frigoris attulit.* Seneca epiſt. 123. *Votienus Montanus & amicitia Tiberii notus & frigore.* quem ſcilicet Tiberius & ardenter amavit, & ſubito faſtidivit. Nec peccet, qui Horatium ſic explicet: lib. II. Sat. 1. 62. — *majorum ne quis amicus Frigore te feriat.* Etſi alio quoque hoc commode duci haud negem. Suetonii locum noviter corrigo, Aug. cap. 66. *Deſideravit & M. Agrippae patientiam, & Maecenatis taciturnitatem: cum ille ex levi rigoris ſuſpicione, & quod Marcellus ſibi anteferretur, Mitylenas ſe contuliſſet.* Nam quis *rigori* hic locus? nec ſuſpicio de eo eſſe poteſt, ſed ſenſus. Scripſit vero *frigoris*: hac iſta noſtra mente. eoque, inquit, ſeceſſit Agrippa, quod alieniorem ſibi Auguſtum ſuſpicaretur, & praeferri atque in gratia eſſe Marcellum. Terentii illud huc quoque fecerit; *Nimirum hice homines frigent.* Atque omnino amor, ardor eſt: faſtidium aut defautio, frigus. LIPS. Repreſſus, exceptusque probris ac conviтiis. *Refrigerare* metaphorice eſt reprimere, tardare, & minuere alicujus impetum & ſtudium; ſicut *Refrigeſcere* dicitur id, quod ceſſat: quoniam frigus imminuit fervorem, & torpedinem adfert. Cicero in Verrem II. *Defeſſa & refrigerata accuſatione.* Idem ad Appium: *Refrigerato jam leviſſimo ſermone hominum.* & ad Atticum ep. 1. *Cum Romae a judiciis forum refrixerit.* Non diſſimili metaphora Plautus in Ciſtellaria dixit, *Frigidam ſuffundere*, pro clanculum mordere, probro maledictisque adſpergere, quod Graecis ſit μυκτηρίζειν. POPMA. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 171.

Transfugit ad Caeſarem.] Qui peccarunt in leges, ſtatim etiam metuunt, & per conſequens, oderunt legum cuſtodes. Itaque viderit Princeps, ut ſemper adminiſtrorum ſuorum delicta graviora puniat. etſi enim forte peccantibus ex animo ignoſcat, ii tamen non tam putant ſibi indulgeri, quam tempori. Sic apud Caeſarem

rem lib. III. Civilis belli cap. 40. transfugiunt tandem nobiles duo Allobroges, *fortaſſe non ſe liberari, ſed in aliud tempus reſervari arbitrati*; ut ibi loquitur Julius, & nos exemplis ſelectis oſtendimus ad Tacitum lib. 1. Hiſtor. capitis vigeſimi extremo. GRUTERUS.

Id probatum a Caeſare.] Principes non omnia puniunt, ſed non ideo eadem probant. Valet enim ibi illud Curtianum lib. VII. *Lynceſtes Alexander, quia primus Alexandrum regem ſalutaverat, ſupplicio magis quam crimini fuerat exemptus.* Egregie Livius de Epirotarum legatis, petentibus a Senatu, ut in amicitia priſtina eſſe liceret, lib. XXXVI. cap. 35. *reſponſum datum eſt, quo veniam impetraſſe, non cauſſam probaſſe videri poſſent.* Ad quem locum nos accuratiora. GRUTER.

Hunc mox.] Dele alterum *mox*. MANUT. Lipſius ante illud *Titius* ponendum exiſtimat *M.* id eſt, *M. Titius.* RAPHEL. Alterum *mox* delendum eſſe bene conjicit Aldus. VOSS. Dele alterum *mox*. vetus liber, *mox autem hunc mox avunculum.* Scribe, *mox autem hunc noxa avunculum Titius imitatus eſt.* eidem crimini obnoxios deſcribit Plancum Titiumque. de *noxa* ſive *noxia* dictum cap. 12. lib. 1. HEINS. Lege cum Lipſio, *mox autem hunc avunculum M. Titius.* BURM.

Vir praetorius, &c.] *Vir e pretorius.* forte, *vir e praetoriis.* SCHEGK. Lege *e praetoriis*; ita & Schegkius. VOSS.

P. Silii.] Habet editio Rhenani. Alii emendarunt, *graviſſimus P. Silii ſocer.* Quid ſi tentemus? *graviſſimus patris Silii ſocer.* Sane non leviter hanc conjecturam firment verba Auguſti apud Suetonium in vita ejus: *Acceſſerunt convivae, Vinicius, ac Silius pater.* Sic enim MSS. auctoritate legere malim, quam *Silvius*, ut vulgo editum. VOSS. Legebatur: *vir e praetorius pater ſocer.* Alii legunt: *e praetoriis*, quod non rejiciendum eſt. BOECLER. *Coponius vir e praetoriis graviſſimus*, quod Scheckius occupavit, & cum Voſſio, *patris Silii ſocer.* nam membranae, *Coponius vir & praetorius.* HEINS. Nos Rhenani editionem ſecuti, quia omnes virorum doctorum emendationes conjecturis nituntur.

Ac nefanda.] *Nefanda* habuit V. C. non audiendae ergo editiones, in quibus legitur, *miranda.* VOSS.

Caeſare deinde & Meſſalla Corvino Coſ.] Quae in hoc,

& ſequentibus duobus capitibus habentur, ſcripſere Florus IV. 11. quosque ibi Camers ac Freinshemius nominaverunt: quibus adde Propert. lib. IV. eleg. 6. tot. & Paneg. Theodoſ. Lat. Pacat. cap. 33. tot. BOECLER.

Apud Actium.] Luculenter deſcribit doctiſſimus Poëta VIII. libro ſui operis. SCHECK.

Illa marcebant omnia.] Lege, *in illa jacebant*, vel *marcebant omnia.* MANUT. Recte Rhenano editum, *illa marcebant omnia.* Quomodo etiam ex ingenio emendaverat doctiſſimus Freinshemius. VOSS.

Hinc reges firmiſſimi, illinc inopia affectiſſimi.] Torſit me olim, cum publice legerem, hic locus: credo & illum, quisquis intente leget. An *reges* a Caeſare firmisſimi, ab Antonio inopes & imbecilli? planiſſime contra eſt: nec dicam plurimi aut potentiſſimi, ſed paene omnes reges ab illo ſteterunt. Palam & vere. Ita Dio: *Συνεμάχησαν*, inquit, *τῷ Ἀντωνίῳ, οἵ τε βασιλεῖς καὶ οἱ δυνάσται πάντες, ὡς εἰπεῖν, οἱ τῇ τῶν Ῥωμαίων ἀρχῇ τότε ὑπ' ἐκείνων οὔσῃ γειτνιῶντες, οἱ μὲν αὐτοὶ, οἱ δὲ δι' ἑτέρων. Commilitabant & auxiliabantur Antonio reges dynaſtaeque omnes, ut breviter dicam, quicumque Romanum imperium, quod duobus iis tunc parebat, attingerent, alii ipſi eorum, alii per alios & ſubmiſſos.* Quin etiam in Plutarcho index, in quo nominatim reges Antonio adhaerentes recenſentur, non ſolum Orientales plerique omnes, ſed transmarini. Si voles, vide. At apud Caeſarem contra qui? neminem reperio: imo vix eſſe potuerunt. quia in illius partibus dumtaxat Italia, *Illuricum*, *Gallia*, *Hiſpania*, Africa, & inſulae interjectae. In iis autem omnibus regionibus qui tunc reges, niſi ſi forte in Africa? Ex ea ipſa Bocchum eripit nobis & transfert ad Antonium Plutarchus. Jure ergo, ut dixi, haerebam. Quid autem eſt in re? Vellejana adulatio, uti tunc cenſebam? minime: nec in ſcriptore, ſed in ſcripto culpa, quam detectam nunc tollo. Scripſit Vellejus: *hinc remiges.* Vide *μεταβολὴν*! a ſceptris venimus ad remos. Sic oportet. & docebunt te Plutarchus & Dio, Antonium hac parte maxime peccaſſe, quod hiemem coeptis ſuis interpoſuerit, atque ita claſſis, quam paratam habuerat, valde viribus imminuerit. quoniam plerique remigum rei inopia aufugiebant, vel morbo peribant. Ita neceſſum habuit *ex afflictiſſima Graecia*, ait Plutarchus, *corripere via-*

viatores, *agaſones*, *meſſores*, *adoleſcentulos: iisque aegre etiam implevit naves.* Ergo vere hic ſcriptum *remiges* fuiſſe *inopia affectiſſimos* (quae ipſa phraſis non apte cadit in reges) contra *firmiſſimos* Caeſari, recentes videlicet & bellis Siculis probe exercitatos. Lips. Philadelphum, Paphlagoniae, & Amyntam, Galatiae reges, forſan intelligit Vellejus. Hi enim ad Caeſarem transfugerunt; ut Dioni, & Zonarae, traditum. Sed, hoc paullo poſt eveniſſe, liquet ex Vellejo, qui Amyntae etiam meminit. Stabilis itaque manet emendatio Lipſii: *hinc remiges firmiſſimi.* Vide ejus Animadverſiones. Voss. Ita apud Juſtin. lib. vi. 3. Sebiſius reſcribi jubebat, *eadem militum & omnium remigum cura erat*, pro *regum.* Burm.

Navium haec magnitudo: modica ve celeritate, &c.] Lege. *Navium hic magnitudo modica cum celeritate.* Manut. Videndum an hic locus, qui manifeſte mendoſus eſt, ita corrigi poſſet, *Navium hinc magnitudo modica, ſed celeritate, adverſa illa ſpecie terribilior*, &c. Ursin. Alii, *navium hinc magnitudo modica, ſed celerior, ex adverſa illa ſpecie terr.* Burer. *Adverſa illa ſpecies terribilior.* De Antonii navibus Dio libro l. ait, eas aedificaſſe Antonium multo hoſtilibus majores, paucas triremes, reliquas omnes a quaternis usque ad denos ordines remorum capaces. Vide Florum l. iv. Schegkius. Aldus, *Nav. hinc* (vel *hic*) *magnitudo modica, cum celeritate.* Ut eſt in editione Wech. Alii, *Nav. hinc magnitudo modica, ſed celerior.* Raphel. In MS. fuit: *ſpecie & terribilior.* Veram lectionem arbitror: *navium heic magnitudo modica, at celeritate; adverſa illa ſpecie erat terribilior.* Voss. Rhenani editio, *navium haec magnitudo modicave* (v. c. *modicane*) *celeritate adverſa, illa ſpecie & terribilior.* Lege, *navium haec magnitudo modica, nec celeritati adverſa, illac ſpecie terribilior. hac*, ſcil. parte. Heins. Forte, *navium haec magnitudine modica, ac celeritate, apta, at illa:* ut illud *ne* trajectum fuerit. *habilem* Florus dicit lib. iv. 11. Burm.

Specie terribilior.] Lipſ. putat legi hic etiam poſſe, *terribiliora.* Schegkius edidit, *ex adverſo illa ſpecie terribilior.* Alii, *ex adverſa illa ſpecie terribilior.* Burrerius, *adverſa ſpecies terribilior.* Raphel. De claſſe utraque, paria narrantes videndi Dio lib. li. Strabo lib.

viii.

VIII. Plutarch. Antonio, Flor. IV. cap. II. BOECLER. Forte, *ſpecie & turribus terribilior.* ita enim Florus lib. IV. II. *turribus & tabulatis allevatae.* illud *turribus* omiſſum propter ſimiles fere ſyllabas in *terribilior.* De *turribus* in navibus, vide Scheffer. de milit. Navali lib. II. cap. 5. BURMAN.

Aliqui transfugiebant.] *Aliquid transfugiebat* vetus codex, hoc eſt, aliquid militum vel ſociorum navalium. Ni mavis, *aliquis transfugiebat.* contra idem codex cap. 76. *niſi in is aſcendiſſet*, pro *in id*; ut recte Voſſius. HEINS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 65. 391. V. IX. p. 270.

Rex Amyntas.] *Rex Myntas* Ed. Rhen.

Inde illius exemplo vir audax Dolabella.] Videndum an pro iis, quae in vulgatis editionibus mendoſe item ſunt, *Nam de illis exemplis vita natura Dolabella ad Caeſarem virque clariſſimus*, &c. poſſit legi aptiore ſententia *Inde illius exemplo vir audax Dolabella virque clariſſimus*, &c. nam verba *ad Caeſarem* ex inferiore loco irrepſerunt. URSIN. Sarta lectio, ſarta mens. Cum Beato vir doctus: *nam de illis exemplis vitae natura Dolabella*, nullo ſenſu. Matthaeus Klock, acutiſſimi ingenii juvenis, ex Rhenani, non male emendat. *Inde illius exemplo mature Dolabella ad Caeſarem.* SCHEGKIUS. Placet, quod ab amico acceptum Schegkius ponit, ſed mihi inſuper trajicienda vox una videtur. Itaque adeo totum illud ſcribam: *Rex Amyntas meliora & utiliora ſecutus mature: inde illius exemplo Dolabella, virque clariſſimus*, &c. Quod me licere mihi in alieno voluiſſe, nec humaniſſimus Schegkius, quem quia in hac literarum humanitate tantus eſt, non temere ſic appello, nec ipſe lectiſſimus Klockius, inviſi mihi uterque, non ignoti tamen è doctiſſimo alterius ſcripto, inique, ut ſpero, immo ut de talibus confido, ferre ullo pacto aut volent aut poterunt. ACIDAL. Atrox & aperta plaga; cui leve adhuc fomentum! Eſt qui legat: *Inde illius exemplo vir audax Dolabella*: alius: *inde illius exemplo mature Dolabella.* Uno verbo, nihil ad Bacchum. In autographo fuit: (certe editio prima ſic refert) *nam de illius exemplis vitae naxuta Dolabella.* Vide noſtram medicinam. *Nam Deillius exempli ſui tenax, ut a Dolabella ad Caſſium.* Nihil juveniliter jactamus, ſed prima illa ſagaciter & vere eruimus de, &

Deillio, ſive ut alii, Dellio: qui natura transfuga, & irriſus palam illo aevo. In hac re & hiſtoria, transfugiſſe aperte ſcribit Plutarchus *Q. Dellium hiſtoricum.* Dio hoc amplius, oſtendit cum Amynta illum fuiſſe, & paullo poſt de transfugio addit. Quod ſi eſt, nonne appoſite hic quoque Amyntae Vellejus eum ſubjungit? Sed cur ait, eum *exempli ſui tenacem?* ludit, & merito in hominem, nusquam & numquam fidum, & cujus jam ante nobilia aliquot transfugia. Ecce Senecae patris verba: e quibus hoc quoque, quod emendavimus, *a Dolabella ad Caſſium*, liquebit. Ille in Suaſoriis. *Belliſſimam tamen rem dixit Deillius, quem Meſſalla Corvinus deſertorem* (melius & venuſtius ſcripti libri, *deſultorem*) *bellorum civilium vocat: quia a Dolabella ad Caſſium, a Caſſio dein transmiſit ad Antonium, ab Antonio ad Caeſarem.* Et de Deillio quidem certum eſt: hoc de Dolabella ſi cui diſplicet, is legito: *exempli ſui tenax fuit & illo bello.* Quod certe haud ſperno: nam & editionibus quibusdam abſunt illa verba, *ad Caeſarem*, & videntur umnino huc translata e tertia abhinc linea, *transmiſit ad Caeſarem.* Ceterum utro modo cumque leges, diſtinctiuncula & parentheſi ſic juvabis: *Rex Amyntas meliora & utiliora ſecutus (nam Deillius exempli ſui tenax fuit & illo bello) virque clariſſimus Cn. Domitius* &c. Noto amplius, videri in fine periodi legendum: *transmiſere ad Caeſarem.* quia textus omnino ſermonis exigit Amyntam quoque comprehendi. Lipsius. Princeps editio exhibet, *illius* & *naxuta.* Palmaria plane emendatio Lipſii: *Nam Deillius exempli ſui tenax, ut a Dolabella ad Caſſium.* Seneca Suaſoria prima: *Belliſſimam rem dixit Deillius, quem Meſſala Corvinus deſultorem bellorum Civilium vocat, quia a Dolabella ad Caſſium, a Caſſio deinde transmiſit ad Antonium, ab Antonio ad Caeſarem.* Melius tamen repoſueris; *Dellius.* Nam Plutarcho, Dioni, & aliis, dicitur Δέλλιος. Voss. *Nam Deillius exempli ſui tenax ut a Dolabella ad Caſſium*, ita feliciſſimum in modum Lipſius e veſtigiis vetuſti codicis, in quo, *nam de illius exemplis vitae naxuta Dolabella ad Caeſarem, virque clariſſimus.* Opinor tantum addendum *ante. exempli ſui tenax, ut ante a Dolabella ad Caſſium. Caſſium* certe pro *Caeſare* huc revocandum locus Senecae e Suaſoriis jam ab aliis productus evincit. Error inde natus, quod τὸ *ad* Cae-

Caeſarem & praeceſſerit paullo ante & mox ſubſequatur denuo. HEINS.

Niſi nomine.] Ita cum Antonius Cleopatrae Artavasden Armeniae regem captum vinctumque, cum ſuis, oſtenderet, barbari neque alia humilitatis indicia edidere, ad quae minis promiſſisque ſtimulabantur, neque aliter quam *nomine* compellavere, *Cleopatram*, non *reginam* vocantes. Dio auctor XLIX. p. 475. BOECLER. Vid. Ampl. Cuper. IV. Obſerv. 8.

Transmiſit ad Caeſarem.] Lipſius mallet *transmiſere*, cum ad plures referatur. poteſt tamen vulgata lectio tolerari. BOECLER.

Pro ſalute alter.] Ita Pacatus paneg. XII. c. 33. *Tanta erat diſſimilitudo cauſſarum, ut ab illis* (Antonianos intellige) *fuerit Romani imperii appetita captivitas, ab his repetita libertas.* BOECLERUS.

M. Lario.] Legendum putamus, *M. Lurio*, non *M. Lario*. & gentilis fortaſſe ejus eſt, qui in aereis Augusti numiſmatibus dicitur. P. LVRIVS. AGRIPPA. III. VIR. A. A. A. F. F. URSIN. Percipio aliorum relatu, humaniſſimum & de antiquitate ſumme meritum virum, *Fulv. Urſinum* libro mihi inviſo de familiis Romanis legere, *Lurio*. SCHEGK. Adſentior Fulvio Urſino legenti, *Lurio*, quem Dion lib. XLVIII. Sardiniae praefectum fuiſſe ſcribit. *C. Lurius* in veteri inſcriptione. C. LURIUS LOCUNDUS ESSEDARIUS V. A. XXV. POPM. *Lurio* eſt in Dione. & recte. LIPS. Imo, *Lurio*. Quod ex Dione Lipſius, ex numiſmate etiam monuit Urſinus. VOSS.

Aruntio.] *Adruntio* Ed. Rhen.

Publicola.] *Publico Laſoſioque* Ed. Rhen.

Soſioque commiſſum.] Verius, *Soſſio*. Plutarchus haec omnia longe aliter, nec Soſſium inter duces agnoſcit. Dio vero etiam mortuum illum facit in levi pugna contra L. Taureſium: in qua, superventu Agrippae, ipſe & Tarcondimotus ſint caeſi. Hoc paullo ante Actiacam pugnam. At ecce vivum eum iterum facit initio libri ſequentis, & inter eos ponit, quibus ignoverit Caeſar. Quid dicam neſcio, niſi haud unum Soſſium fuiſſe. LIPS. Lipſius, *Soſſio*. Et ita Graeci. Sed Latini omnes cum Vellejo Soſium vocant. Extant etiam numiſmata Antonii, in quorum adverſa parte legitur. C. SOSIVS. ZA. Caeterum,

terum, ne cum aliis erres, duo fuere Soſii in caſtris Annii. Alter ante victoriam Actiacam in levi pugna contra L. Arruntium periit, teſte Dione lib. L. alter poſt victoriam incolumitatem ab Auguſto impetravit; teſte eodem, libro ſequenti. L. Arruntium dixi, non Taureſium, ut alii afferunt, corrupta Dionis ſcriptura inducti. Nam ubi vulgo legitur. Λουκίου Ταρησίου ναυσὶν ὀλίγαις ἐφορμοῦντος, non dubito quin reponendum ſit, Λουκίου Ἀῤῥουντίου. Huic enim laevum Julianarum navium cornu commiſſum fuiſſe, ex Vellejo noſtro conſtat. Voss. De hoc C. Soſio vide Broukh. ad Tibul. I. I. 67.

Detracto capite.] *Detrectato capite* Ed. Rhen.

Ceſſere victoriam.] *Victoria* malo, quod Latinum magis, cap. LXVI. *cedere mundo*, ut illic caſtigavimus. reſtituit Livio non ſemel, ut & Martiali, Gronovius, qui videndus libro XXIV. cap. 6. apud Valerium Maximum lib. IV. cap. I. Extr. 7. *Mileſii menſam Thaleti dederunt: ille ea ceſſit Bianti*, non *eam*, ſcripti meliores. Sic libro V. cap. II. *ubi viri feminis ſemita cederent.* cap. 7. *cariſſima ſibi conjuge filio cedere non dubitavit. & filio ſuo Cappadociae regno ceſſit.* lib I. c. 5. *libenter tibi mea ſede cedo.* & lib. VII. c. 3. *Inſtrumento ſuo cupide noſtris ceſſit.* ut illis locis meliores ſcripti. etiam alibi. Heins. Sic *victoria cedere* Quinct. lib. V. 8. vid. ad eundem lib. II. cap. I. & V. 13. utrumque tamen dici verum eſt, ideoque contra ſcriptos nihil facile mutarim. nam & Juſtinus lib. XXXII. 4. *ancipiti periculo circumventi hoſti victoriam ceſſere.* Burm.

Vitam veniamque.] Ita Claudian. IV. Conſ. Honor. 86. *Et vitam veniamque rogant.* Burm. *in marg.*

Ut ea precarentur.] Praeceſſit *vitam veniamque*, quibus hic neutrius ſubjungit generis pronomen, vid. ad lib. I. 16.

Videbit e ſuo an.] Lege, *temperaturus fuit.* Manut. Cur Rhenanum non audiverunt veriſſime emendantem, *Viderit e ſuone?* Nam in autographo erat, *Videbit e ſuone.* Phraſis nota, & crebra veteribus in rejectione aut contemptu. Lips. *Ut dubites, ſuone, an Cleopatrae arbitrio, victoriam temperaturus fuerat.* Ita caſtigarunt, cum in MS. eſſet: *Videbit, e ſuo, an Cleopatrae arbitrio* &c. Unde paullo minori mutatione legere malim: *ut dubites, ſuo, an Cleopatrae arbitrio, victoriam temperaturus fuerit.* Voss.

Voss. *Fuerit* ut ſcribatur exigit Latinitatis ratio. Vetuſtus codex, *videbit e ſuo an.* Unde *viderit* Rhenanus, approbante Lipſio. Puto, *ut ne* (vel *ne*) *dubites, ſuone an Cleopatrae arbitrio victoriam temperaturas fuerit.* Vel *ne quid dubites: dubites* etiam Thomae Munkero ſe probabat. HEINS. Male Lipſius, *videbit e ſuone* eſſe in autographo ſcribit, cum illud *ne* a Burerio ſit profectum, neque opus eſt, in prima parte *an*, vel *ne* ponere; ut vidimus ad Quinct. v. Inſt. 13. & VII. 1. & alibi: illud *viderit* non rejiciendum temere, ſi aliquid adderetur, quo referri poſſit: ſed cum ſola haec vox nullum ſenſum faciat, forte legi poſſet, *unde liquet, ſuo an Cleopatrae arbitrio temperaturus fuerit. unde* latet in *vide*, & *liquet* in *bite*. BURM.

Ex quo in quem ſtatum perv. &c.] Lege, *ex eoque in q. ſt. p.* MANUT. Manutius, *ex eoque*, qui etſi veriſimiliter, veriſimilius ego, *exque eo.* Sic enim propius ad literas: & jam ante bis pariſſimum errorem ſuſtulimus. ACIDALIUS. V. Miſc. Obſ. VIII. p. 66.

Fortuna pub.] Notanter ita loquitur Noſter, quippe deſignans initium verae Monarchiae. Qua diligentia etiam Dio LI. pr. dum diem Actiaci praelii (IV. Non. VII br.) annotaſſet, ideo ſe iſtud praeter conſuetudinem ſuam feciſſe, monet, ὅτι τότε πρῶτον ὁ Καῖσαρ τὸ κράτος πᾶν μόνος ἔσχεν, ὥστε καὶ τὴν ἀπαρίθμησιν τῶν τῆς μοναρχίας αὐτοῦ ἐτῶν ἀπ᾽ ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἀκριβοῦσθαι. *quod ab ea die primum Caeſar Octavius rerum potitus eſt ſolus, imperiique ejus recenſio praeciſe ſumatur ab hac die.* Nec diſſentire putandi ſunt, qui a reditu Auguſti in urbem Monarchiae initium numerant. Vide Hiſt. miſc. VII. 12. nam cetera nihil aliud, quam conſummatio hujus victoriae fuere. Hoc praelio nactus eſt eam poteſtatem, quam poſtea coepit Romae exercere ac uſurpare. Unde Dio ipſe principio lib. LII. de hoc tempore: ταῦτα μὲν ἔν τε τῇ βασιλείᾳ καὶ ἐν τῇ δημοκρατίᾳ, ταῖς δὲ δυναστείαις, πέντε τε καὶ εἴκοσι καὶ ἑπτακοσίοις ἔτεσι, καὶ ἔπραξαν οἱ Ῥωμαῖοι καὶ ἔπαθον. ἐκ δὲ τούτου μοναρχεῖσθαι αὖθις ἀκριβῶς ἤρξαντο. *Haec itaque Romani primo ſub Regibus, poſtea in Libertate, denique in principatibus certorum hominum, & geſſerunt & experti ſunt, annis* DCCXXV. *Ex hoc autem tempore rurſum penitus ſub unius imperio coepit eſſe Reſpublica.* Quem locum eo lubentius attuli, ut eos refutaret, qui

a Julio potius Caeſare, quam ab Auguſto initia Romanae monarchiae numerant. Dio enim, ut par erat, ante hoc tempus, & poſt Libertatem, tantum δυναστείας ſive *dominationes* agnoſcit, iisque Julii etiam principatum accenſet. qui neque diuturnus fuit, & mox repetita quamvis improſpere libertate ſublatus eſt. Itaque & *Herodianus diligentiſſimi calami ſcriptor*, ab Auguſti tempore Principatus initia numerans in praefat. ſui operis, hanc veluti cauſſam ſubjicit: ἐξ οὗπερ ἡ Ῥωμαίων δυναστεία μετέπεσεν εἰς μοναρχίαν. *nam ex eo tempore Romanorum potentia ad unius eſt arbitrium devoluta.* Conſentit *Aurelius Victor*, qui in *Caeſarib.* & Epit. 1. obſervat Auguſti tempore, & quidem poſt praelium Actiacum, *repetitum Romae morem, uni prorſus parendi.* Non tamen invideri debet *Julio Caeſari* honor primi inter Rom. Imperatores loci. Accurate enim loquendo, de *Julio & Octavio* dici poteſt, quod *Juſtinus* de *Philippo Maced. & Alexandro* judicat IX. 8, 21. *Orbis imperii fundamenta pater jecit, operis totius gloriam filius conſummavit.* BOECLERUS.

Nec quiſquam interemtus, niſi pauciſſimi, & ii, qui deprecari quidem pro ſe non ſuſtinerent.] Vetus editio, *interemptus eſt, pauciſſimi & hi.* Lege, *nec quiſquam interemtus eſt, niſi pauciſſimi, & hi, qui ne deprecari quidem pro ſe ſuſtinerent.* HEINS. Vulgata lectio ab Eraſmo, puto, fluxit.

In campis Philippis, ſi licuiſſet.] Non auſim V. C. lectionem mutare, quae eſt; *In campis Philippiis, ſi ſic licuiſſet.* Sane *Philippiis* conſtanter etiam legitur in codicibus MSS. Aurelii Victoris. *In campis Philippiis* eſt, ἐν πεδίοις Φιλιππείοις. VOSSIUS. *Philippicis* Eraſm. Stephan. & alii. *Philippis* Manut.

Sic.] Forte *ſibi.* BURM. *in marg.*

*Facturus fuerit * ad ſolium.*] Tuam fidem Apollo! non ego divinus. Recte Rhenanus plura deeſſe arbitratur. SCHEGK. Heic quidem, *modum*, addiderim. idque e loquendi Vellejano modo. De ceteris Apollo aliquis viderit: ſed verior, quam qui pridem hic divinarunt. Ceterum quod oblitus paene fueram, in Manutianis libris eſt, *victoriae ſuae facturus fuerit triumphum.* quae poſtrema vox abeſt a Schegkianis: haud ſcio conſilio, an caſu. Ego qui eam potiſſimum editionem mihi ſequendum, ut probiſſimam, in omnibus ſtatuiſſem, heic quoque ejusdem

jusdem ſcripturam, omiſſa voce, exhibui: & tamen de alterius, teſtandum duxi, ne reprehenſionis aliquam inde anſam iniquiores in nos arriperent. ACIDAL. Inepte, *triumphum.* Idem autographum, *modum.* At quae ſequuntur hiulca & mutila ſunt: nec ullum ingenium expleverit. LIPS. Spuria eſt vox *triumphum*, orta a ſepia calami Bureriani, interim nihilo magis eſt legitimum illud vocabulum *modum*, quod alii volunt fuiſſe in autographo, ſed perperam: quippe & hujus pater Rhenanus eſt, adſcripto orae editionis ſuae, *videtur deeſſe modum.* haec adnoto, non ut reprehendam, ſed ne reprehendar, quod dictionem illam hac quoque editione excluſerim. GRUTER. Ultima vox orta e ſepia calami Burreriani: & ſane digniſſima eſt, quae pro monſtro in ultimas terras ablegetur. Non dubium vero mihi, quin ejus loco ſcribi debeat, *modum*, ut εὐστόχως conjecerat Rhenanus. VOSSIUS.

Ad Soſium alarunt, in priſca gravitate celeberrimi fides, mox diu clem. &c.] Locus mendoſus. Quem ita emendandum opinabar: *At filium Meſſallae in priſca gravitate celeberrimi; non diu clem.* &c. Petrus autem Deibenius aliter eum corrigit: *At Julium Antonium*, (vel, *At filium Antonii*) *in priſca gravitate creberrime inſiſtens*, (vel, *In priſca gravitate celeberrima fide*) *mox diu clem.* Hanc autem ſibi opinionem peperit alius Velleji locus, cap. 98. Quod vero attinet ad genus loquendi, *celeberrima fide*, ſic locutus eſt idem Vellejus, ſupra, c. 63. *Plancus deinde dubia, id eſt, ſua fide, diu quarum eſſe partium, ſecum luctatus, ac ſibi difficile conſentiens, & nunc adjutor D. Bruti, & mox ejusdem proditor.* MANUT. Ut conjecturas multorum in hunc locum non damno, propterea quod in locis adeo deſperatis liberrimum uniuscujusque judicium eſſe oportet: ita mihi, credo, licebit meam ſuſpicionem proponere, quae eſt hujusmodi: *At Soſium L. Aruntii priſca gravitate celeberrimi fides, mox diu clementia. Soſium* repoſui ex Dione lib. LI. in pr. qui narrans, quomodo ſe Caeſar poſt victoriam Achaicam gesſerit adverſus eos, qui partes Antonii defenderant, haec ſubjicit: καὶ τινῶν καὶ ἐφείσατο καὶ ἐν μὲν τούτοις ὅ, τε Σόσσιος ἐπιφανὴς ἐγένετο (πολλάκις τε γὰρ ἀντιπολεμήσας αὐτῷ, καὶ τότε φυγὼν, καὶ κατακρυφθεὶς, χρόνῳ τε ὕστερον εὑρεθεὶς ὅπως ἐσώθη) καὶ Μάρκος τις. Nec dubito affirmare

hunc ipſum eſſe, quem in pugna ad Actium cum Poplicola claſſis Antonii praefectum fuiſſe Vellejus paullo ante retulit: exiſtimo etiam eundem eſſe, qui Antonii in Syria legatus rem valde bene geſſit, Judaeosque ſubegit, de quibus poſtea triumphum egit, qui notatus eſt in tabulis Capitolinis ad U. C. DCCXIX. & biennio poſt conſul fuit cum Cn. Domitio, qui utrique palam Caeſari adverſati ſunt, ſeque ad Antonium contulerunt, auctore Dione lib. L. qui eodem libro meminit Soſſii alterius, qui ad Actium interiit in pugna navali, ante ultimam illam, qua debellatum eſt. Praeterea repoſui, *L. Arruntii*, inſiſtens veſtigiis depravatae lectionis *Laruntin*. Nobile fuit per ea tempora *Aruntii*, ſive *Arruntii* nomen. Proxime Paterculus Arruntium in pugna Actiaca laevo Julianarum navium cornu praefuiſſe, Plutarchus autem mediam aciem tenuiſſe tradiderunt. L. Arruntii, ejusdem cum illo, ut opinor, aliquot poſt annis Conſulis cum M. Marcello Dio lib. LIV. & Lapides Romani meminere. Idem Dio lib. LV. in annum U. C. DCCLVIII. M. Lepidum L. Arruntium Coſſ. edit. L. quoque Arruntium Tacit. lib. I. nominat; quem, inquit ille, Tiberius divitem, promptum artibus egregiis & pari fama publice ſuſpectabat. hunc noviſſimo principatus Tiberii anno mortem ſibi conſciviſſe idem Tacit. lib. V. auctor eſt: & Dio LVIII. extr. qui eum appellat virum καὶ ἡλικίᾳ καὶ παιδείᾳ προήκοντα, quem tamen, cum tempora utriusque ſatis disjuncta conſidero, ab hoc noſtro diverſum eſſe mihi perſuadeo. Sed ſive unus, ſive plures fuerunt, certe conjectura noſtra probabilitate non caret. Dicit autem Paterculus, Soſium L. Aruntii fides, mox, &c. Caeſar ſervavit incolumem, vel quod Arruntius Soſium occultaverit, vel quod ei veniam & incolumitatem a Caeſare exorarit, quod mirifice cum loco Dionis ſupra adducto congruit. PUTEAN. Locus mutilus & corruptus, quem Aldus ita emendandum arbitrabatur, *At filium Meſſallae in priſca gravitate celeberrimi non diu clementia*, & alii aliter: ſed omnes inani conatu deſperato adhibent medicinam. POPM. Divina plane conjectura Clar. Puteani, ita hunc locum reſtituentis: *At Soſium L. Aruntii priſca gravitate celeberrimi fides*, *mox*, &c. Hoc ſenſu, vel quod L. Aruntius, ſeu potius, Arruntius, Soſium unum ex Antonianis ducibus occultarit: vel quod ei incolumitatem

a Cae-

a Caeſare exoraverit. Cui rei egregie inſervit Dionis locus ex lib. LI. ubi Soſium poſt fugam occultatum, & latentem, ab Auguſto incolumem ſervatum ſcribit. Voss. Mihi quoque vehementer placuit haec *Cl. Puteani* emendatio. Legebatur: *ad ſolium alarunt in priſca gr.* Neſcio an quidquam felicius in hoc ſcriptore reſtitutum ſit. *Soſius* (ita enim Latini ſcribunt, non *Soſſius*, ut Graeci,) *L. Aruntii fide & clementia Caeſaris ſervatus* dicitur. Aruntius occultaverat, ut arbitror; an & deprecatus pro eo Caeſarem? Boecler. Omni profecto commendatione major hujus loci reſtitutio, quae Claudio debetur Puteano, quam ſi Popma vidiſſet, non haberet hunc locum pro conclamato & depoſito. Sed poſtrema periodi in mendo etiamnum cubant. ſcribendum quippe, *nec diu cum clementia luctatum ſua Caeſar.* vel, *clementiae obluctatum ſuae.* Niſi mavis tranſpoſitis verbis, *mox diu lactatum clementia ſua Caeſar ſervavit incolumem.* Non enim auſus clementiae Caeſaris Soſius ſe credere deliteſcebat aliquamdiu, Dione teſte. Johannes Ortuinus vulgatam ſcripturam tuebatur, ut Vellejus voluerit diu fluctuaſſe Caeſarem, an venia dignaretur hominem. ſupra cap. 63. *Plancus diu, quarum eſſet partium, ſecum luctatus.* Heins. *Ad folium alarunt.* Eraſm.

Mox diu clementia ſua luctatus Caeſar.] Velim, *cum clementia.* Lips. Vid. Voſſium ad cap. 65.

Se miſcuiſſet.] *Se immiſcuiſſet.* Ed. Rhen.

Mea in Antonium majora merita ſunt, illius in me beneficia notiora &c.] Inter eximia hominum per civilia bella quietorum, ſive mediorum ac neutrius partis Lipſius VI. Polit. 6. 7. ubi de hoc argumento agit, hujus quoque Pollionis conſilium dictumque laudat. Congruit *Attici* verbum, cujus exemplum in hoc genere ſine exemplo eſt. Cum Sulla, qui plurimum amaret Atticum, Athenas ſecum cuperet deducere adoleſcentem, *Noli, oro te*, inquit, *adverſum eos me velle ducere, cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui. Corn. Nep. in vit. Attici* 4, 2. Boecler.

Diſcrimine veſtro.] Legendum fuerat, aut *e diſcrimine*, aut *diſcrimini.* Sane multoties in Vellejo *e* pro *i* ſcriptum offendimus, & quibusdam locis emendavimus. Cujus erroris fons, ut arbitror, vetus ſcriptura, qua *i* finale etiam, plerumque per *ei* diphthongum exarabatur.

Acidal. Pontanus I. Anal. 17. antique dictum putat *diſcrimine* pro *diſcrimini*, ut mox *profeſſione congruebat* & alibi. Ego, qui ſcio quam promiſcue ſaepe Veteres duobus illis caſibus uſi fuerunt, nihil muto. Virgil. VI. 466. *Teque adſpectu ne ſubtrahe noſtro.* ubi & pro *adſpectui* poſitum vult A. Gellius lib. IV. 16. Burm.

Alexandriam.] *Alexandream*, codex vetuſtus, nec immutari debuit: ſic enim Horatio, Propertio, & in nummis antiquis & vetuſtis apud Gruterum marmoribus non ſemel. ita & cap. LXVII. ſcribendum, *victus eſſet Alexandreae*, ut & aliis apud noſtrum locis. Apud Juſtinum quoque libro XXXIV. pari modo caſtigatiores membranae. Heins. *Alexandrea* in antiquis lapidibus apud Gruter. pag. 367. 3. & 525. 2. Sic Horatius lib. IV. od. 14. ex optimis codicibus: *Portus Alexandrea ſupplex Et vacuam patefecit aulam.* Ubi vide Torrent. ubi & *Antiocheam* dici docet. ſic & *Dareus*, pro *Darius* apud Ovidium in Ibide 316. veteres libri. & in omnibus illis vocabulis, quae Graecis per diphthongum *eia* ſcribuntur, Latini vel *ia* vel *ea*, vel *eïa* etiam ſcribunt, ut *Elegia*, *elegeïa*, & ſimilia. Burm.

Morte redimeret.] Haud ſecus Argentarius apud Senec. Major. VII. *P. Scipionem a majoribus ſuis deſciſcentem generoſa mors in numerum Scipionum repoſuit.* Verum adeo ut non ſine ratione pronuntiaverit Calpurn. Flaccus Declam. XXVII. *Idem eris in aevum, qui ſupremo die fueris.* de hac re nos cumulatim ad Tacit. lib. II. Hiſt. 50. medio, ubi vult Othonem *duobus facinoribus, altero flagitioſiſſimo, altero egregio tantundem apud poſteros meruiſſe bonae famae, quantum malae.* Gruter. Tali ſententia Tacitus de Sempronio Graccho I. A. 53. 7. *conſtantia mortis haud indignus Sempronio nomine: vita degeneraverat.* Contra de Juventio Laterenſi Noſter ſupra: quem *vita & morte conſentaneum* dixit. Boecl. Locus luxatus. Poſt *crimina* inſerendum *una.* quod ut omitteretur a librario, per cognationem litterarum utriusque factum vocabuli. *Multa crimina* concinne *uni morti* reſpondent. Tale illud Senecae conſolatione ad Polybium: *Ab hac infamia te vindica; ne videatur omnibus plus apud te valere unus dolor, quam haec tam multa ſolatia.* Niſi volumus ſcripſiſſe Vellejum, ut plus vice ſimplici pari de cauſa ſit peccatum hoc loco, *adeo ut multa*

temu-

temulentae deſidiae crimina una morte redemerit. quod opinor verum. Erat enim vinoſiſſimus Antonius, ut e Cicerone (qui totus eſt in exagitando hoc ejus vitio) Plutarcho, ipſo etiam Vellejo ſupra cap. 63. & 82. ac aliis ſcriptoribus eſt manifeſtum. nec quicquam cauſae erat, cur id nunc hic loci a noſtro omitteretur. eodem *temulentiae* vocabulo uſus eſt & Plinius lib. XIV. Hiſt. Nat. cap. ult. ubi de ebrietate Antonii agit, *quanta per temulentiam ſuam mala orbi terrarum intulerit.* Tertullianus de Pallio. *Dabo catharticum impuritati Scauri, & aleae Curii, & vinolentiae Antonii.* De ebrietate Antonii Seneca etiam Epiſt. LXXXIII. & quis non? *ebrium Imperatorem* eundem vocavit Florus libro IV. cap. 9. ubi de Cleopatra agit, *Haec mulier Aegyptia ab ebrio Imperatore pretium libidinum Romanum imperium petit.* Quin eo dementiae progreſſus eſt, ut habitu Bacchi ſe in publico oſtentaverit, ſeque ut Bacchum divinis coli honoribus voluerit, edito ad hoc in publicum ſcripto, vinolentiae ſuae patrocinatus, teſte Plin. Hiſt. Nat. XIV. 22. hinc Macrobio in Saturnalibus teſte, *canis ad Nilum* dictus eſt ab adverſariis per jocum Antonius; facete, quod fugeret & potaret ſimul, quo videri poſſunt reſpexiſſe illa Sidonii Apollinaris Carmine VII. *profugisque bibax Antonius armis. Vinolentus Antonii furor* apud Tullium lib. XII. cap. 25. vide ejusdem Philippicas. Caſtigandus hac de re Propertii locus lib. III. El. X. ubi de Cleopatra & bello Actiaco: *Brachia ſpectavi ſacris admorſa colubris, Et trahere occultum membra ſoporis iter. Non haec, Roma, fuit tanto tibi cive verenda, Dixit, & aſſiduo lingua ſepulta mero.* Poſtremum verſum de Antonio eſſe capiendum, quis non videt? Nec tamen liquet, quid τὸ *dixit* hic loci ſibi velit prorſus ἀπροσδιόνυσον. quapropter aut cum Parente meo repone. *Et ducis aſſiduo lingua ſepulta mero.* Aut quod mihi aliquando videbatur in hunc locum incidenti. *Et dux, aſſiduo lingua ſepulta mero.* Quod genus epexegeſeos familiare Propertio. ſic alibi *pellitos ruſtica corda patres* dixerat. *Sacra colubra,* quod ſacrae Iſidi aſpides. Cognatio litterarum & ſimilitudo in vocabulis conjunctis quantas interdum concinnet turbas, nos ex parte dicemus infra ad cap. 110. HEINS. Satis *una* ſubintelligitur, & praecedentia, *non ſegniter interemit*, mortem hic virili animo inlatam notant:

tant: *hoc ſolo imitatus virum*, ut de Sardanapalo loquitur Juſtinus lib. I. 3. neque elegantiae quid accedere ex hac vocula, aut ex *temulentiae* video. Quis enim *temulentam deſidiam* umquam dixit? Si cui quid deeſſe videtur, ille legat, *multa deſidiae crimina forti morte redimeret.* abſorpta vox *forte* a non multum diſſimili *morte. redimere* vero pro penſare & compenſare ponitur, ut apud Ovid. Epiſt. XVII. 49. *vitium auctore redemit*, ubi plura dicemus. *Deſidiae crimen* dixit etiam Propert. I. 12. BURM.

Illata aſpide.] Verba ſunt partim luxata, partim corrupta, quae ita reſtituenda putamus: *At Cleopatra fruſtratis cuſtodibus, illata aſpide ſinui, morſu ejus, expers muliebris metus, ſpiritum reddidit.* URSIN. Cui dubium eſſe poterit, eo ordine verba collocanda? *morſu ejus, ſane expers muliebris metus.* Idque exemplum habeant, qui alia multa nos transpoſuiſſe criminaturi ſunt. ACIDAL. Nolo aliorum commentis refellendis lectoris patientia abuti. Repone, *in morſu ſane ejus expers muliebris metus* &c. *in morſu*, hoc eſt, *inter mordendum.* Videas hinc, quam belle alii veterem lectionem immutaverint: in qua nihil ſane vitii fuit, niſi quod diſtinctio poſt τὸ *ejus* ſit tollenda: uti à nobis factum. VOSS. *In morſu* vetuſtus liber, hoc eſt in ipſo ejus morſu, ſed *inmorſu* unica voce videtur ſcribendum, cum a *mordere, admordere, demordere, promordere, immordere* deducantur. *admordere* paulo ante apud Propertium de Cleopatra habuimus (quo verbo Plautus etiam & Maro ſunt uſi.) *Pectora ſpectavi ſacris admorſa colubris. Immordere* eidem alibi, *Et collum immorſi dentis habere notam.* Lib. III. Eleg. VII. denuo idem Propertius: *Immorſo aequales videant mea vulnera collo.* Sic & ibi ſcribendum. Gloſſae Labbaei: *Immorſus*, ἄδηκτος, & *immordoſus*, ἄδηκτος, quod ratio tamen Linguae Latinae vix admittit, ut *immorſus* dicatur, qui non eſt morſus; apud Maronem tamen II. Georg. 379. multi codices *admorſu.* & *admorſu ſignata in ſtirpe cicatrix.* ut *immorſu* noſter. Apud Silium lib. IV. 232. *admorſae immurmurat haſtae.* Gell. VII. 9. ex Plauti Aulularia citat, & *admordere hominem. Demorſi ungues* apud Perſium. *Praemordere linguam* apud Lucanum lib. VI. vſ. 579. *praemorſiſſet medium* Plautus uſus & A. Gellius. Ceterum videtur ſcribendum, *inlatae aſpi-*

ſpi-

ſpidis immorſu ſanioſo expertem muliebris metus ſpiritum reddidit. tum mox, *juſſuve ejus ſit interemtus.* τὸ *ſit* exciderat. Fuit cum opinaret, τὸ *dentis* excidiſſe. *Illata aſpide, dentis admorſu ſanioſi.* quomodo apud Symmachum lib. 1. Ep. 24. *An vereris aemuli venena lectoris, ne libellus tuus admorſu duri dentis uratur? Sanies* pro veneno ſerpentum ſaepe apud ſcriptores occurrit. Appoſite Lucanus lib. IV. 724. *Aſpidas ut Pharias cauda ſolertior hoſtis Ludit, & iratas incerta provocat umbra, Obliquansque caput vanas ſerpentis in auras Effuſae, tuto comprendit guttura morſu Letiferam citra ſaniem.* Reddendum id vocabuli & Propertio lib. III. El. 4. *Illum turgentis ſanie portenta rubetae, Et lecta e feris ignibus oſſa trahunt.* Sic iſta e membranarum veſtigiis concinnanda. Nam τὸ *ranae rubetae* ex interpretamento profluxit. Ni mavis tamen: *Et ſecta e foetis anguibus exta trahunt.* Quomodo apud Naſonem, IV. Faſt. 638. *Extaque fumoſis ſecta dedere focis.* Certe codices vetuſti immane quantum turbarum cient hic loci. quorum plerique, *Et lecta execta anguibus oſſa.* Voſſianus, *Et laeta exectis anguibus.* Modianus, *Et lecta ex fectis.* pro *ex foetis anguibus.* Mentelianus, *ex fatis.* Meus, *ex actu.* Codex, quo magnus Scaliger eſt uſus, & cujus excerpta penes virum illuſtrem Conſtantinum Hugenium Zulichemum adſervantur, pro diverſa lectione, *exta*, cum *oſſa* in contextu exhibeat. Si quis priorem conjecturam malit, meminerit velim, *feros ignes* de rogalibus intelligendos, quomodo & aliis ſcriptoribus paſſim dicuntur, ut & *ſupremi ignes*, & *extremi*, de quibus complura ad ipſum Propertium, qui libro I. El. 15. *Conjugis Evadne feros elata per ignes.* Ubi *miſeros ignes* minus convenienter nunc eſt legere. Oſſa autem ſemicremata a veneficis colligi e rogis ſolita, notius eſt, quam ut pluribus exemplis adſtrui mereatur. *Certaque de tepidis colligit oſſa rogis* apud Naſonem Medea. apud Tibullum venefica lib. I. El. II. *de tepido devocat oſſa rogo.* Par uſus in magicis extorum anguineorum. Mox lege apud eundem Propertium verſibus proxime ſubſequentibus: *Et ſtrigis inventae per buſta jacentia plumae, Vinctaque funeſto lanea vitta toro.* Libri vulgati ſine ſenſu, *Cinctaque funeſto lanea vitta viro.* Verum in codice meo non *Cinctaque*, ſed *Junctaque.* Torum mortualem, quo functi fato defere-

ferebantur in rogum, vittis fuiſſe velatum alibi probabimus. *tori* & *viri* vocabula frequentiſſime in vetuſtis confundi membranis ad Naſonem jam olim exemplis non paucis hanc in rem prolatis oſtendimus. *buſta jacentia*, jam collapſa. Nunc ad rem e deverticulo. *ſaniem* pro veneno poni jam vidimus. contra *virus* pro *ſanie* apud eundem Lucanum lib. I. de tauro immolato: —— *Sed vulnere largo Diffuſum rutilo nigrum pro ſanguine virus Emicuit. Tabificam exſpirans ſaniem* ſerpens apud Silium libro VI. Sic & Naſo Met. IV. & Seneca Medea. hinc *ſanioſus*. Plinius Nat. Hiſt. lib. VII. cap. 15. *Aut non vitales partus eduntur, aut ſanioſi, ut auctor eſt Nigidius. Sanioſa lues* apud Apulejum Mileſiorum initio, qui locus nunc circumfertur depravatiſſimus, ita conſtituendus: *Et ſtatim miſer ut cum illa acquievi, ab unico congreſſu ſanioſam & peſtilentem luem contraho.* Caeterum in Velleji hoc loco Thomas Munkerus caſtigari volebat, *& illata aſpide morſus ejus ſanie*, hoc eſt mordentis ejus, ut apud Phaedrum lib. I. fab. I. *ad meos hauſtus*, pro me haurientem. HEINS. Memoriae vitio Heinſium hic tanquam Propertii verſum laudare, *Et collum immorſi dentis habere notam*, notavit Broukh. ad lib. III. VI. 21. Obverſatus forte ejus animo alter verſus ex l. IV. VIII. 65. *Imponitque notam collo, morſuque cruentat.* ceterum hic mallem *morſu & ſanie ejus*, vel cum Pontano lib. I. Anal. 8. *morſu ſanieque ejus.* BURM.

Morſu ſane ejus.] Alii, *in morſu ſane ejus. Acidalius* non citra rationem transponit: *morſu ejus, ſane expers muliebris metus.* BOECLER. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 171.

Spiritum reddidit.] Anno aetatis 39. vide Horatii Odam 37. I. Carm. SCHEGKIUS.

Juſſuve ejus interemtus.] *Ejus ſit interemtus*, Heinſ. & Cellar. HUDSON. In Cellarii editione *ſit* vidi additum, ſed nec in Heinſii, nec in ulla alia repperi; ſed codici ſuo, quo uti ſolebat, adſcripſerat, forte, *ſit*. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 66, 392. V. IX. p. 270.

Ab eodem victum.] *Ob eodem.* Ed. Rhen. vitioſe, ſed offendit illud *eodem*, & mox *idem Antonius.* Quare legam, *ab eo devictum, idem Antonius.* ACIDAL.

Quam profeſſione ejus, qua ſemper uſus erat, congruebat.] Forte *quam cum profeſſione*; aut *profeſſioni.* Ut & paulo

paulo ſuperius: *Itaque diſcrimine veſtro me ſubtraham*, legendum fuerat, aut *e diſcrimine*, aut *diſcrimini*. ACID. Probior fuerit ſententia, absque iſtis, *qua ſemper uſus erat*. GRUTER. *Profeſſioni* eſt in Edit. Rhenani, Eraſmi, Steph. & alior. *profeſſione* Popma ex Acidalio, ut credo, edidit, & ita Voſſius volebat ſupr. ad cap. 65. BURM. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 66.

Ultimus.] Male. Vid. Weſſeling. I. Obſ. 26. BURM. *in marg.*

Parmenſis Caſſius.] Hiſt. Miſcell. VII. 10. *Interea juſſu Caeſaris occiſi ſunt, major Antonii filius, & P. Canidius, infeſtiſſimus quidem Caeſari, ſed & Antonio infidus, & Caſſius Parmenſis, ultima violati patris victima, & Q. Ovinius*, &c. Omnino autem non videtur repudianda admonitio Aldi, qui pro vulgato (*ut dederat Trebonius*) legit, *ut dederat primus Trebonius*. Certe particula συγκριτικὴ frigide uſurpata videbitur, ſi ad necem potius, quam ad aliquam necis περίστασιν referatur. BOECL.

Ut dederat Trebonius.] Lege ex Ciceronis Philippicis, & ex Latini ſermonis obſervatione: *Ut dederat primus Trebonius*. MANUT.

M. Lepidus.] *Conjurationis* Lepidi, meminere Sueton. Aug. 19. Liv. epit. 133. Dio LIV. pag. 607. Seneca I. de clem. 9. BOECLER.

C. Maecenas.] A taciturnitate commendatus Horat. lib. II. Sermon. 6. *Et quae rimoſa bene deponuntur in aure*. Adi Suetonii cap. 66. SCHEGK.

Equeſtris & ſplendido.] Lege *equeſtri & ſplendido g. n.* MANUT. Alii libri *equeſtris*, unde ſuſpicor, *equeſtri, ſed ſplendido*. Fuit equeſtri tantum genere, inquit, ſed illo prae ceteris claro & illuſtri. Nota ejus proſapia Hetruſca praeconiis Horatianis, Propertianis, atque aliorum. ACIDAL. Multum placet, id quod in poſterioribus edit. eſt, *Equeſtri, ſed ſplendido genere natus. ſplendidum* autem dixit quia Maecenas ab Etruſcis regibus genus ſuum repetebat. PUTEAN. Faveo conjecturae Acidalianae. nam erant duo Equitum genera, de quibus conſulantur indices mei Corneliani. & alioqui noſter ſupra Cap. 19. *C. Octavius, ut non patricia, ita admodum ſpecioſa equeſtri genitus familia*. GRUTER. Editio Gryphii, aliaeque eam ſecutae, exhibent: *equeſtri, ſed ſplendido gene-*

re,

re. Quae genuina lectio, ut Grutero, Acidalio, aliiſque etiam monitum. Voſs. in Eraſmi editione jam legitur, *equeſtri, ſed ſplendido.* [*Equeſtris & ſplendido* Dempſt. de Etrur. Regali II. 55. p. 204.] BURM.

Non minus Agrippa, &c.] Inter praecipuos Auguſti amicos, imo principes amicorum fuit Maecenas, cum exceptione tamen ultimi temporis, quam Tacitus ſuppeditat III. A. 30. 6. *Provecta enim aetate* (quod & Salluſtio Criſpo acciderat) *ſpeciem magis in amicitia principis, quam vim tenuit. ſato potentiae, raro ſempiternae; an ſatias capit, aut illos, cum omnia tribuerunt, aut hos, cum jam nihil reliquum eſt, quod cupiant?* Adi Lipſ. III. Polit. II. 20. & 21. ubi egregia quaedam annotata. Scip. Amirat. diſſert. polit. ad Tac. lib. III. 4. Enenkelium in Sejano. BOECLER.

Auguſti clavi pene contentus.] Placeret magis, *anguſto clavo pene contentus.* URSINUS. Gryph. *anguſto clavo,* equeſtri ordine. nam clavo equites & ſenatores diſcreti. Lampridius in Severo: *Tum ſatis eſſe conſtituit, ut equites Rom. a ſenatoribus clavo diſcernerentur.* quid fuerit, erudite diſſerit Cujac. lib. XII. Obſerv. cap. 39. SCHEGK. Alii *anguſto clavo.* Recte. Sed τὸ *paene* an convenit? Ille vero planiſſime contentus vixit, nec opus vocula hac imminuente vel ambigente. Magis ad Maecenatis ingenium: *bene contentus,* vel *plane.* LIPS. Merito ſuſpectum fuit Lipſio illud *paene,* utique vixit non *paene,* ſed *plane* contentus anguſto clavo. niſi tamen ita velis interpretari, *Maecenatem paene nihil ſupra equeſtris dignitatis modum optaviſſe. Manſit quidem in illo ordine, ſed non una ratione ſupra equitum dignitatem honoratus eſt.* Quod autem idem vir doctiſſimus ſequentia verba in aliam faciem reformat & reſcribit, *Nec majora conſequi non potuit, ſed nunquam concupivit:* minime id quidem ferendum autumo, cum haud dubie ſenſus optimus in vulgata ſit; *potuiſſe Maecenatem non minora conſequi, ſed non tam concupiviſſe.* BOECLER. *Anguſto clavo* reſcribunt. V. C. Albertus Rubenius commentariis de lato clavo, *anguſticlavia paenula contentus,* quam conjecturam multis refellit vir elegantiſſimus Octavius Ferrarius Analectis de re veſtiaria Cap. VIII. & merito. Sed quod idem reſcribendum juſſit, *anguſti clavi honore contentus,* id aſſenſum meum non fert. magnus Lipſius, *bene,* vel *plane contentus,* dum legit;

legit; etiam aberravit a ſcopo. Fuit, & cum ego caſtigandum cenſerem, *anguſti clavi fine contentus*. ſed *contentus* regit etiam caſum ſecundum, ut monui ad Naſonem Metamorphoſ. xv. vſ. 515. ubi ſcriptus liber omnium, quos vidi, veterrimus. *Corda pavent comitum: mihi mens interrita manſit Exſilii contenta ſui*. tum & eaedem optimae membranae apud eundem Naſonem Metam. Lib. v. verſ. 169. *Contentusque fugae eſt*. leg. 37. §. nuptura de leg. 3. *Quoniam in his expreſſit, ut contentus eſſet partis dimidiae dotis*. Juſtin. lib. XLII. 2. *Scythae contenti victoriae in patriam revertentur*. Ita nimirum optimis Fuldanis in membranis ſe reperiſſe exaratum Modius teſtatur. Idem Juſtin. lib. XVIII. 7. *belli neceſſitatem excuſat; contentumque victoriarum ſuarum, punitis auctoribus miſerorum civium injurioſi exilii omnibus ſe veniam dare dicit*. Sic videtur Juſtinus ipſe reliquiſſe: editi certe libri omnes ante Bongarſium, atque in his Gryphianus codex anni CIↃ IↃ LV. qui mihi eſt ad manum, *contentumque victoriarum ſuarum*. Sed qui ſunt *auctores miſerorum civium*? Ni fallor, *punitisque auctoribus miſeriarum civilium*, per quos cives miſeri fuerunt. vide quae ad lib. I. cap. 13. de hoc vocabulo a me dicta ſunt. Dictys Cretenſ. lib. II. *Ceterum Achilles haud contentus eorum, quae geſſerat, Cilicas aggreditur*. Curtius libro VI. cap. 2. ut quidem locum exhibent pervetuſtae membranae, quas in Etruria apud Florentinos Magni Ducis aſſervat Bibliotheca ad D. Laurentii: *Satietatem epularum ludis interpellabat, non contentus artificum, quos e Graecia exciverat. Turbae quippe captivae jubebantur ſuo ritu canere inconditum & abhorrens peregrinis auribus carmen*. Quae vulgo naevis compluribus inquinata circumferuntur. Haec jam ſcripſeram, cum incido in librum de conſtructione viri ſummi Gerardi Johannis Voſſii, qui operis Grammatici poſtremus eſt, ubi plura exempla congeſſit, ut Livii illud ex Linacro, *contentus libertatis*. Appuleji ex Schioppio, *contenta manus unicae*. Ut locum Vellejanum non eſſe tentandum liqueat. Et gaudet hiſce non parum Vellejus. Ut, *acer belli*. libr. I. 3. *clariſſimus diſciplinae*. cap. 5. hujus libri, quod fruſtra ſollicitabat Cl. Puteanus. *Effuſiſſimus munificentiae*. cap. 41. *cupiti interritus*. cap. 45. *laetus animi & ingenii*. cap. 93. Eleganter autem, *paene contentus anguſti clavi Maecenas*, quod quamvis intra or-

dinem equeſtrem ſe videretur continere, *tamen urbis* praefecturam, quod munus equeſtri ordine majus, *admi*niſtraret, & plurimum gratia atque auctoritate poſſet apud Auguſtum Caeſarem. Fruſtra igitur Lipſius, *bene*, vel *plane contentus*. Tacitus Annal. III. cap. 30. de Criſpo Salluſtio: *Atque ille, quamquam promto ad capesſendos honores aditu, Maecenatem aemulatus, ſine dignitate ſenatoria multos triumphalium conſulariumque potentia anteiit.* Idem lib. VI. cap. II. *Ceterum Auguſtus bellis civilibus Cilnium Maecenatem equeſtris ordinis cunctis apud Romam atque Italiam praepoſuit.* Paria habes & apud Dionem lib. XLIX. & lib. LV. cujus verba deſcripſit Zonaras Annalium tomo ſecundo. Excogitavit nempe praefecturam urbis Auguſtus, ac primam in Maecenatem contulit, ut praetoriam poteſtatem ſic infringeret. De Maecenatis hac potentia modeſtiaque cum alii, tum Propertius etiam lib. III. 7. I. *Maecenas, eques Etruſco de ſanguine regum, Intra Fortunam qui cupis eſſe tuam: Cum tibi Romano dominas in honore ſecures, Et liceat medio ponere jura foro; Vel tibi Medorum pugnaces ire per hoſtes, Atque ornare tuam fixa per arma domum; Et tibi ad effectum vires det Caeſar, & omni Tempore tam facilis inſinuentur opes; Parcis, & in tenues humilem te colligis umbras.* HEINS. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 172.

Nec minora conſequi potuit.] Proba ſcriptura. *tam* pro *valde*, ut ſupra. Plaut. *Ferocem facis, quia te herus tam amat.* Et Plinius, notante Ampliſſimo Briſſonio: *Oratores quidem ambo, ſed tam diſpari ingenio.* Cuidam placet Rhen. *nec majora conſequi non potuit.* cui argumenta dicerem, & vitii occaſionem adderem, ſi requirere quemquam putarem. De Maecenate, in Elegia, etſi non nimis eleganti, ſuper obitu ejus: *Majus erat potuiſſe, tamen nec velle triumphos. Major res, magnis abſtinuiſſe, fuit.* E qua & alia multa, de urbis cuſtodiis, de mollitie, de otio, de fide in Auguſtum, huc referri queunt. Sed Propertius inſigniter, lib. III. Eleg. ad ipſum Maecen. *Maecenas eques Hetruſco de ſanguine regum, Intra fortunam qui cupis eſſe tuam.* Et deinceps ibidem: *Quum tibi Romano dominas in honore ſecures, Et liceat medio ponere jura foro. Vel tibi Medorum pugnaces ire per hoſtes, Atque onerare tuam fixa per arma domum: Et tibi ad effectum vires det Caeſar, & omni Tempore tam faciles inſinuentur*

nuentur opes: Parcis, & in tenues humilem te colligis umbras, Velorum plenos ſubtrahis ipſe ſinus. Crede mihi, magnos aequabunt iſta Camillos Judicia, & venies tu quoque in ora virum. Caeſaris & famae veſtigia juncta tenebis. Maecenatis erunt vera trophaea fides. Quae ideo prolixius adſcripſi, ut ſupervacuam ab iis defenderem correctionem. Negat quidam recte dici, *veſtigium famae:* negat, *veſtigium tenere.* O Dii! quam multi ergo Latine neſcierunt homines Latiniſſimi, & e quorum ipſe ſcriptis Latinitatem nobiſcum hauſit? Nam exempla quid afferam? Sed reponit, *famae faſtigia juncta tenebis.* quod quidem non magis convenit, quam quod minime. Hoc dicit enim Propertius: Quocunque veſtigia fama Caeſaris porriget, eodem fama etiam tua: quo fama Caeſar penetrabit, eo tu junctim; ita juncta famae veſtigia tenebis. Tantum quippe fide tua in Caeſarem meruiſti, tantum modeſtia: quae in veris trophaeis numeranda, nec magnis aliorum triumphis inferior habenda. Qua in explicatione ſequor veteriorum codicum lectionem: *magnos aequabunt iſta triumphos.* quae res viſa nobis accommodatior, cum aliis argumentis, tum quia de trophaeis ſtatim ſubjicitur. Acidal. Sententia legi poſtulat: *nec majora conſequi non potuit, ſed numquam concupivit.* Lips. Fruſtra mutat Rhenanus. hic enim ſenſus, Maecenas potuit conſequi non minora, quam Agrippa; ſed non tam concupivit, quam ille: vel non valde concupivit. *Tam* pro valde, ut mox cap. 89. *Dictaturam, quam ei pertinaciter deferebat populus, tam conſtanter repulit.* Plinius lib. VII. cap. 49. *Oratores quidem ambo, ſed tam diſpari eventu.* Popma. Male etiam ſollicitantur haec, id quod Popmae quoque video jam animadverſum eſſe, a Lipſio aliisque, *nec minora conſequi potuit, ſed non tam concupivit:* in quibus nihil eſt novandum. *non tam concupivit,* quam Agrippa, cujus honoribus *non minora potuit conſequi,* cum *aeque carus Auguſto eſſet Maecenas.* Pendent enim haec a ſuperioribus, quae agebant de Agrippa. Heins. *Tam* hic inſervit comparationi, ut recte Heinſius. Ita Lactant. de Morte perſec. 8. comparans Diocletianum & Maximianum, de hoc, *non erat in cuſtodiendis opibus tam diligens,* ubi male pro *valde* explicant. vid. mox ad c. 89. Burm. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 172.

Hic ſpeculatus eſt.] Tolle verbum ſubſtantivum. nam con-

conjungenda haec *τῷ reſtinxit* ſubſequenti. HEINS.

Per ſummam quietem.] Quod ſaepius monere poteram, ſemel notabo, quam ſit in ſua expoſitione Vellejus *πολιτικὸς καὶ ἠθικός.* Ecce quam paucis verbis, quantum politicae artis hic incluſit? Nonne enim omne & conſilium & encomium opprimendarum conſpirationum in eo verſatur, *ut diſſimulata ſpeculatione veluti aliud agendo, & per ſpeciem otii, conſilia ſcelerata obſerventur, & in ipſa temeritatis molitione deprehendantur: deprehenſa autem celeriter & absque omni περιεργίᾳ vindicentur, prius quam tumultus aliquis exoriri, rerumque aut hominum perturbatio intervenire poſſit: quae plerumque difficilem eam medicinam reddit.* BOECLER.

Praedicta jam Antiſtiae Servilia Lepidi uxor.] Atqui nupta juniori Lepido fuit Antonia, M. Antonii Triumviri filia: quod ita in Dionis XLIV. extremo libro leges. Scire licet igitur, illa ſpreta aut mortua, alteram ſuperduxiſſe. LIPS. Lectio haec crevit in hortis correctorum. In autographo legebatur: *Aequetur praedictae jam Antiſtiae Servilia Lepidi uxor.* Emendandum putaverim: *Aequetur praedictae jam Antiſtii, Servilia Lepidi uxor.* Ut *uxori ἀπὸ κοινοῦ* intelligatur. Porro fidem vix mereri videtur, quod de Servilia narrat Paterculus. Sane omnes antiqui id uno ore Porciae, Bruti conjugi, adſignant. Altumque de Servilia ſilentium apud Valerium Maximum, diligentem rerum talium notatorem, quique iiſdem temporibus vixerit. Ut haec mittam, nemo hiſtoricorum Serviliam Lepidi uxorem dixit; ſed Antoniam, triumviri filiam: ut apud Dionem lib. XLIV. legas. Quae etſi ſatis veriſimilia videantur, tamen Vellejo non auſim fidem detrahere. Nam factum illud Serviliae etiam reſpicere videtur Aelianus lib. XIV. cap. 45. Variae Hiſt. Γυναῖκας τῶν Ῥωμαίων ἐπαινοῦμεν Κορνηλίαν, καὶ Πορκίαν, καὶ Κεστιλίαν. Quae enim fuerit illa *Ceſtilia*? cenſuerim Σερβιλίαν reponi debere. Potuit enim eam Lepidus, Antonia ſpreta vel mortua, ſuperducere. VOSS. *Aequetur praedictae Calpurniae Antiſtii, Servilia Lepidi uxor*, ita plerique. Legebatur antea: *Aequetur praedictae jam Antiſtiae Servilia Lepidi uxor.* Unde Voſſius: *Aequetur praedictae jam Antiſtii, Servilia Lepidi uxor.* Atqui: Non *Servilia*, ſed *Antonia* Triumviri filia nupta Lepido fuit? Reſpondet Lipſius, *ſcire licet igitur, illa ſpreta*

aut

aut mortua, alteram ſuperduxiſſe. BOECLER. In veteri libro videtur exſtitiſſe, *praedictae jam Antiſtiae*. ſic certe Rhenani editio. Forte, *praedictae jam Antiſtii*: uxori videlicet. ut Calpurnia ſubintelligatur, quam ſupra nominaverat, ut ejus nomen hic iterari minus fuerit neceſſe. apud Maronem III. 319. & Juſt. XVII. 3. *Hectoris Andromache*. apud Lucanum *Catonis Marcia*. apud Naſonem *Eliſſa Sichaei*. *Cornelia Gracchi*, & *Metelli Caecilia* apud Ciceronem. *Clodia Aufilii* (quae Plinio in Hiſtor. Nat. III. 48. eſt Clodia Ofilii) & *Ciceronis Terentia*, & *Livia Rutilii*, & *Caecilia Metelli*, apud Valer. Max. apud Tacitum Ann. IV. cap. II. *Apicata Sejani*, apud Plinium Nat. Hiſt. libri VII. Indice, *Agrippina Claudii*; & apud Plin. Juniorem lib. II. Epiſt. 19. *Verania Piſonis*. Vetus denique inſcriptio Romae, Q. CAECILIAE. Q. CRETICI. F. METELLAE. CRASSI. mox Burrerius in vetuſto exemplari invenire ſe teſtatur, *praematura morte immortalem nominis ſui penſavit memoriam*. HEINS.

Vivo igni devorato.] *Ignis vivus* eſt calens, ardensque, ut contra extinctus, *ſopitus*. Sic Horatius lib. III. Carminum Ode XXI. *Vivaeque producant lucernae*. Virgil. V. Aeneid. *Sopitos ſuſcitat ignes*. ibidem: *Udo ſub robore vivit Stupa vomens tardum fumum*. Habet autem proverbii formam, *vivum ignem devorare*, flammam ori includere, de re difficili & periculoſa. Petronius Satyrico. *Nam citius flammas mortales ore tenebunt, Quam ſecreta tegent*. Symmachus, *facilius eſt ardentes favillas ore comprimere*. Cicero II. De Oratore: *Dicere ajunt Ennium flammam facilius ore in ardente opprimi, quam bene dicta tenere*. POPMA. Hinc Ariſtoph. πῦρ ζῇ, & *vivae lucernae*, apud Horatium. Imo & paſſim ab auctoribus vita igni adſcribitur. Alio plane modo *vivum ſulphur* vocant Latini, quod Graeci ἄπυρον, hoc eſt, *ignem non expertum*. Vide Plinium lib. XXXV. cap. 15. Obiter hac occaſione emendandus Ovidius lib. IV. Faſt. 739. *Caerulei fiant puro de ſulphure fumi*. Non dubito, quia legendum ſit, *vivo de ſulphure*: quomodo diſertim in optimo MS. inveni. VOSS. Vide Broukh. ad Tibul. I. V. II.

Praematuram mortem immortali nominis ſui penſavit memoria.] Ordinarium magis eſſe, *mortem penſare memoria*

ria conſtat; ſed & alteram conſtructionem exemplis probavit Vorſtius ad Juſtin. v. 2. Ita infra cap. 115. *Nulla adeo opportuna viſa eſt victoriae occaſio, quam damno amisſi penſaret militis.* vide ſupr. cap. 12. adde & Gronov. IV. obſ. 13. BURM.

Atque urbem occurſus.] Forte, *adque urbem:* De voce *Occurſus* memini ſupra quiddam dixiſſe. ACIDAL. Alterutrum ſcribe, ſive, *Caeſaris autem reverſi in Italiam a. u. occurſus*, ſive *Caeſar autem reverſus i. I a. u. quo occurſu, quo favore.* Notat autem Dio ad hanc rem, *Decretum a Senatu, ut ei urbem ingredienti virgines Veſtae, Senatus populusque cum conjugibus ac liberis occurreret.* Libro LI. LIPS. Haud opus erit huic loco emendationibus, ſi ejiciatur vocula *occurſus*, nata e gloſſa marginali, mea quidem ſententia. GRUTER. Scribe, *adque urbem occurſus. Occurſus* vero, pro *occurrens*, poſitum. Qualia exempla plurima obſervavit parens lib. IV. de Analogia cap. 13. VOSS. Nihil certius, quam ſic ſcribendum eſſe, *reverſus in Italiam atque urbem, quo occurſu.* BOXHORN. *Occurſus quo favore* vetuſtus codex. ut *occurſus* ſit ſecundi caſus. favor ipſo occurſu hominum demonſtratur. ſed cenſeo vocibus tranſpoſitis ſcribi oportere, *reverſus in Italiam, quo ad urbem occurſu, quo favore hominum,* &c. *exceptus ſit.* HEINS. Accedo Heinſianae emendationi, & minime *Caeſar occurſus*, legendum, vel ejiciendum, *occurſus*, puto. neque *occurſus* pro occurrente poſitum puto; ſed *quo occurſu* eſt, qua turba occurrentium ad gratulandum. Quinct. decl. XVIII. 2. *gaudebat etiam quod laudandus occurſibus, quod omni frequentia coetuque conſpicuus* &c. & decl. VIII. 12. *hanc ipſam indifferentiam, quam mirantur occurſus, ſtupent civitatis oculi, parentum tamen agnitio dignoſcit.* BURM.

Aetatium.] Ita prima Editio; & recte; ſic & cod. Memmii apud Suet. Aug. 31. *inſequentium aetatium principes.* Quint. II. inſt. 4. ex codice Bernenſi, *primarum aetatium ingenia.* in *ſimultatium, calamitatium,* & ſimilia in declamationibus Quinctiliani plura notavimus. BURM.

Nedum in operis ſi quidem juſti materia.] In MSS. fuit *ſiquidem.* Puto ſcribendum, *etſi quidem juſti.* VOSS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 67.

Reip. populoque Romano.] Legendum mihi videtur; reip.

reip. populi Romani. Quod jam ſupra monuimus. Voss.

Repraeſentavit.] Malim *repraeſentaret.* Acidal. *Repraeſentaverit* Editio Rhenani, quod Latini ſermonis leges requirunt. Heins. Lipſius malit *repraeſentarit.* Raphel.

Viceſimo anno.] Nam a Lentulo & Marcello COSS. quibus civilia arma primum ſumta, usque ad Caeſarem V. & Sex. Apulejum COSS. quibus poſita ſunt, tot anni numerantur. Quae deinceps Auguſtus geſſerit, habes quoque apud Virgilium VIII. & Ovidium XV. Metam. Schegk.

Allecti duo.] Ad Lipſii traditionem ad Tacit. I. Annal. 14. contra Pomponii JCti mentem: jam dixi. Schegk. An ergo jam octo praetores? Certe illis *octo praetoribus*, qui antea erant, jam Julius Caeſar, duos primo, mox plures adjecerat. Sed Vellejus Noſter Julianum numerum, quippe extra ordinem & ad tempus uſurpatum, negligere, ac de octonario ordinario, cujus paſſim apud Ciceronem mentio, loqui videtur. Ceterum *de numero praetorum varie aucto imminutoque* egit Lipſius in excurſ. ad I. A. Tacit. 14. 4. Boecler.

Antiqua Reip. forma.] Quae illa forma? an libertas? Adulatur hic Vellejus. Quanquam de *ſimulatione Auguſti*, veriſſime equidem dicitur. Nihil magis Auguſto inter initia curae, quam ſimulacro Libertatis & Reip. improvidis populi animis objecto, vim principatus interim complecti & intendere. *Eſt enim omnis dominationis novae arcanum primarium, ſimulatio antiquae.* quod nec Tiberius poſtea omiſit uſurpare. Boecl.

Revocata.] Scribo, *renovata:* cum & venuſtius ita ſit, & paullo ante vox eadem *revocata* fuerit: cujus iteratio per ſe eſt invenuſta. Acidal.

Leges emendatae utiliter. &c.] Suet. Aug. 34. *Leges retractavit, & quasdam ex integro ſanxit.* Hiſt. miſcell. VII. 19. *Clauſis Jani portis Remp. quam bello quaeſierat, pace nutrire & amplificare ſtudens, leges plurimas ſtatuit, per quas humanum genus libera reverentia diſciplinae morem gereret.* Aurel. Vict. epit. I. *Leges alias novas, alias correctas protulit ſuo nomine.* An illa, *ſuo nomine*, a gloſſatoris manu ſunt, qui in margine forte explicandae vocis, *protulit*, adſcripſerat? Flor. IV. 12, 65. *Hinc converſus ad pacem, pronum in omnia mala & in luxuriam*

 fluens

fluens ſaeculum, gravibus, ſeverisque legibus multis coërcuit. Addendus Dio LIV. & alibi, & Tac. III, 28, 3. *Sexto demum conſulatu Caeſar Auguſtus, potentiae ſecurus, quae triumviratu juſſerat, abolevit, deditque jura, quis pace & principe uteremur.* Quae poſtrema verba Clapmarius ex ratione arcani politici, qua praeſenti ſtatui ſemper accommodari leges ſolent, explicat: alias enim Regno: alias Ariſtocratiae, alias Democratiae convenire. itaque Auguſtum ſuas leges rationibus Monarchicis accommodaſſe. II. Arcan. 10. Fortaſſe tamen, conſideratis omnibus, quae meditationem hujus loci juvare poſſunt, potius audienda eſt Freinshemiana paraphraſis: *jura conſtituit ita comparata, ut eorum beneficio certa reſtitutae tranquillitatis, bonique principis utilitas ad civitatem pertingeret.* BOECLER.

Senatus ſine aſperitate nec ſine ſeveritate lectus.] Suet. Aug. 35. ubi ultima in hunc ſcriptorem cura Matthiae Berneggeri (nam hunc finem doctiſſimarum Diatribarum, acerba literis fata eſſe voluerunt) tum Auctores ceteros, tum memorabilia alia notata reperies. BOECLER.

Principes viri, &c.] Suet. Aug. 29. *ſed & ceteros principes viros ſaepe hortatus eſt, ut pro facultate quiſque monumentis, vel novis, vel refectis & excultis urbem adornarent.* Tacitus ita de hoc more loquitur III. A. 72. 1. *Erat etiam tum in more publica munificentia, nec Auguſtus arcuerat Taurum, Philippum, Balbum, hoſtiles exuvias & exundantes opes, ornatum ad urbis & poſterorum gloriam conferre.* Quae verba magnam μείωσιν habent, monente Caſaubono, ſi cum Vellejo & Suetonio conferas. ſed Tacito Monarchici auſpicii conſuetudo in mente fuit, quaſi diceret: Etiamſi alias monarchae & Principes, ut alia publice glorioſa, ita publicorum operum magnificentiam ſibi debebant aut poterant vindicare, tamen Auguſtus non obſtitit, imo (quod Noſter jam addit) ſtimulum adjecit Principibus viris, ut publicis operibus ſtruendis aut inſtaurandis ſuas opes collocarent. Non erraverit forte, qui in adjecta Taciti voce, *exundantes opes*, *arcani* latentis rationem ſibi pateretur inſinuari. Timentur, in novo praeſertim Principatu, magnae opes, virique tum alia claritudine, tum exundantibus divitiis nobiles: unde callidum iſtud, ab impio ore apud Tacitum II. A. 1, 2. *auri vim atque opes Principibus infenſas*, in

in exitium egregii hominis valuit. ſed & Ariſtoteles v. Pol. 8. inter proviſiones conſervandae reip. ponit, *ne quis ſinatur nimium opibus abundare.* Unde magiſtri dominationis, variis artibus locupletiſſimum quemque in praedam corripiunt. verum id improbum eſt, & nullo modo ferendum. ſicut & Ariſtotelicum illud ἐκκόπτειν, quo alibi & docere & velare remedium ejus rei voluit, magnae multaeque cautionis eſt. Quanto melius Auguſtus, in ſumptus publice decoros & utiles, ſpecie honoris & gloriae illexit (ita enim ſignanter loquitur Noſter) viros principes. Hoc ego pro omnibus arcanis, Regibus commendandum duxerim: cum praeſertim omnis ea laus judicio poſteritatis ad ipſos redundatura ſit. neque unquam deerunt occaſiones, quibus induci volentes poſſint ad aerarium ſublevandum, & magnificentiam publicam augendam. BOECLER.

Usque ad undecimum.] Accurate Suetonius Aug. 26. BOECLER.

Quem continuaret Caeſar] Ita V. C. Noli ergo audire editiones, in quibus eſt, *ut continuaret Caeſar.* Voss. *Ut* Erasmus edidit, *imperare* etiam eſt in Ed. Rhen. forte ſcripſerit, *quem ut continuaret, c. ſ. o. r. impetrari non potuit*, vel, *Senatus impetrare non potuit.* Ut vox *Senatus*, qui litera S. vel *Sen.* ſignabatur, interciderit, vel abſorpta fuerit ab ultima ſyllaba τοῦ *repugnaſſet*, ut centies factum deprehendimus. Certe ſequens mentio Populi requirere videtur, ut hic Senatus memoretur. praeterea hoc Hiſtoriae melius convenit: nam Dion fine lib. LIII. narrat; Auguſtum, cum conſulatum XI. gereret, & in ſenatu multa moderationis ſpecimina edidiſſet, & noluiſſet ſucceſſorem deſignare, abiiſſe ex urbe in Albanum, atque ibi ſe conſulatu abdicaſſe, ne impediretur a ſenatu, & ſubrogaſſe L. Seſtium, qui Bruto ſemper faverat, & ideo ſenatum ipſi Tribuniciam poteſtatem perpetuam, imperium Proconſulare & alios honores decreviſſe, ut facile titulo Conſulis careret. In vulgata lectione ſenſus mihi vix conſtare videtur: nam falſum eſt impetrari potuiſſe, ut continuaret undecimum, cum a tertio continuaverit conſulatum ad undecimum, ſed tunc interruperit; priora vero verba, *conſulatus tantummodo usque ad undecimum*, per ſe debent capi, quaſi dixiſſet conſulatus tantum *geſſit* usque

ad undecimum, quod verbum, vel *cepit*, aut ſimile ſubintelligendum. BURM.

Nam dictaturam, &c.] Sueton. Aug. 52. *Dictaturam magna vi offerente populo, genu nixus, dejecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus eſt.* Eutropius ad lib. I. ſub dictaturae nomine & honore regnaſſe docet. SCHECK. Item Dio tradit principio lib. LIV. veraque ἐπικρίσει conſilium Auguſti declarat, τήν τε γὰρ ἐξουσίαν καὶ τὴν τιμὴν καὶ ὑπὲρ τοὺς δικτάτωρας ἔχων, ὀρθῶς τό τε ἐπίφθονον καὶ τὸ μισητὸν τῆς ἐπικλήσεως αὐτῶν ἐφυλάξατο, *Recte*, inquit, *declinavit invidiam & odium hujus, quam offerebant, appellationis: quippe qui & honorem & poteſtatem dictatoria majorem jam haberet.* Quippe ut olim *regnum* propter tyrannidem Tarquiniorum; ita *Dictatura*, propter odium dominationis Sullanae Julianaeque, ſub titulo hujus poteſtatis exercitae, in flagrantiſſimam omnium deteſtationem venerat. Atque ſicut *Regnum* inſtituto Valerii; ita *Dictatura*, lege Antonia ex rep. jam in perpetuum quaſi exilium erant relegata. Itaque ſingulare *arcanum* prudentiae Auguſteae latet in iſtis apud Tac. I. A. 9. 5. *non regno tamen, neque dictatura*, ſed *Principis nomine conſtitutam rempub.* Licet enim haud dubie *Regis* nomen in terris auguſtiſſimum ſit (ſicut amplius dicetur in libro de *Auſpicio Regio*, quem adornamus) tamen Auguſtus merito tempori ſerviens, re ipſa *contentus fuit; nomen, quod ex ſuperbia in invidiam venerat, remiſit.* cum praeſertim vellet videri *libertatis reſtaurator*, ſicut paullo ante dictum eſt. ergo non expediebant huic ſimulationi *dominantia nomina*, aut eorum quidquam, quae libertatis everſores uſurpaverant. Florus IV, 12, 66. obſcure potius & de oblato tantum dictatorio nomine loqui, quam in re tam nota prorſus errare, exiſtimandus forte fuerit: cum ſcripſit, *Ob haec tot facta ingentia, Dictator perpetuus, & Pater Patriae dictus eſt.* Dictus ſane eſt ab offerentibus Dictaturam, ſed deprecatus eſt honorem. BOECLER.

Tam conſtanter repulit.] Valde errant Briſſonius, & Popma: qui τὸ *tam*, pro, *valde*, poni aſſerunt. Nam *quam* heic non pronomen, ſed adverbium, eique τὸ *tam* opponitur. Neque unquam abſolute *tam* pro *valde* locatum reperias: non magis ſane quam *adeo.* Quae particulae plerumque prae admiratione, aliave cauſa, reticeri

ri quiddam indicant. Et ita capi poſſit illud Plinii Nat. Hiſt. lib. VII. cap. 49. a Popma firmandae ſententiae adductum: *M. Caelius Rufus*, ſic lego, *& C. Licinius Calvus, eodem die geniti ſunt; Oratores quidem ambo, ſed tam diſpari eventu.* Vix tamen dubito, quin, *tamen*, ibi ſit reponendum: quomodo reperio in MSS. & veteri editione Parmenſi. VOSSIUS.

Bella ſub Imperatore geſta.] *Sub Imperatore congeſta* rectius ſit, ni fallor; deinde cum Lipſio, *fatigent.* HEINS.

Pacatusque.] Nec incommode, *peragratusque.* LIPS.

Fatigans.] Haec cum praecedentibus nullam efficiunt ſententiam, ni ſcribas, *fatigant*, aut potius, *fatigent.* Si paullo quid amplius tibi indulgeas, poſſint non minus appoſite *flagitant.* hocque, ut fatear, vix me teneo, quin reponam. ACIDAL. Legendum *fatigent.* LIPS. Scribo, *fatigarent*, niſi malis cum Lipſio, *fatigent.* VOSS. Scribo, *fatigaret.* BOXH. Legebatur, *fatigant.* Porro, quod *Lipſius* pro *ſubjecimus*, mox legit *ſubjiciemus*, ea mutatione non videtur opus eſſe. BOECLER. *Fatigant* eſt in editione Rhenani, Eraſmi, Stephani, & aliorum. *Fatigans* Aldus.

Imaginem principatus ejus oculis animisque ſubjecimus.] Dubius etiam ſum, magisne convenerit, *ſubjiciemus.* Filum hiſtoriae cum conſidero, ſic videtur: cum defendi quomodo illud poſſit cogito, aſſenſum commodare huic non audeo. ACIDAL. *Subjiciemus* res ipſa vult: dicet enim, non dixit. LIPS. Nihil huic tam ſimile, quam illud Flori: *faciam quod ſolent, qui terrarum ſitus pingunt, in brevi quaſi tabella totam ejus imaginem amplectar.* BOXH. *Subjecimus*, etiam ad ſequentia referri poteſt: nam auctor de opere ſuo loquens recte hoc tempore uti poteſt. quare nihil mutem.

Membris & coram altero.] Haec ſi tollentur, conſtabit ſenſus, ſi relinquuntur, ſententiam perturbant. MANUT. Quae hic ſubſequuntur in quibusdam libris, *& coram altero*, expunxi ad exemplum recentiſſimorum. Etenim quid aliud iis facerem, non videbam. ACIDAL. Tria haec verba, quae vulgo adduntur, *& coram altero*, Aldus tollit, atque alii illo duce. Nec nego ſententiam abſque iis probam eſſe: unde tamen ſic fruſtra irrepſerint? Mutari melius videatur: *& curante eo quae tam*

longa;

longa: Nempe Auguſto ſalutarem curam & medicinam abhibente reipub. lacerae. Lips. Vulgo, *coaleſcentibusque reip. membris, & coram altero, quae tam longa armorum ſeries laceraverat.* Tres voces, *& coram altero,* quidam tollunt. Mihi eam audaciam aſſumere non auſim, praeſertim cum vulgaris lectio MS. auctoritate ſuffulta ſit, niſi quod in eo fuerit, *aliero.* Ego legendum arbitror: *eo curante ſerio, quae tam longa,* &c. Ut dicat Paterculus, ſerio Auguſtum curam medicam contuliſſe membris reip. laceris. Lipſium tentaſſe video; *& curante eo, quae,* &c. Sed verborum nexus noſtrae conjecturae plus videtur favere. Vossius. Auctior membrana, ſed mendoſa, *reip. membris & coram aliero, qua tam longa.* ea variis conjecturis jam fuerunt obnoxia. Lipſius *curante eo.* Sequor litterarum ductum, & ſcribo, *eo cura majore, quia tam longa.* vel, *& eo cura majore,* Et hoc facit ad laudem Auguſti. Vult enim eo majore cura opus fuiſſe ad componenda reip. membra, quod per tam longam tot bellorum ſeriem miſere ea jam eſſent lacerata. Nempe mala inveterata majorem requirunt curam, ut tollantur, quam quae nondum ipſo uſu convaluerunt. ſic cap. cvi. *mira felicitate & cura ducis.* Paullo poſt, *Delmatia* opinor. nam ſic alibi vetuſtus codex & nummi veteres. tum, *ad certam confeſſionem adacta eſt imperii,* non *pacata* ſuſpicari liceat Vellejum ſcripſiſſe, quia *pacatus victoriis terrarum orbis* paullo ante praeceſſit, & proxime ſubſequitur, *Hiſpaniae multo varioque Marte pacatae.* Heins. Ejecerat jam haec tria verba Eraſmus. [*Et corpore jam alto* Warburt. Bibl. Brit. T. vii. p. 292.] Burm. V. Miſc. Obſ. V. ix. p. 172.

xx. & cc.] Obſcurum, ſive mutilum eſt: & intellige, *annos,* aut adde. Hoc ſane vult, annos ccxx. medios eſſe, a quo tempore vinci Dalmatia coepit ad nunc victam. Primum autem bellum in Illurios & Dalmatas fuit ſub Teuta eorum regina, anno dxxix. Poſtremum nunc, cum victi & domiti ductu Tiberii, auſpiciis Auguſti, anno dccxliii. Facilis ſupputatio. Lips. Omnino videntur eſſe addendi, *anni:* nam ſubintelligere durum fuerit. Vide de his & Alpinis nationibus Flor. iv. 12. quaeque Freinshemiana induſtria ibi adnotavit. Boecler. *Annos* addidit Voſſius, ſed Heinſius uncis incluſit.

Ad certam confeſſionem pacata eſt imperii.] Ita fere ſupra in recenſione provinciarum: *Certam Hiſpanis parendi confeſſionem extorſerat.* ACIDAL. V. Heinſ. Ep. ad Graev. 297. & Graev. Ep. 299.

Alpes feris multisque nationibus celebres.] Rectius fuerit, *feris incultisque nationibus.* Sic Pomp. Mela lib. I. cap. 19. *Reliqua ejus ferae incultaeque gentes, vaſto mari adjacentes, tenent.* De Alpinis Livius lib. XXI. cap. 32. *homines intonſi & inculti.* de Britannia idem Mela lib. III. cap. 7. *Fert populos regesque populorum: ſed ſunt inculti omnes.* Tacitus Ann. IV. cap. 46. *Decreta triumphi inſignia Poppaeo Sabino, contuſis Thracum gentibus, qui montium editis inculti, atque eo ferocius agitabant.* Vide infra cap. 116. Iterum Tacitus Ann. XIV. c. 24. *Ventum dehinc in locos cultos, demeſſaeque ſegetes.* HEINS.

Hiſpaniae.] Juſtin. XLIV. 2. 7. & XLIV. 5. 7. & 8. Jo. Gerundenſ. Paralip. a lib. IV. usque ad fin. Thuan. I. hiſt. BOECLER.

Praeſentia.] Malim, *praeſentis, nunc Agrippae*, &c. *Marte pacatae.* BURM.

Quem usque, &c. *evexerat.*] Haec omnia parentheſi comprehendenda cenſet Lipſius. RAPHEL.

Primo anno ſecundi Punici] *Secundi belli Punici.* Durius enim, ſi *bellum* ſubintelligetur. HEINS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 67. 392. V. IX. p. 271.

Multo mutuoque] Credo hunc deſignare locum Colerum ad Valer. Max. IV, 1, 2. & legere *multo multoque.* BURM. *in marg*

Imperatoribus.] Nonne odioſa, imo falſa vox, *imperatoribus*, cum mox, ut novum quid, ſubjiciat Vellejus, *illa tot conſulares, tot praetorios abſumpſit duces?* Certe vel V. C. lectio id doceat, quae eſt, *ut amiſſis praetor imperatoribus exercitibusque.* Unde ſcribendum arbitror: *Ut amiſſis praetoriis, & imperatoriis exercitibus*, aut *praetoriis imperatoriisque exercitibus.* Sane haec duo ſupra cap. 69. etiam junxit Vellejus, ubi de Statio Murco, & Criſpo Marcio, dixit, *praetoriis viris imperatoribusque.* VOSS. *Ut amiſſis praetor imperatoribus* prima editio. Scribe, *ut amiſſis Po. Ro. tot imperatoribus exercitibusque.* ſupra c. 69. caſtigandum quoque videtur, *Imperatoribusque P. Ro. validis in Syria legionibus.* Tacitus vita Agricolae cap. 41. *Tot exercitus in Moeſia, Da-*

cia-

ciaque, *& Germania*, *Pannoniaque temeritate aut per ignaviam ducum amiſſi.* ſupra cap. 70. *Hoc M. Antonio ac tot illis legionibus ſaluti fuit.* uti & illic corrigendum. HEINS. *Amiſſis P. R. imperatoribus* jam ediderat Eraſmus: eumque ſecuti reliqui. vide ſupr. ad cap. 69.

Contumelioſo XX. *annorum bello ſub duce Viriatho.*] Qui plurimum numerarunt, annos fecerunt XIV. belli Viriathini: ut Livii epitoma, & Florus. At Appianus, *annis* duntaxat *octo id bellum geſtum* aperte ſcribit. Aperte inquam, atque etiam exacte. Nam ille numerat ab anno DCVI. quo proprie id coepit: Livius & Florus ab anno DCI. quo Luſitani rebellarunt, non tamen Viriatho duce. Sed quia connexa bella fuerunt, confundunt. Quorſum haec? ut praelargum falſumque eſſe Vellejanum numerum conſtet, & parte altera truncandum. *Contumelioſo* X. *annorum bello* legito: & Juſtinum lib. XLIV. 2. auctorem habeto. *In tanta ſeculorum ſerie nullus illis dux magnus, praeter Viriathum, fuit; qui annos decem Romanos varia victoria fatigavit.* LIPS. Puto, XV. Tot enim annis circiter duravit bellum, quod Viriatho potiſſimum duce geſtum. Lipſio placuit, X. *annorum.* Cui hac in re non faveo. Scio quidem, Viriathi imperium non ultra patere, ſed videtur Vellejus de duratione belli potius, quam annis imperii Viriathi loqui. Et hac ratione etiam defendi poſſint Epitomator Livii lib. CXIV. & Florus lib. II. cap. 17. qui Viriathum XIV. annos cum Romanis bellaſſe ſcribunt. VOSS.

Per quinquennium.] Atqui *octo annos* bellum hoc Sertorio duce geſtum, & octavo ipſe caeſus. An ergo *octennium* hic legimus? an vult priores *quinque* annos ambiguos, reliquos non ſic fuiſſe? LIPS.

C. Antiſtio.] *C. Ariſtio.* Editio Rhenani.

Craſſo oppreſſo.] *Craſſo preſſo.* Ed. Rhen.

Phraates.] Dio & ceteri ſcriptores Orodis filium Pacorum, non Phraatem edunt, ut fortaſſe hic quoque *Pacorus* pro *Phraates* reponendum ſit. URSIN. Deſidero hoc loco majorem in Urſino curam, qui pro *Phraates* ſubſtitui rectius poſſe putat *Pacorus.* Nam hunc, ait, hiſtoricorum conſenſus Orodis filium facit. Quaſi vero Orodes plures habere filios non potuerit. Imo ex Juſtino, Dione, Zonara, ac aliis, triginta eum filios habuiſſe conſtat, interque eos Pacorum & Phraatem. Praeterea

tem-

temporum quoque ratio Urſini conjecturam reſpuit. Nam ex iisdem auctoribus, imo & Vellejo, conſtat, Pacorum ante fugam Antonii a Ventidio jam fuiſſe occiſum. Voss.

Remiſſa ſunt.] Recepta a Tiberio. Sueton. Auguſt. 21. Tiber. 9. SCHEGK. Florus IV. 12. 83. cum declamatoria προσθήκῃ: *Parthi quoque, quaſi victoriae poeniteret, rapta clade Craſſiana ultro ſigna retulere.* BOECLER.

Quod cognomen.] Illi Planci ſententia ſenatus indidit, ex ante diem 16. Kal. Februar. Cenſorinus cap. 21. Contra Ovidius *Idibus Januariis*: Faſt. 1. *Idibus in magni cuſtos Jovis aede ſacerdos Semimaris flammis viſcera libat ovis. Redditaque eſt omnis populo provincia noſtro, Et tuus Auguſto nomine dictus avus.* De vocis ſignificatione idem, Suetonius, Dio, Eutropius. SCHEGK. De *Auguſti* cognomine compluſcula ſunt, quae ad Suet. Aug. 7. notata reperies in Diatribis Berneggerianis. Adde, ſi placet, commentationem de Auſpicio Regio. BOECLER.

Cognomen illi viro Planci ſententia conſenſu.] Mallem *illi primo*, vel *ultro*. De Munacii Planci ſententia. vide Suet. Aug. c. VII. POPMA. *Conſenſus* prima editio, nec mutatum velim; deinde Popma *illi primo*, vel *ultro*. Sed *illi viro* commode ſe habet. Si quid immutandum, cur non *e vero*, ut apud Naſon. III. amor. 9. *Ah nimis ex vero jam tibi nomen erit.* Et in Faſtis II. 859. *Ex vero poſitum permanſit Equiria nomen.* HEINS. An, *illi vivo*: nam Florus IV. 12. *reverentius viſum eſt nomen Auguſti, ut ſcilicet jam tum, dum colit terras, ipſo nomine & titulo conſecraretur. Conſenſu* Manutii editio, & eum ſecuti Lipſius, Voſſius, Boeclerus, & alii. Heinſius dubium relinquit, an *ſententia* ſit ablativi caſus, quia ſine diſtinctione jungit cum *conſenſus*, eumque ſecutus Cellarius & Hudſon; ſed Rhen. Eraſm. Steph. & alii ita diſtinguunt, ut ſit nominativi caſus, niſi legamus, *ex Planci ſententia conſenſus*, &c. Sed ſaepe omittit copulam & Vellejus. BURM.

L. Murena, & Fannius Caepio.] Legendus Seneca de Clement. 1. cap. 9. & de Brevit. vitae. PUTEAN. Recte Vellejus jungit hos duos, tanquam unius conjurationis populares, ſive principes. Ita enim Dio LIV. p. 598. & Sueton. Tib. 8. BOECLER.

Caepio & ante hoc.] *Caepio & hoc ante.* Edit. Rhen.

Ru-

Rufus Egnatius.] Suet. Aug. 19. Dio LIII. p. 587. & ſeq. Senec. 1. de clem. 9. Tac. 1. A. 13. 6. BOECL.

In tantum quidem, ut ei praeturam continuaret.] Video ferri hoc poſſe, non deſum tamen & praeferre τῷ *ei.* quod qui attendet, non inſuper habebit. ACIDALIUS. Non quia bis Praetor; ſed hoc modo vult, continuaſſe eum & junxiſſe Praeturam Aedilitati. Opus enim intervallo annorum erat a magiſtratu ad magiſtratum: Egnatius id neglexit. Ipſe Vellejus ita interpretatur pagina ſeq. dum ait: *Praeturam Aedilitati junxiſſe*, Dio idem indicat lib. LIII. LIPS. τὸ *ei* refer ad aedilitatem. Errat vero Acidalius, qui pro *ei* mallet & reſcribi. Docet hoc ipſe Vellejus paulo poſt, his verbis: *C. Sentius Saturninus*, &c. *Egnatium florentem favore publico, ſperantemque ut praeturam aedilitati, ita conſulatum praeturae ſe juncturum, profiteri vetuit.* Liquet ergo, *continuare* Vellejo nihil aliud eſſe, quam, *continuo jungere*. VOSS.

Cum eſſet omni flagitiorum ſcelerumque conſcientia merſus.] Inſolens loquendi modus, ſi recte attendis. Quamquam Livius *merſum ſecundis rebus* Alexandrum Magnum dixit libro IX. cap. 18. Fors ſit, ut dederit Vellejus, *omni flagitiorum ſcelerumque ceu ſentina merſus.* Sic *merſam vitiorum caeno Romam* Petronius dixerat carmine de bello civili. Florus lib. III. cap. 12. *Illae opes atque divitiae adflixere ſaeculi mores, merſamque vitiis ſuis, quaſi ſentina, rempublicam peſſumdedere.* Salluſtius Catilinario bello: *Primum omnium, qui ubique probro atque petulantia maxime praeſtabant, quos flagitium aut facinus domo expulerat, hi Romam, ſicuti in ſentinam, confluebant.* Declamatio in Salluſtium, ſub Ciceronis nomine vulgata: *Niſi forte in ea te caſtra conjeciſti, quo omnis ſentina reip. confluxerat.* Quinctilianus lib. VIII. cap. 6. *Non enim, ſi recte Cicero ſentinam reip. dixit, foeditatem hominum ſignificans, idcirco probem quoque illud veteris oratoris, proſecuiſti reip. vomicas.* Cicero Agraria II. *Urbanam plebem nimium in rep. poſſe, exhauriendam eſſe, quaſi de aliqua ſentina loqueretur.* Livius lib. XXIV. cap. 29. *Hi ſentinam quandam urbis rati exhauſtam laetabantur.* Valerius Maximus, *ceu ſentina merſus*, ut ſupra c. 98. apud noſtrum loco mendoſiſſimo ſcribendum rebar de Curione: *Cujus animo volutanti in ſuis velut libidinibus nullae nec opes nec cupiditates ſufficere poſſent. Mer-*

gi conſcientia ſcelerum tamen utcumque potuit dixiſſe, ut in Piſonem Tullius, *opprimi conſcientia ſcelerum ſuorum*. HEINS. *Sentina ſcelerum merſus*, non apte dici poſſe puto. Sed *conſcientia* recte, non tamen, ut Heinſius ex illo Tullii, *opprimi conſcientia ſcelerum ſuorum*, explicem. quaſi ſibi tantum conſcius fuiſſet ſcelerum ſuorum. quid enim tunc notet *omni conſcientia*; certe legendum foret *omnium*. [*Onere* Warburt. Bib. Brit. T. VII. p. 293.] Sed capio, ut omnibus ſceleratis & flagitioſis ſe ſocium & conſcium adjunxerit. Ita egregie *ſocium conſcientiae*, explicat apud Quinct. Decl. I. 7. Cl. Schultingius, & inde *conſcientiae actio*; & *reus conſcientiae*. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 68. 391. V. IX. p. 271.

Mores habent, publica.] *Ut* recepit Eraſmus & reliqui.

Abditusque carceri cum conſciis facinoris.] Verius arbitror, *addictusque*. quod ni eſt, ego me tibi mancupi addicam. ACIDAL. Recepit Acidalii conjecturam Hudſonius. Sed licet rarior ſit hujus verbi conſtructio cum dativo, cum Virgilius aliique cum ablativo, vel cum accuſativo addita praepoſitione *in* jungant; non tamen plane ſine exemplo haec ſcripſit Vellejus. Nam & Virgil. II. Aeneid. 553. *Lateri capulo tenus abdidit enſem.* Ubi Cerda ex Senecae Troad. 48. profert: *Alto nefandum vulneri ferrum abdidit.* Et in multis locis veterum dubium eſſe poteſt, an dativus, an ablativus ſit. Certe apud Ciceron. pro Arch. 6. *ſi qui ita ſe literis abdiderunt*, Stephanus cenſebat dativum eſſe. BURM.

Aberat in ordinandis Aſiae Orientisque rebus.] Malim, *aberat ordinandis rebus*. HEINS.

Alia pr. ſeveritate.] Forte *alias priſca de veritate*. BURM. *in marg.* V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 69, 394. V. IX. p. 272.

Protraxiſſet.] Elegans verbum, de quo ad Quinctil. Declam. IV. 14. videnda, quae Cl. Schultingius & nos notavimus. BURM.

Perſeverarent.] Ellipſis eſt verbi *dicere*, quae frequentiſſima. vid. ad Phaedr. I. 29. & alibi, vel ſuſpicari liceret illud, *facturos ſe*, additum ab aliquo ſciolo, qui non putabat Latine poſſe dici, *cumque id perſeverarent*, quod tamen elegans & antiquum. vid. Cl. Graevium ad Cicer. pro Quinctio 24. & Gronov. ad Liv. XXII. 38.

 niſi

niſi apud noſtrum inf. 103. etiam *facere perſeveravit* occurreret. BURMAN.

In campum deſcendiſſent.] Ex Horatio ſumptum, qui l. III. Od. I. *Hic generoſior Deſcendat in campum petitor.*

Praeturae.] *Praeturam* videtur vocare *propraeturam.* Nam Egnatius, cum ſe candidatum profiteretur, propraeturam gerebat. Praetor autem fuerat ante ſeptennium, ut apparet ex Dione l. LIII. ubi tamen pro Μάρκος Ἐγνάτιος Ῥοῦφος, perperam perſcriptum, Μάρκος ὁ Γνάτιος Ῥοῦφος. VOSS.

Audita viſis,] &c. Sententiam etiam aliis bene dictam cum expolitione & interpretatione rationis, quae ſubeſt, effert Vellejus. Valde enim ſubtile eſt illud: *praeſentibus nos obrui, veteribus inſtrui credimus.* BOECLER.

Murena.] Muraena ſcribendum eſſe, cum a μύραινα piſce deducatur (licet adverſante lapidum antiquorum auctoritate) exiſtimat P. Manutius. HUDSON.

Per M. Agrippam.] Agrippa enim ſummopere a populo diligebatur, neque parum meritis ſuis in remp. & Auguſtum, fidebat. ideo nec Auguſtus auſus eſt Marcellum ei praeferre. Unde prima offenſionum inter Marcellum & Agrippam ſemina; quae ne erumperent, Auguſtus ſub ſpecie miniſteriorum principalium Agrippam ablegavit. Dio LIII. pag. 593. ubi etiam de magnificentiſſimo Marcelli munere. adde Sueton. Aug. 66. BOECLER.

Securo.] Legendum eſt, *ſecuro*, ut in quibusdam codicibus. PUTEAN. Vet. editio, *ſecuros.* Ex quo legendum conjicit Lipſius, *ſeçuro.* RAPHEL. Scribe, *ſecuro ei.* nam codex vetuſtus, *ſecuros ei.* & ſic Lipſius. HEINS. *Securo ei*, jam Erasmus ediderat.

Deceſſit.] An in *Stabiano?* viſum numquam ſatis laudato Scaligero ad Propertium; non Lipſio, cui, *Bajis*; quem adi ad Tacitum. SCHEGK.

Laetusque animi & ingenii.] Quidam, *lectusque animi.* ut dicimus, *lectiſſimam indolem*, & alia. ſed nec minus alterum, etſi rarius. ACIDAL. Nihil muta. vide *Cl.* Drakenb. ad Sil. Ital. VIII. 548.

Filiam Caeſaris Juliam.] Coactus repudiare priorem uxorem, quamvis eſſet ſororis Auguſti filia. Matrimonii hujus cauſſa duplex: *altera* e temporibus & negotiis petita (volebat enim Auguſtus, cum abeſſe Roma cogeretur,

geretur, ad coërcendas ſubnaſcentes turbas praeficere urbi Agrippam; qui prudentia tantae rei par, etiam dignitate principalis matrimonii ad venerationem publicam provehendus videbatur) *altera* e profunda ratione ſtatus, quam vocant, ſive potius e conſiliis dominationis; dum callidiſſimus Maecenas in aurem Principi inſuſurrat: *Agrippam jam tantum feciſti, ut vel gener tibi aſciſcendus, vel occidendus ſit.* Heu! quantus ab extremo in extremum ſaltus! nimium ille quidem, nimium magnis aulis familiaris. adeo inter ſumma & ima apud *Statiſtas*, ſi volunt ita appellari, nihil medium eſt. Adi Dionem LIV. p. 600. BOECLER.

Tib. Claudius.] *Titus Claudius* Ed. Rhen.

Primo nato.] Nemo non videt, legendum eſſe, *trimo*: ex loco ſuperiore cap. 75. nam etſi bimum nominavit, tamen ab eo tempore ad nuptias annus fere interceſſit. MANUT. Placeret, *quo puero* &c. licet *quo trimo*, ut alii emendarunt ex loco ſuperiore, placeat magis. URSIN. Legendum, *bimo*. Supra quidem, *minus bimum*, dixit Vellejus, ut e veſtigiis MS. lectionis emendavimus: ſed oportet inter fugam Liviae, ac nuptias ejusdem tempus aliquod eſſe intermedium. Eodem argumento nixus Aldus, *trimo*, caſtigandum putabat. Sed conjectura illa facile corruit iis, quae ad praedictum illum locum notavimus. VOSSIUS. Schegkius ediderat: *Quo prius nato*. Legebatur: *quo primo*, unde Aldus fecerat; *quo trimo*. In variantibus Lect. a Raphelengio editis: *quo bimo*. utrumque (*trimo* & *bimo*) habet, quo ſe tueatur. BOECLER. *Quo prius nato*, Eraſm. Steph. & Popma: *quo trimo*, *ut pr.* edidit Heinſius, Hudſon. & Cellarius: *quo prius nato* Boxhorn.

Deſpondente Nerone.] In ſcripto exemplari fuit: *reſpondente ei Nerone*. Cur itaque non ediderunt: *deſpondente ei Nerone*? Voss. Burrerius ait, videri fuiſſe in veteri exemplari, *reſpondente ei Nerone*. Ego opinor ſcribendum, *deſpondente eam Nerone*. ni mavis tolli τὸ *ei*. ſupra cap. 79. legitur quoque, *deſpondente ei Nerone*. ubi dixi, τὸ *ei* videri redundare. HEINS. *Deſpondente Nerone* Eraſmus, Stephan. Manut. & alii.

Qui protinus quantus eſt ſperari potuerat.] Puto, *ut protinus, quantus eſt, ſperari potuerit, viſuque praetulerit principem*. vel *quis*. HEINS.

Viſusque praetulerit principem.] Id videtur ita emendandum: *viſuque praetulerat principem*, &c. nam praecedit, *ſperari potuerat*, &c. Sententia vero reſpicit Euripideum illud: εἶδος ἄξιον τυραννίδος. URSIN. Poſſet *viſu* capi pro vultu, ut c. 118. *Ardorem animi vultu oculisque praeferens.* Sed duriter dictum tamen puto & turbatam hic veram vocem iisdem fere literarum ductibus conſtantem; quare forte ſcripſerit, *initiisque praetulerat principem*, ex ipſa pueritia & adoleſcentia jam futurus princeps intelligebatur. Ita mox cap. 99. *orientium juvenum initia* dixit. vide ad lib. 1. 9. [*initium aetatis* Suet. Tib. XIV. Liv. 1. 1. §. 4.] ſed & vulgata forte ſervari poſſet, ut *viſus* ſit, qui non diu ſuperfuit, ſed quem viderunt exiguo tempore Romani, & ut Virgilius, *quem oſtenderunt terris tantum fata.* [Martial. v. 62. *Procuratorem vultu qui praeferat ipſo.* Vid. Markl. ad Stat. IV. Silv. II. 54.] De verbo *praeferre* vid. infr. ad cap. 116. BURM. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 173.

Maximam difficultatem annonae.] Suetonius etiam in Tiberio, c. 8. teſtatur: *eum curam adminiſtraviſſe annonae, quae arctior inciderat.* crebra ea difficultas Romae: indeque magna laus aut odium recte ſecusve adminiſtrantibus. *ſane annonae cura aliquando Pompejo non minus addidit gloriae, quam pulſus ambitus campo, exactus hoſtis mari, oriens triumphis, occidensque luſtratus.* teſte Plinio in Panegyr. 29 vide Dion. LIV. pr. Lipſ. Elect. 1. 8. Ceterum quae illa, & cujus ſollers cura, ſufficere potuit rei annonariae Romanorum, ac in longum ſatis providere? Non immerito aliquis miretur tanti imperii tam periculoſum & anceps vitium. Ut ali poſſet populus Romanus, peregre & longinquis e locis advehenda erat annona. adeo quidem, ut horreum Romanorum, Aegyptus, vel armis occupata vel ſterilitate depleta, fame potuerit Italiam urgere. Tac. 1. A. 59. 4. Igitur haec inter intimas & ſecretiſſimas Principum ſollicitudines non poſtrema fuit: ſicut Tiberius fateri opus habuit, apud Tacit. III. A. 54. 6. in graviſſima illa ad Senatum epiſtola: *At Hercule nemo refert, quod Italia externae opis indiget, quod vita populi Romani per incerta maris & tempeſtatum quotidie volvitur, ac niſi provinciarum copiae & dominis, & ſervitiis, & agris ſubvenerint, noſtra nos ſcilicet nemora noſtraeque villae tuebuntur. Hanc P. C.*

curam ſuſtinet Princeps. haec omiſſa remp. funditus trahet. Neque tamen potuit ille ipſe, qui de hac cura gloriatur hoc loco, providere, quin ſubinde *gravitate annonae juxta ſeditionem veniretur.* Tac. VI. A. 13. 1. Cauſſa hujus mali *primo* ex divitiis & affluentia, quam tot victoriae pepererant. hinc a labore & ſtudio agriculturae in otium & voluptates verſa plebs annonam accipere potius, quam parare aſſuevit. *Altera cauſſa* latet in viſceribus degenerantis reip. dum magiſtratus quidam affectatione popularitatis largitioni frumentariae ſtudebant; & mox perturbata aſſiduis novis molitionibus republica, quicunque dominationem cupiebant, *annona populum* ineſcabant; ſive, quod Tacitus, etiam inter arcanas Auguſti artes refert I. A. 2. 2. *pelliciebant.* Quid hoc erat aliud, quam ad otium & ceſſationem ab agricultura, veluti ſignum omnibus ſuſtollere? Scilicet ita obnoxiam ſibi fidamque plebem reddebant, ac ſi ejus vitam & neceſſitates, copiam inopiamque veluti in manu haberent. Teſtatus quidem eſt ipſe Auguſtus, prodente Suetonio Aug. 42. *ſe* aliquando *impetum cepiſſe, frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quod earum fiducia cultura agrorum ceſſaret: neque tamen perſeveraſſe, quia certum haberet, poſſe per ambitionem quandoque reſtitui.* vide, quae ad hoc argumentum pertinentia P. Cunaeus commentatus eſt lib. I. de rep. Heb. cap. 3. BOECLER.

Mandato victrici.] *Vitrici*, legendum eſſe, quae ſequuntur proxime, perſpicue docent. MANUT. *Victrici* Rhen. Eraſm. & mox etiam Rhen. *victrico.*

In eo tractu.] *In eo tractatu.* Ed. Rhen.

Regnum ejus Artauasdi tradidit.] De Artauasde legere non memini, de Tigrane monet Dio; Suetonius Tiberio 9. *Deinde ducto ad Orientem exercitu, regnum Armeniae Tigrani reſtituit, ac pro tribunali diadema impoſuit.* Tacitus II. Annal. *Datus a Caeſare Armeniis Tigranes, deductusque in regnum a Tiberio Nerone. nec Tigrani diuturnum imperium fuit, neque liberis ejus, quamquam ſociatis more externo in matrimonium, regnumque. dein juſſu Auguſti impoſitus Artauasdes, & non ſine clade noſtra dejectus.* Patet diſſenſio, non conciliatio, niſi ſi forte dixeris cum Vellejo, & iſtum a Tiberio deductum. nam erroris Vellejum, qui ejus aevi, arguere haut auſim temere. SCHECK. Conſenſu aliter Romani exterique ſcriptores

ptores omnes *Tigrani* regnum datum a Tiberio aſſerunt, non *Artauasdi:* Tacitus, Suetonius, Dio, Joſephus. Noſtra, ſi vis, ad II. Annal. vide. Ergo Vellejus ſolus hoc neſcivit, aut melius ſcivit? durum dicere. & certe in rebus Tiberii ſui, tam recenti memoria, foede erraſſe Vellejum piacularis ſit culpa. Mihi ſedet mutilum defectumque locum eſſe (nonne multa in hoc libello?) & fuiſſe antea: *regnum ejus Artauasdi ereptum, Tigrani tradidit.* aut tale in hunc ſenſum. Nam etſi Tacitus & Joſephus *Artaxiam* regno dejectum volunt, non *Artauasdem:* tamen pro Velleji hac ſcriptione etiam Dio ſit, qui lib. LIV. in actis anni DCCXXXIV. diſerte ſcribit, *Tiberium miſſum ut Artabazen* (idem ille cum Artauasde) *regno pelleret, & Tigranem ei imponeret.* LIPS. Artavasdes, qui ab Antonio captus & poſt necatus fuit, duos filios reliquit, Artavasdem & Tigranem. ex his minori regnum tradidiſſe Tiberium, referunt Suetonius & Tacitus, Vellejus majori: cujus diſſenſionis cauſam puto eſſe, quod Tiberius utrumque regem fecit, ſed priorem a ſe ipſo, alterum deinde juſſu Auguſti. POPMA. Et cur hic quoque non maluerunt, *Artauasdi dedit*, cum in MS. fuerit, *Artauzdi dedit?* Caeterum vehementer hic vapulat Vellejus, quod Artauasdi a Tiberio regnum datum ſcribat, cum alii Tigranem ſubſtituant. Non excutiam aliorum conatus. Ego vulgatam lectionem ſatis ferri poſſe cenſeo. Movet locus ille Taciti II. Annal. *Datus a Caeſare Armeniis Tigranes, deductusque in regnum a Ti. Nerone. Nec Tigrani diuturnum imperium fuit, neque liberis ejus quamquam ſociatis, more externo, in matrimonium regnumque. Dein juſſu Auguſti impoſitus Artauasdes, & non ſine clade noſtra dejectus.* Videtur igitur Vellejus Tigranem omiſiſſe, quod, ut ait Tacitus, brevi tantum ſpatio imperarit. Nec eſt, quod quis Artauasdem juſſu Auguſti deductum dicat. Nam & idem de Tigrane ex Tacito cognoſcas. Sufficit, ſi a Tiberio, juſſu Auguſti, regno impoſitum ſtatuamus. VOSS. Lipſius & Schegkius ex Tacito, Suetonio, Dione, Joſepho, *Tigranem* reponunt. Vir Eruditus G. Voſſius exiſtimat Vellejum omiſiſſe Tigranem; quod brevi imperaverit, poſteaque juſſu Auguſti, per Tiberium, Artavasdes impoſitus ſit. Taciti verba, quae potiſſimum hic in disquiſitionem veniunt, ita habent, II. A. 3. 4. & 5. *oc-*

ciſo

ciſo Artaxia per dolum propinquorum, datus a Caeſare Armeniis Tigranes, &c. Non caret tamen ſuſpicione, quod omiſſo eo, quem alii plerique nominant, cujusque deducendi gratia Tiberius in Armeniam miſſus erat, Vellejus *Artauasden* potius nominat. Ut non male videatur conjeciſſe Doctiſſimus Vir, qui hunc locum mutilum defectumque autumavit. BOECLER. V. Simſ. Chr. ad A. 3983.

Artavasdi dedit.] An *didit?* pro tradit. HEINS.

Cujus rex, &c.] Puto, *cum rex*. LIPS. Recte Lipſius, *cum Rex*. VOSS. Omnino aſſentio ſcribentibus: *cum r. q. P.* BOECLER. Lipſius perperam, *cum rex quoque Parthorum*. conſtructio eſt, *cujus tanti nominis*. ſi quid mutandum, ſcripſerim: *cujus rex quoque Parthorum tanta nominis fama territus*. HEINS. V. Miſ. Obſ. V. IX. p. 173.

Reverſum inde Neronem Caeſar haud mediocris belli molem experiri ſtatuit.] Exigit ſententia & uſus loquendi ut legatur: *Reverſo inde Nerone*, vel, *per reverſum inde Neronem*, quod poſtremum magis probo. De bel. Vindel. & Rhaetico a Nerone geſto, plura Sueton. Tacit. & Dion. POPMA. *Haud mediocris belli mole* praeſtiterit. Nam Popmae illud, *reverſo Nerone*, vel, *per reverſum Neronem*, longius abit a ſcripta lectione. HEINS. Recte Heinſius. volens Neronem & ejus in re bellica prudentiam experiri, grave illi bellum commiſit. nam ita mox, *moles belli translata in Neronem. Sic experiri Sejanum* inf. 128. Ter. Hecyr. I. 2. *hanc experiamur*, & paſſim.

Quippe uterque.] Sueton. Tib. 9. Liv. Epit. 136. & ſeqq. Flor. IV. 12. 22. &c. Hiſt. Miſcell. VII. 14. Oroſ. VI. 21. Horat. IV. Carm. 4. ubi Interpretes. Dio LIV. p. 613. & 654. Strabo VII. pr. BOECLER.

Plurimo cum earum ſanguine.] Florus lib. IV. Strabo in fine IV. Horat. lib. IV. Carm. Od. 4. & 14. —— *milite nam tuo Druſus Genaunos, implacidum genus, Brennosque veloceis, & arceis Alpibus impoſitas tremendis, Dejecit acer, plus vice ſimplici. Major Neronum mox grave proelium Commiſit: immaneisque Rhaetos Auſpiciis pepulit ſecundis.* Ad quod vir doctus, hic Vellejum adulari opinatur Tiberio, quia conſtet ex Suetonii Auguſto tantum coërcuiſſe. non recte. deceptus fuit mendoſa Suetonii ſcriptura: nam ita in eo, ut in plerisque vulg.

legendum: *Domuit Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam cum Illyrico omni: item Rhaetiam & Vindelicos ac Salaſſos inalpinos: coërcuit & Dacorum incurſiones, tribus eorum ducibus caeſis.* & vero aperte adſtruit Strabo dicto loco. SCHECK. Vide Doctiſſimi Maſſon. Vitam Horatii pag. 336.

Cenſura Planci.] Dio LIV. pr. Sigon. comment. in faſt. & triumph. R. ad ann. V. C. DCCXXXI. BOECLER.

Neque ipſi honori, &c.] Lege, *Neque ipſis hon.* MANUT. Forte *ipſis*. PUTEAN. Bene Aldus emendavit *ipſis*. VOSS. *Ipſis* etiam Eraſmus edidit.

Uſui fuit.] *Uſui foret* Ed. Rhen. forte excidit, *uti ut neque* &c. *uſui foret*, vel, *fuerit*. BURM.

Vis cenſoris.] *Vis cenſori*, Ed. Rh. an *cenſoria*; ut *a* primae literae ſequentis vocis *alteri* adhaeſerit.

Implere cenſorem] Vellejus elegantiſſime, *cenſorem* pro *cenſura*: ut Apulejus noſter, *aedilem* pro *aedilitate*. Lib. I. Metam. *Annonam curamus, ait, & aedilem gerimus; & ſi quid obſonare cupis, utique commodabimus.* Nec aliter Propertium audio in Vertumno lib. IV. *Paſtorem ad baculum poſſum curare, vel idem Sirpiculis medio pulvere ferre roſam.* Nam *paſtorem curare* nil aliud, quam paſtoris munus obire, paſtorem eſſe. ACID. Vid. ad Petron. c. 94. de verbo *implere*. De vocabulis vero perſonam notantibus, pro naturali aut ſolemni ejus attributo, vide Caſaub. ad Suet. Caeſ. 1. Gronov. 1. obſ. 6. Cuper. 1. obſ. 8. & Schult. ad Quinct. 1. Decl. 2. & alios plures. BURM.

Timere deberet.] Argutius & verius: *timere deberet. nec quidquam*: Periodum totam vide. LIPS. Prorſus reſtituit hunc locum Lipſius diſtinctione ac emendatione: *Paullus vix poſſet implere cenſorem, Plancus timere deberet. nec quidquam objicere poſſet adoleſcentibus aut objicientes audire, quod non agnoſceret ſenex.* Egregie, *timere cenſorem* dicitur *debere*, qui probrorum ſibi & inquinati moris conſcius eſt. *Cur ergo Auguſtus tales conſtituit cenſores, cum hoc magiſtratu nihil debeat eſſe gravius ſanctiusque?* An voluit hac ratione cauſſam ſtruere & magnificam in publicum ſpeciem quaerere, cur in poſterum cenſuram perpetuam, quam hactenus per acciſmum recuſaverat, Princeps deberet ſuſcipere? Ita enim nec diſcordiis locum, & officio dignitatem dari, vitiis

hujus

hujus cenſurae moniti, credituri erant cives. Certe non abhorret talis calliditas ab illa Auguſti arte, qua *paulatim*, per occaſiones & machinamenta, munia magiſtratuum legumque ita in ſe traxit, ut ſponte & merito conceſſa viderentur. BOECLER.

Quod non agnoſceret ſenex.] Scribe, *quod non agnoſceret ſe ſenex*, vel, *quod non agnoſceret in ſe ſenex*. & id recte. infra tamen cap. 114. *Adjiciam & illud, quod quisquis illis temporibus interfuit, agnoſcet protinus.* agnoſcet verum. HEINS.

Caji ac Lucii nominibus adoptaverat.] Emtos a patre Agrippa per aes & libram. Sueton. Aug. cap. 6. Tacit. 1. Annal. SCHEGK. *Gaji.* Ed. Rhen.

Nominibus.] Videtur legendum, *praenominibus*, non *nominibus*. URSIN.

Filia ejus Julia.] *Filia Julia ejus*. Rhen. Edit.

Quod inchoatum Agrippa.] Verba & notatio, quae viros doctos late induxit in errorem. Nam cenſent ii, qui Faſtos nobis induſtrie & perite collegerunt (Sigonium & Onufrium me dicere palam eſt:) cenſent, inquam, Agrippam Vipſanium quartum fuiſſe conſulem; atque ita adnotant, alter in anno DCCXXXIV. alter DCCXXXV. Quinetiam mirantur in Lapide Colotiano, ubi accurata recenſio ſuffectorum Conſulum, Vinicium poni, neglegi aut non exprimi Agrippam. Ego illos ab errore non revoco (abierunt in communem locum) ſed lectori caveo & inclamo, ne cum iis erret. Non fuit hoc anno aut alio M. Agrippa quartum Conſul. Tertium ille conſulatum non tranſcendit. Quo teſte? ipſo Vellejo ſupra, ubi de Agrippae laudibus: *Quem usque in tertium Conſulatum amicitia Principis evexerat.* Nonne majus aliquid eſſet, ſi in quartum: & Vellejus hoc neglegat aut omittat? Quin teſtes Faſtos veteres & memorias omnes advoco: nusquam Agrippa niſi tertium conſul. Ita & Martialis aperte, libro VIII. Epigr. 66. *Felix purpura, tertiusque Conſul, Pompejo dederit licet Senatus, Et Caeſar genero ſacros honores, Quorum pacificus ter ampliavit Janus nomina.* Quae ad ternos Agrippae conſulatus ſpectant; & licet interpretes non ultra errent. Tertium igitur Conſul, non quartum. Atqui Vellejus hic clare. Numquam ipſe, numquam. Librarius erravit, cum ille ſcripſerit: *quod inchoatum ab Agrippa, Marco Vinicio a-*

vo tuo Conſule. [Poſſis & legere: *inchoatum Agrippae.*] Hoc dicit, Agrippam miſſum ad hoc bellum, eumque id primum adminiſtraſſe, illo anno, quo Vinicii avus Conſul. Ita enim infra unicum Conſulem citat: *Patre tuo P. Vinicio Conſule Tib. Nero reverſus.* Nonne haec clara, &, quod dicitur, Solis radio ſcripta? ite nebulae, & locum date huic luci. Colotianum marmor, quod fallere non poteſt, Conſules hos ita digerit: *C. SENTIVS SATVRNINVS, Q. LVCRETIVS VISPILLO SVF. M. VINVCIVS. P. F.* nec collegam ullum Vinucio adjungit: quiane ſolus fuit? an potius, quia cum Q. Lucretio Veſpillone? quem ex Dione in actis hujus anni DXXXV. diſco ſerius paullo electum, & cum Saturninus aliquantiſper ſolus in Conſulatu fuiſſet. merito igitur diutius etiam eundem geſſit Sed quidquid hujus rei ſit (nec eſt tanti:) credetne aliquis M. Agrippam, illum generum Auguſti, illum Tribunitia poteſtate praeditum, inter ſuffectos conſules fuiſſe, & quidem poſt Sentium & Vinucium? non qui res moresque antiquos noverit. LIPS. Male Faſtorum ſcriptorum concinnatores, qui ex iſto loco adſtruunt Agrippae conſulatum quartum: ſed nec bene illi, qui emendationibus incumbunt, voluntque ad bellum iſtud miſſum Agrippam. non, non. auctor duos annos heic ponit, primum, quo natum eſt bellum Pannonicum, nempe Conſulatu Agrippae: ſecundum quo adolevit, nimirum Vinicio Conſule. Certe totum iſtud bellum adminiſtravit Tiberius. de Vinicio, de Agrippa, eos ad id miſſos, ne gry quidem hiſtoriarum auctores; ſi modo non fallit memoria. GRUTER. Noli Lipſium audire. Optime animadvertit Cl. propinquus meus Janus Gruterus, Paterculum duos annos ponere: unum, quo natum eſt bellum, nempe conſule Agrippa: alterum, quo adolevit, nimirum conſule Vinicio. VOSS.

Tuo COS.] *Tuo COSS.* Ed. Rh.

Ovans triumphavit.] Suo more noſter ovare & triumphare jungit. Infra de triumphis Tiberii: *ordinatiſque rebus Orientis ovans triumphare debuerit.* ACIDAL. Fallitur Barthius, qui hinc adſtruere conatur, ovationem triumpho aliquando fuiſſe conjunctam. Nam & ovatio eſt triumphus, ſed minor. Servius ad IV. Aeneid. *Proprie ovatio eſt minor triumphus.* Conſtat autem eam a trium-

triumpho, *κατ' ἐξοχὴν* dicto, hoc potiſſimum diſtare, quod triumphantes curru, ovantes equo, aut pedibus urbem ingrederentur. Hinc Dionyſio Halicarnaſſaeo ſub finem lib. IX. item Euſebio in Chronico, ad numerum MDCCCCLXXXV. *θρίαμβος πεζὸς*, ſive, *pedeſtris triumphus*, vocatur. Quid? quod Vellejus infra ſimiliter, & nulla quidem neceſſitate cogente, dixerit? *Quis enim dubitat, quin ex Armenia recepta, & rege ei praepoſito, ovans triumphare debuerit?* Valerii quoque Maximi eſt libro II. cap. 7. *Quamvis qui praeclaras res, maximeque reip. utiles, civili bello geſſiſſet: Imperator tamen eo nomine appellatus non eſt, neque aut ovans, aut curru triumphavit.* Nemini igitur poſthac dubium fore arbitror, quin ovatio *ἁπλῶς* intelligi debeat. Voss.

Accepta in Germania clades.] Majoris infamiae quam detrimenti. Suetonius. hiſtoriam Dio LIV. & Euſebius. SCHECK. Hic, antequam clade a Germanis afficeretur, eosdem devicerat; ſi fides ſit Obſequenti. Ait enim: *Inſidiis Romanorum Germani circumventi: ſub M. Lollio legato graviter vexati.* Et, ne quid mutes, idem in Chronico prodidit Euſebius. Mirum tamen de Germanis devictis ſilere Dionem lib. LIV. ubi ſolum a Lollio Beſſos fuiſſe debellatos, ſcribit. *Ἔν τε τῇ Θράκῃ πρότερον μὲν Μάρκελλος Λόλλιος Ῥυμητάλκῃ, θείῳ τῶν τοῦ Κόκκυος παίδων, βοηθῶν Βησσοὺς κατεστρέψατο.* Ubi reſcribe, *Μάρκος Λόλλιος.* Pighius, corrupta Dionis lectione deceptus, a Claudio Marcello Beſſos victos putabat. Etiam pro *Κόκκυος*, repone *Κότυος.* Hoc enim Thracium nomen eſſe conſtat. Emendemus hac occaſione locum corruptum in epiſtola Chionis ad Matridem: *ἐπ' ἐμὲ δὲ τις Θρᾷξ δορυφόρος αὐτοῦ γενόμενος,* Omnino ſcribendum eſt, ut in MS. noſtro legitur: *ἐπ' ἐμὲ δὲ ἧκε Κότυς Θρᾷξ,* &c. Voss. Dio LIV. pag. 612. Suet. Aug. 23. ad quem locum notat Caſaubonus, unum eſſe Euſebium, qui Lollii hujus non cladem, ſed victoriam memoret. Verba haec ſunt, Chronic. lib. priore: *Germanos in arma verſos M. Lollius ſuperat.* Non putandus eſt autem pugnare cum ceteris Euſebius: acceperat quidem Lollius cladem aliquam, ſed victus non erat plane: quin potius, cum mox hoſtes apparatum ejus audirent, in ſuam terram regreſſi, obſidibus datis pacem acceperunt teſte Dione. ſed & antea victos a Lollio, ex *Obſequen-*

te probari poteſt. Meminit ejus cladis Tac. I. A. 10. 6. BOECLER. *M. Lolio.* Edit. Rhen. Eraſm.

Druſo Claudio.] Periit lapſu equi, fracto crure intra triceſimum diem, Livius. Conditum corpus in tumulum Caeſaris Auguſti, Dio. Laudes ejus apud Horat. lib. IV. Carmin. & Albinovanum elegia ad Liviam matrem. SCHEGKIUS.

Perficit.] Vulgo *percipit.* Ego omnino mavelim: *induſtria perficit.* Nam ſemina quaedam & igniculi virtutum in nobis ſunt, quos elicit induſtria & ad frugem maturitatemque perducit. Quinctilianus eo ſenſu: *Virtus etſi quosdam impetus a natura ſumit, tamen perficienda doctrina eſt.* LIPS. Malo cum Lipſio, *perficit.* Sic ſupra de Graccho legitur: *Tantis denique adornatus virtutibus, quantas perfecta natura & induſtria mortalis conditio recipit.* VOSSIUS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 69. 396. &c. V. IX. 273.

Aequa ac par ſui aeſtimatio.] Malim *par ſibi.* de quo loquendi modo ad Naſonem Ep. XX. 62. nos plura. HEINS.

Peragratus victor omnes partes.] Inſolentior locutio, quaſi veteres etiam *peragror*, pro *peragro* dicerent, ut ita hoc verbum in ſimilium cenſum refert Voſſius lib. IV. de Analog. Gioſan. vero ad Ovid. III. Met. 5. Participium eſſe ſine verbo ſtatuit. Sed rectius puto participium illud active uſurpari, ut *juratus*, *punitus* &c. de quibus vide Cl. Periz. ad Sanctii Minerv. lib. I. cap. XV. n. 4. Immo promiſcue Latinos participiis activis & paſſivis uſos eſſe conſtat, quia tertia forma, quam Graeci dicunt *mediam*, carebant: ut ſaepe terminationi paſſivae tribuerent activam ſignificationem & contra. Vide Serv. ad Virgil. I. Aeneid. 121. & 234. & IX. 7. & paſſim Grammaticos. ita inf. cap. 109. *diſſimulatus*, pro qui diſſimulavit, ponitur. *Peragrare* vero proprie eſſe circumire inquirendo, docet Servius ad Virgil. IV. Aeneid. 71. & hinc apud Plin. XXV. 2. *Peragratis Magis*, recte defendi poteſt. BURM.

Atrox in Thracia bellum.] Dio LIV. p. 624. Flor. IV. 12. 17. BOECLER.

Eſſe mores ejus vigore ac lenitate mixtiſſimos.] Forte legendum, *rigore.* PUTEAN. Puteanus legendum putat, *rigore.* MANUT. *Rigore*, non *vigore* legendum, ita poſtu-

ſtulante ſententia, quae his verbis concipitur a Vellejo, *eſſe mores ejus rigore ac lenitate mixtiſſimos*. URSIN. In eam mentem & infra de Sejano: cap. 116. *Priſcam gravitatem ſemper humanitate temperans*. Et inferius in eodem cap. 127. *Virum ſeveritatis laetiſſimae, hilaritatis priſcae*. Apulejus 11. Florid. pulcherrime. *Gravitas jucunda, mitis auſteritas, placida conſtantia, blandusque rigor animi*. Sic enim ibi lego cum Antiquitatis & doctrinae omnis coryphaeo J. Lipſio, & Veneris Gratiarumque e Lipſiana corte pullo Jano Douſa F. Auſon. Parentalibus. *Et gravitas comis, laetaque ſerietas*. Plura hujus notae adducere non libet, nec eſt opus. ACIDAL. Cl. Puteanus, *rigore*. Quod libens amplector. Pulchre in hanc rem Plinius lib. VII. epiſt. 20. *Pulcherrimum & humaniſſimum exiſtimo, in vita ſeveritatem comitatemque miſcere, ne illa in triſtitiam, haec in petulantiam procedat*. Ejusdem ſenſus illud Catonis in Diſtichis lib. 1. *Conſtans & lenis, ut res expoſtulat, eſto: Temporibus mores ſapiens ſine crimine mutat*. Conſtantia enim pro *rigore* ponitur. De quo loco brevi pluribus ad ethnicum Gnomologum illum agemus. Nam toto errant coelo, qui Chriſtianum fuiſſe arbitrantur. VOSS. *Rigore ac lenitate* rectius Puteanus: ceterum τὸ *mixtiſſimos* dictum inſolenter, nec Latine ſatis, ut opinor. ſuſpicari licet Vellejum dediſſe, *rigore ac lenitate mixtis juſtiſſimos*, hoc eſt temperatiſſimos & quales eſſe oporteat. Facit huc Plinii locus a Voſſio productus. Vide nos ſupra ad cap. 48. ſic *juſta magnitudo, juſta menſura; Labant juſto ſine pondere naves*, apud Ovidium. *juſtus miles* voloni opponitur apud Livium; *juſta arma*, armis levibus, *juſtus exercitus, juſtus dux*, copiis & duci tumultuarium in modum collectis, *juſto praelio ſuperare hoſtem, juſtae ſtationes, juſtus hoſtis, juſtum exſilium, juſta acies, juſta claſſis, juſta pugna, juſta cuſtodia* eidem Livio & *juſta militaria*, lib. XXIV. cap. 44. quae militibus facienda. HEINS. An *vigore* mutandum ſit dubito; vide quae notamus ad Ovid. Epiſt. IV. 118. & XVI. 51. Sic nec contra ſcriptos mutarem apud Silium lib. VII, 612. *Et ſine triſtitia virtus; non ille vigoris Ingratas laudes, nec nubem frontis amabat*. Certe hic praecedentia, ubi *diligentiſſimus & leniſſimus* ſimul dicitur, deinde etiam ſequentia *vigorem* requirunt: opponitur enim ille recte otio, non *rigor*. ſic *vigorem* lau-

davit

davit noſter in J. Caeſare ſup. cap. 41. in Sulpitio cap. 18. in Sejano 127. & in aliis. decepit viros doctos, qui *rigorem* praetulerunt, quod *lenitatem* pro manſuetudine ceperunt, cum indicet vitae genus quietum & tranquillum, *ſine oſtentatione agendi*, ut noſter addit, *agenda curarit*. ſic *lenem laborioſo* opponit Terent. Heaut. prol. 45. & Horat. I. Ep. XVIII. 97. *Leniter traducere aevum*. *lenem vitam* Cicero dixit I. de Off. quam Terentius Adel. I. I. *clementem* vocat; remiſſius ergo & leniter Piſo magiſtratum adminiſtrabat, ubi otium id permittebat. ſi vero negotia exigebant, vigentem ac parem ſe illis oſtendebat. BURM.

Conſortione.] Uſi hac voce Cicero lib. III. Offic. *Diſſolvatur neceſſe eſt omnis humana conſortio*. Lucilius lib. XIX. apud Nonium; *Conſortium*. SCHEGK. Valer. Max. IV. II. 2. *ne ſi diffidente animo conſortionem imperii uſurpare voluiſſet*, &c. Vid. Steph. ad Saxon. Grammat. pag. 39. & inf. cap. 103. BURM.

Et vere alterum Reip. lumen & caput.] Scite admodum *lumen* & *caput* junxit: ut & ſupra de Caeſare & Pompejo cap. 53. *Colliſa inter ſe duo Reip. capita, effoſſumque alterum Rom. imperii lumen*. ACIDAL.

Incredibili atque inenarrabili pietate.] Adulatorie haec de Tiberio Vellejus, ut alia multa. calliditatem enim potius dixerit, qui Tiberium novit, quam pietatem. Suetonius diſerte in Tib. 10. totam rem complectitur. *Tot proſperis confluentibus, integra aetate & valetudine, ſtatuit repente ſecedere, ſeque e medio quam longiſſime amovere. Dubium uxoriſne taedio, quam neque criminari aut dimittere auderet, neque ultra perferre poſſet; an, ut vitato aſſiduitatis faſtidio, auctoritatem abſentia tueretur atque etiam augeret, ſi quando indiguiſſet ſui Reſp. Quidam exiſtimant, adultis jam Auguſti liberis, loco & quaſi poſſeſſione uſurpati a ſe diu ſecundi gradus, ſponte ceſſiſſe, exemplo M. Agrippae, qui M. Marcello ad munera publica admoto, Mitylenas abierit; ne aut obſtare, aut obtrectare praeſens videretur, quam cauſſam & ipſe, ſed poſtea,* (v. cap. 11.) *reddidit. Tunc autem honorum ſatietatem, ac requiem laborum praetendens commeatum petiit*. adde *Dionem* l. LV. p. 635. Quis non videt, concurriſſe omnes illas cauſſas. quarum *prima*, e neceſſitate domeſtica; *altera*, e conſilio dominationis; *tertia*, e ſollertia & inſti-

tutis

tutis vitae aulicae exoriri putanda eſt. Meminit hujus ſeceſſus Tacitus I. A. 4. 4. BOECLER.

Lucius item maturus eſſet viris.] Ex hoc loco Noriſius ad Cenotaph. Piſan. diſſer. II. cap. 3. colligit Vellejum diſſentire a Suetonio & Dione, qui Tiberium ante togam a Cajo ſumptam ſeceſſiſſe Rhodum tradunt, eorumque auctoritatem Velleji praefert: & ſane vix Lucius *maturis curis* (ut Heinſius emendat) dici poteſt hoc tempore: nam Cajus togam ſumpſit A. U. C. 749. jam natus annos XV, cum Lucius annum ageret duodecimum, qui demum triennio poſt productus fuit & honoribus deſtinatus; ſed facile putamus Vellejum in concordiam cum aliis reduci poſſe, ſi modo diſtinctio hujus loci mutetur hoc modo, *pietate (cujus cauſſae mox detectae ſunt, cum C. Caeſar, ſumſiſſet jam virilem togam, Lucius item maturus eſſet curis, ne fulgor ſuus orientium juvenum obſtaret initiis) diſſimulata cauſa* &c. ut velit Vellejus, Tiberium diſſimulata prius cauſſa seceſſiſſe, ſed poſt togam a Cajo ſumptam & maturitatem Lucii detectas fuiſſe cauſſas; nam Suetonius Tib. II. dicit eum diu poſt, Epiſtola ad Auguſtum data, *confeſſum eſſe, ſe nihil aliud ſeceſſu devitaſſe ſuo, quam aemulationis cum Cajo Lucioque ſuſpicionem.* Hinc patet, quantum interſit diſtinguere verba auctorum, quae confuſa in errores inducunt viros doctiſſimos. BURM. *

Maturus viris.] Forte, *viri.* PUTEAN. Ridicule profecto. *Maturae viris* virgines dicuntur, cum ad pubertatis annos pervenere. *Maturus viris* adoleſcens non poteſt dici Latine, niſi in obſcoenam partem id detorqueatur. ſic in Priapejis pro, *nobiles cinaedos*, aliquando *nubiles* legebam. Ceterum hoc loco caſtigandum haud dubie, *maturus eſſet curis.* hoc eſt reip. adminiſtrandae, aut tractandis armis. nam referendum ad curas publicas. ſic de Tito Veſpaſiano Tacitus Hiſt. II. initio, *maturam petendis honoribus juventam ferebat.* poſt ſumtam videlicet togam virilem. *curas viriles* Maro dixerat de Aſcanio, lib. IX. 311. *Ante annos animumque gerens curasque viriles.* Denuo Tacitus Hiſt. IV. cap. 2. *Nomen ſedemque Caeſaris Domitianus acceperat, nondum ad curas intentus, ſed ſtupris & adulteriis filium principis agebat.* Tiberius apud eundem Ann. I. cap. II. *Se in partem curarum a Divo Auguſto vocatum experiendo didiciſſe, quam arduum* re-

regendi cuncta onus eſſet. cap. 19. *incipientes Principis curas onerare.* Annal. XI. c. 25. Pallas libertus Claudio adoptionem Neronis ſuadens, *ſe quoque accingeret juvene partem curarum capeſſituro. curas publicas* vocat Ann. IV. c. 67. de Tiberio, *quanto intentus olim publicas ad curas, tanto occultior in luxus.* lib. VI. cap. 25. *Sed Agrippina aequi impatiens, dominandi avida, virilibus curis feminarum vitia exuerat.* lib. XIII. c. 14. *Demovet Pallantem cura rerum, quis a Claudio impoſitus erat.* cum *negotiis curam* conjungit Ulpianus in L. *Heres abſens* §. *ſi quis tutelam.* D. *de Judiciis. Si quis tutelam, vel curam, vel negotia, vel quid aliud, unde obligatio oritur, certi loco adminiſtravit.* Sed jam nimii ſumus. Addendus tamen Suetonij locus, de hoc ipſo Lucio unus inſtar omnium vita Aug. 64. *Cajum & Lucium adoptavit domi per aſſem & libram emptos a patre Agrippa, tenerosque adhuc ad curam reipb. admovit. cura* pro curatore in inſcriptionibus antiquis a Grutero collectis, ut *cura aerarii, cura gladiatorii muneris, cura calendarii. Curam Palatii* pro curatore & praefecto dicebant, unde Κουροπαλάτης. Tacitus denuo Annal. IV. 68. *Praetorianis praepoſuit, patrem ejus ſub Cajo Caeſare egregie functum ea cura dictitans.* Ovid. Epiſt. I. *Tertius immundae cura fidelis harae.*] HEINS.

Diſſimulata cauſa conſilii ſui.] Veram pete ex Suetonio & Dione. non illa, quam monſtrat mancipium iſtud Tiberianum. intimam cauſſam Tacitus fuiſſe ſcribit Juliam. SCHEGK.

Viſendi ejus gratia ad quem convenientes, ſemper privatos illa majeſtas privata umquam fuit, faſces ſuos ſummiſerint.] Totus hic locus ſi, quomodo ſequitur, emendetur, ſententia elicietur ſatis commoda: *Ut omnes procoſſ. legatique, in transmarinas profecti provincias, viſendi ejus gratia ad eum convenientes ſemper privatum, etſi illa majeſtas privata nunquam fuit,* &c. Vel, *Si illa majeſtas privata unquam fuit.* MANUT. Videtur hic locus ita legendus, *viſendi ejus gratia, ad eum convenientes (ſemper privatus ille, majeſtas privata nunquam fuit) faſces,* &c. Poteſt etiam retineri *illa*, dummodo parentheſi includuntur verba *(ſemper privatus, illa majeſtas privata nunquam fuit)* ſed *ille* magis placeret. URSIN. *Semper privato (ſi illa m. u. pr. f.) faſces.* Hoc pacto

nulla,

nulla, certe levi licentia reſcribo; cum antea: *Viſendi ejus gratia ad quem convenientes ſemper privatos illa majeſtas p. u. fuit.* Hinc Rhen. *ut omnes qui procoſſ. & legati i. t. p. p. v. e. g. atque conveniendi (ſemper privatus ille, majeſtas pr. nunquam fuit) faſces ſuos.* Doctiſſ. vero Lipſius, *viſendi ejus gratia atque conveniendi, ſemper privato (ſi illa majeſtas privata umquam fuit) faſces.* Verum ſententia nimium pendet. SCHEGK. Lectionem dedi nuperae editionis, ut ſoleo. Alias mirifice variatur. Quid quisque ſtatuat eorum, qui corrigere moliti ſunt, non referre ſtatui. Si quis etiam mihi relictus eſt locus, ita univerſum hoc ſcripſerim: *Ut omnes proconſules legatique, qui in transmarinas profecti provincias viſendi ejus gratia ad eum convenere, ſemper privato (ſi illa majeſtas privata nunquam fuit) faſces ſuos ſummiſerint.* Initio de transpoſitione τοῦ *qui* ſusque deque habeo. *Convenere* ſcripſi ad nexum orationis firmandum, qui ſolutus aliter & minime ſolidus eſt: nec, puto, majora in ea voce mihi indulſi, quam ſibi reliqui. Denique *nunquam* e Rhenani & Manutii mutuatus ſum. At vero *ſi* poſitum accepi, pro *etſi:* nove, ſed ex Velleji more. qui ſupra cap. 41. ubi de Caeſare a piratis capto: *Neque unquam aut nocte aut die (cur enim, quod vel maximum eſt, ſi narrari verbis ſpecioſis non poteſt, omittatur?) aut excalcearetur aut diſcingeretur.* Clare enim ibi *etſi* interpretandum, niſi id ipſum reponi debere quis contendat, qui ſuam in partem facile me perduxerit. Facillime namque & abſorberi a praecedenti *eſt* potuiſſe video. Qua re patiar etiam, immo ſuadeam, hoc loco *unquam* reſtitui, nec in vulgato *ſi* temere quidquam novari. Horatium quidem etiam, fateor, ſic accepiſſe Sat. 9. lib. 1. — *Non, hodie ſi Excluſus fuero, deſiſtam.* Ciceronem quoque ad Attic. lib. v. epl. 4. *Nunc, ſi jam res placeat, agendi tamen viam non video.* In quo *ſi jam* clare profecto eſt, etiamſi, vel etſi jam. Quid, quod & in Floro meo Florentino ſic inveni? Lib. 11. cap. 19. *Quae ſi involuta inter ſe ſunt omnia atque confuſa, tamen quo melius appareant, ſimul, & ne ſcelera virtutibus obſtrepant, ſeparatim proferentur.* Alii autem omnes, & recentiſſimi. *Quae etſi involuta.* Tantis ſuffultus auctoribus hujus locutionis, tamen nuto etiam hercle, ac prope muto. Nam praeſtat hic timidiorem, quam audaciorem videri. Ex

 eo

ea autem forma, *ſi illa majeſtas privata unquam fuit;* quae correctionis, quam Rhetores appellant, aliquam habet ſpeciem: in mentem venit Ciceronis locum emendare, ſi forte aliis ero felicior. In Oratore cap. 14. *Nam & invenire & judicare, quid dicas, magna illa quidem ſunt, & tanquam animi inſtar in corpore: ſed propria magis prudentiae, quam eloquentiae, qua tamen in cauſſa eſt vacua prudentia.* Ruunt haec poſtrema, nec ſuſtinet, etſi nititur, Lambinus. Tentabam ego: *ſi qua tamen in cauſſa eſt vacua prudentia.* Prudentiam Tullius ab eloquentia non vult ſeparari, quod acriter alibi diſputat & copioſe, nec vero uno etiam in loco. Hic itaque cum inventionem judiciumque eorum quae dicenda ſunt, magis ad prudentiam dixiſſet pertinere, quam ad eloquentiam, corrigit ſe ſtatim, & adjicit, quamquam nulla in cauſſa, nulla in parte munus eloquentiae munere vacat prudentiae. Ea mens ſane Ciceronis, quam e verbis iis ſi nondum ſatis luculenter arbitrare confieri, per me poteris aliter quoque, licentia non majore: *quae tamen in qua cauſſa eſt vacua prudentia?* Inſertum quidem provocabulum facile potuit á priori ſyllaba ſubſequentis vocis abſumi. Tertiam quoque habeo conjecturam, ſed quae paululum quid a ſententia demutat ſuperiorum: *quae tamen caſſa eſt, vacua prudentia.* Sic enim eo reſpiciat, quod alias dicitur, ſine prudentia eloquentiam non eſſe, ſed loquentiam. Acidal. Nos olim reſtituimus, in Epiſtolicis lib. III. cap. 8. Ajunt pendulam ſic ſententiam eſſe. mihi non videtur, nec muto. Lips. Veteres libri, *ad quem convenientes.* Unde Lipſius fecit, *atque conveniendi.* Ego minima mutatione legerim, *ad diem convenientes*, id eſt, conſtituto die viſendi gratia plures ſimul venientes. Suetonius Tiberio cap. 12. *Nemine cum imperio aut magiſtratu tendente quopiam, quin diverteret Rhodum.* Popma. Locum corruptiſſimum, varieque a variis tentatum, ita emendandum cenſeo: *ut omnes, qui pro conſulibus, legatique, in transmarinas profecti provincias, viſendi ejus gratia ad eum convenientes, ſemper privato (ſi illa majeſtas privata nonnunquam fuit) faſces ſuos ſummiſerint.* Illud unum monendum, me, *proconſulibus*, reſtituiſſe fide codicis MS. Mutaverant illud alii, quibus omnia pervertere moris, quae ſe judicio eorum non ſtatim probent. Atqui cur minus dicere liceat, *pro conſulibus,*

libus, quam, *pro conſule*? Voss. Sic priſcae editiones cum ſcripto. Opinor, *viſendi ejus gratia undecumque convenientes*. vel *undique*. Vide ſis Voſſium ad cap. 6. lib. II. Heins.

Si illa majeſtas privata unquam fuit.] Ceterum adulationem Velleji arguet Suetonius Tib. 12. ubi ſpecie legati exſulem egiſſe memorans, addidit: *Enimvero tunc non privatum modo, ſed etiam obnoxium & trepidum egit, mediterraneis agris abditus, vitansque praeternavigantium officia, quibus frequentabatur aſſidue: nemine cum imperio aut magiſtratu tendente quoquam, quin diverteret Rhodum.* Boecler.

Adjecit manum.] Poſſet capi pro *injecit*, ut paullo ante, licet diverſo ſignificatu loquitur. Sed forte legendum, *adjecit animum*, quae locutio Terentiana. Eun. I. 2. *ad virginem animum adjecit. manus* vero & *animus* confundi docuit Heinſius ad Val. Flac. I. 41. Burm. Ita cap. 115. *Caeſar ad alteram belli Dalmatici molem animum atque arma contulit.* Wopkens defendit vulgatam lectionem, ſed ſine exemplo, niſi Valer. Max. VII, v. 4. Sed ibi *adjicere ſummam manum*. Idem *in marg.* V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 70. 399. V. IX. p. 274.

Magnificentiſſimi] *Magnificentiſſimis* Cuper. de Eleph. II, 9. p. 209. ex cap. 56. Sed ſupra c. 93. *Magnificentiſſimo munere edito.* Idem *in marg.*

Se & Gallo Caninio Coſſ.] Id fuit anno urbis DCCLII. Dio tamen Caſſius valde ab hoc calculo abit, qui relegatam Juliam commemorat anno DCCXLVIII. C. Antiſtio Vetere, P. Laelio Balbo Coſſ. Sed moneo juventutem, manifeſtum illic hiatum defectumque hiſtoriae eſſe. Poſtea quidem annotatur ab interprete: at hic debebat ante Frumentationes & Naumachiae ludos. E Vellejo diſcis: tum etiam e Macrobio, non fallaci argumento. Ille II. Saturn. indicat Juliam hanc peſſimam ſimul & argutiſſimam feminarum, tunc cum pulſa a patre fuit, egiſſe annum circiter trigeſimum octavum. Atqui nata ea (ex Dione didici) anno urbis DCCXV. Ergo ad hunc annum DCCLII. juſti intercedunt, ut Macrobius voluit, anni XXXVIII. Lips. Errat ergo Joſephus Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis ad numerum MMXII. ubi Juliam relegatam ait D. Laelio Balbo, & C. Antiſtio Vetere Coſſ. Cumque Euſebium accuſet de unius anni prochro-

 niſmo,

niſmo, peccat ipſe prochroniſmo quadriennii. Virum ſummum in hunc errorem induxit Dio: apud quem hic aliquot annorum defectum eſſe, non attendit. Voss. De hoc Velleji loco, vide eruditiſſimi Maſſoni vitam Ovidii pag. 106. & ſeqq.

Quippe filia ejus Julia.] Seneca lib. VI. cap. 12. de Benefic. *D. Auguſtus filiam intra pudicitiae maledictum impudicam relegavit, & flagitia principalis domus in publicum emiſit, admiſſos gregatim adulteros, pererratam nocturnis comeſſationibus urbem, forum ipſum ac roſtra; quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiae in ſtupra placuiſſe, quotidianum ad Marſyam concurſum: cum ex adultera in quaeſtuariam verſa, jus omnis luxuriae ſub ignoto adultero appeteret.* De quo & illud: *quod nunquam niſi plena navi vectorem tollat.* Macrob. lib. II. cap. 5. Schegk. Quae de Julia hic habentur vide apud Sueton. Aug. 65. Tib. 11. Tac. I. A. 53. 1. Dion. LV. pag. 635. Boecler.

Quidquid liberet, pro licito vindicans.] Alii libri, *judicans*, & melius, ſi quid ego judico. Pro licito judicare, ſic dictum, ut pro bono & aequo putare. Eaque ipſa forma ab aliquot paginis eſt: *Interdum ut pro pari loquebantur.* Apul. lib. v. Metam. *Placet pro bono duabus malis malum conſilium.* Ibid. *Pro vero namque comperimus.* lib. IX. *Tum gliſcit violentior utrinque ſecus contentio militum, pro comperto de nobis aſſeverantium.* Sed quid ego haec autem nequaquam ignara revolvo. Acidalius. *Judicans* melius quam *vindicans*, ut Schegkio, & aliis, editum. Voss. Alii *judicans*. Opinor, *venditans*, hoc eſt, palam oſtentans. *venditare* proprie dicitur, qui vendere deſiderat, & quia per jactationem commendabant mercem ſuam venditores, *venditare* in uſu eſſe coepit pro jactare. ſic apud Plautum Sticho I. 3. *lingua venditaria.* vide inſignem Turnebum lib. XXV. Adv. 15. ſic *venditare ſe litteris Senatus*, cap. 63. Tacitus de Galba, *famae nec incurioſus, nec venditator.* Gellius libro v. cap. 14. *Eſt in praedicandis doctrinis ſuis ſane quam venditator. Jactator & venditator Salluſtianae lectionis*, apud eundem libro XII. cap. 4. idem lib. XIII. cap. ult. *Laudabat venditabatque ſe nuper quispiam homo inepte glorioſus.* Juſtinus libro v. cap. 3. *Interea Alcibiades hanc operam civibus venditabat.* Curtius libro x. cap. 9. O-

mnes

mnes belluarum pedibus obtriti ſunt, nec prohibente Philippo nec auctore: apparebatque id modo pro ſuo venditaturum, quod approbaſſet eventus. Sic & illic reſtituendum. *Venditationem & oſtentationem* Cicero aliique e ſcriptoribus antiquis non ſemel conjungunt. HEINS. Perpetua eſt horum verborum *indicare, judicare, vindicare* in MSS. confuſio. hic vero *vindicans* retinendum puto. nam Auctor noſter ſaepe utitur pro ſibi ſumens, arrogans. ut cap. 105. *vindicare ſibi partem belli.* 112. *militi plus gloriae vindicatum.* 121. *vindicare honorem.* 127. *nihil ſibi vindicare*, & alibi, ut & Cicero, Livius, & alii. vid. Gronov. ad Liv. XLIV. 14. BURM.

Julius Antonius.] Malim, *Julus Antonius.* Horatius l. IV. Carm. Od. 2. *Pindarum quisquis ſtudet aemulari, Jule, ceratis ope Daedalea Nititur pennis.* Tacitus I. Annal. *Lollianas, Varianasque clades, interfectos Romae Varrones, Egnatios, Julos.* Diverſos tamen Dio lib. LV. qui & *Julium* vocat, & non ſibi ipſi necem conſciviſſe, verum morte multatum cum aliis tradit. SCHEGKIUS. Tac. IV. A. 44. 4. & I. A. 10. 6. Idem de Sempron. Graccho I. A. 53. 4. BOECLER. *Julium* etiam Suet. Claud. 2. vocat, ut eſt in MSS.

Singulare exemplum.] Sic apud Tacit. lib. XII. Annal. Caractacus loquitur, *at ſi me incolumem ſervaveris, aeternum exemplar clementiae ero.* PUTEAN.

Violator ejus domus.] Forte *violator Auguſtae domus.* ut τὸ *ejus*, irrepſerit e gloſſa, ut ſaepe alias. Valerius Maximus lib. VIII. cap. 15. & alii ſcriptores paſſim. Apud Gruterum in opere magno, *Jovi conſervatori domus Auguſtae.* & *cultores domus Auguſtae.* & *Flaminiae domus Auguſtae.* HEINS.

Tum.] V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 173.

Truci.] *Triſti* emendat Perizon. ad Heinſ. Epiſt. 2. BURM. *in m.*

Appius Claudius.] Hunc filium Appii Claudii, qui Conſul fuit A. U. DCCXV. ſuſpicatur Glandorpius.

Sempronius Gracchus.] Tacitus lib. I. Annal. *Par cauſſa ſaevitiae in Sempronium Gracchum, qui familia nobili, ſolers ingenio, & prave facundus, eamdem Juliam in matrimonio M. Agrippae temeravit. nec is libidini finis. traditam Tiberio, pervicax adulter contumacia, & odiis in maritum accenderat. litteraeque, quas Julia patri Au-*

guſto cum inſectatione Tiberii ſcripſit, a Graccho compoſitae credebantur. Igitur amotus Cercinnam, Africi maris inſulam, quatuordecim annis exilium toleravit. Tunc milites ad caedem miſſi, invenere in prominenti littoris laetum nihil opperientem, quorum adventu breve tempus petivit, ut ſuprema mandata uxori Aliariae per litteras daret, cervicemque percuſſoribus obtulit. SCHEGK.

Quaſi cujuslibet uxore violata.] Non culpo. nempe relegati ipſi aut pulſi, quae poena Juliae de adulteriis. Tamen Tacitus aliter longe adſtruit III. Annal. *Ut valida*, inquit, *D. Auguſto in remp. fortuna, ita domi improſpera fuit, ob impudicitiam filiae ac neptis, quas urbe depulit, adulterosque earum morte aut fuga punivit. Nam culpam inter viros ac faeminas vulgatam, gravi nomine laeſarum religionum ac violatae majeſtatis appellando, clementiam majorum ſuasque ipſe leges egrediebatur.* Sed uterque adſpectu aliquo verus. Vellejus, ſi relegationem intueare iſtorum, quos nominat; Tacitus, ſi mortem aut exſilium quorundam. LIPS. Intellige, quos hic nominat, qui ex lege Julia in exſilium pulſi. nonnemo enim morte affectus eſt. Quod Lipſius notat ad conciliationem Velleji cum Tacito III. A. 24. 2. Quanquam *Julius Antonius*, non tam ob adulterium, quam *ὡς καὶ ἐπὶ τῇ μοναρχίᾳ τοῦτο πράξας*, adeoque *ob rerum novarum molitionem* interfectus memoratur Dioni LV. pag. 634. ſed quaenam illae *religiones*, quas *laeſas* apud Tac. Auguſtus dicit? Amiciſſimus Noſter Freinshemius in doctiſſima & ſingularis exempli paraphraſi exponit de *religionibus, quibus ſacrata forent conjugia:* & quod de *violata majeſtate* additur, ad *ſpretas leges* refert, quarum contemtus in majeſtatis injuriam redundaret. Mihi ſemper videbatur profundioris & vere Monarchici arcani ratio ſubeſſe: atque utrobique *auſpicia venerandae ſacrataeque Majeſtatis* ſpectari. quae cogitatio inde confirmabatur, quod non tam ipſe Auguſtus has poenas, tanquam ſuis verbis judicioque, ſed Senatus, quod Dio diſerte memorat, in gratiam ſc. venerationemque Auguſti decrevit. Rationes deinde iſtas ſequebar: coeperant jam *crimine majeſtatis violatae* notari vindicarique, quae olim intra hoc nomen ſteterant: Unde dato ſemel ejus in Principem reverentiae exemplo, ſponte jam & magna promtitudine Senatus, imo adulatione denique (quod de Tiberianis tem-

temporibus ſatis conſtat) huc ibatur. Jam vero *crimen ipſum majeſtatis* nonne maximam atrocitatem ex eo habet, quod violantur *ſacra imperii, auſpiciaque ſummae poteſtatis?* quae cum in unum translata eſt, omnis illa veneratio ſponte ſequebatur. Et quis neſcit ſtudium ac ſollertiam aulicorum ſub Auguſto, imo ipſius Auguſti, non poteſtatem modo & imperium, ſed imperii ſanctitatem religionemque varie firmantium atque augentium? Exiſtimet forte aliquis, obſtare huic opinationi Dionem, qui lib. LVII. p. 696. *ſub Tiberio demum, delicta in Imperatorem, impietatis nomine appellata* tradat. ſed praeterquam quod praeciſe ex illis verbis non ſequitur, ſub Tiberio coepiſſe id nomen (cum locutio illa, *ἤδη γὰρ ὠνόμαζον*, &c. *coeperat jam ita appellari*, facile ad antecedentia tempora referri poſſit, quia praeſertim de initiis Tiberii hic ſermo eſt) etiam illud animadvertendum eſt, Dionem hic de omnibus in Principem injuriis loqui, cum Auguſti ſeveritas in aliquibus, & extra ordinem, ut ſic loquar, apud Tacitum notetur. Verum haec obiter, & prout ſub acumen ſtili venere, hic appono: conſideraturus eam rem amplius & disquiſiturus in comment. de Auſpicio Regio. BOECLER.

Voluntarii exſilii.] Lego, *voluntaria.* Non enim ipſius Juliae exſilium voluntarium; indictum plane & coactum: ſed hujus Scriboniae, quam pietas filiae comitem dedit. LIPS. Lipſius bene *voluntaria.* VOSS.

• *Adſidendum obitis.*] Non diſplicet, quod alii reponunt, *ad ſedandum obitis.* MANUT. *Ad ſedandum.* Ita loqui amat abſolute; pro *ad ſedandos motus.* ſupra; *in convivio refrigeratus ab Antonio.* alii, *adſidendum*, aut *adſidendo.* Bonhom. *ad ſedendum*, etiam non recte. quamvis ſciam *ſedere* uſurpatum, pro, *judicare.* SCHECK. Lego, *ad viſendum obitis.* LIPS. Malim *adſidendo obitis.* Erat enim Cajus in Syriam miſſus, ſed in itinere provincias obibat, otioſe in illis deſidens. Similiter *adſidendi* verbo utitur Salluſt. IV. Hiſtoriar. *Amiſſumque adſideri ſine praeliis audiebat.* POPMA. Noli dubitare, quin cum Rhenano legendum ſit, *ad ſedandum obitis.* Rufus Feſtus, eandem hanc rem narrans, ita ait: *C. Caeſar cum per majeſtatem Romani nominis facile cuncta ſedaſſet.* VOSS. Bene Lipſius, *ad viſendum obitis.* poſt quem ſera eſt opera Popmae, corrigentis *adſidendo obitis.* ſupra cap. 94.

Nec multo poſt miſſus ab eodem vitrico cum exercitu ad viſendas ordinandasque, quae ſub Oriente ſunt, provincias. Livius lib. XXVII. cap. 35. *Ut L. Manlius trans mare legatus iret, viſeretque quae res ibi gererentur.* libro XXIX. cap. 12. *Laetorio legato miſſo ad viſendas res, pacemque turbandam.* XXXIX. 33. *Aliam legationem patres, cujus Ap. Claudius princeps, in Graeciam decreverunt, ad viſendum redditaene civitates Rhodiis & Theſſalis eſſent.* lib. XL. cap. 2. *prius audito Marcio, qui ad res Graeciae viſendas miſſus erat.* Mox, *Legatos ad eam rem viſendam miſſurum Senatum.* Sic & lib. XLI. cap. 19. *legati miſſi ad res viſendas in Macedoniam.* & ſic alibi quoque non ſemel. & lib. XLIV. cap. 18. Tacitus Ann. XV. cap. 21. *olim quidem non modo praetor aut conſul, ſed privati etiam mittebantur, qui provincias viſerent.* Legebam aliquando, *ad jus dicendum.* quomodo cap. 118. *in foro jus dicere.* Nunc Lipſium ſequor. HEINS. Subſcripſimus Lipſio & Heinſio: nam & Sueton. Aug. 64. dicit, *circum provincias & exercitus dimiſiſſe*, id eſt, viſendi gratia, & ut juvenis adſueſceret curis publicis: nulli vero in provinciis illis motus, qui ſedandi erant. Sic & olim legati mittebantur a Senatu ad *inſpiciendas Provincias*, & *regna.* Juſt. XXXIV. 1. XXXVIII. 8. de verbo *viſere* vid. Bentl. ad Horat. 1. Od. 4. BURM.

Cui omnem honorem ut ſuperiori habuit.] An Vellejus ita ſcripſerit, Principi ſuo, ut ſaepe, ſerviens, neſcio: contra ſcripſit planiſſime Dio, libro LV. Τοῦ δὲ Γαΐου σταλέντος ἐς τὸν πρὸς Ἀρμενίους πόλεμον, Τιβέριος, ἐς Χίον ἐλθὼν, αὐτὸν ἐθεράπευσε; *Cajo miſſo ad bellum Armeniacum, Tiberius Chium trajiciens ipſum coluit & veneratus eſt.* Idem Zonaras. Nec ſane Cajus illi ſe dedit, ut ſuperbia & fortuna adoleſcentuli fuit: idque Suetonius clare indicat, Tib. cap. 12. *Privignum Cajum Orienti praepoſitum, cum viſendi gratia trajeciſſet Samum* (*Chium* dixit Dio) *alieniorem ſibi ſenſit ex criminationibus M. Lollii.* Et omnino abjectior tunc deſpectiorque ſors Tiberii, tantum non exſulis: ut fortaſſe Vellejus ſcripſerit, *qui omnem.* Tamen, ut dixi, adulatio, familiare ſcriptori meo in hujus aevi rebus vitium, facile defenderit, quod vulgatur. LIPS. Adulatur iterum hic Vellejus, quod vere Lipſius obſervat. Dionis enim diſerta eſt narratio LV. p. 636. τοῦ δὲ Γαΐου σταλέντος ἐς τὸν πρὸς

Ἀρμε-

Ἀρμενίους πόλεμον, ὁ Τιβέριος ἐς Χῖον ἐλθὼν αὐτὸν ἐθεράπευσεν. ἐταπείνου τε γὰρ ἑαυτὸν, καὶ ὑπέπιπτεν οὐχ ὅτι τῷ Γαΐῳ, ἀλλὰ καὶ τοῖς μετ᾽ αὐτοῦ οὖσι. *Miſſo ad bellum Armeniacum Cajo, Tiberius in Chium profectus, cultum ei ac officia praeſtitit. ſubmiſitque ſe non Cajo tantum, ſed omnibus, qui cum ipſo erant.* Adde Sueton. Tib. 12. BOECLER. Vellejum hic adulari Tiberio, contra veritatem, docent illa, *convento prius Tib. Nerone*, quum ille Rhodo ad eum viſendum abierit. quare nihil mutandum. BURM.

Cum rege Parthorum juvene excelſiſſimae, inſula, &c.] Probo eorum conjecturam, qui legunt: *cum rege Parthorum juvene excelſiſſimo, in inſula*, &c. MANUT. Conſenſu emendant: *juvene excelſiſſimo, in inſula.* De inſula recte. de juvene, cur tam inconſpecte? Phraates enim hoc tempore Parthorum rex, & cum eo colloquium. Ergo ille juvenis? imo annorum & regni vetus. Ille eſt qui bellum cum M. Antonio geſſit, ille qui obſides liberos ad Auguſtum ante annos aliquot miſit. Emenda veriſſime: *juvenis excelſiſſimus.* Hoc dicit, cum ſummo rege in colloquium coiiſſe ſummum juvenum (is eſt Cajus) & ad ſpem imperii ab Auguſto deſtinatum. LIPS. Videri queat manaſſe illud, *juvene excelſiſſimo*, a benignitate interpretum, dum reſpiciunt ad ſequentia: *cum duo inter ſe eminentiſſima imperiorum & hominum coirent capita.* GRUTER. Scribunt, *juvene excelſiſſimo, in inſula. in inſula* probe. de *juvene* Parthorum Rege falſum manifeſte. *Phraates* enim Parthis jam imperitarat per annos multos, nec Lipſio tamen adſenſum praebere poſſum, qui reſcribit, *juvenis excelſiſſimus*, ut de Cajo Caeſare dicatur. Cur enim tam honorifice loquatur hic de illo, quem paullo ante non minus vituperabat, quam laudabat. Reor excidiſſe nonnullas ſyllabas, quod familiare membranis Vellejanis, ut ſcribatur, *cum Parthorum rege, ſene excelſiſſimae mentis, in inſula.* HEINS. *Juvene excelſiſſimo*, Eraſmus repoſuit. Noriſ. ad Cenot. Piſan. diſſ. 11. cap. 14. legit, *cum regio Parthorum juvene.* & de Pharnace filio Phrahatis capit. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 70. V. IX. p. 173.

Sub patre tuo M. Vinici, & P. Silio.] Legendum procuidubio, *M. Vinici.* nam pater ejus Publius dicebatur. MANUT. *M. Vinicio.* Imo P. ille nominabatur, ut ex

Vellejo alibi, & Faſtis liquet. Inepte igitur mutavit Burrerius lectionem MS. quae erat: *M. Vinici.* Voss. Verum (inquit Cl. Dodwellus in annalibus Vellej. §. 10.) ſi Burerium ſequamur, *Patruo* pro *patre* legendum. Hudson.

Viſis provinciis.] Sana ſcriptura. male vir doctus; *uſus provinciis.* Manut. Alii, *verſus*, vel *uſus*. Scribe, *ad Orientem verſis provinciis.* Tacitus Hiſt. lib. I. cap. 76. *Simul Aegyptus omnesque in Orientem verſae provinciae nomine Othonis tenebantur.* ubi etiam turbant libri veteres. lib. II. cap. 83. *Verſum in Italiam mare longis navibus claudere.* de Moribus Germanorum: *Rhenus in Occidentem verſus.* Flor. III. 5. *in meridiem verſo agmine.* Livius lib. XXV. *claſſem in ſtatione verſa in Africam habebat.* lib. XXVI. *quingentos tumulo urbis in Orientem verſo imponit, & cum fugientes in tumulum videret in Orientem verſum.* lib. XXVII. cap. 15. *regione urbis in Orientem verſa occultus conſedit.* lib. XXXIII. 17. *Leucas colli applicata verſo in Orientem.* lib. XXXVIII. 51. *omnibus ad Orientem verſis regibus*, atque ita Livius paſſim. Tamen & alterum *verſus* ferri non inepte poteſt. ut *in palatium verſus.* lib. I. cap. 15. Curtius IV. cap. 7. *in meridiem verſus Arabes ſpectant.* Salluſt. Catil. LVI. *in Galliam verſus caſtra movent*, quae Th. Munckerus loca ſuggeſſit. Pro *& ore atque utroque maris Pontici latere*, puto, *& ora ab utroque maris Pontici latere.* ſic ſupra, *ora Aſiae.* & cap. 73. *ora maritima.* pro *ore* ſunt, qui Boſporum Thracium intelligant. Heins. Ego nihil muto, nam quae ſubjungit de recordatione haud injucunda tot rerum &c. magis exigunt, ut *viſis* legamus. Ita Horat. Art. Poët. 142. *Qui mores hominum multorum vidit, & urbes.* Ovid. I. Triſt. II. 77. *Oppida non Aſiae, non loca viſa prius.* Et millies alii. Neque etiam *ore* mutem; tunc enim bis idem diceret, *ora* & *utroque latere* Ponti: ſed *os* Pontici maris eſt Boſporus Thracius. Tacit. II. Ann. 54. *os Ponticum.* Florus III. 6. *utraque Ponti & Oceani ora*, Boſporus Thracius (poſſet & per *utraque* etiam Cimmerius intelligi ſimul) & fretum Gaditanum; ut apparet ex ejusdem Flori II. 17. *Victor ad Gades & Oceani ora pervenit.* & P. Mela lib. I. I. de Ponto Euxino, *exiguo ore paludi committitur.* Ovidius III. Triſt. 12. 41. *Fas quoque ob ore freti, longaeque Propon-*

pontidis undis, &c. Avien. deſcr. Orb. 199. de Boſporo; *terraque parci faucibus oris hiat.* Idem 85. *Hic duo rurſus Ora patent ponti, geminus ſinus.* De ſinu Perſico, & ut credebant, Caſpio. & Orae Marit. 264. *Ora ſinus Tarteſii.* ratio autem hujus appellationis eſt, quod Pontum crederent per Boſporum exire in Propontidem; & ita, ut loquitur Senec. IV. nat. quaeſt. 2. in infernum mare influeret rapidus, & ſemper pronus & torrens. Sic etiam oſtia fluviorum vocant *ora*, ut de Rheno Tacit. II. Ann. 6. & Claud. I. Laud. Stil. 198. *ſeptem ora Nili.* Avien. deſ. Orb. 382. & ita paſſim. BURM. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 173.

Caeſari fama vulgavit.] Rhen. *Caeſaris jam avulgavit*, inde rectiſſime Lipſius; *Caeſari, fama vulgavit.* aliis probatum; *Caeſaris ira evulgavit.* SCHEGK. *Caeſaris ira evulgavit.* Male, nec quidquam per iracundiam hic Caeſar. Editio prima: *Caeſaris jam evulgavit.* Feci jampridem (in Epiſtolis lib. III. cap. 8.) *indicata Caeſari, fama vulgavit.* In re arcana, & cui non ipſe arbiter, nil niſi famam auctorem dare callide & caute Vellejus voluit. LIPS. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 174.

Prima parte introitus proſpere geſſit.] Iteranda ſyllaba poſtrema in *proſpere. proſpere rem geſſit.* Ni mavis, *introitus proſpere ceſſit.* Sed alterum praeferendum. Simili modo peccabatur in Livio lib. XXV. cap. 22. ante Gronovium. HEINS.

Mox in colloquium &c.] Narrat Florus libro IV. *Armenios victo rege Tigrane, in hoc unum ſervitutis genus Pompejus aſſueſecerat, ut rectores a nobis acciperent. Intermiſſum ergo jus, per hunc* (Cajum) *recuperatum non incruento, nec multo tamen certamine: quippe Domnes* (noſtro, *Adduo*) *quem rex Artaxatis* (noſter cum Zonara, *Artagera*) *praefecerat, ſimulata proditione adortus virum intentum libello, quem ut theſaurorum rationes continentem ipſi porrexerat, ſtricto ferro cruentat vulnere in tempus.* Et quod noſter hic initio ſpeciatim, Tacitus lib. XII. Annal. generatim narrat: *Et quia experimentis cognitum eſt, Barbaros malle Roma petere Reges, quam habere.* tranſiens moneo, rectius hic in Tacito Herbipolenſis liber: *malle Romam petere reges.* ut Plinius lib. III. *Qui Tarraconenſem accolunt jura Cordubam petunt:* & Livius; *Sagmina te poſco.* SCHEGKIUS.

Cui temere ſe crediderat.] Vide Flor. IV. 12, 44, 45. Vere autem judicat Noſter, temere hoc a Cajo factum: cum hoc caſu tot magni viri interierint, unde exempla cautionis peti poterant. Pertinet huc eximia *Polybii* philoſophia l. V. Hiſt. 75. p. 418. Καὶ τούτων οὕτω συνεχῶς καὶ προφανῶς πολλοῖς ἤδη συμβεβηκότων, οὐκ οἶδ᾽ ὅπως καινοί τινες ἀεὶ καὶ νέοι πρὸς τὰς τοιαύτας ἀπάτας πεφύκαμεν. τούτου δ᾽ αἴτιόν ἐστι, ὅτι τὰς τῶν πρότερον ἐπταικότων ἐν ἑκάστοις περιπετείας οὐ ποιούμεθα προχείρους, ἀλλὰ σίτου μὲν καὶ χρημάτων πλῆθος, ἔτι δὲ τειχῶν καὶ βελῶν κατασκευὰς, μετὰ πολλῆς ταλαιπωρίας καὶ δαπάνης ἑτοιμαζόμεθα πρὸς τὰ παράδοξα τῶν συμβαινόντων· ὃ δ᾽ ἐστὶ ῥᾷστον μὲν τῶν ὄντων, μεγίστας δὲ παρέχεται τὰς χρείας, ἐν τοῖς ἐπισφαλέσι καιροῖς, τούτου πάντες κατολιγωροῦμεν καὶ ταῦτα δυνάμενοι, μετ᾽ εὐσχήμονος ἀναπαύσεως ἅμα καὶ διαγωγῆς, ἐκ τῆς ἱστορίας καὶ πολυπραγμοσύνης περιποιεῖσθαι τὴν τοιαύτην ἐμπειρίαν. *Atque haec calamitas* (adſcribam praeclariſſimi quanquam longiuſculi loci verſionem e Caſaubono) *quum adeo continue, adeoque evidenter multis jam inciderit; fit tamen neſcio quomodo, ut ad hujusmodi fraudes ſemper rudes ac novi exiſtamus. Cauſſa autem hujus rei eſt, quod priorum caſus, a quibus in aliquo eſt offenſum, ut in numerato habeamus & ad manum, operam non ponimus. ſed frumenti quidem ac pecuniae copiam, itemque murorum telorumque fabricas, adverſus incerta & inopinata caſuum, vexatione magna ſumtuque nobis comparamus: rem vero omnium facillimam, omniumque, ubi aliquid adverſi increpuit, utiliſſimam, hanc omnes ſusque deque habemus: quum praeſertim facile queamus, honeſto fruentes otio atque oblectatione animi, ex hiſtoria & curioſa diligentique rerum anteactarum notitia, hanc nobis peritiam atque prudentiam parare.* Erat ſimilis obſervatio apud *Polybium Gallicum* (Comineum intelligo) lib. II. cap. 6. edit. Barthian. Boecler.

Nomine Adduo.] Straboni lib. XI. dicitur Ἀδώρ. Melius, ut puto, Ἄδων, vel Ἄδδων, quod apud Zonaram. Nomen illud fit ex Hebraeo אדון *Adon*, quod, *dominum*, notat. Favet nobis, quod Floro lib. IV. cap. ultimo, Rufoque Feſto vocetur, *Domnes*, ſive potius, *Donnes*, ut habent quidam libri. Nam princeps ſyllaba omiſſa, ut apud Plautum Poenulo Act. v. ſc. II. *Donni*, pro אֲדֹנָי *Adonai*. Sic & *Derceto* ex *Atergatis*. Caeterum

rum Florus, & Rufus, in hoc falſi ſunt, quod Dionem hunc Artaxatis praepoſitum fuiſſe dicant. Nam *Artageras* ab *Artaxatis* diverſas eſſe, ex Strabonis libro jam citato, aliisque, liquet. Rufi error eo ignoſcendus, quod hic quoque, ut ſaepe alibi, Florum κατὰ πόδα ſit ſecutus. Quod forte quibusdam videbitur ridiculum, cum Artaxatorum in eo nulla ſit mentio. Sed verba ejus ex Floro ita emendanda cenſeo: *Donnes quidam, quem rex Artaxatis praepoſuerat.* Vulgo corruptiſſime edunt: *quem Parthis Arſaces praepoſuerat.* Quod non uno nomine falſum eſt. Nam *Donnes* non Parthis, ſed Artageris, Armeniae urbi, erat praepoſitus: nec Arſaces, ſed Phraates, hoc tempore Parthorum obtinebat imperium. Voss. Vide Noris. ad Cenot. Piſana diſſ. II. cap. 18.

Ita animum minus utilem.] Unde etiam Quintilianus Declamatione pro Caeco: *Temeritas omnis animorum, calamitate corporum frangitur; & frigeſcunt impetus mentium, quos non explicant miniſteria membrorum.* Et vero vigorem animi una flacceſcere cum corpore, rarosque inveniri, in quos conveniat illud Romuli Virgiliani: —— *nec tarda ſenectus Debilitat vires animi, mutatque vigores*, ſtabilimus pluribus quaſi exemplorum columellis apud Tacitum lib. III. Annal. cap. 42. ſub finem. Gruter.

Deinde reluctatus.] Nihil hic mutandum ſuſpicarer, absque diſſenſu vulgatarum lectionum eſſet. Exinde conjicio. *Dein diu:* aut, *Diu inde reluctatus.* quorum utrum utrum recipias, perinde eſt. Acidal. MSS. habuit: *Deinde reluctatus.* ſcribe: *diu inde reluctatus.* Jam idem Acidalio in mentem veniſſe, video. Voss. Puto, *diu inde luctatus:* nam ſcriptum exemplar dubie aut, *diu luctatus*, aut *de reditu luctatus.* Heins. Poſtea adſcripſit codici ſuo Heinſius, *diu inde reluctatus.*

In urbe Lycia, Limyram vocant, obiit.] Sueton. *Cajum & Lucium in duodeviginti menſium ſpatio amiſit ambos: Cajo in Lycia, Lucio Maſſiliae defunctis.* Senecae tamen patri in Syria mortuus, cui accedit Rufus: *Cajus,* inquit, (male vulgo *Claudius*) *vulneratus reverſus in Syriam obiit.* Et Florus libro quarto in MSS. & veteribus libris: *Maſſiliae quippe Lucius morbo ſolvitur, in Syria Cajus ex vulnere.* igitur aut errant, aut corrigendi. Clare & diſtincte Vellejus in Lycia obiiſſe Cajum vult, urbe quoque expreſſa. Et Limyrum quidem fluvium,

Limy-

Limyram urbem, in Lycia Ptolemaeus collocat: quae in Stephano *Lamyra* ſcripta. In eadem cum Vellejo ſententia Suetonius: *Cajum & Lucium in duodeviginti menſium ſpatio amiſit ambos: Cajo in Lycia, Lucio Maſſiliae defunctis.* Etiam Joh. Zonaras, qui a Dione, ut ſolet (nam ipſe Dio hac parte mutilus) hauſit: Ὁ δὲ Γάϊος ἐς Λυκίαν ἐν ὁλκάδι παρέπλευσεν, ἔνθα δὴ καὶ μετήλλαξεν: *Ipſe Cajus in Lyciam oneraria navi provectus eſt, ubi & obiit.* Hoc iſti cenſent, probi, fidi, & talium curioſi ſcriptores. Tamen ecce qui diſſentiunt [miramur in fato illuſtris juvenis] & in Syria obiiſſe volunt. Grande autem, ne neſcias, inter Lyciam & Syriam intervallum & Pamphylia ac Cilicia totae interjectae. Seneca pater, qui ipſe illius aevi: *Cum mortuo in Syria C. Caeſare, codicillo queſtus eſſet Auguſtus.* Florus pariter: *Maſſiliae Lucius morbo ſolvitur: in Syria* [ita omnes ſcripti libri] *Cajus ex vulnere.* Etiam Feſtus Rufus: *Cajus vulneratus, reverſus in Syriam obiit.* Quid dicemus? inclinabam ad priores: ſed revocat Bellonii, viri fidi & induſtrii, ut mihi videtur, obſervatio, qui narrat lib. II. *Urbem Hamam eſſe, Arabibus Hamzam, Latinis olim Emeſam vel Emiſſam, juxta quam ſepulchrum ſit* δίστεγον, *in modum quadrangulae pyramidis faſtigiatum, valido caemento exſtructum: in quo C. Caeſaris epitaphium Graecis characteribus inſcriptum legatur.* Si ita eſt: [& utinam expreſſiſſet ipſum ſcriptum!] quis ambiget, quin ad hunc C. Caeſarem pertinuerit? atque ita firma probaque ſit altera ſententia: quia Emeſa illa citra controverſiam Syriae in Phoenice urbs eſt. Lips. Seneca Rhetor, Florus, ac Rufus Feſtus, in Syria mortuum volunt. Suetonius, & Zonaras, Vellejum ſequuntur. Lipſius iis objicit obſervationem Bellonii; qui apud Emeſſam ſepulchrum C. Caeſaris ſe vidiſſe ſcribit. Non auſim virum eruditum vanitatis inſimulare: caeterum, quid ſi illud fuerit κενοτάφιον? Sane Dio clare ſcribit, corpus ejus a tribunis militum Romam delatum. Et nihil verius. Inſcriptio Romae retro Minervam: OSSA C. CAESARIS AVGVSTI F. PRINCIPIS IVVENTVTIS. Habes eam Inſcriptionem Gruterianarum p. CCXXXV. num. 4. Vossius. Vide Noriſium d. l.

Limyram.] MS. *Lymira.* Forte, *Lymiram* legendum ex Pomponio Mela lib. I. in deſcriptione Lyciae, & Plinio

Plinio lib. v. cap. 27. Sic & Ovidius Met. IX. *Jam Cragon, & Lymiren, Xanthique reliquerat undam.* Graeci tamen omnes Λιμύραν appellant. Sed μετάθεσις vocalium in urbium nominibus non rara eſt. Sic *Utica* Graecis Ἰτύκη. Ita & in veteribus inſcriptionibus, nummisque ſaepe *Lybica*, pro *Libyca* ſcriptum invenias. VOSS. *Limyra* vetus exemplar. hoc eſt *Limyran*. Prima enim littera ſubſequentis vocabuli hanc abſorbſerat. Nomina Graecanica paſſim Graeca effert enuntiatione Vellejus, etſi, qui membranas ejus deſcripſere, id non ſemper adſecuti ſunt. vide annotata noſtra ſupra cap. 33. HEINSIUS.

Annum ferme quinquageſimum, L.] Lege, *Cum ante annum ferme L. Caeſar*, &c. ut de Lucio Caeſare intelligamus. Suetonius in Auguſto: *Cajum*, inquit, *& Lucium, in duodeviginti menſium ſpatio amiſit ambos.* MANUT. Suetonius ſibi ipſi contrarius in Auguſto, c. 65. *in duodeviginti menſium ſpatio*; in Tiberio cap. 15. *intra triennium defunctos* firmat. Forte emendandum, *biennium*, aut transpoſite, *Cajo & Lucio defunctis, intra triennium* [recte *intra*, nempe tertii anni initium, non exacte, & toto caelo errat vir doctiſſimus, qui *Lucium* DCCLII. an. periſſe non dubitat ſcribere] *adoptatur ab Auguſto*, volentibus memoriis. SCHEGK. Vetus editio, *cum ante annum ferme quinquageſimum L. Caeſar*, ut fortaſſe legendum ſit, *ante annum ferme quinque menſes*. Nam intra annum & quinque vel ſex menſes Cajus & Lucius deceſſerunt. Suetonius Auguſto capite ſexageſimo quinto: *Cajum & Lucium in duodeviginti menſium ſpatio amiſit ambos; Cajo in Lycia, Lucio Maſſiliae defunctis*: quae verba non repugnant his ejus verbis in Tiberio: cap. 15. *Cajo & Lucio intra triennium defunctis adoptatus*. Non enim pertinent ad tempus mortis Caji & Lucii, ſed ad adoptionem Tiberii adoptati intra triennium, quum Cajum & Lucium adoptaverat. POPMA. Si quid video, *Maſſiliae deceſſit. Sed fortuna.* Nimirum τὸ *ſed* ſive *ſet*, ut paſſim in membranis, iteratum fuit a librario. Deinde Popma, cum in veteri quadam editione repperiſſet, *Cum ante annum fere quinquageſimum*, inde elicuerat: *ante annum ferme quinque menſes*. Dionyſius etiam Petavius libr. XI. de doctrina temporum cap. 3. neſcio quos ſecutus codices agnoſcit, *ante annum quinquageſimum*; atque inde elicit ſcripturam, quae codices, quos vidi, omnes occupa-

cupa-

cupavit. Heins. *Quinquageſimum* eſt in Rhenani Edit. ſed expunxit jam Eraſmus; & eum ſecuti ſunt poſteriores: vana itaque Petavii jactatio. *Maſſilia* Ed. Rhen.

Nominis.] Forte *ominis*. Burm. *in marg.*

Ante utriusque horum obitum.] Id ipſum Suetonius adfirmat cap. 13. & 15. in Tiberio: atque adeo rediiſſe illum, *Cajo permittente*. Quomodo igitur Dio verus? qui ſic lib. LV. Συνέβη δὲ εὐθὺς μετὰ ταῦτα καὶ τὸν Τιβέριον ἐκ Ῥόδου ἀφικέσθαι, Λουκίου καὶ Γαΐου τελευτησάντων. *Accidit poſt iſta ſtatim, ut Tiberius Rhodo rediret, Lucio & Cajo defunctis.* Profecto haec falſa, etiam ipſo Dione arguente. Si *poſt iſta ſtatim* rediit Tiberius: (id eſt, poſt ingreſſum Caji in Armeniam, & revocata foedera cum Partho; ita narrat;) quomodo Lucius & Cajus jam defuncti? Nam Cajus certe aliquanto poſt diutule ſupervixit. Puto negationem e Dionis textu excidiſſe, ſcribendumque: Λουκίου καὶ Γαΐου οὐ τελευτησάντων ſive voles, οὐδέπω. Confirmat, quod Zonaras quoque [aſſecla aut exſcriptor fere Dionis] ſignificat, Tiberium rediiſſe ante utriusque obitum. Lips.

Atque vehementer.] *Eoque* vetus exemplar; reor *adeoque*. Heins.

Tribunitiae poteſtatis.] Vide Tac. 1. A. 3, 5. Sueton. Tib. 15. & 16. Dion. LV. p. 637. Intellige autem *tribunitiam poteſtatem* iterum datam. acceperat enim & geſſerat jam antea. adde Tac. 1. A. 10, 10. Boecler.

Tribuniciae poteſtatis conſortionem.] *Conſortionis* voce ſupra item uſus, pauculas ante paginas. *Tribuniciae poteſtatis conſortione aequatus Auguſto.* Eadem Ciceronem quoque uſum nupere monitum, & Nonium conſulere juſſum. Acidal.

Conſtitueret.] Poſſet aliquis corrigere, *reſtitueret*, quia jam antea fuerat conſors. Sed Vellejus recte utitur hoc verbo, quo firmum & perpetuum, nec jam per alios interrumpendum ipſi tribunatum indicat. Sic *conſtituere dignitatem* inf. 130. *patrimonium*, *regnum*, & ſimilia apud Nepotem, Juſtinum, Ciceronem, & alios. vid. ad Quinct. decl. CCLX. Sueton. Tib. 16. dicit reverſo *datam rurſus Tribunitiam poteſtatem in quinquennium, & ſepoſito Agrippa certum fuiſſe, uni ſpem ſucceſſionis incumbere.* antea ergo data conſortio Tribuniciae poteſtatis, ſed illa fuerat iterum intermiſſa; haec *conſtituta* & perpetua. Burm.

Aelio

Aelio Cato, &c.] Lege, *Sex. Aelio*, *C. Sentio Coſ.* MANUT. Nihil mutandum eſt, tantum poſt *Cato* diſtinctio ponenda. *Catus* eſt nomen Aelii, quem Dio lib. LV. *Sex. Aelium Catum* nominat. PUTEAN. *Aelio Cato & Sentio COSS.* Ita edidi cum Leopardo Miſcellaneorum lib. VIII. c. 8. SCHEGK. Conſules poſui, quos doctiores malunt: De cetero, *& eundem*, lego: cujus jam jam ſimillimum alterum mendum tollam. ACIDAL. Aelius Catus, & C. Sentius Saturninus Coſſ. fuerunt anno urbis DCCLVI. a quibus lata quae dicitur Lex Aelia Sentia de manumiſſionibus. Vellejus autem ponit numerum annorum usque ad illos Conſules, ut mox annos ab illorum Conſulatu ad Vinicium conſulem. itaque numeri hic non mutandi, ut alii putant. POPMA. Legi poſſit: *Aelio Cato, Sentioque Coſſ.* Alii emendarunt: *S. Aelio*, *C. Sentio.* Alii, *Aelio Cato, & Sentio.* Quomodocunque legas, perinde eſt. Nam par Coſſ. vocabatur, Sextus Aelius Catus, C. Sentius Saturninus. Sentii mentio memorem me facit loci apud auctorem vitae Virgilii, quae Donato adſcribitur. Dicitur in ea, Virgilius mortuus Auguſto ab Oriente Romam redeunte, *Cn. Seſtio, Q. Lucretio coſſ.* Ubi ex faſtis legendum liquet, *C. Sentio.* Auctorem ejus vitae, (ſed qualis a Petro Daniele, reciſis quibusdam nugis, e veteri codice edita eſt) ut quidem Donatum eſſe non negaverim, ita tamen multa in ea eſſe ex ea, quam in libro de poëtis reliquerat Suetonius, expreſſa, mihi neutiquam dubium videtur. Quod etiam ſtylus ipſe multis locis indicat. Unicum jam modo ejus locum apponam. Habes in ea: *Libidinis in pueros pronior.* Quod loquendi genus, neſcio an alibi temere reperias, quam apud Tranquillum, ſub finem Galbae, ubi itidem dixit, *libidinis in mares pronior.* Ut fruſtra vir maximus conjecerit, *pronioris.* Tota praeterea deſcriptio formae Virgilii, quae haec verba praeceſſit, Suetoniana eſt. VOSS. Vide de his Coſſ. Noris. diſſert. III. ad Cenot. Piſan. cap. 9. delevimus illud &: ex more enim Velleji noſtri conſules duo ſine copula ponuntur, nec eſt in Ed. Rhen. Eraſm. & aliorum. BURM.

Annis DCCLIV.] Lege DCCLVI. & deinde XXVI. MANUT. recte Manutius, conſulatus enim Aelii & Sentii incidit in A. U. C. 756. Vinicii in 782. ex Faſtis apparet. BURM.

Hic implere.] *Hinc implere* Ed. Rhen.

Id unum dixiſſe juvat, &c.] Duo verba, *juvat* & *carus*, nulla fuerunt in autographo, quo uſus Rhenanus: ipſe fatetur indidiſſe. Tentabam igitur legere; *Id unum dixero, quam ille omnia omnibus fuerit.* Proverbialis loquendi modus, in gratioſis, aut qui apud aliquem poſſunt. Demoſthenes in Philipp. Πᾶν ἐκεῖνος ἦν αὐτοῖς. Diogenes Laërtius in Hipparchia: Ἀλλὰ πάντα ἦν Κράτης αὐτῇ. Lucianus: Καὶ οἱ πάντα Κόμβαβος ἦν. Idem: Καὶ σωτὴρ, καὶ εὐεργέτης, καὶ πάντα ἦν ἐγώ. Varro: *Hic enim omnia erat, idem Sacerdos, idem Parochus, idem Senatus, idem Populi caput.* Lips. Duo verba, *juvat*, & *carus*, non fuere in autographo. Unde non infeliciter tentabat Lipſius: *Id unum dixero, quam ille omnia omnibus fuerit.* Puto tamen, magis ad Velleji genium fore, ſi principium ita ſuppleas: *id unum dixiſſe habeo, quam* &c. Ita infra: *Id unum dixiſſe habeo. cujus urbis ruinam timueramus, eam ne commotam quidem ſenſimus.* Non legiſſe oportet Vellejum, qui neſciat, quam ſaepe ſui ipſius ſit imitator. Voss. *Juvat* non exhibetur in membranis. deinde nec *carus* eae agnoſcunt: *quam ille omnibus fuerit.* Puto, *vix in illo juſto opere abunde perſequi poterimus, nedum hic implere. Tentemus id unum dixiſſe, quam ille omnibus omnia fuerit.* vel, *id unum habeo dixiſſe.* ut cap. 124. *Id ſolum voce publica dixiſſe habeo.* Adulatorie omnino, & multa paucis artificioſe complexus Vellejus. *omnia omnibus* jam vidit Lipſius. Cognatio vocum contiguarum in membranis ſaepe effecit, ut harum altera omitteretur. vide nos ad cap. 110. Sic apud Petronium, *Trimalchioni τὰ πάντα eſt.* ita lege, non *Trimalchionis.* Livius libr. xl. cap. 2. *Demetrius iis unus omnia eſt.* ſic & forte ſupra caſtigandum cap. 83. *in omnia omnibus venalis.* Heins. Hactenus Heinſii conjectura placet, ut legamus *implere. Tentemus id unum dixiſſe.* ſed deeſſe vocem in illis, *quam ille omnibus fuerit*, puto, quae diem illum acceptum & gratum Populo fuiſſe indicet. nam *ille* non ad Tiberium, ſed ad diem referendum arbitror. ſed difficile eſt ipſam vocem divinare. an, *Quam ille omnibus laetus*, vel *gratus*, vel *feſtus*, vel *candidus fuerit*, vel ſimile quid. Nec inepte ex Rhenani conjectura poſſimus formare: *implere. Contenti ſimus id unum dixiſſe, quantus ille* (vel *quam illuſtris*) *omnibus viſus fuerit.*

fuerit. Tum refulſit. Sed deſino conjecturarum incertiſſimarum. Burm. V. Miſc. Obſ. V. ix. p. 174.

Refulſit.] Ita Horat. II. Od. 17. *Te Jovis impio Tutela Saturno refulgens Eripuit.* quod confirmaret *illuſtrem* diem hunc fuiſſe, quo Tiberius, ut aſtrum ſalutare refulgens, ſpem illam certam oſtendit. Burm.

M. Agrippa.] Praenomen *M.* videtur abundare. Ursin.

Hoc, inquit, reip. cauſſa facio.] Idem Suetonius Tiberio, capite vigeſimo primo: *Cum & reipublicae cauſa adoptare ſe eum in concione juraverit.* Ubi notandus mos ſolemnis in adoptione, quo cauſam adoptans facti ſui addebat. Cicero pro domo: *quae deinde cauſſa cuique ſit adoptionis.* Ibidem: *cauſa quaeri ſolet adoptandi.* Popma. Dubitatum eſt a multis, *an Tiberius reip. cauſſa ab Auguſto ſucceſſor conſtitutus.* unde prudentiam aliqui apud Tac. I. A. 10. 9. *ne Tiberium quidem caritate aut reip. cura ſucceſſorem adſcitum: ſed quoniam arrogantiam ſaevitiamque ejus introſpexerit, comparatione deterrima ſibi gloriam quaeſiviſſe.* Sed Suetonius, liberi alias & prudentis judicii ſcriptor, ſuſpicionem eam ab Auguſto removet, dum in Tib. 21. ſcribit: *adduci tamen nequeo, quin exiſtimem, circumſpectiſſimum & prudentiſſimum principem, in tanto praeſertim negotio, nihil temere feciſſe, ſed vitiis virtutibusque Tiberii perpenſis, potiores duxiſſe virtutes: praeſertim cum & reip. cauſſa adoptare ſe eum pro concione juraverit, & epiſtolis aliquot, ut peritiſſimum rei militaris, utque unicum populi Romani praeſidium proſequatur.* Boecler.

Tribunatu caſtrorum.] Fuit temporibus Imperatorum in exercitu & unaquaque legione *Praefectus caſtrorum:* cujus munus deſcribit Veget. l. II. c. 10. & meminit Vellejus, Suetonius, Tacitus. Huic parebat, an operam praeſtabat Tribunus caſtrorum, dignitate & autoritate minor: de quo nulla mentio apud Hiſtoricos, praeter Vellejum. Forte *Strator* dicitur ab Ulpiano tit. de offic. proconſ. & leg. qui ſcilicet caſtra praeit, ut loca impedita exercitui traducendo praeparet & extricet. Popma. Praefecti caſtrorum, quales memorantur ſaepe a veteribus, & a noſtro infr. 119. & 120. videntur tantum praefecti fuiſſe ad tempus, quo exercitus in aciem educebatur, & caſtris praeſidio relicti; licet poſtea videatur mu-

munus ordinarium factum. An vero idem ſit praefectus & Tribunus, nec Lipſius de Milit. Rom. diſſ. 11. 9. auſus definire, neque ego definio certe ſic more Romano Juſtinus videtur lib. XIII. 14. dixiſſe *ſummum caſtrorum tribunatum Seleuco ceſſiſſe*, ubi *Praefecturam* certe intelligit. Diverſum vero fuiſſe a Tribunatu militum, de quo etiam dubitabat Lipſius, hic locus oſtendit; nam jam ante cap. 101. ſe Tribunum Militum ſub Cajo in oriente fuiſſe dicit, nunc vero promotus ad praefecturam equitum, ſive alae, ut Suet. Aug. 38. vocat. Unde & ordo promotionum militarium intelligi poteſt, & hoc exemplo confirmari. nulla vero ſpecie Dodwellus in Annal. §. 12. ſuſpicatur, *Tribunum caſtrorum* dictum Vellejum, quia praeerat Caſtris Praetorianis: & eodem modo ut milites gregarii ad Praetorianorum militiam evehi ſolebant, ſic Tribunos militum promoveri ſolitos ad Tribunatum caſtrorum praetorianorum; quod cum nullo teſtimonio firmatur, eſt per ſe abſurdum, tum, quia hoc tempore, de quo agit Vellejus, nulla erant caſtra Praetoriana, a Tiberio demum Romae conſtituta. Suet. Tib. 37. quare fingit caſtra alia, non multum Roma diſtantia, quorum nulla in omni antiquitate mentio: multa deinde addit de gradibus & promotionibus militaribus, per leges Annales certo ordine procedentibus, quae nullo argumento, ſed commentis & ſuſpicionibus nituntur. ſed quibus hic diſcutiendis nullus eſt locus. Quidquid denique de his Tribunis caſtrorum ſit; inepte *ſtratores* eosdem facit Popma, qui inferioris longe ordinis, & vilioris miniſterii, ab equis ſternendis dicti fuere: de quibus & eorum officio multa Salmaſ. ad Spartian. Caracal. VII. Gothofr. ad Tit. C. Theod. de Stratorib & Fabret. ad Column. Trajan. p. 185. Valeſ. ad Amm. Marcell. XXIX. 3. & XXX. 6. Reineſius vero ad Claſſ. 1. inſcr. 19. in l. 4. §. 1. ff. de Off. Procoſ. legit *Statores*, qui in multis Lapidibus occurrunt, nec minus *Stratores*, unde ſaepe confuſi. BURMAN.

Erat & ab eo.] Lipſius, *erat id ab eo.* RAPHEL.

Fruitus ſum.] Lucretius lib. III. *Sin ea, quae fructus cumque es, periere profuſa.* Cicero in Hortenſ. *Et amoenitate ſumma perfructus eſt.* Adi ad invidiam ablectiſſima & laborioſa illa Conlectanea humaniſſimi, Juris antiquitatisque conſultiſſimi viri Hub. Giphanii noſtri. SCHECK.

Me-

Meritis ac viribus.] Superbius videtur. An vires imperatoriae Tiberio ante imperium? dici aliquid poſſit, ſed malim ego: *meritis ac virtutibus.* Lips. Nihil muta. *vis* enim eſt etiam virtus. vide ad Quinctil. 11. Inſt. Orat. 1. Burman.

Et ſalutationis nova quaedam exſultatio.] Dicam cum Deo, de hoc ritu plenis tibiis ad Ammianum. Schegk.

Contingendi manum cupiditas.] Imperatoris manum contingere vel oſculari, ſi cui concedebatur, erat honorificum, atque etiam ſummae reverentiae indicium. Vellejus infra cap. 107. *Impetratoque ut manum contingeret.* Plutarchus Catone minore: *αὐτοῦ καὶ χειρῶν ἐμοὶ καλὸν ἅψασθαι καὶ γόνασι προσπεσεῖν* Καίσαρος, *etiam manus ejus contingere, & ad genua mihi fuerit honeſtum procumbere Caeſaris.* Suetonius Caligula. *Ex aliqua cauſa agenti gratias oſculabundam manum offerre.* Idem Domitiano, *Oſculumque, ut aſſueverat, offerenti manum praebuit.* Tacitus lib. xv. de Nerone, *Genua ipſius advolvi & dextram oſculis fatigare.* Cauſam pete a Plinio lib. xi. c. 45. & lib. xxviii. cap. 2. Poema.

Non continentium protinus, quin adjicerent] Mutandum forte, *prorſus*, aut *penitus.* Vel collocandum ſaltem aliter comma: *non continentium, protinus quin adjicerent.* Acidal. Scribo, *non continentium, quin protinus adjicerent.* Heins.

Neque verbis exprimi.] Haec ita diſtinguit & legit Lipſius: *Neque v. ex. & f. v. m. f. poteſt, intratâ p. G.* Raph.

Videmus te &c.] V. Miſc. Obſ. V. ix. p. 174.

Caninifaci, Attuari, Brûteri.] *Cannenufates*, apud Plinium lib. iv. cap. 15. Manut. *Caninefates* cum Vellejo Tacitus lib. iv. & xx. nominat. ſtatim pro *Attuari* B. Rhenanus *Chattuari* repoſuit, optime. Strabo lib. vii. Καττουάριοι. id quod Aldum currentem fugit. Putean. *Caninefates, Attuarii.* Ita emendavi, cum vulgo eſſet *Attuari*, qui apud Strabonem lib. vii. *Καττουάριοι*, inter minores Germaniae gentes, quaſi Attuaters. Poema. Pro *Caninefates* male in editione principe fuerat, *Caninifaci.* Pro quo tamen minima fortaſſe mutatione reponi debeat, *Caninifati.* Sic *Teutones* & *Teutoni*, *Santones* & *Santoni*, *Mediomatrices* & *Mediomatrici*, *Tectoſages* & *Tectoſagi*, *Velocaſſes* & *Velocaſſi*, promiſcue apud

apud auctores legitur. Ita & *Atrebatis*, non *Atrebatibus*, eſt apud Caeſarem lib. II. de bello Gallico in codd. MSS. Plura ejus generis alii per ſe obſervabunt. Voss. *Caninifaci* vetus exemplar. hoc eſt *Caninifati.* ſic *Teutoni* & *Teutones*, ſimiliaque. uti jam monuit Voſſius, qui *Attuarios* etiam feliciter adverſus conjecturas aliorum aſſeruit. pro *Attuariis* etiam ſtat Popma. Mox, *recepti Cheruſci gentes.* Tolle τὸ *gentes*, quod ex gloſſa irrepſit. idque Lipſium non fugit. deinde feliciter ac perpulchre Voſſius, & *utinam minus mox noſtra clade nobilis Viſurgis*, e veſtigiis ſcripti codicis: quae reſtitutio loci mendoſiſſimi laudari pro merito ſatis non poteſt. Heins.

Attuarii.] Rhenanus, & alii, ex Strabone legunt, *Chattuarii*; Cluverius vero, *Cattuarii.* Qui & addit, *Attuarios* alias non legi. Sed falluntur. Ammianus lib. XX. *Rheno exinde transmiſſo regionem ſubito pervaſit Francorum, quos Attuarios vocant.* Meminit etiam eorundem Gregorius Turonenſis in geſtis Francorum epitomatis cap. 19. nihil igitur in Vellejo mutandum. Vossius. *Attuarii*, ſunt Vellejo Paterculo Germaniae populi. *Arthuarii*, Ammiano XX. Francorum gens. Eadem, vicina Bructeris. Scio Rhenanum & Junium hoc loco *Anſivarii* legere apud Ammian. Ortel.

Bructeri.] Ita edunt omnes ex conjectura Rhenani. At perperam, ut arbitror. Retinendum enim *Bruteri*, ut erat in autographo. Ita etiam hanc gentem nominat Nazarius Panegyrico ad Conſtantinum. Unde non longe abit *Borteri*, ut in epiſtola quadam Gregorii II. Papae appellantur. Quin pro vulgata Velleji lectione quoque facere videtur locus Suetonii in Tiberio, quo ille *a Ruteno* prope occiſus dicitur. Ita enim eſt in vulgatis: ubi codices quidam MSS. habent *Bructero*, alii *Rutheno*, aut *Rutero.* Ut forte *Brutero* ſit ſcribendum. Non enim acquieſcit animus Torrentii conjecturae, qui cenſebat, Romanos *Ruteri* vocem, tanquam proprium viri nomen, expreſſiſſe, cum Germanico idiomate quemvis equo merentem ſignificet. *Bructeros* tamen gentem hanc nominant plerique alii ſcriptores. Voss. Vide de illis Illuſtr. Ferdinandum Furſtembergium in Monument. Paderborn. p. 59.

Gentes.] Illud *gentes* tanquam gloſſema abjiciendum cenſet Lipſius. Raphel.

Et

Et inamninus &c.] *Et amnis* omnes edunt, quaſi de hac lectione, quam commentus Rhenanus, dubitare videatur nefas. Ego tamen pro certo habeo aliter ſcriptum fuiſſe Vellejo. Nam in autographo fuit: *& inamninus mox noſtra clade nobilis*, &c. Unde, duabus literis additis, quae ob vetuſtatem erant extritae, legendum cenſeo: *& utinam minus mox noſtra clade nobilis*, &c. Intelligi autem Varianam cladem, manifeſtum eſt. Voss. *Et amnis mox noſtra clade nobilis, tranſitus Viſurgis.* Ita Rhenanus εὐστόχως, ut arbitror, emendavit, cum inveniſſet: *& inamninus mox noſtra clad. nob.* Voſſiana conjectura ita reſcribit: *& utinam minus mox noſtra clade nob.* Boecler. Poſſet forte transpoſitis vocibus legi, ſed *mox damnis & noſtra clade nobilis tranſitus Viſurgis.* ita cap. 119. *Craſſi in Parthis damnum.* & eodem cap. 40. *damnum imperatoris.* vel legi poſſit, *& damnis immanibus mox, & noſtra clade*, ut ob concurſum ſimilium ſyllabarum vitium ſit ortum; certior medicina a non depravato codice exſpectanda. Mox mallem, *qui dudum legatus* &c. *fuerat.* Burman. V. Miſc. Obſ. V. ix. p. 174.

Tranſitus Viſurgis.] Apud Dionem in hac re narrata mendum: Τιβέριος μέχρι γε τοῦ ποταμοῦ πρότερον μὲν τοῦ Ἐρύγρου, μετὰ δὲ τοῦτο καὶ τοῦ Ἀλουίου προχώρησεν. *Tiberius usque ad flumen primum Erygrum, deinde ad Albim progreſſus eſt.* Scribe, τοῦ Οὐεσούργου, reducta ſyllaba a vocula priori. Lips. *Tranſitu* Ed. Rhen.

Virum multiplicem in virtutibus.] Nimirum cum nihil ſit in opere naturae, quod non exemplo dierum noctiumque, aliquas deſideret vices feriarum, non video, cur non & iis homines utantur ſine nota. Certe Lucumonum illa natio, cui tota actio vitae, omni tempore, omni loco, triſtis, horrida, ſevera, nunquam remiſſa, laeta, blandior, non tam mihi videtur nata adverſo Genio, iratisque adeo Lubentiis ac Gratiis, quam conſtare ex meris elementis ſimulationis ac diſſimulationis, hoc eſt, palam quidem Curios ſimulare, at enim clam vivere Bacchanalia: ita inquam mihi videtur; ut rationum exemplorumque multitudine ſtabilio ad illa Taciti Lib. 11. Annal. 33. *Niſi forte clariſſimo cuique plures curas, majora pericula ſubeunda, delinimentis curarum & periculorum carendum eſt.* Ceterum de his, qui in otio vere

 otioſi

otioſi, ut in negotio plane otioſi, diximus ad eumdem Taciti lib. 11. Hiſt. cap. 2. *Neque abhorrebat a Berenice juvenilis animus: ſed gerendis rebus nullum ex eo impedimentum.* GRUTER. Libro veteri abeſt particula *in*, & bene. RAPHEL. Eſt in Editione Rhen. ſed omiſerunt Voſſius, Heinſius & Hudſon, & quidam alii: natum puto ex litera *m* praecedenti, ut millies factum. *Multiplex* aut eſt varius, ut Ciceroni de amicitia 18. *multiplex ingenium;* & 25. *animus multiplex.* Idem eſt, quod de Antonio Florus IV. 7. 4. *Varius ingenio.* Ita contra ſaepe noſter laudat viros inſignes a ſimplicitate, ut mox cap. 116. *ſimpliciſſimus dux. ſimplicitatis nobiliſſimae* 11. 10. & alibi. ſed in primis in Flacco Pompejo laudat *ſimplicem virtutem* inf. cap. 129. BURM.

Perducta.] Lipſ. malit, *producta.* RAPHEL. *Producta.* Deinde *immanis emolumentum fuere victoriae*, pro *fecere.* amat iſtas locutiones Vellejus. Immo, *in immanis emolumentum ceſſere victoriae.* infra cap. 114. *Hiems emolumentum patrati belli contulit.* HEINS. Vid. ad lib. I. 17.

Pietas ſua Caeſarem, paene obſtructis hieme Alpibus, in urbem traxit ad tutelam imperii, eum veri initio reduxit in Germaniam.] Languida & enervis oratio, quam roboro; *eadem veris initio.* Pietas, inquit, Caeſarem revocavit ad cives & urbem: eadem inde expulit ad exercitum & caſtra. ACIDAL. Melius & concinnius: *in urbem traxit: at tutela imperii eum veris.* Pietas in utrumque parentem, & deſiderium videndi duxit eum in Italiam: tutela imperii (quod defendendum ei contra barbaros,) reduxit in Germaniam. LIPSIUS. Falſum eſt in Italiam rediiſſe tutando imperio. diſtinguebam, legebamque, *traxit: at tutela imperii eum veris* &c. illud *in* vel *inde* adhaeſit voci priori, inde factum, ut mutaretur *ac* in *ad.* GRUTER. *in urbem traxit ad tutelam imperii. Eum* &c. Ed. Rh. poſſet & legi, *in urbem traxerat, tutela imperii eum* &c.

Pene obſtructis hieme Alpibus.] Ita emendarunt. Prius fuerat, *pene exſtructis.* Recte, meo judicio. Nam, ut ait Florus lib. III. cap. 3. *hiems altius Alpes levat. Bene* tamen pro *pene* reponendum videtur. VOSS.

Veris initi.] Pro *initio* in MS. tantum erat, *initi.* Unde forte legendum: *obſtructis hieme Alpibus in Urbem*

traxit:

traxit: ad tutelam imperii eum veris initium reduxit in Germaniam. Quamvis *initio* etiam retinere poſſis, dummodo nobiſcum vulgatam diſtinctionem mutes. Quod ſi placeat, *pietas*, *ἀπὸ κοινοῦ* erit intelligenda. Voss. *Veris initi* codex antiquus, unde *initio* factum. Sed cur non *veris initu*? quod etſi minus obvium, elegans tamen & Latinum haberi par eſt. Adi Lambinum ad Lucretii librum primum, verſ. 13. HEINS. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 174.

Juliae fluminis.] Malo cum doctiſſimo homine in Epiſtolicis, *Lupiae fluminis.* facit Dio lib. LIV. SCHEGK. Feci *Lupiae* pridem. Perſevero: niſi ſi *Julii* faciendum, quaſi in honorem C. Julii Octaviani flumen ſic noviter appellatum. LIPS. Librarii erratum, an Vellejanum? verum nomen *Lupia*, quod retinet Tacitus lib. I. Annal. Mela lib. III. cap. eod. Dion lib. LIII. & Strabo l. VII. *Λουπίας*. Quin etiam hodie in Germania inferiori celebratur in titulo indito Comiti de Lipp. POPM. *Lupiae* legendum eſſe, conſenſus doctorum & res ipſa pridem evicit. vide de hoc Noſtri loco Cluver. German. antiq. l. III. c. 9. & 49. BOECLER.

Ad quadringenteſimum miliarium a Rheno usque ad flumen Albim.] Hyperbolice hic loqui Vellejum, aut anfractus atque circuitus paludum ſaltuumque complecti (cum alias millia paſſuum haud amplius CCXL. reperiantur *in itineris hujus deſignatione*) oſtendit Cluverius Germ. antiq. III, 18. Ita adulatorie mox, animadvertente Lipſio, *inauditum atque incognitum ante mare* vocat, quod tamen Druſus antea navigaverat, ſicut ex Dione ſatis conſtat. BOECLER.

Senonum.] Pro *Senonum* puto emendandum, *Semnonum.* *Semnones* Suevorum gentem nominat Strabo lib. VII. Tacitus II. & lib. de morib. German. & Ptolem. lib. II. Perperam etiam apud Florum lib. IV. cap. ult. *Senones* editum eſt, id quod vel libri veteres oſtendunt, in quibus *Scenos*, vel *Sunnos* ſcriptum eſt. *Senones* autem Galliae populi ſunt; qui hodieque nomen retinent. PUTEAN. Lego, *Semnonum*, qui inter Suevos. Tacitus II. Annal. *Igitur non modo Cheruſci, ſociique eorum, vetus Arminii miles, ſumſere bellum, ſed e regno etiam Marobodui Suevae gentes, Semnones & Langobardi defecere.* Et in Germania: *Vetuſtiſſimos ſe, nobiliſſimosque Sue-*

vorum Semnones memorant. Et cum Ptolemaeo Strabo lib. XVII. *τῶν Σουήϐων αὐτῶν μέγα ἔθνος Σέμνωνας.* SCHEGK. Recte emendant, *Semnonum.* VOSSIUS.

Praeterfluit.] *Praefluit* editio Voſſii. ſi ex MSS. reciperem, ſed aeque bonum, *praeterfluit.*

Perductus.] Et hic *productus* malim. ut cap. 78. *producto eorum exercitu in Syriam.*

Temporum quoque.] *Temporumque* malo. HEINS.

Ab inaudito & incognito mari] Nego. Druſus frater ejus jam ante navigaverat. LIPS.

Plurimarum gentium victoria.] Potior lectio videbatur, *a plurimarum.* id eſt, poſt victoriam. Sed elliptica figura eſt, quae in Plauto frequens, ut, *Noſtrum ſalute ſocium: & ſalute horiae,* aliaque multa. ACIDAL. Dura illa ellipſis; quare mallem legere, *victori*, ut referatur ad *exercitus*, & *Caeſari.* non enim claſſis illa, quae commeatum vehebat, plurimas gentes vicit, ſed Caeſar & exercitus, qui perluſtraverunt armis Germaniam. ſic & mox cap. ſeq. *Victor omnium gentium Caeſar.* BURM.

Non tempero mihi.] Quae in hoc capite habentur, ſolius Velleji diligentiae debentur. quo minus judicare integrum eſt, quid juxta aut ſupra veri fidem dictum ſit. Certe cum in Tiberianis pleriſque laudibus nimius deprehendatur Noſter, non ſine ratione ſuſpicatus eſt Lipſius, parum pro indole Germani hominis ſonare iſtam ad Tiberium orationem. BOECLER.

Sub omnem motum.] In ſcripto codice erat, *motumque.* Lego: *ſub omnem motum quoque.* VOSS. Refugiebant barbari terrore perculſi, ſimul atque naves Romanae ſe movebant: unus tamen horum ad medium fluvii proceſſit. Hoc Vellejus voluit. In veteri codice erat, *ſub omnem motumque.* Corrigo, *ſub omnem motum cujusque noſtrarum navium protinus refugientibus unus e barbaris.* ni mavis, *ſub omnemque motum.* Refugiſſe naves Romanas neque ſit veriſimile, neque narraſſet Vellejus, ſi factum eſſet, ut Tiberio immane quantum ubique blanditur in omnibus. mox in illis; *in eam quam armis tenebamus, ripam*, nihil eſt mutandum. HEINS. Sed *refugientium* reſpicit *hoſtium*, quod praecedit.

Dignitate, quantum oſtendebat cultus, eminens.] Apul. I. Met. *Tu autem vir, ut habitus & habitudo demonſtrant, ornatus, accedis huic fabulae?* ACIDAL.

Cava-

Cavatum, ut illis mos eſt, ex materia conſcendit alveum.] Meminit ejusmodi navigiorum Plinius XVI. 40. *Germaniae praedones ſingulis arboribus cavatis navigant, quarum quaedam & triginta homines ferunt.* Scilicet hoc veluti *rudimentum navium* gentibus fuiſſe antiquitus, conſentaneum eſt. Ita Sanchuniathon apud Euſeb. praeparat. Euang. I. 10. de Phoenicum Theologia, tradit: δένδρου λαβόμενον τὸν Οὔσωον καὶ ἀποκλαδεύσαντα, πρῶτον τολμῆσαι εἰς θάλασσαν ἐμβῆναι. *Uſoum arbore, cujus ramos amputaverat, accepta, primum hoc veluti navigio auſum eſſe mare ingredi.* Annotandum hoc vel propterea videbatur, quia in disputatione de primis *rei navalis originibus* multa obſcuritas tollitur, obſervato navis tumultuariae ſive rudimentariae, tum fabricatae extructaeque diſcrimine: hic proprie ναυπηγία locum habet: Vellejanum autem iſtud navigium, aut quae alia ad eum modum memorantur, non ſunt accurate loquendo ναυπηγηθέντα. BOECLER. Graecis μονόξυλον, Latinis *Linter*, & *Alveus*. vid. Scheffer. de Milit. Naval. lib. I. cap. 3.

Ad medium proceſſit fluminis & petiit.] Non pejor ſcriptura, *ut ad m. p. fluminis, petiit.* ACIDAL.

Quam armis tenebamus.] Non diſplicet. Caeterum in autographo fuit; *tendebamus.* Unde ſcribendum forte, *in eam, qua armis tendebamus, egredi ripam* Niſi malis, totidem apicibus repoſitis; *in eam, qua in armis tendebamus, egredi ripam,* &c. Hoc eſt, qua armati excubabamus, ac tentoria fixeramus. Ut Virgilius II. Aeneid. —— *Heic ſaevus tendebat Achilles.* Et Ovid. epiſt. I. *Illic Aeacides, illic tendebat Ulyſſes,* &c. Voſs. Burerius in antiq. ex. fuiſſe, *tendebamus*, teſtatur. Unde promptum fuerit, emendatione ceteram σύνταξιν huc attemperare: niſi in pari loquendi proprietate aeque ambiguum crederem, huicne verbo, an reliquis voculis acceſſerit vitium. BOECLER. *Tenebamus* non mutem. vid. ſupra, cap. 25, & 51.

Data petenti facultas.] Erasmus jam ejecit [*a Caeſare*], reliquique deinceps.

Adpulſo lintre.] Non niſi uno Tibulli loco lib. II. v. 34. masculino genere reperiri *lintrem* notant Grammatici: hunc ergo alterum addant, & videant Heinſ. ad Ovid. II. Faſt. 864. BURM.

Et diu tacitus.] *Et* ſupervacuum tollatur. Sequentia

tia illis Curtianis e libro IX. cap. 6. illuſtrantur: *Hinc militum clamor, hinc remorum pulſus, variaeque nautarum voces hortantium pavidas aures impleverant. Ergo univerſi ad eos, qui in armis erant, currunt, furere clamitantes, & cum diis praelium inituros.* HEINS.

Noſtra quidem, inquit, furit juventus.] *Fugit*, legit Petrus Delbenius. Quod ſuperius dixerit, *Sub omnem motum noſtrarum navium protinus refugientium.* MANUT. P. Delbenius pro *furit*, legit *fugit.* Sed illud rectiſſimum eſt: ſententia haec eſt, inſanire juventutem noſtram, quae, cum vos abſentes colat, praeſentium tamen metu fugit. PUTEAN. Adulatoria oratio& inepta, nec pro indole aut ferocia Germanica. Eſt qui legat, *fugit juventus*; male, male. Imo vero furere illam vult, nec eſſe ſuae mentis, quae cum diis belligeretur. LIPS. Nihil eſſe mutandum, recte monuerunt Lipſius, ac C. Puteanus. Vellem attuliſſent ſimilem Curtii locum ex lib. IX. *Ergo univerſi ad eos, qui in armis erant, currunt: furere clamitantes, cum diis praelium inituros.* VOSS.

Quae cum veſtrum numen.] Tolerabilior videri poſſet montanorum barbarorum apud Curtium VII. 6. 6. oratio, qui veniae petendae deditionem ſuam hoc colore adornant: *cum Diis pugnare ſacrilegos tantum.* Nam quae idem ſcriptor de barbaro imbellique Indorum ſtupore memorat IX. 1. 18. & IX. 8, 7. quibus Dii ſcilicet erant, quos fortiores adeoque ſibi formidabiles credebant, facile fidem inveniant; ſed cui veriſimile ſit, Germanum, dignitate graduque militiae honoratum in tantum non modo a libertate, ſed a ſervitute ipſa degeneraſſe? Et quodnam illud numen Romanorum, quod juventus Germana ſcilicet coleret? An illa terrarum Dea gentiumque Roma? quam pro domicilio latronum deteſtabantur Germani? An vero Julii Caeſaris ἀποθέωσις, aut Auguſti veneratio hanc formulam dictavit? qua eadem nimirum poſtea Arminius, *illum inter numina dicatum Auguſtum*, gravi cum irriſu vecordiae Romanae, memorat, ap. Tac. I. A. 59, 6. Curioſior aliquis non difficulter crederet, Vellejum hic commentum eſſe rationem, qua ſuum Tiberium ſummis quibusque & admirandis ducibus aequaret. Vide de Scipione Val. Max. II, 10, 2. BOECLER.

Nec feliciorem ullum vitae meae aut optavi aut ſenſi diem.] Non diſſimiliter Cicero de Caeſaris interfectoribus,

bus, 11. Philipp. *Qui homines tam agreſtes, qui ſe, cum eos aſpexerint, non maximum cepiſſe vitae fructum putent?* ACIDAL.

Nihil erat jam in Germania.] O vanitatem? Sed haec plura magnifice, imo ſerviliter, Vellejus narrat in Tiberii ſui laudes. Ἀλλ᾽ ἐγὼ οὐ πιθόμην. LIPS.

Marcomannorum.] *Marcomanorum* Ed. Rh. Eraſmi.

Interiora.] Vulgo *inferiora*; verius *interiora*. Loca magis interna petierunt & diſſita a limite Romano. LIPS. Valde hic ſudat Philippus Cluverius Germaniae Antiquae lib. III. cap. II. Sed omnem nodum exſolveris, ſi ſcribas, *interiora*. Quomodo jam olim Gryphio, Stephano, & aliis, editum. VOSS. *Interiora* jam Eraſmus edidit, & reliqui.

Incinctos Hercinia ſilva campos.] Reor id praeſtare, *Herciniae ſilvae*. Tum ſcribe, *neque mobilem, ſed ex voluntate parentium conſtantem inter ſuos occupavit principatum, & certum imperium.* HEINS.

Maroboduus.] Cujus apud Tacitum lib. II. 63. Tiberii eulogium in haec verba: *Non Philippum Athenienſibus, non Pyrrhum aut Antiochum populo Romano, perinde metuendos fuiſſe. Exſtat oratio, qua magnitudinem viri, violentiam ſubjectarum ei gentium, & quam propinquus Italiae hoſpes, ſuaque in deſtruenda ea conſilia extulit.* Conſules Strabon. lib. VII. SCHEGK.

Natione magis, quam ratione barbarus.] Poſt de Arminio. *Tum juvenis genere nobilis, manu fortis, ſenſu celer, ultra barbarum promptus ingenio.* ACIDAL.

Parentum.] Et ita [*parentium*] Eraſmus & alii.

Ex voluntate parentum.] *Parentes* pro ſubditis dixit, ut Salluſt. Jugurth. 102. *Parentes abunde habemus*, in quem locum plura notavi. De Maroboduo Tacit. Ann. lib. II. POPMA. Ex Heinſii correctione, *mobilem, ſed ex voluntate p. c. i. s. o. p. & certum imperium* Cellarius & Hudſonius ediderunt. BURM.

Conſtantem.] Forte *pendentem*. BURM. *in marg.*

Sed certum imperium.] Hunc locum, Deo annuente, amplius explicabimus in comment. de Auſpicio Regio. Hiſtoriam juvabunt Strabo VII. prope principium, egregia, ut ſolet, brevitate rem totam complexus. Tac. II. A. 45. & 46. BOECLER.

Juris ſui fecit.] An aequis, an vero imparibus? Dubitat

bitat Petrus Faber Semeſtr. 1, 7. Nobis nil videtur dubitandum, ſi vel conſilium Marobodui, vel textum Velleji conſideramus. Dominari ceteris volebat Maroboduus, proferendique imperii cauſſa finitimos bello petebat. ergo partim vi cepit, partim deditione, quos *ſui juris*, omnes nimirum, *fecit*. Qua Velleji phraſi nihil potuit clarius dici: nam *ſui juris facere*, eſt utique, *in ſuam ditionem poteſtatemque redigere*. Non conſiſtunt autem συνθῆκαι ἐπ' ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ, cum alter amittit imperium, alter accipit. BOECLER.

Cuſtodia tum.] Vet. edit. habet, *cuſtodia tum.* ex quo Lipſ. *cuſtodia tutum*. RAPHEL. Nugae ſunt de corpore ſuo cuſtodito: neque enim id aut novum in viro principe, aut commemoratione dignum: ſed nec ad rem facit hic loci. pro *cuſtoditum* praeterea *cuſtodia tum* vetuſtus liber & primae editiones. pro quo haud dubie reſcribendum *cuſtodia tutum*. ſic *cuſtodia provinciarum*, pro milite praeſidiario, cap. 14. *cuſtodiae maris praeeſſe*. cap. 72. *cuſtodiis exercitus incluſus hoſtis*, cap. 88. Tullius Philipp. XII. *Itaque in urbe, ſi ſic licebit, manebo: haec mea ſedes eſt, haec vigilia, haec cuſtodia, hoc praeſidium ſtativum.* ſed & alibi is non ſemel *cuſtodias* cum *vigiliis & excubiis* conjungit. Praeterea *ſui juris* praeceſſerat apud Vellejum, ut τὸ *ſuum* minus concinne hic denuo repetatur. Subodoratus ſum latere elegantem loquendi modum, quem ecce: *Corpus cuſtodia tutum imperii* (vel, *Corpus ſui cuſtodia tutum imperii*) *perpetuis exercitiis paene ad Romanae diſciplinae formam redactum*, &c. Supra dixerat de hoc ipſo Maroboduo, *finitimos omnes aut bello domuiſſe eum, aut conditionibus ſui juris feciſſe.* Gentes varias in poteſtatem a Maroboduo redactas Strabo recenſet lib. VII. videndus & Tacitus de iis Ann. II. cap. 45. & cap. 63. E quibus membris corpus imperii, quod hic deſcribitur, conſtabat. Simili omnino modo de Carano Juſtin. lib. VII. *Primus adunatis gentibus variorum populorum velut unum corpus Macedoniae fecit*. idem lib. XXXIV. *Achaei, licet per civitates, veluti per membra diviſi ſint, unum tamen corpus, & unum imperium habent.* & mox. *legatis occulta mandata dant, ut corpus Achaeorum diſſolverent*. Curt. lib. X. cap. 9. de iisdem Macedonibus. *Primum ergo collegere vires, deinde diſperſerunt, & cum pluribus corpus, quam capiebat; oneraſſent, caetera membra*

bra deficere coeperunt, quodque imperium ſub uno ſtare potuiſſet, dum a pluribus ſuſtinetur, ruit. Imperii Romani corpus dicitur apud Naſonem Triſtium II. *Denique ut in tanto, quantum non exſtitit umquam, Corpore, pars nulla eſt, quae labet, imperii.* Claudian. Conſ. Manl. *Non de parte ſui, ſed in omni corpore ſumpſit Imperium.* Lucanus lib. VII. v. 406. *Nulloque frequentem Cive ſuo Romam, ſed mundi faece repletam, Cladis eo dedimus, ne tanto in corpore bellum Jam poſſit civile geri.* Sic veriſſime meliores membranae, non *tempore.* Maro Aeneidos XII. v. 834. *Sermonem Auſonii patrium moresque tenebant; Utque eſt, nomen erit. commixti corpore tanto Subſident Teucri.* Ita in duobus codicibus inveni, altero Menagiano, Rottendorpſio altero, recte ſine dubio. vulgati, *commixti corpore tantum.* Nec melius, quod e ſuis profert Pierius Valerianus, *ſanguine tantum.* Florus lib. I. cap. I. de Romulo, *ita ex variis quaſi elementis congregavit corpus unum, populumque Romanum fecit.* & cap. 3. de Albanis Romam translatis, *prorſus ut conſanguinea civitas non periſſe, ſed in ſuum corpus rediiſſe rurſus videretur.* Idem lib. III. 18. *Quippe cum P. R. Etruſcos, Latinos Sabinosque miſcuerit, & unum ex omnibus ſanguinem ducat, corpus fecit e membris, & ex omnibus unus eſt.* quae Maronis & Lucani loca a me reſtituta non parum confirmant. ſed ad *corpus imperii* revertamur. Seneca de Clementia lib. II. c. 2. *Tradetur illa animi tui manſuetudo, ac diffundetur per omne imperii corpus.* Tacit. Hiſt. I. cap. 16. *Si immenſum imperii corpus ſtare ac librari ſine rectore poſſet, dignus eram, a quo reſp. inciperet.* Florus libro IV. cap. 3. pari modo de Octavio Auguſto: *qui ſapientia ſua atque ſollertia perculſum undique & perturbatum ordinavit imperii corpus.* & mox: *omni genere diſcriminum, civilibus, terreſtribus ac navalibus bellis omne imperii corpus agitatum eſt.* pari modo, *regni corpus* apud Guntherum Ligurini libro VI. v. 547. *Neve quis ad noſtrum toto de corpore regni, Audeat illa ſui deferre negotia ſedem. Corpus magiſtratuum* Liv. XXVI. cap. 16. *corpus nullum civitatis, nec ſenatus, nec plebis concilium, nec magiſtratus eſſe.* ſic & *corpus reipublicae* Tacito Ann. lib. I. *unum eſſe corpus reip. atque unius animo regendum.* Idem Hiſt. IV. cap. 64. *Rediſſe vos in corpus nomenque Germaniae.* Tullius lib. I. de Officiis, *reipublicae corpus* cu-

curare. Apud Livium *corpus civitatis*, & *totius Peloponneſi corpus. corpus philoſophiae in membra diſponere*, Senecae Epiſt. LXXXIX. *corpus* pro exercitu apud eundem Tacitum Hiſt. II. cap. 28. ubi fremunt legiones alio mitti cohortes Batavas. *Si victoriae ſanitas, ſuſtentaculum, columen in Italia verteretur, non abrumpendos ſuo corpori validiſſimos artus.* Perperam in contextu Taciti nunc circumfertur, *ut corpori.* ſic & Curtius libro VI. cap. 9. *velut truncum denuo corpus capite ludibrium hoſtis futuros.* de exercitu Alexandri. apud Livium lib. I. cap. 8. *coaleſcere in populi unius corpus*: argumentis hiſtoriarum Trogi Pompeji libro XXXIII. *Aetoliae civitates ab unitate corporis diductae.* non *deductae. Corpus rerum naturae* cap. 66. de mundo habes apud noſtrum. *Membra reip. lacerata* denuo apud noſtrum cap. 90. Τὸ *armorum* videtur excidiſſe praeterea, *armorum perpetuis exercitiis.* ſic *exercere bellis exercitum*, paullo poſt hoc ipſo capite. HEINS. *Corpus imperii*, recte dici nemo dubitat, ſed *corpus imperii cuſtodia tutum*, quid ſignificet ignoro. nec eleganter etiam dici, *corpus imperii reducere ad formam diſciplinae R.* nec, *perducere ad faſtigium* puto: niſi ſaltem duriter & inſolenter. quare legerem, *juris ſui fecit; & corpus ſuorum cuſtodia tutum.* ſcilicet *fecit*, quod repetendum. primum ergo cavit ſibi a Germanis ſubactis. tunc nova periodo, *Imperium perpetuis*, &c. Vel etiam legi poſſet, *corpus ſuorum cuſtodia tutum, imperium*, &c. *redactum, eum brevi in eminens*, &c. *perduxit faſtigium.* idque magis placet. Certe rectius Maroboduus dicitur perductus ad faſtigium, quam *corpus imperii.* ſic ſupra cap. 30. *in ſummum faſtigium vectus.* Juſt. I. I. *quos ad faſtigium majeſtatis non ambitio*, &c. *evehebat.* & ita eleganter duo diverſa ſubſidia dominationis tangit; ſatellitium ex ſuae gentis militibus, quibus fidere poterat: Imperium, id eſt, alios, quos ſibi adjunxerat, redactum ad formam diſciplinae Romanae; quae eum ad faſtigium perduxere. De Barbaris, qui Romana diſciplina ſuos imbuere tentarunt, vide Freinsh. ad Flor. IV. 12. §. 17. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 71. 399. V. IX. p. 274.

Gerebatque ſe ita adverſus Romanos.] Quae hoc & ſequenti commate dicuntur, prudentiam Marobodui ſingularem abunde oſtendunt. Ceteri ſcriptores parcius hic agunt. an puduit fateri, fuiſſe inter Germanos virum, qui

qui gerenda rep. conſtituendoque principatu aemulum agere poſſet eorum, qui ſoli eo nomine celebres & cupiebant eſſe & videbantur? Nimirum & eluſit Maroboduus infinitam Romanorum ambitionem calliditate, & virtute coërcuit. & quantum ille dediſſet Romanis negotii, niſi inteſtinis armis colliſi inter ſe duo *Germanici Martes* (Arminius ille alter eſt; quem indigito) nudum hoſtibus latus praebuiſſent. Macte nunc quoque virtus Germanica, invicta omni externa vi in hunc diem futura, ſi libertati tuae concordia conſtantius litaviſſes, neque alienae dominationi, tuum decus & ſanguinem gratificari didiciſſes. BOECLER.

Bello nos laceſſeret, &c.] Mallem, *laceſſeret, at ſupereſſe ſibi vim ac voluntatem reſiſtendi oſtenderet.* nam ſimilitudo ſyllabarum in *reſiſtendi* & *oſtenderet*, effecit ut ultima vox exciderit. *oſtendere* autem eſt, vel verbis vel factis voluntatem ſignificare, & mentem aperire. vid. Manut. ad Cicer. v. ad famil. 19. Graev. lect. Heſiod. 12. & alios. *declarare* vero plus eſt, ſine diſſimulatione aperte indicare. ita inf. 117. *pecuniae quam non contemptor Syria declaravit.* vid. Vavaſ. de vi & uſu quor. verb. p. 10. & ita Cicer. pro Mil. 2. dicit *vultu, & verbis ſignificare, ſed ſententiis declarare.* ſic apud Terent. Heaut. II. I. *pater per alium oſtendit ſententiam*, ſed non declarat, & ita paſſim alii. BURM.

Totumque ex male diſſimulato agebat aemulum.] Adeone quiſquam ſine corde, qui in *totumque*, aut legendum non intellegat, aut legere non audeat? Nam & ſenſus non aliter fit, qui debet: & quid iis noſtro familiarius, *in longum, in quantum, in tantum*, denique illo ipſo *in totum*? ACIDAL. Scribe cum Lipſio, *tutumque*. RAPHEL. Acidalius contendit legendum, *in totumque*. Nolim ſtatim aſſentire. BOECLERUS. Legendum *totusque*. tum paullo poſt, *majori, quam quod obibat, operi praeparabat*, non, *quam quod habebat.* id enim minus Latinum, *obire opus*, ut *obire munia, partes*, & ſimilia. Non diſſimile illud Livianum de Hannibale, *his anxius curis ita ſe Africo bello geſſit, ut appareret majus eum, quam quod gereret, agitare in animo bellum.* HEINS. Malim, *quam quod agebat. agere* enim & *habere*, centies a librariis confuſa. vide nos ad Quinct. v. 6. & x. I. & ad Ovidium paſſim. *agere* vero *opus*, dictum, ut *agere bellum*, quod poſt alios

 La-

Latiniſſime dici oſtendimus ad eumdem Fabium lib. x. 1. ex Livii loco poſſet & legi, *quam quod gerebat.* praecedentia etiam non mutem; *ex male diſſimulato*, id eſt, qui antea diſſimulaverat, ſed non ita, ut detegi ejus animus non poſſet, nunc agebat aperte aemulum. ita Quinct. Serm. Decl. cccLxII. *partibus ex auſtero indulgentibus.* *Diſſimulatus* hic, ut apud Ovid. 1. art. 690. *Veſte virum longa diſſimulatus erat.* Et vi. Faſt. 507. *Diſſimulata deam.* & eodem modo eſt ſupra cap. 79. *peragratus.* ubi vide. [ita *formam aſſimulata* Virg. xii. Aen. 224. Stat. i. Silv. ii, 14.] *Male* autem dictum ad imitationem Ovidii Epiſt. xvi. 7. ubi Paris, *Sed male diſſimulo, quis enim celaverit ignem, Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo? Agere* vero *aemulum* eſt aperte jam pro aemulo ſe gerere, ut *agere nepotem* Juſt. 1. 6. *principem.* vii. 5. & noſter cap. 124. *agere conſulem.* 92. & ſimilia. offendit vero viros doctos, *totum aemulum.* Sed quid ni ita loqui liceat; cum Cicero xiv. ad Att. 1. dicat, *Octavius mihi totus deditus.* *totus* vero hic eſt, maxime & unice id agens. ut Lucan. v. 742. *jam totus adeſt in praelia Caeſar.* πᾶς καὶ ὅλος, Graecis. vid. ad Petron. cap. vi. Burm. Forte *notumque.* Idem *in marg.* V. Graev. Ep. Syll. T. iv. p. 425. Miſc. Obſ. V. vii. p. 71. 401. &c. V. ix. p. 175, 276. &c.

Germaniam ad laevam, &c.] Editio Rhenani ſic diſtingit, *Germaniam ad laevam & in fronte, Pannoniam ad dextram.* & id Eraſmi & aliorum imitatae. recte. Burm.

Venturus.] Vid. ad Phaedr. 1. 21.

Initium ejus finium.] *Cujus finium* vetus liber. hoc eſt, *hujus.* Heins.

Multo plus cc. *millibus.*] Heinſius in ora codicis correxerat, *millia.*

Per Cattos.] *Catthos* Ed. Rhen.

Continentibus ſilvis.] Ita *continentia tecta.* Livius lib. xxxi. 48. *continens labor.* lib. xlii. 54. & *continens litus* lib. xliv. 28. quod neſcio cur mutet Gronovius in *continentis litus.* Burm.

Legiones Bojohaemum.] Tacit. de Morib. Germ. *Bojenium* vocat. Strabo lib. vii. Βοίαιμον τὸ τοῦ Μαροβόδου βασίλειον. Putean. Strabo lib. vii. *Bubienum*, ſive *Boyhaimum*, regiam Marobodui facit. *In hoc tractu*, inquit, *ſita eſt Hercynia ſilva, & Suevorum natio, ex quibus nonnulli intra, aliqui extra ſilvam habitant, ſicut & Colduo-*

rum

rum (*Caluconum* forte) *plerique, in quibus & Bubienum Marobodui regia*. Malim igitur in Vellejo, *Boyhaimum*; quod patriam ſive domum Bojorum interpretatur Rhenanus. recte. SCHEGK. Sententia ἀτελής. Addendum videatur: *Bojohaemum duceret*. LIPS. Cluverius, quod *Bojohaemum* regionis nomen ſit, emendare conatur, *in Bojohaemum*. Fallitur: neque enim auctores regulam illam ſemper obſervant. Ad Tacitum, & Juſtinum, abunde id viri docti comprobarunt. Virgilius VI. Aenid. —— *finesque Venturum Auſonios*. Ubi Servius: κατὰ τὸ σιωπώμενον, in *intelligitur*. Ita enim legendum. recte autem a Lipſio additur *duceret*. Voss. Lacunam hic in Vellejo eſſe ſuſpicatur Cl. Dodwellus in Annal. Vell. c. 3. HUDSON.

Ipſe a Carnunto.] Ante haec videtur deeſſe verbum *duceret*, aut aliud ſimile. De Carnunto Plinius lib. IV. cap. 12. & Ammianus lib. XXX. *Cumque exinde Carnuntum Illyricorum oppidum introiſſet*. POPMA.

Norici regni.] *Noricum regnum* etiam dixit Suetonius Tiberio cap. 17. *Inter Italiam, regnumque Noricum*, ubi illud *regnum* expungendum cenſet Torrentius: male. POPMA. Cluverius legendum cenſebat, *Norico regno*. Sed nihil mutandum. Sic infra 114. de Lepido: *vir nominis ac fortunae ſuorum proximus*. Ita ibi legendum docemus, non *eorum*. Voss. Sed hic genitivus cum *locus* poteſt conſtrui, ut recte Boeclerus in Indice.

Rumpit, interdum moratur propoſita hominum Fortuna.] Perquam honeſta oratio haec, particula ut poſteriori membro juncta, ſemel exprimatur, bis ad ſenſum explendum intelligatur. Ita & *ſive* frequenter eſt invenire. Catulli Phaſelo. *Et inde tot per impotentia freta Herum tuliſſe: laeva, ſive dextera Vocaret aura*. Horat. lib. 1. Od. 6. *Nos convivia, non praelia virginum Sectis in juvenes unguibus acrium Cantamus: vacui ſive quid urimur Non praeter ſolitum leves*. Ubi fuit, cum malui *convicia*, pro *convivia*. Nam & de praeliis ſubjicitur: & tota hac Oda de bellis agitur, quorum ex ſuo ingenio facit Horatius comparationem. Non, inquit, Martiis illis & hoſtilibus praeliis ſcribendis ſufficio: ſatis mihi rixas & pugnas juvenum virginumque decantare. In eodem Horatio, prima Oda: *Luctantem Icariis fluctibus Africum Mercator metuens, otium & oppidi Laudat rura ſui: mox reficit ra-*

tes Quaſſas, indocilis pauperiem pati. mutare olim placuit, *otium & oppidi Laudat tuta ſui:* quod, etſi commodam alterius explicationem haud ignoro, ne nunc quidem placere deſiit. ACIDAL. Puto iterandum, *rumpit interdum, interdum moratur propoſita hominum fortuna.* ſic cap. 114. *captum alterum, alterum deditum.* ubi in membranis τὸ *alterum* ſemel tantum erat expreſſum. cap. 109. in iisdem, *ut neque bello nos laceſſeretur*, cum ſcribendum alii jam monuerint, *ut neque bello nos laceſſeret, & ſi laceſſeretur.* cap. 116. *ornamentis triumphalibus, conſentiente cum judicio principum voluntate Senatus, donatus eſt.* ſic recte viri eruditi: cum *donatus* abſit e vetuſto codice. vide nos ad cap. 103. BURM. Vid. ad Suet. Claud. c. 11. Pro *moratur*, *maturata* legit Warburt. Bibl. Brit. T. VII. p. 204. BURM. *in marg.*

Admoveri placuerat.] Immitto copulam: *placuerat, ac paene aequali.* Subauditur autem, *copiae*, aut tale quid, fortaſſe etiam ipſum inſerendum. *Ac* per te vides a praecedentis ultima verbi ſyllaba periiſſe. qui lapſus creber: nec minus ille, qui eidem geminus, ſi *paeneque* reſtituendum exiſtimes. ACIDAL. Lego, *admoneri.* certiorem nempe reddi de ſuo adventu. Sequentia etiam ſic expleam: *placuerat. cujus copiae paene aequali.* LIPS. Fuiſſe videtur: *cujus copiae paene aequali* &c. Quod Lipſio etiam videbatur. Vulgata lectio ſine dubio mutila eſt. VOSS. Lipſius mallet, *admoneri:* & ſupplet lacunam: *cujus copiae paene aeq.* Hoc poſtremum facile ſe cuivis approbat: ſed illud *admoveri*, tolerari poſſe obſervabunt, qui cogitare volent. BOECLER. Videtur ſcribendum nobis loco perplexiſſimo. *amotoque exercitu non plus quinque dierum iter a primis hoſtium.* vel *non plus quinque dierum itinere*, omiſſo τῷ *quam*, ut alibi ſaepe peccatur apud noſtrum. Cum exercitus jam a primis hoſtium non plus itinere quinorum dierum eſſet remotus. nam *admoto exercitu*, & *Saturninum admoveri placuerat* prorſus inconcinnae ſunt repetitionis. *Plus iter aberant.* Sic Livius lib. XXV. cap. 32. *Asdrubal & Mago conjunctis caſtris quinque ferme dierum iter ab Romanis aberant.* Sic libro XXIX. cap. 27. *Gubernator ait Scipioni, non plus quinque millia paſſuum Africam abeſſe.* Livius lib. I. cap. 23. *Caſtra ab urbe haud plus quinque millia paſſuum locant.* lib. XLIV. c. 5. *Paullo plus ſeptem millia die Romani proceſſerunt.* Sic forte cap. 6. ejusdem

dem libri emendandum, *paullo plus mille paſſuum ad mare relinquant ſpatii*, expuncto τῷ *quam*. Poſtea defectum bene conſtituit Voſſius, *cujus copiae paene aequali diviſae intervallo*. HEINS. Recte expungit illud *quam* Heinſius, nam ita ſolet noſter & alii. Sic l. I. c. 12. *Amplius* CL. *millibus hoſtium trucidatis*. vide II. 15. 20. 21. 25. 47. & paſſim. vid. ad Petron. LXII. & ſupr. ad lib. II. I. & Waſſ. ad Salluſt. Catil. 59. BURMAN.

Admoveri Saturninum.] Sic Livius libro XXIX. cap. 36. *Praemiſſo nuntio ad P. Licinium proconſulem, ut ſuas legiones admoveret, copias conjunxit*. HEINS.

Cum univerſa, &c.] Vide de hoc bello Dionem lib. LV. & LVI. Sueton. Tib. 16. BOECL.

Univerſa Pannonia inſolens longae pacis bonis.] Parum abeſt, quin τὸ *bonis* expungendum cenſeam, etſi *pacis bona* quoque apud noſtrum occurrunt, ut cap. 92. Sed vide nos ad cap. 88. HEINS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 72.

Et adulta.] Placet magis: *Et adjuta viribus Dalmatiae*, &c. URSIN. Adultam viribus dicit ob longae pacis bona. Noli audire Urſinum, cui legendum videbatur; *& adjuta viribus Dalmatiae*, &c. VOSS.

Ex conſtituto.] De compacto, Plautus. SCHEGK. Editio princeps. *Conſtitit: arma corripuit*. Lege, omiſſa praepoſitione: *conſtituto arma corripuit*. *Conſtituto*, ut *compoſito*, *compacto*, aliaque id genus. VOSS. *Conſtitit*, non *ex conſtituto*. & paullo ante, *omnibusque tractus*, vetus exemplar. Forte, *omnibus aeque tractus ejus gentibus in ſocietatem adductis conſtituta arma corripuit*. Poſſis etiam, *in ſocietatem adactis*. *Cum univerſa Pannonia inſolens longae pacis, & adjuta viribus Dalmatiae, omnibusque tractus ejus gentibus in ſocietatem adjunctis, conſtituta arma corripuit. conſtituta arma*, quibus corripiendis certum tempus erat conſtitutum. cap. 118. *tempus inſidiarum conſtituit. adjuta viribus Dalmatiae* Fulvii Urſini eſt. *adjunctis*: ut apud Tacitum Hiſt. I. cap. 79. *Vagos & incurioſos tertia legio adjunctis auxiliis repente invaſit*. HEINSIUS. *Ex conſtituto*, ab Erasmo puto profectum. nos Voſſium ſequimur. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 72.

Abdito.] *Addito* Ed. Rh.

Amplius DCCC. *milibus.*] Lego, *millia*. Nam illud

amplius doctos librarios fefellit, quod jungi accuſandi caſui nefas arbitrati ſunt. Neque tamen hos nimium incuſabo, hic quidem. Forte enim *explebat*, poſitum pro *explebatur*: figura ea, de qua ante. quamvis quidem nec hoc aſſeverarim. Nam & vulgata lectio ſe tueri poteſt. ACIDAL. Non dubito nota numerali expreſſum in mſc. millenarium fuiſſe: DCCCM. Unde Acidalius, potius *millia* ex optimorum Auctorum conſuetudine, legendum eſſe, quam *millibus* exiſtimat. BOECLER. *Amplius* ACCC. *milibus*. Ed. Rh.

Pars acerrimis ac peritiſſimis ducibus.] Rhen. *multitudinis pars acerrimis ac p. ducibus properare in Italiam decreverat j. ſ. N. ac T. c. pars in Macedoniam effugerat.* SCHEGK. *Parentis acerrimis*, lectio ſatis commoda nobis viſa: nec eo Rhenani interpolatam attuli. ACID. Legerem, *pars petere Italiam juncta ſibi*, &c. ut verbum *juncta* referatur ad praecedentem vocem *pars*. Sic infra Vellejus locutus eſt; cum dixit, *magna Thracum manu junctus praedictis Rhoemetalces.* URSIN. Nihil prorſus in tota hac verborum complexione mutare ſuadet, ut commoditas ſenſus, ita MS. codicis auctoritas. Malum itaque factum, quod Urſinus, ac Lipſius, ex lectione editionis principis, infideliter heic deſcripta, ut ex Burrerii variantibus lectionibus conſtat, novam nobis lectionem cudere ſint aggreſſi. VOSS.

Junctam ſibi Nauporti.] Fulvio placet, *juncta*; cui non adſentior: nam dictio *junctam*, refertur ad praecedentem vocem *Italiam*, quam Germani habebant junctam ſibi confinio Nauporti & Tergeſtis urbium, de quibus Strabo liber VII. POPMA.

Pars in Macedoniam eruperat.] Legerem, *pars ſe in Macedoniam effuderat.* Nam antiqua editio habet, *effugerat*. URSIN. In autographo: *Macedoniam effugerat.* Faciendum: *Pars ſe in Macedoniam effuderat.* LIPS. *Pars in Macedoniam effugerat* Membranae, non, *eruperat*. Unde bene viri docti, *ſe effuderat*, ni mavis, *effuſa erat*. ut cap. III. infra vetuſtus liber, *Fuga regiorum equeſtris acies*, pro *fuſa*. quomodo bene Voſſius, non *fugata*. deinde praeſtiterit, *ſuis ſedibus praeſidio eſſe*, quam *praeſidium*. HEINSIUS. *Eruperat*, ab Eraſmo fluxit. Sed *effundere ſe*, obvia & uſitata locutio in hac re. ita ſupr. cap. 4. & inf. 112. Livius, Caeſar, Juſtinus & alii paſſim.

ſim. *praeſidio eſſe*, cur praeferendum ſit, non video, immo ipſum Heinſium judicem non recuſo, qui ad Ovid. Remed. amor. 528. cum diu fluctuaſſet, an *auxilio fuit*, vel, *auxilium fuit* praeferret, in hoc tandem, ut elegantius, inclinat. BURM.

Proxima duobus Batonibus.] Petrus Delbenius legit, *Batoni*: nam infra, *Batonem*, & *Pinetem*, *excelſiſſimos duces*, nominat. De eo vide & Suetonium in Auguſto. MANUT. *Batonibus* rectum eſt: nam Batones duo fuerunt. Unus Deſitiaces Dalmatarum, alter Breucorum dux. hi conjuncti bellum geſſerunt. vid. Dionem lib. LV. PUTEAN. Legerem, *proxima duobus Batoni ac Pinneti ducibus*: nam infra habetur, *Batonemque & Pinnetem excelſiſſimos duces*, &c. *Batonibus*, putem manifeſtum mendum. URSIN. Placet Delbenii emendatio ex Steph. & Bonhom. ſublecta libris: vulgaris tamen ferri poterit. Nam duorum Batonum (dux alter Breucorum; Delmatarum alter) apud Dionem mentio. SCHEGK. Reponenda omnino Cl. Delbenii ſcriptura, *Batoni*: nec ferenda vulgaris, cui fulcrum neſcio quod e Dione petunt. Nam fuerint ſane duo, quid ad hanc hiſtoriae partem? Duos duces heic noſter memorat, Batonem & Pinnetem, non Batones duos: quomodo tres fuiſſe duces oportebat. At infra de iis duobus ſaltem iterum, *Batonemque & Pinnetem, excelſiſſimos duces, captum alterum, alterum deditum, juſtis voluminibus ordine narrabimus.* ACIDAL. A quibus *proxima?* nemo enim ante iſtos. Ad Maraboduum refers? Fruſtra: non ille mixtus huic bello. Alterutrum, aut *prima duobus*, ſcribito: aut *a Pinnete.* nempe ut iſti proximo loco poſt Pinnetem. Qui autem *Batoni* hic fecerunt, peccarunt. Nam duo Batones in hoc bello, quod Dio extremo libro LV. te docebit. LIPS. Alii malunt *Batoni*, ex Suetonii Tiberio cap. XX. ubi Pannonium ducem nominat. Strabo lib. VII. ait fuiſſe Deſidiatarum ducem. ſed Dion liber LV. duos *Batones* memorat, quorum alter dux Brennorum, alter Dalmatarum. *Batonis* autem nomen clarum, & illuſtre apud Germanos etiam hodie manet, ut Batenburgii nobiles, & Batenburgium, quaſi Batonis caſtrum. POPMA. Malim: *prima*. Poſſis etiam legere, *a Pinnete*. Quorum utrumque Lipſio etiam in mentem venit. Sed prius malim. Ovidius lib. II. de Ponto El. I. *Maxima pars horum*

vitam veniamque tulere: In quibus & belli ſumma caputque Baton. Ita in MS. invenit Scaliger. Et ſane de Batone capiendum eſſe, Suetonius in Auguſto, ac Dio lib. LV. doceant. Alii libri habent: *ſumma caputque fuit.* Voss. Et hic exciderant duae ſyllabae, ſi quid video. nam ſcribendum, *porro maxima*, pro *proxima.* Deinde *Pineti* malo, ut cap. 114. ſiquidem prima hujus nominis ſyllaba apud Naſonem corripitur, loco mendoſo in vulgatis libris, Ponticorum II. El. v. 77. quamquam Dioni Πίννης eſt. *Adde triumphatos modo Poeonas, adde Pineti Subdita montanae brachia Dalmatiae.* Ubi perperam nunc circumfertur etiam in membranis, *adde quieti.* Ego olim *Quiriti.* Sed verius *Pineti.* Romani enim veteres litteram *N.* non geminabant, teſte Gellio. Heins. Supra ad cap. 36. vidimus, *proximum* & *maximum* confundi.

In omnibus autem Pannoniis, non diſciplinae tantummodo, ſed linguae quoque notitia Romanae.] Adverte ſtante Repub. exteris ſuae linguae uſum concedere apud Romanos ſingularis beneficii & favoris. Livius lib. XL. de Cumanis: *Cumanis*, inquit, *petentibus, permiſſum, ut publice Latine loquerentur, & praeconibus Latine vendendi jus eſſet.* Hic tibi in parte Clariſſimus Lipſius de Pronunciatione. Schegk. Delendum τὸ *in* ſolemni apud noſtrum errore. Vide annotata ad cap. 68. Heinsius.

Linguae quoque notitia Romanae.] Neſcio quo conſilio Schegkius hic obſervet, Linguae Latinae uſum beneficii loco a Romanis conceſſum. ex Liv. XL. 43. *Cumanis eo anno petentibus permiſſum, ut publice Latine loquerentur, & praeconibus Latine vendendi jus eſſet.* Noſter ſane nihil de uſu hujus Linguae Pannoniis publice conceſſo, ſicut Cumanos actui publico ac negotiis civilibus ſolemnibus illud privilegium quaeſiviſſe & impetraſſe Livius auctor eſt: ſed potius de pervulgata notitia ſermonis Romani loquitur: ſicut hodieque fieri poteſt & ſolet, ut linguae alicujus extraneae notitia in vulgus ſatis familiaris ſit; non item uſu publico recepta & agendis rebus componendisque monumentis deſtinata. Nam id ne optant quidem aut ſuſtinent facere, niſi qui externo imperio vel parent, vel adulantur. Itaque ſemper diſcernendum eſt, *commercione & uſu ac neceſſitudine, an* im-

imperio inſtitutoque notitia linguae alicujus propagetur. De priori modo Curtius diſerte VI. 16. 23. *Tam victoribus quam victis peregrina lingua diſcenda eſt.* Poſterius conſilium *Dominantibus* ſolenne eſt: qui linguam ſuam, non citra arcanum imperii, (de quo Clapmar. III. 22.) propagare ſtudent. BOECLER.

Plerisque etiam.] Puto, *plerisque & litterarum uſus familiaris animorum erat exercitatio*; per appoſitionem, ut ſolet noſter. vel, *ut familiaris. &, etiam* ſimili modo inculcata videas perperam & alibi, cum poſterius, ut prioris interpretamentum, ſit ejiciendum. vide nos ad cap. 116. HEINS. Vulgata ſatis recte ſe habet, ut per animorum exercitationem intelligat artes & ſcientias, & ita dicat, diſciplinae Romanae, & belli artibus etiam pacis ſtudia junxiſſe. ſic lib. I. cap. 13. de Scipione. *Semper aut belli aut pacis ſerviit artibus: ſemper inter arma ac ſtudia verſatus, aut corpus periculis, aut animum diſciplinis exercuit.* & eodem libro cap. 7. *Ludicrum certamen ad exercitandum corporis animique virtutem efficaciſſimum. Exercitationes animi*, dixit etiam Cicero I. de off. 34. BURM.

Magnus vexillariorum numerus.] Vexillarii erant milites veterani, qui exautorati ſub uno aliquo vexillo, & uno praefecto ſeorſim tenebantur, donec praemia & agros acciperent: iidem ſubſignani dicti ab Ammiano: de quibus plura Turnebus Adverſar. lib. III. cap. eod. & lib. V. cap. II. Lipſius ad lib. I. Annal. Tacit. POPMA.

Omnia & in omnibus locis igni ferroque vaſtata.] An & hic *omnia omnibus locis?* vel *omnibus locis.* vide nos ad cap. 83. HEINS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 72.

Quia tantus.] Placet magis, *quin tantus etiam hujus*, &c. URSINUS. Scribe incontanter, *quin tantus.* quod leve, fugere aliorum diligentiam potuiſſe, miror. Sed ſcilicet etiam nobis relinquenda quaedam erant, nec niſi hujus generis: quae neglexerunt illi potius, quam non viderunt, ut eſſet, in quo derelicti etiam ab omni ingenio, ingenioſi eſſe poſſemus. ACIDAL. Lege, *quin.* Et ita Urſinus, Acidaliusque. VOSS.

Fortunatum tantorum bellorum experientia Caeſaris Auguſti animum.] Vix dubito, quin MS. lectio ſit revocanda, & ſcribendum, *formatum.* Maxime cum infra quoque dicat Vellejus: *ad formanda pace, quae bello ſubegerat.*

egerat. Nam ita erat in eodem illo, & hactenus quidem unico, MS. Nec reticere queo, apud Quinctilianum lib. x. cap. I. ſimiliter me in MS. noſtro reperiſſe: *multa magis, quam multorum lectione, formanda eſt mens, & ducendus eſt color.* Atque ita ſcribi malim, quam *firmanda*, ut edunt. Non dubito etiam, quin apud Juſtinum lib. xx. ubi de Pythagora loquitur, ex omnibus MSS. reponi debeat; *magnisque ſapientiae incrementis formatus*: non *ornatus*, ut vulgo edunt. Sic lib. III. de Lycurgo idem dixit: *populum in obſequia principum, principes ad juſtitiam imperiorum formavit.* Ita optime ad MSS. fidem edidit Cl. Berneggerus. Male tralatitiae editiones habent, *firmavit.* Bene etiam Arnobius lib. I. *& prius te formares ad non credendi frontem.* Ubi cave audias virum eruditiſſimum, qui maluiſſet *firmares*: ut dicimus, *frontem durare.* Voss. Vet. ex. *formatum.* cujus vocis & elegans & ſatis nota eſt in hos uſus ſignificatio; neſcio tamen quomodo textum accuratius inſpicienti magis arridet, *firmatum.* Boecler. *Formatum* vetuſtus liber. quod a doctiſſimo Voſſio non debuit probari. nec recte illi, qui inde *fortunatum* fecerunt. Opinor ab ipſo Vellejo fuiſſe, *obfirmatum. offirmatum* ſcripſerat primo librarius. Pari modo vetuſtum exemplar cap. 123. *ad formanda pace quae bello ſubegerat. ad obfirmanda. firmatum* etiam tolerari commode poteſt. Naſo Faſtorum I. 497. *Vocibus Evander firmata mente parentis.* Ita illic meliores ſcripti, quam lectionem pluribus ſuo loco ivimus adſertum. Heins. Ego *firmatum* hic praetuli. licet perpetua ſit verborum *firmare*, & *formare* confuſio. vid. ad Juſt. II. II. Scheff. ad Claud. I. rapt. 237. Heinſ. & ad Sil. XI. 452. & inf. 123. Ovid. I. Pont. III. 28. *Cum bene firmarunt animum praecepta jacentem.* & ibi *formarunt*, aliqui codices exhibent. contra apud Front. II. v. 33. malim legere, emiſit *equites ita formatos, ut cum univerſus cum exercitu hoſtium-equitatus proelium iniſſet ſervatis ordinibus paullum cederent*: ubi vulgo *firmatos.* Burm.

Revocati undique omnes veterani.] Legerim, *evocati.* quod proprie in tali re, de talibus. Nam eo ipſo nomine exinde cenſebantur. Acidal. Vetus exemplar habuit: *undique & omnes &c.* Quod jam ſupra a nobis adſertum. Voss. Retineri poteſt vetuſta lectio: *undique & omnes.*

Quod

Quod Acidalius, *evocati*, reponendum contendit, in eo obſequitur mori ſuo, atque ex omni occaſione correctionem captat. BOECLER. *Revocatus undique & omnes veterani*, prima editio. Lege, *revocatus undique & omnis veteranus*. Vide annotata nobis cap. 82. HEINS.

Viri faeminaeque ex cenſu.] Hoc ſic Suetonius Auguſto cap. 25. *Eosque ſervos adhoc viris faeminisque pecunioſioribus, ac ſine mora manu miſſos. Ex cenſu*, ut Livius lib. XXX. *Vos a cenſu equitem legitis, a cenſu peditem.* Dion: πρὸς τὰ τιμήματα. POPMA.

In urbis Romanae.] *Romae* prima editio. nec mutari oportuit. ſic libro II. cap. 3. *Hoc initium in urbe Roma civilis ſanguinis.* cap. 118. vetus liber, *civitatis Romae*, non *Romanae*. Livius lib. XXI. cap. 12. *Romam tantus terror ex hac clade allatus eſt, ut jam ad urbem Romam infeſtis ſignis hoſtem crederent venturum.* ubi alii codices, *urbem Romanam.* Sed *urbem* ſatis eſſe jam monuerunt alii, etiam hoc fortaſſis loco Velleji. HEINSIUS. Quinct. lib. I. 6. *Varro in eo libro, quo initia Urbis Romae enarrat*, ubi Voſſianus codex, *Urbis Romanae.* vid. Waſſ. ad Sall. Cat. 18. BURM. V. Cup. Ep. Syll. T. II. p. 730.

Operae pollicitae.] *Pollicitati*, prima editio, an *operae pollicitae & oblatae?* vel, *pollicitatae?* HEINS. *Pollicitae*, ab Eraſmo eſt; ſed latere ulcus puto. Nam nullum hic locum *pollicitationi* eſſe puto, quae *exactis operis*, quod fit a non volentibus, male congruit. quare cum duorum ordinum, Senatorii & equeſtris, mentio praeceſſerit, hic tertium plebejum ſubſequi debere arbitror, & legendum: *E populo citati. e* abſorptum ab ultima litera τοῦ *operae.* *Citari* vero proprie in delectu milites dicebantur; *populo* autem per compendium ſcriptum coaluit cum *citati.* Poſſet & fingi, *e populo cives citati.* vel, *ſollicitati cives.* Sed nihil horum adhuc ita ſatisfacit, ut non certius remedium huic loco adfecto exſpectem. Cogitabam etiam poſſe legi. *Operae; Sollicitae civitati omnia haec fruſtra praeparaſſemus*, &c. Sed deſino. BURM.

Niſi qui illa regeret fuiſſet.] Scilicet plus eſt in duce, quam in exercitu. quo de argumento pleni ſunt commentarii Politicorum. BOECLER.

Itaque ut praeſidium militum, Resp. ab Auguſto ducem in

in bellum popoſcit Tiberium.] Monſtrum hercle lectionis, e qua ſi ullum, vel minimum boni ſenſus ſuccum expreſſeris, exſenſum ego me omnino dixerim. Et o bonum heic ſtomachum Criticorum, qui tam crudum mendum concoxerunt. Nam hoc quidem non ita leve, ut dignum ab ipſis praeteriri. Sed nos ſi poſſumus, tollamus. Conatum noſtrum ſi ridebunt in eo, quod auſi ipſi non ſunt, ridebo viciſſim ego, conari ipſos non valuiſſe, quod ego valui perficere. Nec arroganter nimium: rem vide modo. Elegantiſſimo & veriſſimo ſenſu, verbis paululum immutatis, ſcribo. *Itaque ut praeſidium moenium Reſp. Auguſtum, ita ducem bellum popoſcit Tiberium.* Neque explicatione hoc eget. Addo, ſi lubeat, *in bellum*, retineri poſſe: verum ſi qui me audiendum putabit, illud ut argutius venuſtiusque mecum iſti praeponet. ACIDAL. Non probo ducem, *praeſidium militum* eſſe, magis regimen. Scripſit Vellejus: *praeſidium ultimum.* Velut ad extremum auxilium, inquit, & ad ſacram anchoram, decurſum ad Tiberium: & ille dux depoſtulatus in gravi grandique hoc bello. Nec Vellejana tantum adulatiuncula eſt; ipſe Auguſtus, Suetonio teſte, Tiberium *epiſtolis aliquot, ut peritiſſimum rei militaris, atque unicum populi R. praeſidium proſequitur.* Habes ipſum iſtud elogium. LIPS. Diu eſt, quod conjeceram, *ut praeſidium unicum, reſp.* verum ut vidi Lipſium meum reponere, *praeſidium ultimum*, vix erat, ut meum mihi placeret; cur tamen omnino nondum displiceat, facit ipſemet Auguſtus, qui teſtante Tranquillo cap. 21. ipſum Tiberium, *epiſtolis*, &c. *ut unicum P. R. praeſidium proſequitur.* ad quas literas fortaſſis attendere potuit, cum iſthaec ſcriberet, Paterculus. GRUTER. Lipſium, Acidalium, & alios, ſollicitos habuit hic locus. Mihi nil plane mutandum videtur. Et, niſi fallor, ſpectat idem Paterculus, quod ſupra dixit: *peragratusque victor omnes partes Germaniae, ſine ullo detrimento commiſſi exercitus, quod praecipue huic duci ſemper curae fuit.* Et alibi: *imperatori nunquam ulla adeo opportuna viſa eſt victoriae occaſio, quam damno amiſſi penſaret militis: ſemperque viſum eſt glorioſum, quod eſſet tutiſſimum.* Eandem quoque Tiberio laudem tribuit Suetonius in vita ejus cap. 19. VOSS. Fateor non ſuaviter haec in auribus meis ſonare: tam abſurda autem eſſe, ſicut

ut cenſuit Acidalius, (cujus nimis animoſa hic medicina eſt) pernego. Mitigabitur nonnihil inſolentia phraſeos, ſi conſideremus, quam praemiſit ſententiam. Coactae erant, inquit, ſatis multae magnaeque militum copiae: ſed quid multitudo exercitus, abſque artibus & auctoritate idonei ducis? itaque reſpublica huic multitudini militum, tanquam praeſidium & praecipuum robur decusque, poſtulavit Tiberium, parem ſc. tanto bello ducem. Subtilius forte, quam opus eſt, agunt, qui Tiberium ideo hic, *praeſidium militum* credunt dici, quod militum ſanguini parceret ſtudioſe, neque victoriam damno amiſſi militis penſatam cuperet (teſte Noſtro II. 115, 5. II. 120, 2.) ſimplicius enim & convenientius eſt, ut *praeſidium* accipiamus eo ſenſu, quo eleganter Auguſtus apud Sueton. Tiberium *ut unicum populi R. praeſidium* proſequitur. Tib. 21. Lipſius tentabat: *praeſidium ultimum*: Gruterus: *unicum*: ut poſſit videri Vellejus in animo habuiſſe elogium Auguſti. Boecler. Haec variis modis tentata. pro *praeſidium militum*, ſuſpicor a Vellejo fuiſſe, *praeſidium jam ſolitum*. Sic apud Livium lib. XXII. cap. 48. cum in vetuſtiſſimis exemplaribus legatur, *Numidae, praeterita arma telaque, gladios occultos ſub loricis habentes*, ſcribendum, *praeter ſolita arma*: non *juſta arma*, nec *conſueta*, quod in vulgatis exſtat. *Solitum praeſidium* reip. Tiberius Caeſar, qui jam tot bellis feliciter profligatis patriae toties profuiſſet. de hoc ipſo Tiberio cap. 103. *Sed fortuna, quae ſubduxerat ſpem magni nominis, jam tum reip. ſua praeſidia reddiderat, patronus perpetuus Romani imperii aſſuetam ſibi cauſam ſuſcipit.* tum de eodem itidem cap. 120. ubi apparet, *ſolitum praeſidium* in *aſſueta cauſa*. *praeſidium unicum* reip. Tiberius dicatur invidioſe, vivo etiamnum Auguſto: quaſi in illo nihil praeſidii fuerit reipb. Eumenes rex apud Juſtinum lib. XIV. *refugia ſalutis ſuae & unica praeſidia milites* vocat, ſed jam victus ab Antigono, & ſuppliciter blanditur, quomodo eosdem *patronos ſuos*, ibidem appellat. non male tamen, *praeſidium ultimum* Lipſius. quod ſequitur, *in bellum*, puto eradendum, ut ſuperfluum, & e gloſſa natum: praeſertim cum mox inconcinna ſubſequatur repetitione, *in bello.* Heinsius. Et hic excidiſſe quaedam puto, & legendum, *itaque ut praeſidium militum Auguſtus a repb., reſpublica ab Augu-*

ſto ducem in bellum popoſcit Tiberium. In ſequentibus vero verbis ſi quem offendit repetitio illa, poſſet deleri, *bello*, & legi, *in hoc quoque mediocritas*, &c. nam ſatis intelligitur ex ſuperioribus. Sed cum Vellejo nullum fere caput exſtet, in quo non ad faſtidium usque iterentur eadem vocabula, ſatius puto & hic relinquere otioſum vocabulum. Burm. V. Miſc. Obſ. V. x. p. 175.

Mediocritas noſtra.] Ita jam ergo incipiebant loqui? poſtea ejusmodi formulae ad ineptias & faſtidium frequentatae. Mirari poſſis jam tum, id eſt, ſub Tiberio, auſum Valerium Maximum dicere, *mea parvitas.* Quae vox adeo offendit Eruditorum aures, ut pro comperto habeam, multos, cum in ipſo limine huc tanquam in lapidem impingerent, ſequius, quam meretur, judicaſſe de toto Auctore: qui licet aliquando moliri gravius, quam felicius exhibere videatur figuras ſententiasque, abunde tamen eloquentiam ſuam prudentiamque aequis judicibus approbare poteſt. Boecler.

Miniſtri.] Lipſ. malit, *miniſterii.* Tolerat tamen vulgatam lectionem. Raphel. Malo *miniſterii.* quomodo alibi, & ſic Lipſius. Livius libro iv. cap. 8. *Tribuni magis neceſſariam quam ſpecioſi miniſterii procurationem intuentes.* Heins. Rupert. Epiſt. xxvii. ad Reineſium, memoriae nimis fidens citat, *hoc in bello quoque mediocritas noſtra ſpecioſum miniſtrum (an miniſterium) praebuit.*

Finita equeſtri militia.] Equeſtris militiae mentio item apud Tranquillum Auguſti capite 46. aliisque locis: adeo ut monſtro mihi ſimile videatur, virum rerum Romanarum callentiſſimum lib. ii. cap. 9. Militiae ſuae, emendare eundem Tranquillum Claudii capite 25. ac *Equeſtres militias*, permutare in *Semeſtres.* Nihil enim ibidem interpolandum, oſtendi in libellis ſuſpicionum. Gruter.

Deſignatus quaeſtor.] Quaeſtor provincialis & necdum Senator; iſta deſignatione aequiparatus Senatoribus. Nam ut ait Aſconius in iii. Verrina. *Prima ſenatoris adminiſtratio eſt quaeſtorem fieri, & in provincia curam gerere pecuniae publicae.* Popma.

Necdum Senator aequatus Senatoribus, & jam deſignatis Tribunis plebis, partem exercitus ab urbe perduxi.] Lego, *etiam deſignatus tribunus plebi.* Manut. Vir doctus & diligens, *tribunus militum.* Ego nihil temere mutaverim; praecedentia propter & ſequentia. tum quod tribunatu

&

& praefectura equitum functus diſceſſerat ad civilia, hoc eſt, Tribunatum & Quaeſturam, in qua legatus miſſus ad Tiberium: cum alias poſt quaeſturam ante praeturam moris; colliges ex hoc Tacit. 11. Annal. *Cenſuit in quinquennium magiſtratuum comitia habenda: utque legionum legati, qui ante praeturam ea militia fungebantur, jam tum praetores deſtinarentur.* SCHEGK. Emendant & ita edunt: *etiam deſignatus. Tribunus plebis*, non pro Velleji mente. Vulgata retinenda eſt: quae hoc vult, ſeſe aequatum Senatoribus, id eſt, Tribunis deſignatis, nondum Senatorem. Qua in re? quod praefuerit copiis, aeque ac Tribuni; earumque partem duxerit ad Tiberium. Nam Tribuni hoc tempore elegi non poterant, niſi e Senatu. Vide ſodes, (& adde hunc ipſum locum opportune) quae notavi 11. Elector. 3. LIPS. Non dubito quin extrema, *plebis*, vox ſit a librario imperito addita. Quomodo enim Trib. pleb. qui erat magiſtratus urbanus, exercitum duceret in provinciam? At hoc conveniebat Tribuno militum, qui libera rep. Romae comitiis creabatur, ut ex Aſconio notum. POPMA. Nihil mutandum. Auguſteo enim aevo tribuni plebis eligi non poterant, niſi e ſenatu. Quod bene ad hunc locum a Lipſio monitum. Eum adi lib. 11. Electorum cap. 3. ubi fuſe de hoc more agit. Auguſti autem exemplo hoc in Vellejo factum. De quo ita Suetonius in vita ejus: *Et quo conſtantius cetera exſequeretur, in locum tribuni plebis forte demortui candidatum ſe oſtendit: quamquam patricius: necdum Senator.* In quibus verbis arbitror gloſſema, loco verae lectionis, irrepſiſſe. Cum enim, ut viri eruditi monent, optimae & pleraeque membranae habeant, *candidatum petitorem ſe oſtendit*, cenſuerim, τὸ *candidatum*, interpretamentum eſſe vocis *petitorem*, eoque inducendum. Scipio Aemilianus oratione contra legem judiciariam Tib. Gracchi, *puerum bullatum petitoris filium.* Habes apud Macrobium Saturn. 11. cap. 10. qui paulo poſt ſubjicit, *petitoris*, id eſt, *candidati.* Ut de veritate conjecturae noſtrae vix dubitem. VOSS. Τὸ *deſignatus*, poſterius ex interpretamento irrepſit, cum jam praeceſſerit. Ut forte ſit ſcribendum, *necdum Senator aequatus Senatoribus, ut jam tribunis plebei.* Nam prima editio, *etiam deſignatis tribunis plebei.* & hoc ferri poteſt. HEINS. *Etiam deſignatis Tribunis* retinui, quia non puto ſimul

ſimul eodemque tempore fuiſſe Vellejum deſignatum Quaeſtorem & Tribunum Pl. quod ex Acidalii & aliorum emendatione ſequeretur. Nondum ergo erat Senator, quia tantum erat deſignatus Quaeſtor; Quaeſtura enim cum gereretur aditum dabat in ſenatum, non deſignatio: ſed Vellejus ante initum honorem jus ingrediendi in ſenatum accepit, & ita aequatus Senatoribus & deſignatis Tribunis pl. qui habebant idem jus, quod Senatores, quia, ut recte Lipſius, eo tempore non legebantur niſi ex Senatoribus. Sed ex hoc loco videntur aliqua praerogativa ſupra Senatores, qui nullum honorem geſſerunt, eminuiſſe. quare opus fuit, ut hoc dignitatis adjiceretur Vellejo, & ita Senatorum gregariorum numero eximeretur. Praeterea errare graviter mihi Popma, & quicumque ille vir doctus & diligens Schegkio, qui *Tribuni militum* legit. Nam recte Schegkius quidem obſervat functum jam Vellejum Tribunatu, ſed non probat, & intricate ſatis agit de duplici Tribunatu & Quaeſtura & Legatione. Tribunatu vero functum noſtrum non modo colligi poteſt, quia ille primus fere gradus militaris, ut notum eſt, erat, ſed quia ſupra cap. 104. ſe jam *Tribunatu caſtrorum functum Praefectum equitum* fuiſſe ſcribit. jam vero hoc tempore praefecturam equitum vel alae, quod idem eſſe jam conſtat inter eruditos, poſt tribunatum militum datam, docet Sueton. Aug. 38. *militiamque auſpicantibus non tribunatum modo legionum, ſed & praefecturas alarum dedit.* Quos gradus mutavit poſtea Claudius & *equeſtres militias* (id eſt, equeſtris ordinis virorum) *ita ordinavit, ut poſt cohortem alam, poſt alam tribunatum legionis daret.* Sueton. Claud. 25. per omnes ergo equeſtris militiae gradus adſcendit jam ad civiles honores noſter auctor, & Quaeſtor deſignatus. Burm.

Perduxi.] *Perduxit.* Ed. Rh.

Quas nos primo anno acies hoſtium vidimus.] *Fudimus*, ni fallor. nam *vidimus*, paullo poſt rurſum occurrit. & ſane quid ad laudem aut Tiberii ipſius aut exercitus, vidiſſe hoſticas acies? Heins. Mallem, *quas non primo anno acies h. vidimus.* nam, ſe *fudiſſe acies*, nimis glorioſi militis foret jactatio. Sed ſe interfuiſſe plurimis proeliis hoc modo loquendi innuit. ita enim interrogatione iſta uti ſolent, Terent. iv. Adel. i. 2. *quam hic non*

ama-

amavit meretricem? & ita paſſim alii. Burm.

Quantis prudentia ducis opportunitatibus.] Etiam hic vocabulum reor excidiſſe. *quantis prudentia ducis uſi opportunitatibus.* Heins.

Evaſimus partibus.] Editio primitiva, *partibus.* bene: ſed velim etiam, *invaſimus*, magis ex dignitate Romana. Nec enim effugiſſe aut elapſum Tiberium vult copiis partitis: ſed magis, invaſiſſe grandes illas copias & carpſiſſe per partes. Lips. Forte fuit, *exhauſimus partibus.* hoc eſt, per partes: ut error natus fuerit, ob omiſſam adſpirationem. Gruter. Repone, *partibus*: quod male a Rhenano damnatum. Lipſius vero vellet, *invaſimus*, Gruterus, *exhauſimus*: magis, ut ajunt ex dignitate Romana. Uterque fruſtra. Ipſe Tiberius apud Suetonium propugnat, a quo ſi recedere voluiſſet, non potuiſſet Vellejus. Verba ejus: *Batonem Pannonum ducem, ingentibus donatum praemiis, Ravennam tranſtulit, gratias referens, quod ſe quondam cum exercitu iniquitate loci circumcluſum, paſſus eſſet evadere.* Voss. *Evaſimus*, jure Voſſius tuetur e Suetonio. Pro *furentes* poſſis *urgentes*, vel *ingruentes*. nam ſequitur paullo poſt, *inopsque copiarum & intra ſe furens hoſtis.* Heins. *Partibus* exigit praecedens *univerſas*. Sic Columell. II. 3. *non multum, nec univerſum cibum, ſed partibus & paullatim praebere*, pro, per partes, non omnia ſimul. vid. inf. cap. 126. & ſup.. cap. 38. Burm. Ovid. III. Faſt. 166. Ita Curt. IV, 9. 2. ubi male Rader. Idem *in marg.*

Quanto cum temperamento ſimul utilitatis res.] Sententioſe hoc, ut caetera de artibus Tiberii. ſcilicet *Eruditus ſit dux utilia honeſtis miſcere*, exemplo Agricolae ap. Tac. VIII. 1. Boecler. Mutilata eſt oratio. nam illud *temperamentum* aliud vocabulum, praeter utilitatem, ſibi ſubjectum habere deſiderat: ut apud Tacitum Ann. XI. c. 4. *Eleganti temperamento inter conjugalem amorem & ſenatoriam neceſſitatem.* Forte, *quanto cum temperamento virtutis ſimul & utilitatis.* infra cap. 114. *O rem dictu non eminentem, ſed ſolida veraque virtute atque utilitate maximam.* Heins.

Qua prudentia.] Praeceſſit modo *prudentia ducis.* quare hic putem legendum, *qua providentia hiberna diſpoſita.* providebat enim Tiberius, ut tuto loco poſita, nec ab hoſte opprimi poſſent. Ita *providentiam* Tiberii laudat

infra cap. 115. & Caeditii ejusque militum cap. 123. Burm.

Inopsque copiarum.] *Copia* pro cibo, commeatu. Apulejus noſter non ille Arcadii generis, ſed Platonicae ſectae, de Dogm. Plat. *Quod quidem* (*os*) *aliis animantibus ad explendam victus neceſſitatem, inferendasque ventri copias comparatum eſt.* Utuntur & Tacitus, Val. Max. Plinius, alii. Acidal.

Viribus hoſtis.] Legerem, *virus hoſtis elangueſceret.* Ursin. Ineptum plane, *virus:* quod ſubſtituit Urſinus. Retinenda lectio vulgaris, hoc ſenſu: maximas illas Pannoniorum copias ita incluſas fuiſſe cuſtodiis exercitus Tiberiani, ut non modo non poſſent erumpere, ſed etiam prae inopia copiarum, quae vix ullae tanto exercitui ſatis eſſe poterant, quaſi inedia elangueſcerent. Facit huc dictum vetus, quod habes apud Vegetium lib. III. cap. 9. *Fames intrinſecus pugnat, & vincit ſaepius, quam ferrum:* Quo indicatur, famem eſſe alterum hoſtem, qui non extra moenia aut vallum, ſed interius oppugnat. Plane contra mentem Vegetii eſſe puto, quod vir eruditus malebat, *utrinſecus.* Voss. Locus ille peſſime adfectus haud ſatis ſibi cohaeret. Per *inopem copiarum hoſtem,* victu deſtitutum intellige. Forte ſic conſtituenda ſint illa: *inopsque copiarum, ut intra ſe ſuis ruens viribus hoſtis elangueſceret.* quam conjecturam ſi admittimus, loco ſuperiore, *furentes vires* haudquaquam ſunt ſollicitandae. *In ſe magna ruunt,* inquiebat ille. apud Senecam Epiſt. XCI. *Quoties in ſe Paphus corruit?* De Brevitate Vitae, cap. IV. *in ſe ipſa fortuna ruit.* & hic de numeroſo hoſtium exercitu capiendum. Habes quoque apud Horatium, *ſuis & ipſa Roma viribus ruit.* tum, *vis conſilii expers mole ruit ſua.* apud Livium initio operis, de Romanis, *jampridem praevalentis populi vires ſe ipſae conficiunt.* lib. VI. cap. 19. *ut ſuis ipſe oneratus viribus ruat.* & apud Tacitum Hiſt. IV. cap. 17. *Galliam ſuismet viribus concidiſſe.* Seneca de Beneficiis lib. VI. c. 31. *ubi prima vis defluet, tuis te viribus prement,* de Graecis reſiſtentibus Xerxi. Sed haec ſpecioſa magis quam vera. Quare, ne quid Lectorem moremur, ſcribendum potius eſt, ut arbitrer: *inopsque copiarum, & interea ſe ſuis terens viribus hoſtis elangueſceret.* ſic *confici viribus ſuis* apud Florum lib. III. cap. 12. & lib. IV. c. 11. *Hoſtem interclusum*

cluſum inopia commeatuum terrere. Heins. Illud *furens viribus* non moverem: dictum enim, ut *ira*, *enſe* &c. *furere*. vid. Heinſ. ad Val. Fl. I. 144. deinde forte legi poſſet, *intra ſepta furens viribus*. ut comparetur *incluſus* hoſtis fero animali in ſeptum concluſo; quod furit viribus, & nihil nocere poteſt: non plane quidem ſimilis, ſed nec omnino aliena illa comparatio apud Virgil. IX. 551. *Ut fera, quae denſa venantum ſepta corona Contra tela furit.* Burman. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 73.

Prima aeſtate belli Meſſalini. opus mandandum eſt memomoriae.] Scribe, *bellum, Meſſalini opus*; per epexegeſin, ut ſolet noſter. nihil certius. tum pro *digniſſimus qui*, lego *digniſſimusque qui*. Heins. Non recepit modo, ut ſemper fere, conjecturam Heinſii editio Cellarii, ſed &, *mandatum eſt memoriae* exhibet, nulla ratione. non enim aliorum, ſed ſuam operam jactare ſolet auctor. ſupr. cap. 8. *mandetur deinde memoriae ſeveritas judiciorum.* lib. I. cap. 15. *neque facile memoriae mandaverim* &c. Burm.

Ita placebat barbaris numerus ſuus, ita fiducia virium, ut, ubicumque Caeſar eſſet, nihil in ſe reponerent.] Excidit vocula ob cognationem ſyllabarum ſubſequentis praecedentisque: *ut nihil in ſe ſpei reponerent.* Sed nec *placebat* ſanum haberi poteſt, cum contrarium Vellejus velit exprimatque. quid multis? Repono, *ita jacebat barbaris numerus ſuus, ita fiducia virium. Jacere* pro animo dejici, uſitatum optimis Latinitatis ſcriptoribus. Nazar. panegyr. cap. 35. *Populi Romani vis illa & magnitudo venerabilis, ad imaginem antiquitatis relata, non licentia effrenis exſultat, non abjecta languide jacet.* ubi malim, *ad imaginem antiquitatis, elata non licentia, & effrenis exſultat.* Tacit. III. Hiſt. 136. *ut ignara animalia, quibus ſi cibum ſuggeras, jacent torpentque.* Quinctilianus Inſtit. Orat. lib. VI. cap. 5. *Nam eſt res animi jacentis, & mollis ſupra modum frontis.* apud Naſonem, ex Pont. III. *Hic ego mente jacens, & acerbo ſaucius ictu.* Livius libro X. cap. 35. *Se quidem omnia facturos, ſed militum jacere animos.* lib. IX. c. 16. *Jacere indolem illam Romanam, ablatosque cum armis animos.* Ita malo cum Grutero, quam *tacere*, quod nunc circumfertur. Ita & Gell. I. 7. *aurem jacentem & ſurdum* opponit *exploratae*. Sic *jacens oratio* eidem libr. II. & *jacere & ſordere* II. 23. De quo nos alio loco complura. Lucanus: *Sic fata premunt civilia mun-*

dum? Sic Romana jacent? Et denuo idem, *Quid ſi mihi ſigna jacerent Marte ſub adverſo?* Contra noſter infra cap. CXIII. *maximam fiduciam victoriae in numero reponebant.* HEINS. Ego *placebat* retineo. eſt enim ſarcasmus & ironica irriſio: licet ſuperbi eſſent numero & viribus, & ideo deberent ſpe & audacia efferri, tamen ubi Caeſar adeſſet, nihil in ſe ſpei reponebant. de verbo *placere* egimus ad Petron. XLIV. & XLVI. *ſpes* vero an recte addatur dubito, quia & ſimpliciter *reponere* idem notat. ita Juſtin. XXIV. 8. *Delphi plus in Deo, quam in viribus reponentes.* ubi alii *ſpem ponentes.* ſed recte vindicat *reponentes* Vorſtius. Livius lib. XXIV. 37. *Pinarius acer vir, & qui plus in eo, ne poſſet decipi, quam in fide Siculorum reponeret.* Noſter ſupr. cap. 32. *Neque omnia in uno reponenda.* BURM. V. Graev. & Heinſ. Ep. Syll. T. IV. p. 415. 420.

Propoſita.] Malo, *oppoſita.* Hoſtiles copiae bipartitae. pars una Tiberio ipſi reſiſtere debebat: pars altera legatis. LIPS. Lipſius mallet *oppoſita.* ſed poteſt defendi vulgata. Mox concinnius legeris, *inſtantes ſuſtinere.* quod jam alii monuerunt. cetera recte ſe habent. BOECLER. Nihil muta. pergit enim auctor in ſarcasmo ſuo. quaſi illa pars non oppoſita eſſet ad pugnandum, ſed expoſita Tiberio ad cladem accipiendam. ita Cicer. V. ad Fam. 16. *Ea lege natos, ut omnibus telis fortunae propoſita ſit vita noſtra.* & hoc docent ſequentia, *ad arbitrium macerata.* ita & Flor. IV. 8. *ad hoſtium arbitrium ſub percuſſore moriturus.* & cap. 11. *naves ad arbitrium diſſipavere.* idem notat quod *jure ſuo;* ut idem Florus lib. I. cap. 17. BURM.

Neque inſtantem.] Lege, ut congrua ſit oratio: *Neque inſtantes ſuſtinens.* Supprimitur, *nos* vel *noſtros*, ut in ſequentibus, *nobis* vel *noſtris.* Aliter vix eſt, ut Latinis auribus probetur. ACIDAL.

Neque facientibus.] In vet. edit. eſt: *neque ut facientibus.* Lego: *neque aut fac.* In eadem: *dirigentibusque etiam.* quod omnino amplector: & τὸ *dirigere* poſitum eſt ἀμεταβάτως. *Dirigere*, eſt aciem in ordines diſponere. Sed & velim, *inſtantes ſuſtinere*, numero plurium, ut ad Romanos referatur. LIPS. *Neque ut facientibus* prima editio. Forte, *neque ſui facientibus copiam pugnando.* vel omiſſo *pugnandi* etiam verbo, quod interpretamentum τοῦ *ſui* habendum. Recte ad hoc Lipſius, *inſtan-*

tes

tes ſuſtinere, non *inſtantem*. Deinde ſcribe, *ſed Romana virtus militi*, pro *militis*, ut vulgo, vel *militibus*, quod Lipſio placebat. ſic cap. 55. ſupra, *a duce quam a milite fortius reſtituta acies*. denique τὸ *vindicatum* perperam tolli jubet Gruterus. eſt enim loquendi modus Vellejo familiaris. HEINS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 74.

Dirigentibusque aciem.] Editio vetus, *dirigentibusque etiam*, *&c.* Quod male defendit Lipſius, cum alterum MS. auctoritate ſit ſubnixum. Voss. ita, *directa acie pugnare* ſupr. cap. 47. & 95.

Monte Claudio.] *Alman* vocat Dio lib. LVI. SCHEGK. Plinius lib. III. cap. 25. de Pannonia, *Mons Claudius: cujus in fronte Scordiſci, in tergo Tauriſci*. Dion lib LV. corrupte Ἄλμαν montem. POPMA. Situm deſcribit Plinius Hiſt. Naturalis lib. III. cap. 25. *Mons Claudius, cujus in fronte Scordiſci, in tergo Tauriſci*. Dio in hac narratione *Almae* montis meminit. Nec errat, quod cenſuit Schegkius. Multo minus corruptus eſt, ut putabat Popma. Nam & Alma mons juxta Sirmium in Scordiſcis. Hoc liquet ex Flavio Vopiſco: quem ſequuntur, aut exſcribunt potius Eutropius, & Aurelius Victor: niſi quod apud hoſce corrupte ſit, *Almum* pro *Almam*. Voss.

Et equitatu regio.] Ne quem moretur, malim expreſſius ſcribi *equitatui*; quamquam idem eſt alterum. ACIDAL.

Magna Thracum manu.] Verborum ſtructura legendum docet: *magnam Thracum manum*. MANUT. Lege, *magnam Thracum manum*. Quomodo Aldus, & ante eum jam emendaverat Rhenanus. Voss.

Rhoemetalces Thraciae rex.] Ita legendum ex Tacito II. Annal. & Dione lib. LV. adparet, in quis *Rhomotalces*, & *Rymetalces* exprimitur. Burr. & vir doctus, *Maetalces*, imperite. SCHEGK. In antiqua editione eſt, *Rhomo & Alces*: ſed mendoſiſſime. ſcribendum *Rhoemetalces*, ex antiquo apud me numiſmate aereo, in cujus una parte ſignata eſt imago Auguſti cum inſcriptione, ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ, &c. in altera effigies Rhoemetalcis regis hujus, cui adſcriptum eſt, ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. URSIN. In MS. erat, *Remo & Alces*. Lege, ut apud Tacitum, *Roemetalces*, Dioni eſt *Rymetalcus*: quomodo Capitolino in Antonino Pio vocatur etiam *Rymetalces*, non hic, ſed quispiam poſteriorum regum. Jor-

 nandes

nandes corrupte, *Romotacles*. Et jam idem Urſinum monuiſſe video ex aereo Auguſti numiſmate: in cujus averſa parte legebatur: ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Vossius. Cum Thracum copias ab eo adductas Vellejus tradat, quid opus erat *Thracum regem* appellare hunc Rhoemetalcem? Videtur & hoc e gloſſa in contextum irrepſiſſe. Forte & poſt ſcribendum, *adjutorium ejus belli ſecum trahebat*, non *in adjutorium*. Heins. Et *Rymetalces* aeque ac *Roemetalces* poſſe dici, docet Cl. Perizon. Animadv. cap. 10. & ſic apud Amm. Marcell. xxvi. 8. de alio hujus nomine, *ductore fidentiſſimo Rumetalca*. *Romotalces*, Erasm. Burm.

Fugata regiorum equeſtris acies.] MS. *fuga*. Forte, *fuſa*. Voss.

Sed Romana virtus militi.] Alii, *militis*. ideoque doctiſſimus Manutius ut fractum, notavit locum. Schegk. Non eo tantum, quod *militis* alii legerent, locum ut fractum notavit Manutius: ſed fuit & aliud. Nam ſive hoc reponeret, ſive retineret alterum, non fieri tamen, ut ſine mendo eſſet, animadvertebat. Itaque ut cui alia medicina opus eſſet, ne temere negligeretur, aſteriſcum appoſuit. Ego vero plane omnia futura judico, ſi legatur, *vindicandum*. Nec id aptum negabit, qui ſenſum loci conſiderat: nec verum, qui ductum literarum. T & D ſaepe commutantur, nec N. aliaeve conſonantes ſemper in veteribus manuſcriptis exprimuntur. *Vindicatum* ergo ſcriptum, pro *vindicandum*. Simillimi erroris labem in Apul. Metam. *lib.* ix. deprehendi: ſed non hic ei locus referendae. Acidal. Pro *vindicatum*, emendo *vindicavit*. Putean. Mihi dubium non ſit, quin *vindicatum*, e margine irrepſerit in contextum. adſcripta ea vox ab eo, qui memoriae ſuae conſulebat, exitumque belli denotabat. itaque legendum literula una detracta *militi*: & egregia figura dicit, *militi & ducibus*, cum potius ſcribendum fuiſſet, *militibus*, *ac duci*. Gruter. Palam verum: *Romana virtus militibus*. Cauſſa victoriae milites maxime fuere, cum duces parum explorato profecti incidiſſent in hoſtes. Lips. Corrigo, *vindicatus*, verbum Vellejanum pro vindicta. Majorem, inquit, gloriam vindictae milites, quam duces retulerunt. Popm. Videtur omnino toleranda haec lectio, neque opus eſſe, ut pro *militi*, ſubſtituatur, *militibus*: aut pro *vindicatum*,

tum, *vindicandum*. BOECLER. Non video, cur Claudius Puteanus maluerit reponi *vindicavit*, *vindicatus* Popma, pro vindicta. poſſis &, *plus vindicatae gloriae*, Sed vulgatae lectioni temere controverſia non eſt movenda. HEINS. *Romani virtus militis*. Edit. Rhen.

Qui multum amore Imperatoris ſui crepantes.] Non capio, nec pura cenſeo. Quid ſi, *properantes* pro, *crepantes*? Quid ſi etiam *ultum*? ut velit feſtinaſſe ad vindictam, & ad detergendam ignominiam a regiis acceptam. LIPS. Volunt aliis iſthaec dici de militibus: at ego puto dici de ipſis ducibus. Ceterum verba omnia ſic fracta ſunt; ut non pudeat pronunciare cum Lipſio, me ea non capere. GRUT. Non leve hic beneficium debet Vellejus Cl. Iſaacio Pontano; qui locum corruptiſſimum egregie ita ſanavit: *qui multum a more imperatoris ſui diſcrepantes*. Sane, quin *a more* ſcripſerit Vellejus, non eſt dubitandum. VOSS. Legebatur: *multum amore imperatoris ſui crepantes*. Unde doctiſſimus Iſacius Pontanus (lib. 1. Anal. 1.) eam lectionem fecit, quae haud dubie ceteris omnibus praeferenda fuit. BOECLER.

Interemto praefecto caſtrorum.] *Ad quem* (ait Vegetius lib. II. cap. 10.) *caſtrorum poſitio, valli & foſſae deſtinatio pertinebat. Tabernacula vel caſae militum cum impedimentis omnibus nutu ipſius curabantur. Praeterea aegri contubernales, & medici, a quibus curabantur, vehicula, ſagittarii, nec non ferramenta, quibus materia ſecatur vel caeditur: item ligna vel ſtamina, arietes, onagri, balliſtae, ceteraque genera tormentorum procurabant aliquando ne deeſſent*. Iſtud munus in libera Republ. non lectum, cui omnia, Lipſio. Tribunis poſtponit Sueton. Veſpaſ. *Polla patrem habuit Veſpaſium Pollionem ter tribunum militum, praefectumque caſtrorum*. Mentio infra Vellejo plurium in exercitu: *At e praefectis caſtrorum duobus quam clarum exemplum L. Eggius, tam turpe Cejonius prodidit*. quo recte cum doctiſſimo viro colligas licet, cuique legioni ſuum praefectum tributum fuiſſe. SCHEGKIUS. Vid. ad cap. 104.

Qui etiam primi ordines cecidere.] Exemplar Aldi, *quibus*. Tu ſcribe, me praeeunte: *qui etiam primi ordinis cecidere*. Quorum, inquit, jam aliqui e primo ordine occiderant. Nihil de Ordinibus aut genere, aut ſpecie de Centurionum addo. Dictum abunde aliis, quibus haec

priva cura. Acidalius. Editio vet. *quinetiam primi ordines*. haud improbo ſenſu. Tamen velim: *qui etiam primi ordinis*. Vult enim Centuriones aliquot primorum ordinum occidiſſe. Lips. *Quibus etiam* in MS. legebatur: ut non ſint audiendi Lipſius, Acidalius, aliique, qui emendant: *qui etiam primi ordinis cecidere*. Sane *primi ordines* iidem, *qui primi ordinis centuriones*. Ita capiendus locus ille Caeſaris in vi. de bell. Gallico, vulgo non intellectus: *Labienus noctu tribunis militum, primisque ordinibus, convocatis, quid ſui conſilii ſit, proponit.* Solus Graecus interpres ſenſum aſſecutus eſt, qui vertit, *ὁ Λαβιηνὸς τούς τε χιλιάρχους, καὶ τοὺς πρώτους ταξιάρχους, συγκαλέσας*. Sic & Quinctilianus declamatione tertia: *Enimvero auctorem habet. hoc primi ordines jubent.* & Frontinus lib. i. cap. ii. *Imperavitque tribunis, & primis ordinibus, & centurionibus.* Intelligenda autem in Vellejo praepoſito *e*. Quod ei familiare eſſe, antea etiam monuiſſe me memini. Voss. *Quibus etiam*, Burrerius ex vet. ex. Addenda ergo fuerit praepoſitio, quam ſubintelligi hic poſſe facilius dixeris, quam probaveris. Alii: *quin etiam primi ordines*. Lipſius mallet: *qui etiam primi ordinis*. Boecler. *In quibus etiam primi ordines ceciderunt*, ſcribe: vel, *primi ordinis*. nec male alii, *e quibus primi ordines*, quod temere ſollicitari nolim. qui & *primorum ordinum centuriones* paſſim hiſtoricis dicuntur. Tacitus Ann. iv. cap. 73. *Quamquam multi tribunorum praefectorumque & inſignes centuriones cecidiſſent.* Eidem, *Juſtus Catonius primi ordinis centurio.* Sic *minor ordine* centurio reſpectu primi pili apud Naſonem Ponticis lib. iv. el. 7. *Pugnat ad exemplum primi minor ordine pili.* de *Primis ordinibus* videnda Lipſii militia R. lib. ii. cap. 8. & Gronov. ad Liv. xxx. cap. 4. *Cecidere*, *invaſere* ingratum quid ſonat in oratione tam concinna. Paullo ante ſcribendum, *tam igitur dubiis rebus*, non, *jam igitur in dubiis*. Illud praecedens, *qui multum a more Imperatoris ſui diſcrepantes*, veriſſime ſollertiſſimeque reſtitutum Joh. Iſaacio Pontano debetur. Heins.

Avo ſuo naturali.] Auguſto; cujus nepos ex Julia filia erat Agrippa, de quo Suetonius & Tacitus. Avus naturalis ad differentiam adoptivi accipiendum eſt, ſicut naturalis pater opponitur adoptivo apud Juriſconſultos tit. De

De adulteriis, tit. De adoption. & alibi. POPMA.

Mira pravitate animi.] Aequior Tacitus. *Uti nepotem*, ait, *Agrippam Poſtumum in inſulam Planaſiam projiceret, rudem ſane* (vet. q. *inſane*) *bonarum artium, & robore corporis ſtolide ferocem, nullius tamen flagitii compertum.* Itaque Vellejus Comico Paraſito ſua genera adſtruit. SCHEGK. Suetonius Aug. LXV. *ingenium ſordidum & ferox* huic tribuit. Dio LV. pag. 652. δουλοπρεπῆ vocat, praecipitisque irae hominem: auſum etiam, *novercalem animum* Juliae, & Auguſto *bonorum paternorum detentionem* exprobrare. Tacitus I. A. 3, 6. *Rudem ſane bonarum artium & robore corporis ſtolide ferocem, nullius tamen flagitii compertum* memorat; exiliumque, quo ab Auguſto multatus eſt, Liviae artibus tribuit. ſed & de exitu ejus, quem Vellejus *dignum furore hominis* vocat, longe aliter judicat Tacitus I. A. 6, 1. &c. Vide locum, & *primum Tiberiani principatus facinus*, velo adulationis hic obductum; revelandum amplius a Dione LVII. pag. 692. & Clapmario V. Arcan. 2. BOECLER.

XIV. *Sed pluribus quam decem veteranorum millibus.*] Quid dicere Vellejus velit, facile conjicitur, ex ipſis verbis difficile intelligitur. Nam neſcio quid deeſſe, vel voculam ſaltem unam, ſuſpicor: & hanc qualem fere non quam aſſequor. ACIDAL. Deſiderari vocem cenſeo, & ſcribo: XIV. *alis, & pluribus quam.* Valde enim probabile de equitum etiam numero dixiſſe. LIPSIUS. Recte Lipſius, poſt XIV, vocem *alis* deeſſe animadvertit. VOSS. Placuit Eruditis Lipſiana conjectura; *alas* ſcilicet adjici debere. Idem mox legit: *& pluribus quam d.* poteſt tamen uſitata lectio ferri. BOECLER. Caſtigabam, *alis quatuordecim, & pluribus.* Sed occupavit Lipſius. HEINS.

Utilia ſpecioſis praeferens.] Poſt: *Semperque viſum eſt glorioſum, quod eſſet tutiſſimum.* Supra alicubi, *Neceſſaria glorioſis praeferens.* ACIDAL.

Quae probanda eſſent.] Talis Fabius Maximus, de quo Ennius: *Unus homo nobis Romanam reſtituit rem: Non ponebat enim rumores ante ſalutem.* GRUTER. Talis locus mox ſequetur c. 115, 5. utrumque ob verborum exemplique gravitatem laudavit in hoc argumento Lipſius V. 16, 20. Cum primis autem exímia oratio Q. Fabii Maximi ad Aemilium huc pertinet ex Liv. XXII. 39. BOECLER.

Non quae utique probarentur ſequens.] Malo, *quae cuique probarentur.* infra cap. CXV. *nec umquam conſilia ducis judicio exercitus, ſed exercitus providentia ducis rectus eſt.* HEINS.

Exercitum qui venerat.] Non capies, niſi diſtingues: *exercitum qui venerat, ad refovendas* &c. Tantum vel ſicilicum unum poteſt. Sed quam multa in hujusmodi interpunctionibus, quanta diligentia emendaverimus, non oſtentare libet: nec ſunt tanti, ut ſingulatim hic notentur. In ipſo Vellejo utinam ſaltem noſtrae induſtriae operarum non defuerit accuratio: quorum, ſi quae, ut vereor, erunt, culpas nobis cordatus lector non imputabit. ACIDAL. *Qui ſubvenerat* omnino ſcribendum. Simili errore apud Tacitum peccatur Ann. XII. cap. 62. *quaeque transmeantibus terra marique ducibus exercitibusque ſimul ſubvehendo commeatu opportuna forent.* non *vehendo.* mox malo, *cujus difficultas enarrari vix poteſt*, quam *narrari.* HEINS. Sed paullo ante dixerat, *exercitus, qui ad eum venerant*; nec video cur hic *ſubvenerat*, quod editio Cellarii recepit, ſit reponendum.

Et partem digredientium ſuorum metu univerſi.] Satis commoda ſententia. Vir doctus cum Rhen. *partem digredientium ſuorum quisque metu finium univerſi t. n. poſſent.* Hiſtoriae cauſſa omnino legendus Dio lib. LVI. quem puto veriora. SCHEGK. *Tentare non poſſent* ſcripſi pro eo, quod legebatur, *poſſet.* Univerſos hoſtes, inquit, non audebat aggredi, & univerſi non poterant tentare partem hoſtium digredientium ſuorum metu, ne ſcilicet a ſuis pellerentur ſedibus. *Tentare* verbum militare, & caſtrenſe, ut *tentamentum* apud Vegetium & Ammian. POPMA. Duae voces, *quisque*, & *finium*, peſſimo exemplo, aut flagitio potius, in quibusdam editionibus omiſſae ſunt. Sane primigenia editio eas agnoſcit. VOSS. Prorſus temere & inconſiderate fecerunt, qui pro optima editionis principis lectione, hanc repoſuerunt: quae vitio libri, quem typothetae dederamus, in noſtram quoque editionem irrepſit. quod nollem factum. Legendum enim, ſicut Gruterus, aliique jam ediderant: *& partem digredientium ſuorum quisque metu finium univerſi tentare non poſſent.* ſenſus patet. BOECLER. Sic videntur haec conſtituenda, *& partem digredientium ſuorum quamque, metu finitimo, univerſi tentare non poſſent*

ſent. Neque univerſos audebat hoſtis aggredi, neque partem digredientium unamquamque, metu finitimo. hoc eſt ipſo Tiberio tam vicino, qui partem exercitus magnam apud ſe retinebat. non diſſimilis apud Tacitum locus Ann. XIII. c. 39. *Libratoribus funditoribusque attributus locus, unde eminus glandes torquerent, ne qua pars ſubſidium laborantibus ferret, pari undique metu.* Si retinemus, τὸ *ſuorum quisque metu finium*, ſic interpretare: digredientibus a Tiberio auxiliis hoſtem quoque coactum ſuos huc dimittere, ne fines ſuos ac agros exponeret incurſibus. HEINSIUS. Locus ſanus, ſi ita diſtinguatur, *& partem digredientium ſuorum, quisque metu finium, univerſi tentare non poſſet.* Diviſae hoſtium copiae non audebant totum & junctum Romanorum exercitum adgredi, neque etiam univerſi & conjuncti hoſtes poterant tentare partem digredientium Romanorum, quia quisque timebat ſuis finibus, ſi praeſidiis inde deductis in unum coiiſſent. ſolent vero ſcriptores illud *quisque* interponere, & addere *multis*, *univerſis*, & ſimilibus. Salluſt. Jug. 18. *paſſim multis, ſibi quisque, imperium petentibus:* ut recte viri docti conſtituerunt verba. Suet. Aug. 60. *ſinguli, in ſuo quisque regno, Caeſareas urbes condiderunt:* cap. 66. *reliqui potentia atque opibus ad finem vitae, ſui quisque ordinis principes, floruerunt.* BURM.

Regreſſus Siſtiam.] Hoc oppidum Pannoniae ſuperioris apud Strabonem lib. VII. Σισκία, ſed ut Vellejus, *Siſciam* nominant Ptolemaeus, Antoninus, Dio & Plinius: cujus verba ſunt lib. IV. cap. 25. *Calopis in Savum influens juxta Siſciam, gemino alveo inſulam ibi efficiens, quae Segeſtria appellatur.* Latinus Pacatus in Panegyrico Theodoſii. *Teſtis eſt Siſcia, teſtis pulcherrimus amne confluvius.* ibidem: *iter a Siſcia Murſam.* Prudentius in hymno in Quirinum martyrem. *Urbis moenia Siſciae Conceſſum ſibi Martyrem Complexu patrio fovent.* POPM. Male in editione Rhenani fuerat, *Siſtiam.* Sane eadem vulgata, ac MS. lectio. Mentio *Siſciae* apud Plinium, Dionem, Zoſimum, aliosque. VOSSIUS.

Nemo, &c. imbecillus fuit.] Ut cetera, quae praecedenti capite deſcripta ſunt, ex ſingulari virtute imperatoria originem trahunt, ita non in poſtremis ponenda eſt haec erga imbecillos comitas Ducis: qua ſibi & bello mi-

militem efficaciſſime firmare poteſt. Quod praeſertim in bellis difficilibus, aut poſt adverſa, locum habet. ſicut apud Tacitum Germanicus, *ut cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire ſaucios, facta ſingulorum extollere; vulnera intuens, alium ſpe, alium gloria, cunctos alloquio & cura, ſibique & praelio firmabat.* I. A. 71, 3. Vide quae Lipſius notavit ad Panegyr. Plin. c. 13. Ubi Trajanus *ſolatium feſſis, aegris opem tulit: neque ſua iniit tentoria, niſi commilitonum ante luſtraſſet, nec requiem corpori, niſi poſt omnes dedit. Hadrianus* quoque *aegros milites in hoſpitiis ſuis vidit.* Spartian. 10. Alexandri item Severi eximiam curam Lampridius commendat cap. 47. *Aegrotantes ipſe viſitavit per tentoria milites, etiam ultimos; & carpentis vexit, & omnibus neceſſariis adjuvit. Et ſi forte gravius laboraſſent, per civitates & agros patribus familias hominibus, & ſanctioribus matronis eos diſtribuebat, reddens impendia quae feciſſent, ſive convaluiſſent illi, ſeu periiſſent.* An legimus: *patribus f. honeſtioribus?* BOECLER.

Huic uni vacaret animus.] *Negotio* ab Eraſmo fluxiſſe videtur; ſed aliam vocem latere puto, nam illud *genti* ineptum. Forte, *officio*, vel, *beneficio*, aut ſimile quid. an, *huic uni genitus vacaret animus?* ut ita, *natus rei alicui* paſſim dicitur. ſic ſupr. cap. 102. *genitus demerendis hominibus*, & mox cap. 116. *adoleſcens in omnium virtutum exempla genitus.* Lucan. VI. 485. *Omne potens animal leti, genitumque nocere.* debet autem ſubintelligi, *uni curae*, quod praeceſſerat. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 74.

Cujus cum alii, &c.] Lipſius, *cujus uſum.* Vocem enim *beneficium* Rhenanus ſubſtituit. RAPHEL. τὸ *beneficium* in MS. non erat, & addidit de ſuo Rhenanus. Malim ego cum Lipſio, *uſum*, ſubſtituere. VOSS. *Beneficium* abeſt a ſcripto. Et ſane ut beneficium Caeſaris recte dicitur, ſic parum proprie lecticae beneficium. Cognatio litterarum in hoc ſcriptore aliisque frequenter turbas dedit, inſignita librariorum ſocordia etiam hoc loco. Scribendum enim, *cujus uſum cum alii, tum ego ſenſi.* uſi videlicet lectica Caeſaris. ſed id a Lipſio jam occupatum agnoſco. HEINS.

In hoc ſolum importatum inſtrumentum balnei.] Cave quicquam immutes. Livius libro XXIV. *diſcordia civilis*

quas

quas importet clades. lib. XXXIX. *ne quid conjurationes fraudis occultae aut periculi importarent.* Phaedrus l. 1. fab. 28. *Ne tantum miſerae luctum importaret ſibi.* Ita & Cicero, Caeſar, alii paſſim. *Negotium ſibi importare* auctor dialogi de cauſis corruptae eloquentiae, *bellum importare* Dictys. HEINS. Neſcio quis huic verbo moverit controverſiam. ſed exempla, quae Heinſius adducit, parum apta eſſe ſcio: omnia enim de re mala, quae moleſtiam, dolorem, exitium &c. adferunt, quadam κυριολογίᾳ ejus verbi, agunt. hic autem in levamen & medicinam aegrorum, non in voluptatem & luxum importatum fuit inſtrumentum balinei, ut frumentum, merces, & ſimilia *importari* & *exportari* dicuntur. ſignificat enim in caſtra importatum, unde priſca & ſevera militaris diſciplina arcere ſolebat. & ideo addit, *in hoc ſolum.* BURM.

Ceterum nihil, quod ab illis aut praeſtari, aut deſiderari poſſet.] Conjectura mirum quantum placet: *ab ullis.* Nam commode ſic ad utramque partem referetur. Quod aut hi deſiderare, aut illi praeſtare poſſent. ACIDAL. Lege, *ceterorum nihil.* HEINS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 74.

Illis.] Nimirum domeſticis. Acidalius perperam reponere conatur, *ab ullis.* VOSS.

Adjice jam illud.] Rhenani codex: *Adjiciam illud.* Atque ex eodem pro *agnoſceret*, quod mox ſequitur, lege, *agnoſcet.* VOSS. *Adjice jam*, video Lipſium edidiſſe & *agnoſceret.*

Quod quisquis illis temporibus interfuit (ut alia, quae retuli) agnoſceret protinus.] Lego, *agnoſcet.* quod quisquis in his literis aliquandiu fuit, (ut alia multa, quae attuli) rectum agnoſcet protinus. ACIDAL. Minus Latine. Puto, *quod quisquis illius temporis rebus interfuit.* HEINS. Sed quis neſcit *tempora* ſaepe poni pro rebus tempore illo actis, & praeſertim ſi durae & adverſae inciderint. Vide Graev. ad Cicer. II. de off. I. Manut. ad Cicer. IV. ad fam. 6. & alios. ita *tempora Caeſaris*, pro actis & rebus geſtis apud Valer. Max. VI. II. §. 12. recte capit Vorſtius; & ita noſter I. 3. *tempora Iliaca.* BURMAN. V. Miſc. Obſ. V VIII. p. 74. 403. V. IX. p. 277.

Coenavit ſedens.] An, ut circa rem militarem videri vo-

voluit vir antiquis moribus, ſimiliter hic? priſci enim ad coenam ſedebant. Iſidorus lib. xx. *Sedes dictae ſunt, quod apud veteres Romanos non erat uſus accumbendi. unde & conſidere dicebantur. Poſtea, ut Varro ait de vita pop. Rom. viri diſcumbere coeperunt, mulieres ſedere.* an imitati Heroës, qui ſedebant, auctore Athenaeo, lib. I. Καθέζονται ἐν τοῖς συνδείπνοις οἱ ἥρωες, οὐ κατακέκλινται, τοῦτο δὲ καὶ παρ' Ἀλεξάνδρῳ τῷ βασιλεῖ ἐνίοτε ἦν, ὥς φησι Δοῦρις. SCHEGK.

Agebatque medium, plurima diſſimulantis, aliqua inhibentis.] Scio, qui mavult; *plurima diſſimulans, aliqua inhibens.* de quo ego quid ſentiam, lectori non promo. Judicet quisque ipſe ſecum. ACID. Suſpecta nonnullis conſtructio: at mihi oppido elegans; ut reſolvatur, *egiſſe medii perſonam, pleraque diſſimulantis, nonnulla vero punientis.* GRUTER.

Hiems emolumentum.] Ante haec verba lacunam eſſe probat Dodwell. in Annal. Vell. §. XXIII. HUDSON.

Sed inſequenti.] Scribo, Lipſio auctore, *& inſ.* RAPHEL.

Reliquiis totius belli in Dalmatia manentibus.] *In Dalmatiam emanantibus* puto. ſic & infra ſcribendum, *ordine enarrabimus* hoc ipſo capite. Florus lib. IV. cap. 9. *Denique ablata Syria emanabat latius malum.* ſic & Tullius non ſemel. ut pro Roſcio Amerino: *exit & emanat in vulgus oratio.* Apud Livium frequenter, *manat rumor, terror, fuga.* lib. XXVIII. cap. 14. *latiusque fuga manaſſet.* libro VIII. cap. 3. *indicia conjurationis ejus Romam emanarunt.* lib. XXXIX. cap. 34. *ne qua indicium emanaret, veneno creditur ſublatus.* Sic paſſim idem. HEINS. Intempeſtiva, ſi qua alia, emendatio, cum apertiſſimus vulgatae lectionis ſenſus ſit, in Delmatia manſiſſe reliquias belli, jam in Pannonia exſtincti. ita plane ſimiliter noſter ſupr. cap. 17. *Finito ex maxima parte, niſi qua Nolani belli manebant reliquiae, Italico bello.* BURM.

Bathinum.] Plinius lib. III. cap. 13. in Picena regione Italica collocat flumen *Batinum*, diverſum ab hoc Vellei *Bathino:* cum quo forte idem amnis *Bacutius*, quem in Pannonia numerat Plinius eodem libro cap. 15. POPM.

Captum alterum, a ſe deditum.] In veteri eſt: *captum al-*

alterum a ſe deditum. Suſpicor fuiſſe: *captum alterum, alterum a ſe deditum.* Nam Bato ſponte veniſſe ad Tiberium videtur, & ſe dedidiſſe. Vide Dionem LV. ſub finem. LIPS. Legendum, *a ſe deditum.* Quomodo erat in MS. niſi quod *alterum* non geminaretur, Quod probat Dio lib. LV. ubi ſcribit, Pinnetem, a Batone proditum, in Romanorum manus perveniſſe: libro item ſequenti narrat, ut Bato ſeſe dediderit. Sane emendationem hanc, quam Rhenano debere nos profitemur, alii, maligne nomine ejus ſuppreſſo, ſibi vindicarunt. VOSS. Recte geminarunt homines eruditi, *alterum*, quod ſemel tantum in membranis exſtabat, nec ſatis Latinum illud in iisdem membranis, *a ſe deditum.* Cur enim non, *ſe dedentem*? videtur voluiſſe Vellejus, *a ſuis deditum*, vel certe *deditum*, ut *a ſe* deleatur. Proditus enim fuit a Batone Breuco. Vide Dionem de hac tota re ſub finem lib. LV. HEINS. Forte, *alterum a ſocio deditum.* poſſet & omiſſo ſemel *alterum* legi, *celſiſſimos duces captos, alterum & deditum*, ut utrumque in manus Romanorum veniſſe dicat, unum in proelio vi captum, alterum etjam ſe dediſſe. ſic ſupra cap. 54. *utrique imperatorum, alteri ſuperſtiti.* ubi vide. BURM.

Autumno victor.] *Autumni victor.* Ed. Rh.

Caeſarem Lepidus.] Omnino, *a Caeſaribus.* Sic ſupra: *Legati quos ad Caeſares mittebat.* Nam & Tiberius jam in hoc nomen venerat, adoptatus ab Auguſto & imperii conſors. Sed cur Lepidus hic *nominis* (ſive *nomini*) *ac fortunae eorum proximus?* Puto, quia a Sulla & Pompejo genus ducebat, qui ipſi quaſi Principes in re Romana. Tacitus docet III. Annal. de Lepida: *Cui ſuper Aemiliorum decus*, inquit, *L. Sulla ac Cn. Pompejus proavi erant, defendente ream Manio Lepido fratre.* & vide ne hic ſit iſte ipſe *Manius*, atque ita praenomen in Vellejo mutandum. LIPS. In MS. fuit, *Caeſarem Lepidus praefectus eſt.* Forte legendum, *Caeſari M. Lepidus praefectus eſt.* Lipſius emendandum putabat, *Man. Lepidus.* Ut hic idem ſit, cujus III. Annal. meminit Tacitus. Quod verum eſſe non arbitror. Sane *Marcum Lepidum* nominat hunc etiam Dio lib. LVI. VOSS. *A Caeſaribus* quidem nonnullis placuit, propter vocem, *eorum*, quae in libris mox ſequens ad Caeſares referenda videbatur. ſed cum fuerit: *cujus omnibus copiis Caeſarem Lepidus prae-*

fectus

fectus eſt; nihil dubito totum locum ita legendum: *cujus omnibus copiis a Caeſare M. Lepidus praefectus eſt, vir nominis ac fortunae ſuorum proximus.* cum praeſertim ſequatur *tantorum nominum*, quibus Lepidus ortus eſt, mentio. BOECLER. *Caeſarem Lepidus*, membranae. Inſerendum ſolummodo τὸ *a*, *a Caeſare M. Lepidus*. Hanc enim auctoritatem ſoli ſibi Auguſtus ſervabat. alia res eſt ſupra de legatione miſſa *ad Caeſares*. nam primum iſti legationi Tiberiana caſtra erant adeunda. HEINS.

Vir nominis ac fortunae eorum proximus.] Quorum? An *ſuorum* ſcribendum? An illa huc retrahenda, quae paullo poſt inſerta ſunt, *quibus ortus eſt*? Quid ſequar potius non video, & quaſi caligo mihi objecta eſt ob oculos. Etenim, & quo nunc illa loco ſunt, ei conveniunt: & hoc, niſi tale quid vel addatur, vel mutetur, non ſubſiſtit. Magis tamen decere videtur, praemitti ea priori, quam ſubſequi loco poſteriori. Tantum eſt, quod cenſeo. Limam & lineam adhibebunt forſan alii certiorem. Sed ecce in librum dum reſpicio, ad oram video notatum, pro *Caeſare*, quod praecedit, in aliis, *Caeſaribus*, legi: percutitque animum ſuſpicio, id forte verius, eoque vocem *eorum* referendam, ut Auguſtum & Tiberium innuat. Quod ſi eſt, quamquam illuc jam inclino, tamen non affirmabo. *Caeſares* quidem etiam ita ſupra eoſdem dixit, ubi de Marobuduo: *Legati, quos mittebat ad Caeſares, interdum ut ſupplicem commendabant, interdum ut pro pari loquebantur.* Ut vix poſſit, quin *Caeſaribus* reponendum, ſimul & *eorum* retinendum, plana re tota & perſpicua. *Nomini* etiam pro *nominis*, arbitrio ſuo ſibi quiſque aut ſcribet, aut quod ſcriptum, tenebit: ego meum hoc malle me profiteor. ACIDAL. Nihil eſt, quo *eorum* referas. Lege itaque, *ſuorum*. Hoc eſt Aemiliorum, e qua gente erat Lepidus. Hoc etiam alii monuere: qui tamen male, *nomini*, ſcriptum Vellejo volunt. De quo nos ſupra cap. CIX. VOSS. Pro *vir nominis ac fortunae eorum proximus*, utique ſcribendum *Aemiliorum*. Noluit enim dicere Lepidorum: quod Lepidi plerique, complures certe, damnoſi reip. ac mali. At in gente Aemilia praeter Lepidos, Paulli, Mamerci, Scauri, aliique viri praeſtantiſſimi haud pauci. Caute igitur id dictum a Vellejo. Rutilius Numantianus in Itinerario (nam verſus, quod plures ſint, non adſcribo) quatuor Lepi-

dos

dos notat, ut exitioſos reipublicae. Primum qui cum Q. Catulo contentiones exercuit poſt obitum Sullae, ac in Sardinia periit, alterum Triumvirum, tertium ejus filium, conſpirationis reum adverſus Auguſtum, quartum, qui ſpe dominationis Agrippinam ſtupravit. Quibus & plures poſſint addi. Tacitus Ann. VI. cap. 27. *Aemilium genus fecundum bonorum civium, & qui eadem familia corruptis moribus, inluſtri tamen fortuna, egere.* Idem III. Annal. de Lepido, *cui, ſuper Aemiliorum decus, L. Sulla, & Cn. Pompejus proavi erant.* Rurſus Ann. VI. cap. 29. *Scaurus, ut dignum veteribus Aemiliis, damnationem anteiit.* Valer. Max. lib. III. cap. I. de Lepido, qui adhuc praetextatus hoſtem in acie interemerat, ac civem ſervaverat. *Inter quae Aemiliae gentis pueritia coronam mereri, ſpolia rapere valuit. Eum* pro Aemilium conſimili errore, etiam in Valerio Max. circumfertur. lib. III. cap. II. §. 16. *Poſtero die ad eum ſupplices Pacem petentes venerunt.* Non a Catone, ſed a Paullo, pacem petebant, ſub quo Cato militabat. Lege igitur, *ad Aemilium.* Olim legebam, *avorum.* Voſſius, *ſuorum.* Sed alterum verius. Supra etiam *Aelius* pro *Aemilius* legebatur in membranis. mox & malo, *quem in quantum quis*, quam *quisque. Fortunae Aemiliorum proximus*, eleganter & Latine. ſic *proximus culpae* apud Juriſconſultos, qui culpae eſt obnoxius. Apud Tacitum pari modo Ann. IV. cap. 27. *proximos audaciae in urbem traxit.* De Graccho idem Tacitus Ann. I. *haud indignus Sempronio nomine.* HEINS. Durum eſſet dicere Aemilium Lepidum fuiſſe proximum nomini ac fortunae Aemiliorum: quare *eorum* capiendum pro Caeſarum. Egregie hujus M. Lepidi ſtemma illuſtravit Rupertus Epiſt. ad Reineſ. LX. & Lipſii errorem, Marcum & Mànium ſaepe confundentis, refutavit. Proximum autem Caeſaribus oſtendit, quia aviam habuit Scriboniam, Auguſti conjugem, matrem Corneliam Juliae ſororem, & materteram L. & C. Caeſarum, Fratrem L. Aemilium Paulum Juliae neptis maritum. proximus ergo *nomini*, id eſt, familiae & generi Caeſarum, ut centies *nomen* capi notum eſt. *fortunae* vero, quia ad ſummos honores evectus, & ipſi Auguſto capax imperii Tacit. I. Ann. 13. videbatur. Nec moveat quem *τὸ eorum*, quia praeceſſit *Caeſare*, nam nihil familiarius ſcriptoribus a ſingulari, quo unum hominem deſignarunt,

 dein-

deinde tranſire ad plurale, quando totum ejus genus intelligi volunt. vide exempla a nobis adducta ad Quinct. IX. Inſt. 2. & Decl. XIII. 13. & XII. 5. quibus infinitus numerus facile addi poſſet. Adde Davieſ. ad Cicer. I. de Nat. Deor. 38. Hoc ignorantes, *a Caeſaribus* reſcripſerunt contra fidem codicis antiqui. BURM. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 175.

Quem in quantum quisque aut cognoſcere aut intelligere potuit, in tantum miratur ac diligit.] Non longe hinc de Licinio Nerva, ſimile in partem: *quem virum, ne qui intellexit quidem, abunde miratus eſt.* ACIDAL. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 75.

Animum atque arma contulit.] Hinc firmari potuiſſet conjectura noſtra in cap. 100. *adjecit Armeniae animum.* Sed loci tunc non memineramus. BURM.

Magio Celere ulli flavo.] Hic e Velleja gente per adoptionem in Magiam inſertus, appellabatur *Magius Celer Vellejanus.* ab adoptante enim praenomen, nomen, cognomen adſumebat is, qui adoptabatur, vetere nomine ita conformato, ut in *anus* exiret, veluti *T. Pomponius Atticus*, a Q. Caecilio avunculo ſuo adoptatus, *Q. Caecilius Pomponianus Atticus* vocatur, apud Varronem de re ruſtica lib. II. & Ciceronem ad Atticum III. POPMA.

Vellejano.] Ita potius legerim, quam cum Nicolao Loenſ. epiphyllid. VII, 6. *Allifano:* Erat in vet. ex. *ulli flavo.* BOECLER. *Vellejano* jam Eraſmus repoſuit. in Editione Rhenani erat, *ulli flavo.*

Honorum.] Velim, *donorum.* Mox de eodem fratre & ſe: *quem* (triumphum) *mihi fratrique meo inter praecipuos, praecipuisque donis adornatos, viros comitari contigit.* Notus mos triumphorum, in quibus coronae, torques, falerae, bello meritis dari ſolebant: ſi tamen *honores* tenes: capere poſſis Triumphales. LIPS. *Donorum* Lipſius. Ego, quamquam minime ignarus *donare dono*, apud Livium aliosque formulae antiquae loco non ſemel occurrere, tamen à vulgata ſcriptura haud temere recedendum eſſe opinor: nam & *honores* pro *donis* nonnunquam ponuntur, & *honoratus* pro muneribus adfecto. Dictys libro II. *Ibi Ajax collaudatus a rege donis egregiis honoratur.* Apud Naſonem certe Met. XIII. Ajax, *Nos inhonorati & donis patruelibus orbi.* Epitome Liviana libri

CXXIX,

CXXIX. *M. Agrippa navali corona donatus eſt: qui honos nemini ante eum habitus erat.* HEINS. *Donis donare*, dixit Livius lib. XXV. 18. & 21. & alibi. Apud Juſtinum quoque lib. XLIV. 4. in variis lectionibus notatur legi, *Regi dono donatus eſt*, pro vulgato, *datus*, &c. apud Ovidium quoque lib. II. 261. *Nec dominam jubeo pretioſo munere dones.* Sed ibi *dites* MSS. nihil hic ergo novo: niſi quis mallet, *decoravit*, ut Cicero ſaepius loquitur. nam mox iterum *donatus* ſequitur, a Rhenano tamen intruſum. BURM.

Pergentis integras.] Sed *pergentis*, eſt *per gentis*, ut olim ſcribebant, quod Eraſmus mutavit in *gentes*.

Magna cum clade obſiſtentium, excifis agris, exuſtis aedificiis, caeſis viris, laetus victoria, praedaque onuſtus pervenit ad Caeſarem.] Si huic ſcripturae acquieſcimus, bis idem dixerit Vellejus. quid enim differunt illa, *magna cum clade obſiſtentium*, & *caeſis viris?* Scribendum forte, *everſis vicis*, vel *incenſis*. Sed alterum praeſtat, quia jam de *exuſtis aedificiis* habuimus, quae referenda ad villas. Sic *vaſtationem agrorum & virorum*, Florus quoque conjungit lib. III. cap. 1. Livius libro VI. cap. 31. *Omnibus paſſim tectis agrorum, vicisque etiam quibusdam exuſtis.* lib. X. cap. 11. *vaſtandis agris, urendisque tectis, cum paſſim non villae ſolum, ſed frequentes quoque vici incendiis fumarent.* cap. 12. *nec ſolum modo vaſtum hoſti relictum, ſed caſtellis etiam vicisque illatus ignis.* lib. XXXIX. cap. 32. *vaſtando agros, urendoque vicos ac caſtella.* hic vero de oppidis ſive vicis agit. Sic *pagos ac caſtella*, apud Flor. lib. III. cap. 19. *Caſtella, oppida, vicos miſerabili vaſtavit direptione.* Et mox, *vicos, caſtella, oppida diripuit.* Nunc verius duco prioribus conjecturis, *exuſtis aedificiis ac vicis.* cap. 120. *aperit limites, vaſtat agros, urit domos, fundit obvios.* Capitolinus in Maximino: *ingreſſus eſt Germaniam Transrhenanam, per trecenta vel quadringenta millia barbarici ſoli, vicos incendit, greges abegit, praedas ſuſtulit, barbarorum plurimos interemit.* *Diripere vicos* Tacitus Ann. lib. I. cap. 20. *diruere*, Hiſt. I. cap. 68. *Cumque dirutis vicis omnibus Aventicum gentis caput peteretur.* Sic ſcribo. nam codices vetuſti, *dirutis omnibus*, non *direptis*. quod proxime praeceſſerat. τὸ *vicis* de meo addendum, quod feſtinans omiſerat librarius. cap. 67. *direptus longa pace in modum mu-*

 nicipii

nicipii exſtructus locus. ubi & *vicus* forte reſtituendus, quod tamen timide adfirmo. *diripere* & *diruere*, de vicis Curtius conjunxit. lib. v. cap. 5. *vici erant in propinquo, quibus direptis ac dirutis.* Sed libri meliores, in quibus Mediceus, cujus mihi copia fuit, tantum *dirutis.* Vita Agricolae cap. 41. *tot militares vici cum tot cohortibus expugnati & capti.* ita recte Gronovius, non *viri*, qui plura illic ad rem. *exſcindere vicos* Ann. III. cap. 20. & Curtius lib. IV. 13. HEINS. Non dubium eſt, *vicos* paſſim ab auctoribus jungi caſtellis, urbibus, &c. ubi de vaſtationibus bellicis agitur, ſed an hinc ſequatur, huic quoque loco obtrudendos eſſe, dubito. cum vulgata ita explicari poſſit, ut poſt cladem obſiſtentium, exciderit agros, exuſſerit aedificia (quod & de urbibus, vicis, caſtellis, &c. generatim dictum debet capi,) occiderit omnes, quos invenit virilis ſexus, & tantum pepercerit feminis, ut ſaepe fieri ſolet in bello. quare nihil muto. neſcio autem an ex his Heinſianis Davieſius petierit emendationem loci Caeſaris de Bell. Civ. III. 13 ubi pro vulgata, *ut vigiliis caſtelliſque bene meritae civitates tutae eſſent praeſidio*, reponit, *ut caſtella, vici, beneque meritae civitates tutae eſſent praeſidio*, licentius recedens a veſtigiis ſcriptorum codicum: ego in vulgata lectione nihil incommodi video, niſi vocem *tutae*, quae ſi cum Faërno & aliis abjiciatur, optimo ſenſu legi poſſet, *ut vigiliis caſtelliſque bene meritae civitati eſſent praeſidio.* & adſcriptam illam puto a Gloſſatore, qui, *ut eſſent praeſidio* explicuit, per *ut eſſent tutae.* vel quia non de una Apollonia agitur, mallem, *ut vigiliis caſtelliſque bene meritae civitates tutae eſſent, ut praeſidio.* Illud *ut* latuit in ultimis literis τοῦ *eſſent.* non ergo praeſidium imponit urbibus, ſed caſtris loco aptiſſimo poſitis aeque tutae erant civitates, ac praeſidio. BURM.

Et ob ea, quae ſi.] *Et ob ea, ob quae*, malebat Thom. Munkerus. HEINSIUS. Nihil opus. Vide ad lib. I. 7. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 75, 403. V. IX. p. 277.

Quae ſi propriis geſſiſſet auſpiciis, &c.] Recte, *non propriis auſpiciis.* Auſpicia enim primitus tamquam Imperatori ſibi reſervabat Auguſtus. Hinc Suetonius in relatione devictarum Auguſto imperante nationum, ait; *domuit partim ductu, partim auſpiciis ſuis.* Ideoque & trium-

triumphus negatus, qui in libera Repub. alienis auſpiciis victori decretus, conceſſa honoris ergo dumtaxat ornamenta triumphalia poſtmodum. Dio libro LIV. *ob haec ſupplicatio Agrippae nomine fuit, neque tamen is triumphum, etſi decretum ſibi, egit; ſicut neque initio quidquam de his rebus geſtis ad Senatum perſcripſit. Cujus exemplum pro lege quadam acceptum poſteriores imitati, ne ipſi quidem Senatum per litteras de re geſta certiorem fecerant, ut neque triumphum duxerunt: ideoque, ut ego cenſeo, nulli etiam alii, qui ejus ſimilis eſſet, triumphus deinde conceſſus eſt, ſed ſolis triumphalibus honoribus ſunt ornati.* Primum auctorem hujus moris hic laudat Agrippam, diſcedente Suetonio cap. 9. qui in Tiberio: *Curru*, ait, *ingreſſus eſt primus, ut quidam putant, triumphalibus ornamentis honoratus, novo, nec antea cuiquam tributo genere honoris.* Inſignia fuerant, corona, patera aurea, ſella curulis, ſcipio eburneus, tunica palmata, toga picta, laurea. quibus doctiſſimus & de antiquis litteris unice promeritus Onuphrius, adpellationem imperatoris adjicit falſo. Refutatur a Tacito lib. III. qui Auguſtum id honoris quibusdam, non omnibus, & Tiberium Blaeſo poſtremum contuliſſe prodit. & a noſtro, infra de Blaeſo: *qui poſt paucos annos procos. in Africa ornamenta triumphalia cum* (vides diſcernere, adpellationem Imper. ab ornamentis tanquam auguſtius quid) *appellatione Imperatoria meruit.* SCHEGK

Quippe Peruſia aede Siciales Delmatae] Vetus lectio eſt corruptiſſima quidem, ſed ex qua tamen vera fortasſis elici poſſit. In poſterioribus editionibus emendatum eſt hoc modo; *quippe Daoriſi & Deſitiates Dalmatae*, &c. quomodo etiam Aldus excudendum curavit, cujus emendationis poſteriorem partem de *Deſitiatibus* probo. Verumtamen cum cuncta Dalmatia in armis tunc fuerit, cur *Deſitiates* tantum commemorat? An quia hi defectionis initium fecerunt? Id quod ex Dione ſuſpicari quis poſſet, qui lib. LV. Batone quodam auctore, quem modo Deſitiatem, modo Dalmatam appellat, paucos primum, dein reliquos Dalmatas arma cepiſſe ſcribit. Ex quibus apparet, Dionem Deſitiates in Dalmatia collocare, quos tamen Strabo lib. VII. inter Pannoniae populos recenſet, eorumque Ducem Batonem fuiſſe etiam refert. An potius, quod cum locorum, quos incolebant,

bant, aſperitatibus, ſaltuumque anguſtiis freti, adhaec ingeniis praeferoces, atque mira pugnandi ſcientia, reliquis Dalmatis vel ſuperatis jam vel deditis, ſoli in armis perſiſtentes, Romanos diu exercuiſſent, hac tandem aeſtate debellati ſunt? Quod vero *Daoriſi*, hic repoſitum eſt, non aeque probo. Sane *Breuci*, quemadmodum legendum exiſtimo, propius ad antiqui libri veſtigia, & ad hiſtoriae veritatem accedit. Nam Dio ibidem tradidit Breucos Pannoniae populos Dalmatis ſe conjunxiſſe, armisque ſubactos fuiſſe, & Sueton. Tiberio 9. *exhinc*, inquit, *Rhaeticum Vindelicumque bellum, inde Pannonicum, inde Germanicum geſſit: Rhaetico atque Vindelico gentes Alpinas, Pannonico Breucos & Dalmatas ſubegit.* PUTEAN. Horum meminit Plinius lib. VI. cap. 22. in deſcriptione Liburniae. *Ceraunii decuriis* XXIV. *Daotizi* XVII. *Deſitiates* CIII. Strabo lib. VII. inter gentes Pannoniae recenſet, ὧν Βάτων ἡγεμὼν ἦν. ex quo emendandus Dio lib. LV. ubi eſt, ἐνάγοντες αὐτοὺς ὅτι μάλιστα, Βάτωνος τινὸς Δυσιδιάτου. ſcribendum, Δαισιδιάτου. POPMA. *Quippe Daoriſi, & Deſitiates Delmatae*, emendarunt, cùm in MS. eſſet: *Peruſia aede ſitiates Delmatae.* Ego ob vicinitatem literarum malim: *Piruſtae ac Deſitiates.* Movet etiam, quod populos hos ſitu locorum ac montium pene inexpugnabiles dicat Vellejus. Nam Piruſtae ſiti ſunt ad extima Dalmatiae juxta Scardum montem, qui magna parte eos ambit. Vide Livium lib. XLV. Strabonem lib. VII. Ptolemaeum, aliosque. Claudius Puteanus conjiciebat, *Breuci & Deſitiates.* Quod rejicere non auſim. Noſtra tamen conjectura nobis magis placet. VOSS. Puteani conjectura: *Breuci & Deſitiates Delmatae*, non Dionis modo auctoritate ſuffulta eſt, ſed praeſertim ex Sueton. Tib. 9. firmari poteſt, ubi Tiberius bello Pannonico *Breucos & Dalmatas* ſubegiſſe dicitur. Facit diligentia Scriptoris & inſtitutum, ut nihil dubitem, inde corrigendum Vellejum; cum praeſertim elementorum ductus minime repugnet. BOECLER. Accedo Voſſio corrigenti, *Peruſtae ac Deſitiates*, niſi ex *Peruſia* mavis facere, *Peruſitas* vel *Peruſitas*, cum Πειρύσαι ſunt Ptolemaeo, ſed Straboni Πειρύσται lib. VIII. Livio lib. XLV. 26. *Piruſtae.* Deinde *Daeſiates Delmatae* ſcribendum. Marmor antiquum Spalatii a Jacobo Sponio deſcriptum, TI. CAESAR. DIVI. AVGVSTI. F. VIAM.

VIAM. A. SALONIS. AD. CASTEL. DAESIATIUM. PER. MILLIA. PASSUUM. CLVI. MUNIT. HEINS.

Situ locorum ac montium, &c.] Forte, *ſitu locorum ac montium ingenio, tum animorum ferocia.* Sic *ingenium loci* apud Naſonem, Papinium in Silvis, Salluſtium, Florum, apud Plinium Nat. Hiſt. lib XIV. cap. 1. *mores coeli ſolique ingenia.* Apud alium Plinium Panegyrico Trajani, *ingenia coenarum.* apud Tacitum quoque *ingenium loci coelique*, *ingenium aulae*, *ingenia noctium*, *ingenio ſuopte humentes campi*, & ſimilia. ſed Livius lib. XXI. cap. 37. *Inde ad planum deſcenſum eſt, etiam locis mollioribus & accolarum ingeniis.* Ubi malim, *ut jam locis mollioribus, ita accolarum ingeniis.* Pomponius Mela lib. 1. cap. 7. *Leptis altera nomine atque ingenio par priori. Ingenia fontium*, eidem libro III. cap. 10. Sed an non ſatis erat *locorum* dixiſſe: *montes* enim locis ac regionibus accenſentur. Quid quod de *anguſtiis ſaltuum* ſubjungit? Fors dederit Vellejus, *ſitu locorum, ac immanium* (vel *immani*) *ingeniorum ferocia.* HEINS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 75.

Penſaret.] Vid. ad lib. II. cap. 12. & 88. BURM.

In multos ac difficiles locos.] *In incultos ac difficiles locos* corrigendum. Sic apud Cretenſem Dictyn libro II. perperam circumfertur, *multa hoſtiliter vaſtat, capit civitates.* cum ſcribendum ſit *culta.* Curtius libro VII. *Tandem ad cultiora loca perventum eſt.* Supra vide cap. 90. Pompon. Mel. lib. 1. cap. 4. de Africa, *verum quod pleraque ejus inculta & arenis ſterilibus obducta, aut ob ſitim coeli terrarumque deſerta ſunt.* lib. III. cap. 7. de India. *ob immanitatem habitantium inculta jacent loca.* Columel. XII. 32. *de locis incultis & macris legito.* Tacitus Ann. XIV. cap. 24. *ventum dehinc in locos cultos, demeſſaeque ſegetes.* contra eidem Ann. I. cap. 17. *uligines paludum & inculta montium.* IV. cap. 46. *qui montium editis inculti agitabant.* Livius lib. XXI. cap. 25. *Silvae tunc circa viam erant, pleriſque incultis.* cap. 54. *Circa paluſtres herbae, quibus inculta ferme veſtiuntur.* Seneca de Ira lib. III. cap. 20. *ſterilis & inculta humanoque ignota veſtigio regio.* idem de Tranquillitate animi: *nunc Campaniam petamus. delicata faſtidio ſunt, inculta videantur: Bruttios & Lucanos ſaltus perſequamur, ali-*

 quid

quid tamen inter deſerta amoeni requiratur, in quo luxurioſi oculi longo locorum horrentium ſquallore releventur: Tarentum petatur. HEINS.

Opera diligenti.] Lipſ. *diligentiaque.* RAPHEL.

Poſthumius.] Puto illum eſſe, quem Sejanus poſt Druſi mortem ad tollendos Germanici liberos delegerat ſocium. Tacitus lib. 4. Annal. SCHEGK. Falſo. Nam *C. Vibius Poſtumus* intelligendus; ut oſtenſum Pighio in Annalibus Romanis. Erratne igitur Vellejus? Neutiquam. Sane ex editione Rhenani, ac Burrerii variis lectionibus, ita hunc locum in MS. expreſſum fuiſſe liquet: *celebri etiam opera diligenti quibus Jul. Poſtumus.* Lego igitur: *celebri etiam opera, diligentique, Vibius Poſtumus.* Quae quin veriſſima lectio ſit, vix ambigo. Mentio hujus Vibii, praeter alios, etiam apud Florum lib. IV. cap. ultimo: ubi perperam viri docti, *Tiberium*, ſubſtituere conantur. VOSS. *Celebri etiam opera diligenti quibus Julius Poſthumus*, in ſcripto. Lege, *celebri etiam opera diligentique Vibius Poſtumus.* Sed occupatum a Voſſio. HEINS. Hic Vibius ſuffectus Conſul cum Atejo Capitone A. U. C. DCCLVIII. fuit, & memoratur in lapide apud Gruter. pag. DCCCXCVII. 9.

Paſſienus.] Hic *L. Paſſienus Rufus* dictus, Conſul A. U. C. DCCXLIX. & in marmore apud Gruter. pag. CVI. 4. memoratus, quem adfert Caſaub. ad Sueton. Aug. 57. Sed perperam Onufrius cum *Criſpo Paſſieno* confudit, ut oſtendit Caſtal. I. *Obſerv.* Decad. IV. 8. & Decad. VI. I. BURM.

Coſſus.] Dictus *Gaetulicus*, Flor. IV. 12. in lapidibus apud Gruter. pag. CVII. I. & 2. dicitur, *Coſſus Cornelius Lentulus* Conſul A. U. C. DCCLII. & in alio lapide apud Pigh. in Ann. ad A. U. C. 650. & Reineſ. X. 4. *Coſſus Cornelius* dicitur. & eodem nomine Conſul DCCLXXVII. & anno ſequenti, *Cn. Cornelius Lentulus Getulicus.* qui forte ejus filii fuerunt, & Anno DCCCXII. *Coſſus Corn. Lentulus Coſſi filius* Gruter. pag. VIII. 5. de quo Lipſius ad Tacit. IV. Ann. 44. BURMAN.

L. Apronius.] Qui Conſul ſuffectus fuit A. U. C. DCCLXI. poſtea A. DCCLXXII. Proconſul Africae. vid. Pigh. memoriam proconſularis imperii in Africa ſervat nummus Druſi Caeſaris, cuſus *permiſſu* L. Apronii Procoſ. III. vid. Vaillant. de numm. Colon. aereis p. 92.

ejus

ejus filius L. Apronius Caeſianus Conſul A. U. C. DCCXCI. Reineſ. Epiſt. LIII. ad Rupert. BURM.

In hoc quoque genere.] *In loco quoque genere.* Ed. Rh.

Nam & Sejanus.] Suppoſitum nomen eſt, & prima editio refert: *nam & etiam antiquiſſimi.* In Sejanum certe haec non conveniunt, qui equeſtri loco, provincias aut exercitus non rexit. Tacitus te docebit lib. IV. Annal. ubi vita & facta viri. Anne, *nam & Junius?* Cauſſa ſuſpicionis ex loco Velleji infra cap. 125. ubi Junium Blaeſum, *in Illyrico celeberrima militia*, fuiſſe ait, *cum imperio in ſumma pace & quiete continuiſſe.* Et interſerit, *ut praediximus.* Ubi autem de Junio aut Illyrico aliquid praedictum, niſi ſi hic? Adde, quod in eum convenit Africae praefectura; cujus hic quoque mentio. Turbat tamen, quod ait eum, *defectum materia adipiſcendi triumphalia*: niſi ſi hoc adſtringis ad Germaniam & Illyricum tantum. Nam ex Africa certe ea rettulit. LIPS. Bene monet Doctor noſter Lipſius Sejano nullum heic eſſe locum. Ipſe probabili conjectura ſubſtituit *Junium Blaeſum.* Sed nimium ab eis characteribus divertit ſcriptura membranarum, in quibus, *nam & etiam vir ant.* itaque conjectare adhuc licet alteri cui; ego laurum non momordi. GRUTERUS. Omnino Sejani nomen hic non congruit; ut recte monet Lipſius. Prima editio refert: *nam & etiam vir antiquiſſimi moris*, &c. Unde idem ille legebat, *nam & Junius, vir*, &c. Sed nimium ab ejus ſcriptura veterem lectionem divertere cenſet Gruterus. Mihi tamen non dubium, quin de Junio Blaeſo hoc ſit accipiendum. Ratio eſt, quod Vellejus infra dicat, Blaeſum *celeberrima in Illyrico militia* fuiſſe, additque, *ut praediximus.* Quod nusquam, niſi hoc loco, tradidit. Quid, ſi igitur, nomine Junii Blaeſi inſerto, reponamus: *nam & Blaeſus etiam, vir antiquiſſimi moris*, &c. VOSS. Licenter hoc loco graſſati ſunt homines eruditi. Certe nec Vellejum nec veteres membranas hic agnoſcimus. In membranis quidem, *nam & etiam vir antiquiſſimi moris.* Tolle τὸ *etiam*, quod interpretamentum eſt τοῦ & proxime praecedentis, ita omnia erunt perſpicua. Numquam de Sejano cogitaverat hic loci Vellejus, cujus bello Delmatico nullam operam fuiſſe ex ſcriptoribus vetuſtis jam eſt in comperto. Sed ad A-

 pro-

pronium haec referenda ſunt. de quo cum proxime egiſſet, perſequitur ejus idem hic laudes noſter continuato orationis filo. Supra cap. 110. *plerisque etiam literarum uſus, & familiaris animorum erat exercitatio.* ubi τὸ & loco τοῦ *etiam*, recte reponimus. & pro *etiam*, cap. 129. *ut ſenator & judex, non ut princeps, & cauſas preſſius audit.* quod minus perceptum magno Lipſio perſuaſit, ut caſtigaret, *etiam cauſas praeſens audit.* Aldus perperam τὸ & delebat, in quo praecipua orationis vis conſiſtit. Pacatus Panegyrici cap. 44. *tui te vindicant & invitum.* mendoſus hoc in loquendi modo Petronius non ſemel cap. 17. *quaenam eſt*, inquit, *haec audacia? aut ubi & fabulas anteceſſura latrocinia didiciſtis?* Ita tranſpoſitis vocabulis ſcribendum. Nunc ſenſu minus commodo circumfertur, *ubi fabulas & anteceſſura.* Qui locus varie ſollicitatur. Livius lib. XXII. cap. 47. *Hinc Romani defuncti nequaquam praelio uno* &c. *& adverſus Afros integram pugnam ineunt.* Sic recte ſcripti, in vulgatis *etiam.* noſter c. 118. *conſilia corrumpat, efficiatque quod miſerrimum eſt, ut, quod accidit, & merito accidiſſe videatur.* ita caſtigandum ſuo loco adſtruemus. lib. I. cap. XI. *& immani etiam Achaeos rebellare incipientes fudit acie.* ubi τὸ *etiam* redundat. Forte, *immani & Achaeos.* cap. 128. *Intereſtque reip. quod uſu neceſſarium, & dignitate eminere.* HEINS. *Et Sejanus*, ab Eraſmo fluxit. An vero haec verba Apronium ſpectent dubito, quia ille triumphalia ornamenta accepit, ob res bene geſtas in Germania, teſte Tacito I. Ann. 72. & in Africa Tacfarinatem vicit. Tacit. III. Ann. 21. non ergo materia defectus fuit. [V. Cuper. Ep. ad Heinſ. T. II. Syll. 439.] Sed relinquamus ulceroſum locum aliis ſanandum. BURM.

Et A. Licinius Nerva Silianus.] Ita etiam hujus nomen in argenteo aereoque denario perſcriptum invenit Urſinus. Liquet igitur, quod ante adoptionem Silius fuerit dictus. Hujus vero filium fuiſſe arbitror P. Silium Nervam, qui anno V. C. DCCXVI. conſulatum geſſit cum C. Julio Attico Veſtino. Quod ex Faſtis Capitolinis, ac Tacito, liquet. Unde emendandus Phlegon Rerum mirabilium cap. 33. ubi vulgo perſcriptum: ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ Αὔλου Δουκιονίου Νερούα Σιλανιανοῦ καὶ Μάρκου Οὐεστίνου Ἀττικοῦ. Legendum autem: Αὔλου Λικιννίου Νερούα Σιλιανοῦ, καὶ Γαίου Οὐεστίνου Ἀττικοῦ. VOSS.

Voss. Vide de hoc Licinio Ryck. ad Tacit. IV. Annal. 68.

Quem virum.] Putem ſcripſiſſe, *quem vivum qui intellexit, ne quidem abunde miraturus eſt*, ut indicet, ne illos quidem, qui eum viventem cognoverunt, abunde eſſe miraturos, cum vulgo aequalibus obtrectare ſoleant homines, ſed laudare, quos ante ſuam aetatem florentes non noverunt. Sic ſupr. cap. 92. §. 2. *Audita viſis laudamus libentius: praeſentia invidia, praeterita veneratione proſequimur.* ubi plura Rupertus. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 76.

Ne nihil optimo civi.] Haec eſt ipſiſſima lectio autographi, ut docemur a Burerio, & ſi quid ego ſentio, multo melior ea, quam ſubſtituit Rhenanus, excluſa negativa *non*. Criticorum cohors heic tacet. at ego puto dicere auctorem, fatorum invidia intercidiſſe Licinio praemia pacis & belli omnia. GRUTERUS. Scribendum, ut fuerat in MS. *ne nihil non optimo civi*, &c. Quod vidit etiam Gruterus. Voss.

Praereptus immature, &c.] Videtur legendum ex antiqua editione: *praeferens immatura, & fructu ampliſſimae principis amicitiae, conſummatione evectae in altiſſimum, paternumque faſtigium imaginis*, &c. Hujus autem Nervae extat argenteus denarius cum inſcriptione, A. LICINIVS. NERVA. III. VIR. & aereus item ita inſcriptus: A. LICINIVS. NERVA. SILIAN. III. VIR. A. A. A. P. F. URSIN. *Praeferens immatura*, princeps editio. non omnino male. quamquam locus videtur interpolatus, cum & hanc & praecedentem proxime claudat periodum τὸ *defectus eſt*. Ceterum τὸ *praeferre*, hic poſitum apparet, ut cap. 118. *ardorem animi vultu oculisque praeferens.* cap. 94. *viſu praetulit principem.* cap. 27. *praeferens vultum victoris magis quam morientis.* apud Tacitum Ann. XIII. cap. 25. *ut ipſe quoque exciperet ictus & ore praeferret.* Qui locus variis conjecturis fruſtra obnoxius fuit, cum minime ſit tentandus, niſi quod *exciperet* ſcripſimus, pro *acciperet*. Curtius lib. VI. cap. 9. *Rex deinde in concionem procedit; vultu praeferens dolorem animi.* & lib. VII. cap. 2. *Vultu laetitiae ſpeciem praeferente, ad eum complectendum cucurrit.* & cap. 4. *Erigyius ſpolia barbaris, ceu opimum belli decus, praeferens occurrit.* Ubi perperam Modius, *prae ſe ferens.*

rens. Seneca Epiſt. 87. *Nondum audeo frugalitatem palam praeferre.* Sic opinor corrigendum, cum in ſcriptis ſit compluribus *proferre.* vulgati *ferre. praeferre*, denuo Seneca apud Tacitum Annal. XIV. cap. 53. *Inter nobiles & longa decora praeferentes novitas mea enituit.* Ann. II. cap. 53. *Excepere Graeci quaeſitiſſimis honoribus, vetera ſuorum facta dictaque praeferentes.* cap. 73. *praetuleritne veneficii ſigna, parum conſtitit.* Ann. IV. ſub finem, *Aviam Octaviam, & per eam Auguſtum avunculum praeferebat.* Igitur *praeferens immatura* dicitur, qui ad maturam aetatem nondum pervenerat. quamquam opinor dediſſe Vellejum, *praeferens jam matura.* quod ad praeclaras animi in illo dotes refer, cum aetatis eſſet immaturae. Appoſite omnino Plinius lib. V. Ep. 9. ut quidem in optimis membranis Mediceis leguntur: nam vulgati codices longe aliter. *Jam quod in flore tantae indolis juvenis exſtinctus eſt, maxima conſecutus. Amabat virtutes ejus, maturitatemque.* & Ep. 15. *ſequebar ut magiſtrum, ut parentem verebar, quod non tam aetatis, quam vitae maturitate merebatur.* Valerius Maximus libro III. cap. 1. de Lepido Aemilio, qui hoſtem adhuc puer interemerat, ac ſervarat in acie civem: *operis tam memorabilis eſt index in Capitolio ſtatua bullata & incincta praetexta ſic poſita. Iniquum enim putavit, honori intempeſtivum videri, qui virtuti maturus fuiſſet.* & Quinctil. lib. VI. Inſt. praefat. de filio, quem decennem amiſerat, *obſervatum fere eſt, celerius accidere feſtinatam maturitatem.* Flor. praefat. *hic jam ipſa imperii juventa, & quaedam quaſi maturitas.* HEINS. Durior locutio *praeferens immatura*, vel *jam matura*, nec ſatis conveniens Siliano, quem jam *ducem* ante appellavit, ideoque jam rebus geſtis clarus habebatur, jamque Conſul A. U. C. DCCLIX. fuerat, & quem biennio fere poſt ex hoc loco defunctum eſſe colligere licet. Quare legendum puto, *praeferens jam majora*, id eſt, *promittens majora*, quam quae ſcilicet antea geſſerat. Et ita cohaerent praecedentia, *ne nihil non*, id eſt, *ne omnia periſſent optimo civi*: manent enim ejus res geſtae, & gloria, licet majora potuiſſet gerere, & conſequi, ſi non mortuus fuiſſet. de verbo *praeferre* vide ſupr. ad cap. 94. pro *defectus eſt*, hic malim *deceptus eſt*, quod eleganter dictum eſt, pro privatus eſt per mortem immaturam. Vide quae nos olim ad Petron.

cap.

cap. cxv. notavimus, & plura mox dabimus ad Ovid. v. Met. 147. Confundi vero haec verba a librariis & alibi deprehendi. Sic apud Ovid. III. Pont. IV. 37. pro vulgata *His ego defectus*, quidam codices habent, *his ego deceptus:* idem eſt vero *deceptus his*, quod *fraudatus*, quo verbo & noſter alibi, & alii ſcriptores in ſimili caſu uti amant. poſſet & legi *dejectus eſt*, per mortem ſcilicet. Burm.

Mentione.] Et heic, quod aliquoties ſupra, *e* pro *i*. Nam vel coeco luceat, *mentioni*, ſermonis ratione poſtulari. Acidal. *Honorum virorum mentione* ſcriptus. an *honorae horum virorum mentioni*? ſimile mendum tollimus quoque ſub finem operis. *honorum*, pro honorifico etiam Tacito uſitatum, ut *oratio honora*, *honora & magnifica funeris pompa*. Apud poëtas frequentius occurrit id vocabulum. Heins. *Mentione*, defendere conatur Pontanus lib. I. Analect. 17. Sed prorſus infeliciter. *mentioni* Edit. Rhen. Erasmi, & optima quaeque. poſſet & legi, *bonorum virorum mentioni*. Burm. V. Graev. Ep. Syll. T. IV. p. 481. Miſ. Obſ. V. IX. p. 175.

Tantum quod.] *Tantum quod*, videtur poſitum pro *tantum non*. quod Graeci dicunt μονονουχί. niſi *tantum non* Vellejus quoque ſcripſit. Ursin. Scribe, *tandem quoque ultimam:* niſi vis, *tantum* pro *tandem* accipere. quod clarius, *quam ſolis radii eſſe olim, cum ſudum eſt, ſolent*, aliquando tibi, ſi Deus volet, faciemus. *Quod* autem inverſa ultima litera, pro *quoque* etiam in Floro exaratum deprehendi. lib. II. cap. 15. *Deploratis noviſſime rebus*, LX. *ſe milla virorum dediderunt, quod minus credas, duce Hasdrubale.* Nam certe elegantius & nervoſius: XL. *ſe millia virorum dediderunt: quoque minus credas, duce Hasd.* Tot, inquit, virorum millia, quod vix credas, & autem, ut minus credas, Hasdrubale duce ſe tradiderunt. Hoc tamen in Floro non eſt forte neceſſarium: illud autem in Vellejo plus quam ſupervacuum. Sero namque agnoſco honeſtiſſimam formulam, *tantum quod*, Ciceroni quoque ipſi familiarem. Abundat *quod*, & ſermoni in ornatum & vehementiam ſupervenit. Atque ait Vellejus: vix Pannonicum Delmaticumque bellum Caeſar finierat, cum ecce ſtatim e Germania funeſtum novae cladis nuntium. Omitte ergo mutare, nec invide Tullianam Vellejo elegantiam. Acidal. Antiqua

par-

particula pro *tantum*. Cicer. in Verrem: *tantum quod hominem non nominat.* ad Att. lib. xv. *tantum quod exiſtimabant orationem ad te eſſe perlatam.* ubi plura notavi in commentario & caſtigationibus. Popma. Nihil hic mutandum eſt. Gloſſae Philoxeni, *tantum quod*, ἀρτίως. Uſus eodem Suetonius aliquoties; imo & Tullius ad Atticum lib. xv. Epiſt. 13. Voss. Nil mutandum. Aſſeruerunt pridem eam loquendi formulam Viri Docti ad Sueton. Aug. 63. *Juliam primum Marcello Octaviae ſororis ſuae filio tantum quod pueritiam egreſſo nuptum dedit.* Neron. 6. *Natus eſt*, xviii. Kal. Jan. *tantum quod exoriente ſole.* Cic. xv. ad Attic. Ep. 13. *Haec cum ſcriberem, tantum quod exiſtimabam ad te orationem eſſe perlatam.* Ad quem locum non debuit Manutius adducere illud in Verrem: *tantum quod hominem non nominat; cauſſam quidem totam perſcribit.* Hic enim aliam ſignificationem atque σύνταξιν habent illae particulae, ut quivis videt. Boecler. Recte adverſus Urſinum aliosque hunc loquendi modum Voſſius aſſeruit. Adde Ciceronem lib. vii. Epiſt. & Suetonii locum non unum. Conſulendus & Gronov. ad Livii lib. xxxiii. 4. & Popma ad lib. xv. Epiſt. Ciceronis ad Att. & ad hunc Velleji locum. Heins.

Cum intra quinque conſummati tanti operis dies funeſtae ex Germania epiſtolae caeſi Vari.] Etiam hic locus foediſſimum in modum eſt luxatus. Nam quomodo Vari epiſtolae jam caeſi? Forte, *cum intra quintum conſummati tanti operis diem funeſtae ecce e Germania epiſtolae de caſu Vari.* ſubaudi, adferuntur. Cicero libro ii. ad Atticum Ep. 9. *Epiſtolam cum a te avide expectarem, ecce tibi nuntius.* Virgilius Aen. libro i. *En Priamus.* lib. iv. *en! dextra fidesque.* Tacitus Ann. xiv. cap. 8. *magis ac magis anxia Agrippina, quod nemo a filio, ac ne Agerinus quidem.* Scilicet, veniret. Plinius lib. i. Ep. 5. *Evigilaveram. nuntius a Spurinna. Venio ad te.* Scil. adeſt. Adi Gronovium ad Livium libro xxxvii. cap. 10. & libro xli. cap. 3. & Voſſium operis Grammatici libro ultimo, qui eſt de conſtructione cap. xix. Infinitis exemplis hanc conjecturam poſſim adſtruere. ſed cur in re protrita ſimus operoſi? Poteſt & omitti τὸ *ecce.* Heins. Potuit excidiſſe vox *nuntiae*, ut legendum eſſet, *& ſex cohortium nuntiae.* Sed forte nihil deeſt. & *Epiſtolae caeſi Vari*, dictae pro *de caeſo Varo.* Ellipſeos vero iſtius multa

ta in Ciceronis Epiſtolis exempla. Sic. VII. Att. 24. *Ecce poſtridie Caſſii literae Capua.* Ubi literas Caſſii ad Caſſium ſcriptas interpretantur. Neſcio an recte. Poſſet etiam in vocibus, *velut in* latere verbum *venerunt*, ut legatur, *funeſtae ex Germania epiſtolae, caeſi Vari*, &c. *venerunt. Hoc ſaltem*, &c. *Venire* autem proprie de epiſtola dici vidimus ad Ovid. Epiſt. XV. 4. BURM. Propert. III. XIV. 1. ubi vid. Paſſerat. In Cicerone II. ad Attic. 8. paulo poſt *nulla epiſtola venerat*. ubi Malaſp. *venerat* deeſſe in MSS. notat. IDEM *in marg.* V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 76. 77. 403. 404. V. IX. p. 278, 279.

Saltem tantummodo.] Locus defectus, & cui facilius mentem, quam verba des. parum confert Delbenius. Et quid ſibi illud *ſaltem*, (fortaſſe, *ſalutem*) niſi tu *tantum modo*? SCHEGK. Profecto, vel vocabulum *ſaltem*, vel proximum *tantummodo*, procreatum eſt in cubilibus librariorum. GRUTER. Legendum *ſalutem*, vel ſunt duo adverbia conjunctim poſita, e quibus alterum eſt parelcon, ut *rurſum denuo, repente ſubito, nunc jam, olim quondam*, & alia multa notata libro ſecundo, capite decimo de uſu antiquae locutionis. POPMA. *Saltem tantummodo ταυτολόγον.* Scribebam, *ſalutem tantummodo indulgente.* quod & Schegkio & poſt Schegkium Popmae in mentem veniſſe, ſed quaſi per nebulam, ſerus agnovi: cum dubitare haudquaquam neuter debuerint. Nec tamen inconcinne Johannes Ortuinius Vir Doctiſſimus, *τὸ tantummodo* e gloſſa *τοῦ ſaltem* enatum rebatur, ſcribebatque, *velut hoc ſaltem indulgente nobis fortuna. Ne occupato duce*, ſubintellige, id geſtum eſſet. abruptum dicendi genus, quale & illud paulo ante, *ecce epiſtola. Ne occupato duce ſaeviret*, Lipſius. Nihil opinor deeſſe huic loco. ſed pendent iſta a ſuperioribus. ſic ſub finem operis: *primum, ut ſcelerata Druſus Libo iniret conſilia: deinde ut Silius Piſoque.* HEINS. Tuetur *ſaltem* J. Vorſtius de Latin. merit. ſuſp. cap. 18. HUDSON.

Et cauſa.] Petrus Delbenius legendum putat: *ſed cauſſa perſonae moram exigit.* Ait enim, indulſiſſe in hoc fortunam Romanis, quod hoc bellum non accidit occupato duce, ſc. Caeſare, quem proxime dixit impoſuiſſe ultimam manum Dalmatico bello. Deinde, quia de Varo mentionem fecerat, ait, Cauſſam perſonae moram exigere, ideoque digreditur in Vari moribus deſcribendis

dis more ſuo. Manut. Mutilum eſt. Videtur fuiſſe: *ne occupato duce ſaeviret. Sed cauſſa & perſona moram exigit.* Lipsius. *Ne occupato duce. Et cauſa perſona moram exigit.* Ablativo caſu. Sic diſtinxi, ſuaſu manuſcripti codicis, aut editionis Rhenani: non quod ſatisfaciat, ſed ut exoriatur ſententia tolerabilis; ut velit auctor, bene cecidiſſe, quod non fuerit Tiberius occupatus tunc temporis alio aliquo bello, cum Varus periret cum ſuis: quo vacare ſtatim poſſet & ultioni & decoro populi Romani, quae perſequitur capite 120. Gruter. Mancum & mutilum locum inter omnes conſtat. *Ducem* tamen, non *duce* agnoſcit editio princeps. Senſum Velleji hujusmodi fuiſſe arbitror: *ne occupato duce in debellandis Pannoniis, victores Germani iis ſe conjungerent. Sed cauſſa, & perſona, moram exigit.* Lipſius aliter locum hunc ſupplebat: Nos Suetonium ſecuti ſumus: hujus haec verba in Tiberio: *ſub id fere tempus Quinctilius Varus, cum tribus legionibus in Germania periit: nemine dubitante, quin victores Germani juncturi ſe Pannoniis fuerint, niſi debellatum prius Illyricum eſſet.* Voss. Hoc loco primum animadvertit Gruterus, *ſaltem tantummodo* ſuperflue dici, alterumque irrepſiſſe praeter Auctoris mentem: deinde, lacunam alii aliter explent; Lipſius ita: *ne occupato duce ſaeviret. ſed cauſſa & perſona moram exigit.* Non firmaverim ita ſcripſiſſe Vellejum (nam quis ipſa verba reponat?) ſed ita ſenſiſſe nullus dubito. Scilicet id voluit dicere: *in tanta calamitate illud tamen pro beneficio fortunae agnoſcendum, quod haec clades non acciderit occupato diſtrictoque alibi duce Tiberio: futurum enim fuiſſe, ut hoſtis uteretur victoria, armaque latius proferret, niſi ſtatim obviam itum foret. Operae pretium autem eſſe, ut & Vari ingenium, mores, conſilia, & clades ipſa, ſummatim quidem, ſed tamen cum quadam mora, in hoc tranſcurſu, memorentur.* Boecler. Prima editio, *occupato ducem & cauſa perſona.* Poſſis, *occupato id duce ſit auſa. Res & perſona moram exigit.* cap. 86. *Suo praeteritum loco referatur: neque enim perſona umbram actae rei capit.* ubi videantur quaeſo, quae annotamus. Poſſis quoque *rei cauſa perſona moram exigit.* & id vere, ut opinor. *Perſona & res* pari modo junguntur apud Senecam de Beneficiis lib. III. cap. 28. *Quare potius perſona rem minuat, quam perſonam res ipſa cohoneſtet?* Heins. Locus male adfectus,

qui

qui dum felicius ſanetur, interim nobis Lipſii correctio prae aliis placeat, ut tamen legatur, *hoc ſaltem indulgente fortuna ne occupato duce. Sed cauſſa & perſona moram exigit.* Lipſium defendit contra Voſſium hic Rupertus. BURM.

Varus Quinctilius.] Illud notare lubet, quantus error commiſſus ſit in praeficiendo Germaniae tali viro, qui nec virtute militari bellicoſae genti metuendus, & ſuperbia, crudelitate, avaritia, libertati hominum generoſorum intolerandus eſſet. Crebra & ſingularis ea magnorum imperiorum infelicitas eſt, quod in adminiſtrationem locorum gentiumque cordatiorum obrepunt *Lollii* & *Vari*, quorum vecordia rebellioni & rebus novis cauſſam praebet. Quam requirenti alicui vere reſpon- deri poſſet, quod *Bato* ille bis Tiberio reſpondit apud Dionem LV. & LVI. ὑμεῖς τούτων αἴτιοι ἐστέ. ἐπὶ γὰρ τὰς ἀγέλας ὑμῶν Φύλακας, οὐ κύνας, οὐδὲ νομέας, ἀλλὰ λύκους πέμπετε. *Vos Romani cauſſam rebellandi eo praebuiſtis, quod ad cuſtodiendos greges veſtros non canes, non paſtores, ſed lupos mittitis.* BOECLER.

Vir ingenio mitis, moribus quietus, ut corpore, & animo immobilior.] Amiciſſimus noſter, quem jam aliquoties dico, Bucretius legit: *& corpore & animo*: vel, *ut corpore, ita animo immobilior.* ACIDAL. Lipſ. *& corpore & animo.* RAPH. Poteſt aliquis ſenſus exiſtere ex his verbis, ſed mihi ſuſpectus eſt locus, nec ſatisfacit emendatio aliorum, *& corpore & animo*: vel, *ut corpore, ita animo.* BOECLER. Ni fallor, *ut corpore, ita animo.* quomodo & Acidalius voluit. ut & hic abrupto dicendi genere Vellejus uſus ſit. Plena forte oratio, *ut corpore immobilis, ita animo immobilior.* Ni maluimus, τὸ *ita* vel *ſic* ſubintelligi. poteſt & τὸ *&* ſumi pro *etiam*, ut alibi apud noſtrum non ſemel. HEINS. Ego quid *immobilis* aut *corpore*, aut *animo* notet neſcio, niſi qui aut loco aut mente non movetur; quod hic velle noſtrum non puto. Sed forte ſcripſerit: *At corpore & animo imbecillior*: vel, *ut corpore, ita animo imbecillior.* in hanc ſententiam Ovid. Epiſt. XVIII. 7. *Ut corpus, teneris ita mens infirma puellis.* & contra cap. 127. de Sejano, *ſufficiente vigori animi compage corporis.* Sic ſupr. cap. 102. *ut corpus minus habile, ita animum minus utilem reip. habere coepit.* Ubi plura habet Rupertus. poſſet etiam legi, *ut corpore, ita*

& animo mollior, ut illud *im* ex ultimis literis τοῦ *animo* ſit repetitum. *mobilis* autem & *mollis* confunduntur etiam apud Petron. cxxvi. & Ovid. i. art. 10. ubi vide. *Mollities* autem eſt, & corporis & animi. ita Juſtin. i. 3. *mollities corporis*. & Terent. Eun. 2. 1. *mollities animi*, & ita Cicero & alii paſſim. Vid. ad Cicer. pro Sulla. 6. Burm. V. Miſc. Obſ. V. viii. p. 77. 405. V. ix. p. 175.

Pro tribunali.] Duas iſtas voces conjungendas exiſtimat Lipſius, ut fuerit, *protribunali ord.* Raphel. *Protribunali ordine*, ni fallor. ordinem tribunalis obſervabat in caſtris parum tempeſtive Varus juri dicundo. Heins. Nihil muto, *ordine agere*, *facere*, & ſimilia, obvia & vulgaria ſunt. Et ita, qui pro tribunali ſedebat, ordine agendo, (non ut in turbis militaribus, ubi omnia raptim & ſaepe tumultuarie aguntur) trahebat aeſtiva. ſi quid mutandum, malim, *agendoque pro tribunali omnia ordine.* Sed vix opus eſſe puto. Burm.

At illi, &c. *in ſumma feritate verſutiſſimi.*] Lipſius: *vix credat.* Ceterum cladem Varianam ejusque cauſſas nemo accuratius deſcripſit Vellejo ac Dione lib. lvi. adde Flor. iv. 12, 3. & ſeq. Tac. i. A. 61. & de morib. Germ. 37. 7. in magnificentiſſimo illo Germanae virtutis elogio, Strabo vii. non longe a principio. Sueton. Aug. 23. Cluver. Germ. antiq. iii. 19. ubi praeſertim de loco cladis multa. Boecler.

Vix credebat.] Facito, *credat.* Lips. *Vix credat*, vel potius, *credas* malim, ut de quolibet experto, non de Varo uno dicatur. Plin. v. Ep. 8. *id enim temere credas, niſi expertus.* ubi ſcribe, *id enim haud temere credas*, de quo ad ipſum Plinium. Heins. Ovid. Ep. iv. 37. *Jam quoque (vix credas) ignotas nitor in artes.* Vid. ad Ovid. iii. Amor. ii. 28. Burm.

Natumque mendacio genus.] Deteſtare peſſimi adfectus mancipium. Schegk. Hoc quidem aperte falſum eſt: ſed intolerantes ſaevitiae ac tyrannidis, amantesque libertatis fuiſſe adverſum praedones gentium, id longe eſt veriſſimum. Boecler.

Procaces.] Vetus editio, *procataes*, puto legendum, *procantes*, de qua voce Feſtus & Nonius. Putean. Vetus editio, *provocare.* Raphel. Hoc ego in nulla inveni. Sed *injuriis provocare*, ſaepe Cicero dixit.

In-

Injuria.] Lipſius, *injuriis.* RAPHEL. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 176.

Diſcerni.] *Decerni* legit Gronov. III. Obſ. 13. HUDSON. Saepius etiam ad Livium hoc verbum illuſtravit Gronov. vide ad Libr. XXVII. 20. XXVIII. 14. & alibi. BURM.

Ut ſe praetorem urbanum, &c.] Florus lib. IV. cap. ultimo, *Auſus ille agere conventum*, *& in caſtris ſe direxerat*, *quaſi violentiam Barbarorum*, *& lictoris virgis*, *& praeconis voce*, *poſſet inhibere.* Ita ex omnibus MSS. & principe editione legendum. Senſus eſt, ita direxiſſe Varum actiones ſuas, quaſi callidiſſimi hoſtes jure poſſent mulceri. Perperam hactenus omnes eruditi e conjectura edidere, *jus dicebat*, pro, *ſe direxerat.* VOSS.

Ultra barbarum.] Lipſius praepoſita vocula legit, *& ultra barb.* RAPH.

Arminius.] Verum Germaniae decus, Tacitus lib. II. Annal. *Arminius abſcedentibus Romanis*, *& pulſo Maroboduo*, *regnum adfectans*, *libertatem popularium adverſam habuit*, *petitusque armis cum varia fortuna certaret*, *dolo propinquorum cecidit*, *liberator haud dubie Germaniae*, *& qui non primordia populi Romani*, *ſicut alii reges ducesve*, *ſed florentiſſimum imperium laceſſierit*: *proeliis ambiguus*, *bello non victus*; *ſeptem & triginta annos vitae* (ergo patravit hoc anno aetatis vigeſimo ſexto) *duodecim potentiae explevit*: *caniturque adhuc barbaras apud gentes*, *Graecorum annalibus ignotus*, *qui ſua tantum mirantur*: *Romanis haut perinde celebris*, *dum vetera extollimus*, *recentium incurioſi.* SCHEGK.

Sigimeri.] Videtur hoc nomen deduci a *ſige* ſive *ſege*, quod veteribus Germanis victoriam denotat, & *meri* quod equum ſignificat. unde & equam, *een merry* adhuc appellamus. a priore voce *ſege* & *ſige*, multa nomina Germanica originem accepere. Ita *Segebertus*, *Segefridus*, *Segemundus*, *Segericus*, *Segeſtes*, *Sigoveſus* inde appellantur. A *mer*, ſive *mar*, *Marcomerus*, *Maroboduus*, *Mareſchallus*, id eſt, praefectus Equitum, *Virdomarus.* Occurrit quoque *Marach* vocabulum pro equo in legibus Alemannorum tit. 70. & 71. THYSIUS.

Et jam civitatis Romae jus.] Scribe cum Lipſio, *etiam civ.* RAPH. Turbat hic editio princeps, *prioris comes*, *jure etiam civitatis Romae jus equeſtris conſequens gradus.* Forte, *cum jure etiam civitatis Romanae* (vel *Romae*)

jus equeſtris conſecutus gradus. Tacitus de Julio Floro & Julio Sacroviro Ann. III. cap. 40. *Nobilitas ambobus, & majorum benefacta; eoque Romana civitas olim data, cum id rarum, nec niſi virtuti pretium eſſet.* HEINSIUS. Vulgata lectio videtur ab Eraſmo fluxiſſe. ex veſtigiis primae editionis forte ſcribendum, *jure etiam civitatis Romanae decus equeſtris conſecutus gradus.* BURM.

Neminem celerius opprimi.] Eximia ſuper hoc argumento loca, atque cum grandibus exemplis conjuncta notavit Lipſius v. Polit. 16. 23. & ſeqq. ubi etiam haec Noſtri Auctoris ſententia. BOECLER.

Opprimi poſſe Romanos & dicit & perſuadet.] *Et docet & perſuadet*, ni fallor, Vellejus dederat. *docere* pro *monere* hiſtoricis familiare. Sic apud Curtium libro v. cap. 1. *At ille docere pergit, non ſpecioſa dictu, ſed uſu neceſſaria in rebus adverſis ſequenda eſſe.* HEINS.

Segeſten.] Segeſtes, ut ante memoravimus, a *ſege*, ſive victoria nomen accepit. THYSIUS.

*Indicatur * poſtulabat etiam fata.*] Negat editio vetus. haec germana illa eſt: *indicatur, poſtulabat etiam fata.* An tale aliquid fuit? *indicatur, qui vinciri poſtulabat etiam.* Nam apud Tacitum Segeſtes ipſe ita narrat: *Dilatus ſegnitia ducis, ut me & Arminium & conſcios vinciret, flagitavi.* An potius ſic? *indicatur. Obſtabant ſed jam fata.* Nam haec talia ſaepe per *p* litteram ſcribebant aut ſculpebant (lapides docent) *Opſtare, Opſides, Opſitae:* atque hinc librarii error. LIPS. In editione principe ita legitur: *poſtulabant etiam fata conſiliis, omnemque animi ejus aciem praeſtruxerat.* Lego: *praevalebant at jam fata conſiliis, omnemque animi ejus aciem praeſtrinxerant.* Dubito tamen, an non *praeſtruxerant*, quod idem eſt, ac *obſtruxerant*, ſcriptum fuerit Vellejo. Quomodo Julius Celſus: *perituris oculos obſtruit fortuna.* Sic legendum, non *oculis*. Sane vix eſt, ut aliter exiſtimem. VOSS. Legebatur: *poſtulabat etiam fata conſiliis, omnemque animi ejus aciem praeſtruxerat.* Unde legerim: *praevalebat ſed jam fatum conſiliis, omnemque animi ejus aciem praeſtruxerat.* quanquam illo poſitu particula *ſed*, etiam a Lipſio ita collocata in emend. hujus loci, non ſatis placet. BOECLER. *Poſtulabat etiam fata conſiliis*, prima editio. Scribe, *obſtabant ſed jam fata conſiliis.* Apud Poëtas paſſim, *fata obſtant.* Sed vidit vir ſummus Juſtus Lipſius. HEINS.

Heins. Propius ad veſtigia veteris ſcripturae poſſet legi, *reluctabantur jam fata conſiliis.* ita poſtea cap. 123. *cum omnem curam fata vincerent.* Burm. V. Heinſ. Ep. Syll. T. iv. p. 373. Miſc. Obſ. V. ix. p. 176.

Praeſtinxerant.] Sic recte hoc ſcribitur, a *praeſtinguo.* Et male idem verbi aliter alii legunt Plauti Milite: *oculorum praeſtinguat aciem in acie hoſtibus.* Adeoque Ciceronis Philipp. xii. *Praeſtinxerat aciem animi D. Bruti ſalus.* Sed hujus quidem plurimis locis idem error: etiam Auſonii aliquantis, in cujus de nobilibus Urbibus primo carmine exploratiſſimum eſt mihi aliter ſcribi non debere, quam: —— *Fuit haec, ſubit iſta: noviſque Excellens meritis veterem praeſtinguit honorem.* Et quoque Paulini longa illa epiſt. ad Auſon. innumeriſque omnium ferme ſcriptorum locis; quae cuivis ubivis de ſententiae ratione corrigere facillimum. Acid. Vide de hoc verbo Taubm. ad Plaut. Milit. 1. 1. 4. & Drakenb. ad Sil. Ital. 1. 358.

Plerumque qui fortunam mutaturus eſt, conſilia corrumpat.] Altae ſapientiae gnome. quam ſic conceperis ex editione veteri: *ut plerumque fortunam mutaturus Deus conſilia corrumpat.* Nam in ea τὸ *eſt*, nullum eſt: ejusque loco, *Deus.* Hac cauſa etiam illud *qui* delendum cenſui, natum ex repetitione. Lips. Ex antiquae lectionis veſtigiis videtur ſcribendum: *quippe ita ſe res habet, ut plerumque fortunam mutaturus Deus conſilia corrumpat.* Ursin. In exemplari ſcripto legebatur id, quod retinet editio Rhenani, *mutaturus Deus conſilia corrumpat.* Ut forte excluſo adhuc *qui* conceperit auctor, *ut plerumque fortunam mutaturis Deus, conſilia corrumpat.* Gruter. In autographo, pro *eſt*, erat *Deus.* Rectiſſime. Pro *qui* tamen reponendum, *cui.* Non enim aſſentio Urſino, Lipſioque, qui vocem eam inducendam cenſebant. Supra cap. 57. eandem gnomen habuimus, aliis tamen verbis: *ſed profecto ineluctabilis fatorum vis cujusque fortunam mutare conſtituit, conſilia corrumpit.* Itaque de emendatione noſtra vix dubitandum cenſeo. Voss. V. Miſc. Obſ. V. ix. p. 176.

Conſilia corrumpat.] Supra quoque in eam ſententiam eleganter, iisdem ferme verbis, ſed brevius: *Sed profecto ineluctabilis fatorum vis, cujuscumque fortunam mutare conſtituit, conſilia corrumpit.* Acidal.

 Ut

Ut quod accidit, id etiam merito accidiſſe videatur, & caſus in culpam tranſeat.] Lubrica eſt & caligat tua Philoſophia, *Patercule*: omniumque eorum, qui tua haec tam avide arripiunt, & pro oraculo exoſculantur. Aperiant enim tandem oculos, vel ad hujus exempli lucem, qui tam craſſe de fatali neceſſitate ſentiunt loquunturque. *Acciditne tum merito Varo, quod accidit?* Nonne ſecuritas inexcuſabilis virum praecipitem dedit? Congruebat ſane juſtitiae fati, ut pateretur vecordiam hujus hominis vindicari: ſed vindictam non intulit vis major fati, aut praeſentioris potentiae fatalis ultio: ſinebatur interire, ſed ſuamet ſecuritate ignaviaque. Nonne cavere, nonne & antea ſe aliter gerere, & cum moneretur, expergiſci potuit? ſi hoc non poſſunt homines, jam non ſunt homines. Et cur haec talia traduntur civilis diſciplinae cauſſa? Cur Hiſtorici paſſim admonent, ſecuritate peccatum eſſe ab hoc & iſto? cur increpant ſecuritatem? cur exempla cautionis inde peti jubent? ſi a caſu inevitabili ſunt illa omnia, longe aliter philoſophandum erat. Vide quae Vellejus rurſum de Varo II. 120, 5. Non omittendum duxi, quin rurſus monerem, vitandos in hoc argumento & *errores vulgaris ſermonis*, & *colores diſertae ſcriptionis*, quae ſaepe ita tegit hominum popularium aut amicorum flagitia, ſaepe tragicae gravitati his ſententiis locum quaerit. adde quae ſupra notavimus ad II. 57, 3. Non diſſimulamus interim, *poſſe horum multa ad ſaniorem ſententiam commoda interpretatione & cautione redigi:* ſed quid opus eſt illorum dicta melius interpretari, quos pejus ſenſiſſe non ignoramus? BOECLER.

Etiam merito.] Sic refinxerunt, cum in membranis eſſet & *etiam.* Redde Vellejanam ſibi manum, deleto τῷ *etiam. ut, quod accidit, & merito accidiſſe videatur.* diximus paullo ante. HEINS. Puto tranſpoſitam particulam & fuiſſe, & legendum, *ut quod accidit, etiam ex merito accidiſſe videatur:* ut mox, *ex merito aeſtimare:* & ſic Ovid. Epiſt. v. 7. *Leniter, ex merito quidquid patiare, ferendum eſt.* Ubi plura. Ut vero *ex merito accidere*, ita *ex caſu accidere*, dixit Quinctil. II. Inſt. Orat. 17. ſuſpicer vero & hic, ut ſaepe alibi, vocem excidiſſe, & legendum, *ut quod forte accidit, etiam ex merito accidiſſe videatur*, niſi ſimpliciter *accidere*, ut centies, pro forte, caſu accidere, quis poſitum velit. venuſtas vero in repe-

titione

titione verbi *accidere* eſt; cui ſimilem in Caeſare ad lib. VIII. de Bell. Gal. 3. obſervavit D. Voſſius. BURMAN.

Negat itaque ſe credere ſ. i. ſ. benevolentia.] *Negat itaque ei credere, ſpemque ſe benevolentiae ex merito aeſtimare profitetur*, puto. ut τὸ *in* ſuperfluum, quomodo ſaepe alias, hinc etiam jubeatur faceſſere. HEINS. Forte, *ſpeciemque in ſe benevolentiae e. m. ae. profitetur*. Segeſtis rem ad ſe deferentis voluntatem, ut ſpeciem benevolentiae ſe aeſtimare profitetur. male haec verba Germanos reſpicere credidere interpretes. confudiſſe vero *ſpem* & *ſpeciem* pluribus locis veterum docebunt notae doctorum virorum ad Cicer. VI. ad fam. 19. & Liv. XL. 5. Et Daviſ. ad Hirtii l. VIII. de Bel. Gal. 49. Sic & forte apud Plin. lib. XXXIII. 6. reſcribendum, ubi de argento, *nonniſi in puteis naſcitur, nullaque ſui ſpecie naſcitur, nullis, ut in auro, lucentibus ſcintillis.* nunc *ſui ſpe* circumfertur. Sic apud eumdem lib. XXXVII. 6. pro *ſpe purpurae*, alii codices habent *ſpecie*. Sed nulla ſui *ſpecie*, eſt indicio, unde conſpici & conjici poſſit, latere metalla argenti; & ita apud eumdem lib. XXXVI. 6. *nec ſine quadam ſpecie purpurae candore in minium tranſeunte*. ubi multae editiones etiam *ſpe*, ſed *ſpecie* eſt in editione Parmenſi. BURMAN.

Juſtis voluminibus.] Amplius volumen de rebus Romanis Vellejus ſcripturus erat. Supra cap. 99. *Quis fuerit eo tempore Civitatis habitus, juſto ſervemus operi.* & poſt 103. *Laetitiam illius diei concurſumque civitatis vix in illo juſto opere abunde perſequi poterimus.* PUTEAN.

Nunc ſumma deflenda eſt.] De clade Germaniae a. d. 4. Non. Quinctileis vide Sueton. Tacit. I. & II. Dionem, Strabonem lib. VII. Florum lib. IV. Oroſ. lib. VI. Eſt & eximius locus apud Senecam Epiſt. 46. *Variana clades quam multos ſplendidiſſime natos, Senatorium per militiam auſpicantes gradum, fortuna depreſſit? alium ex iis paſtorem, alium canis, alium caſae cuſtodem fecit.* Scio hic libros omneis (excipio editionem nondum viſam mihi) vulgatos vulgare, *Mariana clade*. Verum noſtram ſcripturam prodit manuſcriptus codex, qui publice in Bibliotheca Bibraci, oppidi Imperialis liberi adſervatur; cujus copiam mihi jam nuper fecit lectiſſimus, & has litteras doctus juvenis, Matthaeus Klock Bibracanus. SCHEGK. Quid *deflendi* verbum heic faciat, me doceri li-

libenter velim. De calamitate locutum, ipſe ſcio: ſed quid argumenti illud iſti verbo? Praeterea quid in ſequentibus deflet? Narrat ſaltem caſum, miſerandum illum quidem & deflendum, Vari Quinctilii & exercitus, idque ſine ullis naeniis. Sed nae ego naenias & mortualia loquor, qui pugno adverſus haec frigida tam calide. Lego: *Nunc ſumma deicenda eſt.* Summa enim hic ſe complexurum ait, ordinem omnem calamitatis, alias alibi juſtis voluminibus expoſiturum. Subvenit etiam aliquando, *ſequenda*, ſcribere. quomodo Aeneas Virgilianus de ſua narratione: *Sed ſumma ſequar faſtigia rerum.* Ubi, ſi argutari lubeat, & conſequenter heic, idem *ſequi* ſit, quod *dicere.* Antiquis enim, quorum inſigniores gemmas ex obſoletiore penu dilectas amat ſuis Maro verſibus inſerere, *ſeco, ſecor, inſecor, exſequor*, aliaque inde procuſa, ſignificant, *enarro, ediſſero.* Exemplorum nobis theſaurus eſt, ſed eum hic effundere nulli bono. Livium Andronicum, Ennium, alios qui noſſe voluit, potuit ipſe aliqua ab iis horum ſimiliumque copia inſtructior abire. Plautum etiam qui a limine ſalutavit, prima fabula invenerit: *Jam illud non placet principium de oſculo: perge exſequi.* Quod jam multos annos factum eſt, cum eruditiſſimus Muretus in hanc mentem interpretatus eſt. Ego autem ne de meo nihil addam, ſic aio capiendum illud Accii Atreo. *Ego incipio: conata exſequar.* Nam verba ſunt narrare ordientis ordinem flagitii ſive ſceleris Atrei. Exemplum hoc, niſi memoria deficior, apud Nonium eſt, in *Conata.* Neque enim nunc aut Nonium, aut ullum alium ex illo genere ſcriptorem ad manus habeo. Sed Vellejani loci nunc incidit etiam alia lectio: *deplenda*, ut dicat: Nunc ſumma exhaurienda eſt, quae reſtat. Idque ut fatear, blanditur mihi omnium maxime, cum & ſit ad vulgati ſcripturam proxime. Acidal. Mihi vix ulla trium harum conjecturarum ſatisfacit. Scribo itaque vix litera mutante: *Nunc ſumma deferenda eſt*: nam id verbi capi, pro rem quampiam ordine, & quaſi apud patronum exponere, quis non novit? Hic autem tale quid requiri docent ſtatim vel exordii loco illa. *His auditis revolat ad patrem Caeſar: perpetuus patronus R. Imperii, aſſuetam ſibi cauſſam ſuſcipit.* Pontan. lib. 1. Analect. 17. Sunt qui ſe doceri velint, quid heic faciat *deflendi* verbum, interim

tamen,

tamen, ſubſtituunt alias voces, minus aptas. namque auctor idem fere vult, quod ſupra capite 67. *Hujus totius temporis fortunam ne deflere quidem quisquam ſatis digne potuit: adeo nemo exprimere verbis poteſt.* & vero nonne diu diuque hanc cladem deflevit Auguſtus? de quo refert Suetonius cap. 23. *Adeo namque conſternatum ferunt, ut per continuos menſes barba capilloque ſubmiſſo, caput interdum foribus illideret, vociferans: Quintili Vare, redde legiones: diemque cladis quotannis moeſtum habuerit ac lugubrem.* GRUTERUS. Nihil infelicius, me judice, tentatum a viris doctis: nam quae tanta unius literae ſuperſtitio, ut ſi *deferenda* ſit legendum, non potius legatur *referenda*; nam *ſummam deferre*, faceret ambiguam ſententiam, quaſi non clientis ſed principis eſſet, qui ſummum imperium deferret duci. vid. l. 11. 54. Praeterea *ſummam deferre* pro exponere breviter, ego vellem auctoritate probatum videre, umquam poſſe dici, niſi forte de delatore. ſi quis mallet, *delibanda eſt*, me non haberet adverſantem; ſed retineamus cum Grutero *deflenda eſt*, id eſt, cum fletu commemoranda. BURM.

Cum ne pugnandi quidem egregie occaſio, in quantum voluerant, data eſſet miſeris.] Mihi vix dubium eſt, quin illa, *in quantum voluerant*, creverint in hortis ſcribarum. GRUTER. Lectio haec crevit in hortis correctorum. Et tamen nec tolerabilem ſenſum eruere quiti ſunt. Quid enim ſibi volunt illa verba, *in quantum voluerant?* Sane non eſt dubium, quin ea ſint e gloſſemate loci, qui poſt ſequitur: ubi legitur, *in quantum voluerit*. Sed proponenda eſt MS. lectio, quae hujusmodi fuit; *cum ne pugnandi quidem egre diem aut occaſionis in quantum voluerant data eſſet immunis.* Viderint alii, an non legendum ſit: *cum ne pugnandi quidem, egrediendive, occaſio iis data eſſet immunis.* Voss. Ex Bureri v. Lect. conſtat, ita fuiſſe in exemplari: *cum ne pugnandi quidem egrediem aut occaſionis inquantum voluerant data eſſet immunis.* Unde Voſſius ita emendat: *cum ne pugnandi quidem, egrediendive, occaſio iis data eſſet immunis.* Non diſplicet. ſed quod cum Grutero delet illa; *in quantum voluerant*, non approbaverim. Neque enim ſtatim licet recidere, quae ſententiae noſtrae obſtare videntur, & ſcripſiſſe ita Velleium, ex eo maxime ſit veriſimile, quod

mox ſequitur. *Caſtigatos eſſe quosdam gravi poena, quia Romanis & armis & animis uſi fuiſſent.* Q. d. voluiſſe quidem Romanos milites ſuam neceſſitudinem fortiter ferre, acriterque pugnando dare operam, ne ignavi aut penitus inulti perirent: ſed coërcitam eſſe generoſam voluntatem ſegnitie & imperio ducis &c. BOECLER. Audiamus veterem primae editionis ſcripturam: *cum ne pugnandi quidem egregie aut occaſionis in quantum voluerant data eſſe immunis.* At Burerius in vetuſto codice *egredit* pro *egregie* exarari monet: tum in eodem *quantum* pro *in quantum*, *inimicis* pro *immunis* exſtare. Refingo, *cum ne pugnandi quidem aut regrediendi occaſionis quantum voluerant, adeſſet ab inimicis.* vel *datum eſſet, adeſſe*, ut cap. 61. *vis ad reſiſtendum nulli aderat.* *regredi* pro *evadere* paſſim apud Hiſtoricos. HEINS. Non ſatisfaciunt correctorum conatus. *Miſeris* ab Eraſmo ſuppoſitum τῷ *immunis.* quid vero notet *occaſio immunis*, doceri vellem. forte ex veſtigiis corruptiſſimae lectionis formari poſſet, *cum ne repugnandi quidem, congrediendive occaſio, in quantum voluerant, data eſſet cominus.* haec ſaltem mollius procedunt, quam adhuc excogitata, licet veram eſſe lectionem, praeſtare non audeam. *voluerat* an *voluerant* quis legat, parum intereſt, cum de exercitu utrumque dici poſſet; includenda vero omnia parentheſi. *in quantum* retineo, vid. cap. 120. BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 78. 405. V. IX. p. 176, 279.

Romanis & armis & animis uſi fuiſſent.] Ineptiſſime [Burer.]: quia fortiter more Romano, armis & animis uſi erant, caſtigavit ſuorum quosdam Varus, ſperans ſe jure poſſe feroces populos melius continere, quam vi & armis. BURM.

Paludibus, inſidiis.] Ita ſecuti Eraſmum omnes ediderunt, ſed in Rhenani editione eſt, *paludis inſidiis.*

Quem ita ſemper.] Quid ais, Vellei? Longe aliter Tacitus aliique de Germanis loquuntur. BOECLER.

Quippe paterni.] De patre Sex. Quinctilii habes ſupra in bello Philippenſi lib. II. cap. 71. *Varus Quinctilius cum ſe inſignibus honorum velaviſſet, liberti manu interfectus eſt.* De avo, non tam obvium. Reperio tamen apud Caeſarem I. Civil. *Sex. Quinctilium Varum Quaeſtorem L. Domitii* fuiſſe Corfinii. ut probabile ſit eum ſic periiſſe in Pharſalia, aut in Africa. LIPSIUS.

L.

L. Eggius.] Alii, *Egilius*. Ego, *Eggius*, retineo; quod hanc familiam ex inſcriptione antiqui lapidis notam habeam. Cujus exemplum ſequitur. *In Opido D. Germani, ad Cathedralem Eccleſiam.* HERCVLI SANCTO. SACR. D. POMPONIVS. NOETVS. TOTVM. SOL. AMICOS. ACC. BENE —— —— M. EGGIO. MARVLLO. ET L. D. D. D. K. IVL. MANUT. Alii *Igilius*, aut *Egilius*. RAPHEL. Sic editio primigenia. Maluerunt alii, *Egilius*. Atqui *Eggia* gens ſatis nota ex inſcriptionibus antiquis; ut monuit quoque Aldus. Ac idem nomen etiam occurrit in notis Senecae, & Tyronis; niſi quod ibi *Egius*, pro *Eggius*, legatur. VOSS. De *Eggiis* eſt inſcriptio apud Gruter. XLIX. 5. & apud Reineſ. I. claſ. 46. qui ibi in commentario de illis agit: qui eosdem & *Iccios* putat, qui ab Horatio, Cicerone, Plinio & aliis memorantur. vid. & Fabret. pag. 367. *Egilius* ab Eraſmo eſt, qui Lucium *Egilium* triumvirum Lunam coloniae deducendae apud Livium lib. XLI. 13. legerat. & feſtivum illum *Egilium* apud Cicer. II. de orat. 61. qui prioris videtur fuiſſe filius: nam Triumvir A. U. C. 576. fuit, Q. Opimius, qui a Cicerone cum Egilio memoratur, & conſularis dicitur, conſul fuit A. 599. BURM.

Tam turpe Cejonius.] Videtur voluiſſe *C. Cejonius*, quum & *Eggio* praenomen additur. *Caeſar* pro *C. Caeſar* apud Tacitum aliosque perperam ſcribitur non ſemel, & ſupra *Gracchus* pro *C. Gracchus*. HEINS. Recte monuit Heinſius: nam in prima editione eſt, *C. Ejonius*; ſed C. *Cejonius* legendum. Ejonii enim ignorabiles. *Cejonii* autem paſſim in Lapidibus & Hiſtoriae Auguſtae ſcriptoribus occurrunt, ſed hic a Glandorpio, principe inter cognomines loco ponitur, neque ego quemquam priorem novi. BURM.

Supplicio, quam proelio.] De Catilina ſupra: *Spiritum quem ſupplicio debuit, proelio reddidit.* ACID.

Vala Numonius.] Cum in manuſcripto Velleji codice ſcriptum fuiſſet, *Vallumonius*, ex eo alii fecerunt *Valumnius*. Alii, quod ea familia non reperiretur inter Romanas, emendarunt *Volumnius*. Sed utrumque mendoſum eſt: ſcribendumque, *Vala Numonius*, cognomine *Vala* poſito ante nomen *Numonius*. nam ſaepe ſolet Vellejus cognomina praeponere nominibus, ut cum dicit, *Manci-*

nus Hoſtilius, *Carbo Papirius*, *Lepidus Aemilius*, & cetera id genus. Hujus autem *Valae* extat denarius argenteus cum inſcriptione C. NVMONIVS. VAALA. de quo cognomine abunde ſcripſimus in libro de familiiis Romanis. Putamus autem eum eſſe: ad quem Horatius ſcripſit epiſtolam xv. lib. I. cujus initium eſt: *Quae ſit hiems Veliae, quod caelum Vala Salerni.* Nam in libris manuſcriptis, qui ſunt apud me, epiſtola inſcribitur, AD NVMONIVM VALAM. Denarium vero, cujus ſupra meminimus, Trajanus Imp. ut multos alios, reſtituit, ut apparet ex titulo, qui ei adjectus eſt: IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. PP. REST. nam reliqua, quae ſignata in eo ſunt, repraeſentant ea plane, quae ab ipſo Numonio, vel ab aliquo ejus familiae, in antiquiore denario cuſa ſunt. Ursin. *Valnumonius* eſt in Vet. Ed. Fulvius Urſinus unius literae adjectione, veram, ut mihi videtur, lectionem reſtituit, *Vala Numonius.* Horatius Epiſtolae inſcribit ad *Numonium Valam*, quae eſt xv. lib. I. ſunt & nummi argentei hac inſcriptione C. *Numonius Vaala.* Putean. Omneis praeter Rhenanum, edunt *Volumnium*, quod purum putum commentum Burerii. Rhen. *Valnumonius*, & in ora libri, *Val. Numonius.* igitur legendum, *Vala Numonius*, praepoſtere, ut notavi. In numis: C. NVMONIVS VALA, *ſive* VAALA. Schegk. *At Volumnius*, Burerianum commentum eſt. Rhenanus ex MS. edidit *Valnumonius.* Unde Urſinus legendum putabat: *Vala Numonius.* Addit, ſe hunc eundem putare, ad quem hodieque Horatii epiſtola extat lib. I. ep. xv. quam in MSS. ſcribi teſtatur, *ad C. Numonium Valam.* Ubi dubito tamen, an non potius, *ad Cn. Umonium Valam*, & in Velleio, *Vala Umonius*, ſit reſcribendum. Nam Hubertus Golzius (ut ad praedictam Horatii epiſtolam monet Cruquius) ex numiſmate Lauredani expreſſit: CN. VMONIVS VAALA. Etenim punctum minutiſſimum inter, CN. & VMONIVS, eſſe dixit, quod ab aliis minus foret animadverſum. Vossius. Egregie hunc locum reſtituit Urſinus, qui omnium ſuffragia abſtulit doctorum. an autem idem ſit, qui Horatio amicus fuit, dubitat Jac. Gronovius, qui tomo tertio Antiquitatum Graecarum, ubi nemo obſcurum hunc hominem quaereret, tot heroibus Numonium Valam inſeruit, eumque bel-

bellis civilibus ſe immiſcuiſſe putat; quia Horatius ſe Juvenem in ea epiſtola appellat, & bella jam Horatio annos XXXVIII. nato deſierant. Maſſonius vero Epiſtolam hanc conjicit in annum aetatis Horatii XLIII. & recte notat, minime ſe Juvenem dicere Horatium, ſed requirere vinum generoſum, & lene, quod aetatis provectioris languidas vires reficiat. & verba illa; *ſe Lucanae Juvenem commendet amicae*, recte Porph. *ut Juvenem* explicat. cum autem annus Horatii XLIII. incidat in A. U. C. DCCXXI. & clades Variana acciderit A. U. C. DCCLXI. ſupervixit ſaltem ille Numonius triginta annis Epiſtolae illi Horatianae: quare diverſum etiam putem, ſed quis qualisve fuerit ignoro. digniorem tamen noſtro puto, cujus memoria tam notabili illo nummo eſt aeternitati dicata; quare antiquiorem, & auctorem forte gentis hic ſignari eſt veroſimile. Vid. Spanhem. de numiſm. diſſ. x. cap. 4. §. 13. BURM.

Spoliatum equite peditem.] Edit. Rh. *ſpoliatum equitem, peditem relinquens.*

Fuga cum aliis.] *Cum aliis* Edit. Rh. *alis* Eraſmus reſtituit.

Petere ingreſſus eſt.] Suſpicabar aliquando, illud *petere*, mutandum in *temere*. Sed cum auctores ceteri ſileant iſtud factum, malo & ego tacere, quam prodere inſcitiam meam. GRUTER. *Ingreſſus* pro aggreſſus eſt. Sic Tacitus inter alios non ſemel. ut Ann. VI. cap. 4. *ut vero Latinium Latiarem ingreſſus eſt.* ubi Acidalius nonnulla. Propertius III. I. *Primus ego ingredior puro de fonte ſacerdos Itala per Graios orgia ferre choros.* Idem Tacitus Hiſt. V. cap. 18. *pulſique Germani Rhenum fuga petebant.* Fuit tamen cum opinarer, *fuga Rhenum praecipiti ingreſſus eſt*, vel, *fuga praecipiti petere ingreſſus eſt.* cap. 85. *cum ſe Canidius praecipiti fuga rapuiſſet ad Antonium: praecipitem curſum* opponit *gradui* cap. I. lib. II. HEINS. Nihil mutandum: nam *ingredi* pro incipere, aggredi, quod verbum aliquoties alterius occupavit locum, ſaepe apud Ciceronem occurrit. V. P. Fabrum ad lib. I. Academ. Quaeſt. pag. 24. aliter *ingredi Rhenum*, ſi cum Grutero quis *τὸ petere* abjicere vellet, recte & Latine dici vidimus ad Quinct. decl. VI. 21. BURM.

Hoſtium laceraverat.] *Hoſtium* Rhen. Eraſm. Steph. miror

miror Acidalium hinc non captaſſe occaſionem corrigendi, *Hoſtis feritas.* nam mirus talium captator elegantiarum erat. & veteres *hoſtis*, ut adjectivo uſos, quaedam exempla docent: ſed haec a Vellejo longe abeſſe volumus. BURM.

Caput ejus abſciſſum.] *Abſciſum* Edit. Rhen. Erasm. Heinſ. Hudſon. & alii. vid. ſupra ad cap. 66.

Gentilitii tandem tumuli ſepultura honoratum eſt.] Editio Rhenani, *tamen.* Quod probandum. Vides hic iterum, quantum correctores ſibi aſſumpſerint, qui *tandem* de conjectura edere non dubitarunt. VOSS. *Tamen* prima editio, recte; quamquam Vari corpus ſemiuſtum hoſtilis laceraverit feritas, caput tamen miſſum a Maroboduo ad Tiberium, Gentilitii tumuli honoratum ſepultura eſt. HEINS. *Tandem* Erasmum habet auctorem, quem Stephanus, Aldus & alii ſecuti ſunt.

Ultra Rhenum cum exercitu transgreditur.] Aſſentio eruditiſſimo Jo. Freinshemio, qui ad Florum *ultro* hic legendum cenſet. VOSSIUS. Illud *ultro* ex Freinshemiana emendatione, cum legeretur *ultra*, praeplacuit. BOECLER. V. Freinsh. Indic. Flori in *ultro.*

Arminio territo.] Rhen. *arma interfecti, quae arguisſe*, ex quo Lipſius, *arma infert, quae arcuiſſe.* Non ſolum, inquit, Tiberius repulit, & arcuit arma Germanorum, ſed ultro etiam intulit. SCHEGK. In vet. *Arma interfecti quem.* Stabilis manet noſtra olim emendatio: *Arma infert, quae arcuiſſe.* Rhenum, inquit, transgreditur, & ultro petit in ſuis ſedibus Arminium, quem arcuiſſe a noſtris abunde ſatis habebat Auguſtus & cives. LIPS. Lego *arcuiſſe*, ſcilicet finibus Romanis Arminium contenti erant Auguſtus & Patria. POPM. Locum hunc cum Lipſio impurum cenſeo. Habet ſane princeps editio: *Arma interfecti, quem arguiſſe*, &c. Unde legebat ille: *arma infert, quae arcuiſſe*, &c. Ego minori mutatione, & niſi animi fallar, verius conjeci: *Arma infert hoſti, quem arcuiſſe*, &c. Imo vix dubito, quin haec germana auctoris noſtri ſit lectio. Simile autem mendum irrepſit apud Papinium Statium lib. I. Thebaid. —— *Tecto coelum prohibere quis iſte Arguit?* —— Nihil enim certius, quam reſcribi debere, *Arcuit.* Quomodo ad marginem codicis ſui emendarat frater ὁ μακαρίτης Dionyſius Voſſius. VOSS. Scriptum exemplar, *arma interfecti, quae arguiſſe*

pater.

pater. Unde alii alia extundere ſunt aggreſſi. *arcuiſſe* corrigendum eſſe, jam inter omnes pene convenit. Lipſius, *arma infert, quae arcuiſſe*. Ego, *arma infert ei, quem arcuiſſe* &c. Tale illud Livianum lib. XXI. *Tanto audacius fortiusque pugnatur, quanto major ſpes, major eſt animus inferentis vim, quam arcentis.* Juſtin. lib. XI. 6. *Nec hoſtem regni finibus arcere, ſed in intimum regnum accipere*, & paullo ante, *non fiducia hos metiens*. nam *hoſtium* negat comparere in membranis Burrerius. ſequentia τὸ *hos* requirunt. Poſſis & *fiducia hoſtili*. quia *minabatur*, non *minabantur*, mox membranae. nimirum ſcribe: *ſe magnitudine ſua, non fiducia hoſtili metiens, quae Cimbricam Teutonicamque militiam Italiae minabatur*. mox & probe, *ultro* pro *ultra* Freinshemius. *hoſtilis fiducia*, aut paullo ante, *hoſtilis laceraverat feritas*. apud Claudianum laudibus Stiliconis: *Quantum fiducia nobis Profuit hoſtilis*. HEINSIUS. *Arminio territo* Eraſm. Steph. Manut. & alii. forte, *Arma Arminio infert*, ut a ſimilitudine literarum vox ſit abſorpta; *quae* autem, non *quem*, habet editio princeps. poſſet & legi, *transgreditur, arma inferre certus, quae arcuiſſe* &c. *penetrat interius*. BURM.

Vacillantium etiam cis Rhenum ſitarum gentium animos.] Lego, *vacillantis metu cis Rhenum*, vel, *vacillantis jam cis Rhenum ſitarum gentium animos confirmavit*. *vacillantis* pro *vacillantes* antiqua ſcribendi ratione, quam editio Rhenani e vetuſto codice multis locis utcumque conſervat. lib. I. cap. 12. *adeo odium certaminibus ortum ultra metum durat*. cap. 110. *tantus etiam hujus belli metus fuit, ut ſtabilem illum & firmatum tantorum bellorum experientia animum Caeſaris Auguſti quateret ac terreret*. cap. 123. *venitur ad tempus, in quo fuit plurimum metus*. cap. 124. *quae ſenatus trepidatio, quae populi confuſio, quis orbis metus?* cap. 129. *magni terroris bellum Africum*. Plura diximus ſupra cap. 28. HEINS. *Cis Rheno* Edit. Rhen.

Voluerit.] Imo, *valuerit*. id eſt, quantum in ipſo fuit, opibus ſcilicet, pecuniaque, quam repperit, in ſe tranſlata. LIPS. Viris doctrinae eminentiſſimae ſuſpectum heic *voluerit*, & mutatum eunt in *valuerit*. Verum ſic ſupra locutum, modo poſui: & mirum eſt, niſi & hoc loco, triga illa verborum adſcititia. GRUTER. Lege cum Lipſio *valuerit*. VOSS. Periculoſum & temerarium eſt pro arbitrio voces ejicere, praeſertim cum *in tantum, in quantum*,

tum, in uno Vellejo ſaepius occurrat, credo, quam apud omnes fere alios ſcriptores. Vide lib. I. 13. & II. 53. ideoque explico, *in quantum voluerit*, *ad arbitrium*, vel *arbitrio ſuo*, ut alibi loqui amat, nemine prohibente. poſſet & legi, *in quantum potuerit*, ſcilicet quantum colligere potuit relicta, quae ſupererant, ab hoſtibus. ſed vulgata ſatisfacit. BURM.

Praefecti caſtrorum.] De officio praefecti caſtrorum, nihil habeo, quod addam ad ea, quae in Diſcurſibus ad Tacitum notavit Lipſius. Imo unum etiam demi velim. Hoc eſt, quod pro *deſtinatio* apud Vegetium lib. II. cap. 10. reponat *deſignatio*. Verba Vegetii haec ſunt: *Ad quem caſtrorum poſitio, valli, & foſſae deſtinatio pertinebat.* Nec magis audio Stewechium, ex MS. reponentem, *aeſtimatio*. Sane *deſtinare*, idem, quod *deſignare*. Sic Livius lib. XXVIII. *Non ſolum capita hoſtium vulnerabant; ſed quem locum ibi deſtinaſſent.* Quod, ut video, jam monere praevertit eruditiſſimus Gronovius in Obſervationibus ſuis, lib. II. cap. 8. VOSS.

A Liſone.] Forte, quod Ptolemaeo Ἄλεισον. Rhenano hodiernum *Altzheim*, prope Vangiones. In eo lapſus, quod ejusdem Tacitum meminiſſe putavit. nam clarum ex Dionis lib. LIV. non locum, ſed fluvium hoc nomine Tacitum inſinuare. SCHEGKIUS. An eſt loci nomen, an urbis, quae in Ptolemaeo ſcribitur Ἀλεισό. Tacito libro ſecundo annalium, c. 7. & Dion. libro quadrageſimo quarto eſt *Alluſio fluvius*. POPM. *Aliſonem* & fluvium eſſe, & caſtellum contra Sicambros a Druſo excitatum, egregie oſtendit Illuſtriſſ. Ferdinandus, Epiſcopus Paderbornenſis in Monument. Paderb. in principio p. 2. & ſeqq. & veſtigium antiqui nominis in pago *Elſen* hodieque ſupereſſe, Fluviumque nunc *Almam* vocari docet. longe hinc eſt *Altzheim*. Lipſius ad Tacit. II. 7. *Veſaliam* multos facere notat.

Uſi.] Membranae *viti*. legendum *juti*, vel *adjuti*. Cornelius Nepos Miltiade: *Nec minus in ea re prudentia quam felicitate adjutus eſt. Temerarium conſilium*, ut apud Livium lib. XXV. *Temerarium magis, quam audax conſilium.* Nec praecipiti & incauto conſilio, nec tarde nimis uſos fuiſſe *providentia* deſignat. videtur autem alludi a Vellejo ad illud Auguſti σπεῦδε βραδέως, de quo complura Gellius lib. X. cap. 2. *ubi conſulteris, mature*

facto

facto opus eſt dixerat Salluſtius. *juti* vero, ut apud Tacitum Ann. XIV, cap. 4. *Placuit ſollertia tempore etiam juta. Adjutor* ſaepe apud noſtrum, & *adjutorium*, cap. 112. cap. 128. *ad juvanda onera principis Sejanum protulit.* Apud Columellam in horto: *Rutaque Palladiae baccae jutura ſapores.* ut in optimis membranis exaratum inveni. nam vulgati codices *victura.* ut fruſtra ſit vir ſummus Gerardus Johannes Voſſius Analogiae libro III. cap. 20: qui *jutum* dici non opinatur. Salluſtius in Jugurtha tamen, *Commeatum* dixit *juvaturum exercitum.* HEINS. Illud *uſi* mutari nolim: nam aeque ad τὸ *conſilio*, quam *providentia* referri debet. *uti* vero *conſilio* familiaris Ciceroni, Nepoti, Ovidio & aliis locutio; vid. ad Quinctil. praef. lib. I. BURM.

Bonae voluntatis.] V. Valeſ. ad Excerpta poſt Amm. Marcell. p. 719. BURM. *in marg.*

Caldus Caelius, vetuſtate familiae ſuae digniſſimus.] Ex veſtigiis autographi: *Caldus Caelius, ac vetuſtate f. ſ. digniſſimi.* LIPS. Caldus fuit cognomen Caeliae gentis, ut apparet ex faſtis, in quibus C. Caelius Caldus Cos. cum L. Domitio Ahenobarbo, & ex libro Q. Ciceronis de petitione conſulatus. POPM. *Ad vetuſtatem familiae ſuae* princeps editio. quod non adſequor, ni dederit Vellejus, *alta vetuſtate.* HEINSIUS. Forte, *adeo vetuſtate f. ſ. d.* BURM.

Profluvio.] Vetus editio *influvio:* hinc Lipſio legendum videtur *effluvio.* RAPH. *Influvio* omnino legitur in exemplari chirographo. unde dimanarunt omnia exemplaria. nec video cur ferri non debeat. quod hodie habemus, *profluvio*, natum eſt apud correctores. GRUT. *Profluvio* emendarunt, licet MS. repugnante, in quo fuerat *influvio.* Ego puto, praepoſitionem ſimplicis ſignificationem ſervare potius, quam immutare: ut in *inconcupiſcere*, *incommodare* apud Appulejum; *inſervire*, *infringere*, & aliis hujusmodi apud alios. Eadem ratione *influxione* interpretandum videtur apud Caelium Aurelianum, Sorani interpretem, lib. II. cap. 27. *ea, quae influxione ſui, quam Graeci aporrhoeam vocant, ſpirationem facilem aegrotantibus facere valent.* Non enim puto audiendos, qui *effluxione* reponunt. *Influxus* igitur Vellejo, & *influxio* Aureliano, eſt fluor corporis, ſive ἀπόῤῥοια. Emendentur obiter hac occaſione Gloſſae Cyrilli;

 ubi

ubi perperam legitur: Ἀπόῤῥοια, *Deſluxio*, *affluentia.* Lege, *effluentia.* Voss. Ita ſcriptus, non *profluvio.* neutrum bene. Forte, *effluvio:* quod Lipſio etiam videbatur. ſic *lacus effluvium* Tacito Ann. XII. cap. 57. confirmat Lucanus lib. VIII. de Pompeji capite: *Submota eſt capiti tabes, raptoque cerebro Adſiccata cutis: putrisque effluxit ab alto Humor, & infuſo facies ſolidata veneno eſt.* Nam *in* & *e* frequenter inter ſe confunduntur in iisdem membranis. ſic *expellebatur*, pro *impellebatur* ſupra, ſimiliaque. *effuſum cerebrum* lib. II. c. 7. HEINS. *Profluvio* Eraſ. Steph. & alii.

Accenſasque plebis Viennenſium diſſenſiones.] MS. *accenſaque.* Lego, *accenſaeque.* Voss. Ita *accenſae rationes in arma* lib. II. cap. 98.

Coërcitione magis.] Prudenter. nam id exigebat ratio temporis; quod cum tot pericula minaretur, ac objiceret undique, non debuit ſeveritate apud ſubjectos augeri odium praeſentis ſtatus. BOECLER. *Coërtione* Ed. Rhen. & recte. ut & ſupr. cap. 47. ita apud Suetonium & Quinctilianum emendatiores codices habere vidimus ad Fabii lib. IX. Inſt. orat. 2. BURMAN.

Quam erat ipſi.] Ineptum loquendi genus, nec ullo confirmatum exemplo, *Aequum ei jus, quam erat ipſi.* Haec me ratio adducit, ut gloſſema fuiſſe putem. Non enim neceſſe eſt hoc addere, cum ſatis aperta ſententia ſit. nam ad *aequum ei jus*, ſubauditur, *cum Patre:* quod ideo non addidit Vellejus, quia dixerat jam, *poſtulante patre.* MANUT. Non haec a gloſſatoris manu imperita, ſi verba, *poſtulante patre ejus*, cum Beato incluſeris parentheſi; imo tum neceſſaria. Burer. *Senatus pop. q. R. p. p. e. ut aequum e. j. i. o. p. eſſet, quas erat ipſe decreto complexus. Eſſet etenim abſurdum.* Oſcitanter ad ſuperiora. SCHEGK. Suetonius Tiberio cap. XXI. *Ac non multo poſt lege per Coſſ. lata, ut provincias cum Auguſto communiter adminiſtraret:* ubi Conſules ſunt L. Munatius Plancus II. Silius anno DCC. POPM. Miror pleroſque Animadverſionum & Notarum ſcriptores hunc locum plane praeteriiſſe. Expreſſimus autem Rhenani & Gruteri editionem. Nam Burerius parum hic ad rem. Interim videtur ὕπουλόν τι ſubeſſe. Certe illa verba, *quam erat ipſi*, non cohaerere ſatis apte, vidit & deleta cupiit Aldus. cujus conjecturam non poſſum non probare. BOE-

CLER.

CLER. Malit Thomas Munckerus, *quantum erat ipſi*, recte, ni *quam* pro *quantum* mavis interpretari. ſupra cap. 39. *Paene idem facta Aegypto ſtipendiaria, quantum pater ejus Gallia, in aerarium reditus contulit.* Ita *aeque* referetur ad *tam*. Suetonius Auguſto cap. 64. *Nihil aeque laboravit, quam ut imitarentur chirographum ſuum.* Fragmentum Petronii Tragurianum: *ut aeque me mortuum juvet, tanquam vivum.* HEINS. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 176.

Ex Pannoniis, Delmatiſque egit triumphum.] Suetonius triumphum factum ait ante exaequationem. VOSS. Vide Sigon. comment. in faſt. & triumph. R. Sueton. Tib. 17. BOECLER.

Hoſtium duces occiſos fama narravit.] Margines librorum, *non occiſos*, exhibent. Inde exterebrabam, *occiſos vana fama narravit.* In ſequentibus ſine gratia, ſine ulla energia eſt ſolum illud, *vinctos*: erit cum plurima; ſi immiſeris, *ſed vivos vinctos triumphus oſtendit.* Et eam vim Vellejum cogitaſſe, reliquus, etſi caſſus, orationis impetus oſtendit. ACIDAL. Editio primogenia negativam habet interſertam, *non occiſos.* & id res eſt. rarum enim, ut non etiam occiderentur duces exercituum hoſtilium poſt triumphum. Cicero V. in Verrem: *At enim qui triumphant, eoque diutius vivos hoſtium duces ſervant, ut his per triumphum ductis, pulcerrimum ſpectaculum fructumque victoriae populus Rom. percipere poſſit; tamen cum de foro in Capitolium currus flectere incipiunt, illos duci in carcerem jubent; idemque dies & victoribus imperii, & victis vitae finem facit.* GRUTER. Vetus codex, *non occiſos.* Quod retinebat Gruterus; quia rarum fuerit hoſtium duces, poſt triumphum non occidi. Quod quid ad rem faciat, neſcio. Quippe verba ſequentia, *ſed vinctos triumphus oſtendit*, clare oſtendunt Vellejum de fama ante triumphum loqui. Semper autem hoſtium duces ad triumphum reſervabantur. Itaque non video, quomodo τὸ *non* retineri poſſit. VOSS. Neſcio quid ſibi velint, qui *negantem particulam*, auctoritate vet. exempl. fultam, emovere cupiunt. Senſus eſt, *Eminentiſſimos hoſtium duces non fama tantum, occiſos alibi, populo Romano narravit, ſed praeſenti ſpectaculo in vinculis & triumpho ductos fortuna oſtendit.* ſcilicet major erat felicitas & ſolidius gaudium, coram intueri vinctos clariſſimos du-

 ces

ces in triumpho: quam ſi auditione tantum accepiſſent vinctos occiſosque. Τὸ *non* *συγκριτικῶς* accipiendum eſt: ut τὸ *ſed*, quod majus eſt, inferat. BOECLER. *Hoſtium duces non occiſos fama narravit*, veriſſime legebatur in membranis, quod nemini mireris ſatis perceptum fuiſſe, etſi a non nullis approbatum. Hoc vult Vellejus: non contigiſſe hac in victoria, quod plerumque fieri conſuevit; & quidem temere, (neque enim famae, rei incertae, tuto ſat credi) ut narrarentur praecipui hoſtium duces in pugna occubuiſſe, cum tamen ipſo in triumpho non exhiberentur, atque eſſent incolumes. at vero hic horum pleroſque fuiſſe exhibitos captivos, ut res in dubium vocari haud potuerit. Vetus nempe proverbium nos docet, *pluris eſſe oculatum teſtem unum, quam auritos decem.* Recte & Seneca Epiſt. 6. *amplius oculis, quam auribus credunt homines.* cap. 3. libri IV. Nat. Quaeſt. hos auritos teſtes, teſtes ſecundae notae vocat. *Itaque ex his me teſtibus numera ſecundae notae, qui vidiſſe quidem ſe negant, ſed audiſſe.* Plautus Bacchid. III. Sc. 3. *Quin ego, cum peribat, vidi; non ex audito arguo.* Euripides Medea Εἴδομεν. οὐκ ἐξ ἑτέρων Μύθων ἔχομεν φράσασθαι. Ceycis umbra naufragi apud Naſonem Met. XI. 666. Halcyonen uxorem ſic adloquitur, deque interitu ſuo edocet, —— *Non haec tibi nuntius adfert Ambiguus, non iſta vagis rumoribus audis: Ipſe ego fata tibi praeſens mea naufragus edo.* Propertius I. XIII. 13. *Haec ego non rumore malo, non augure doctus: Vidi ego, me quaeſo teſte negare potes?* Majorem enim unusquisque ſibimet ipſi fidem, quam alteri, habet. Apud Plinium Panegyrico Trajani, cap. 59. *Geſſiſti alterum conſulatum, ſcio. illum exercitibus, illum provinciis, illum exteris gentibus poteris imputare; non nobis. Audimus quidem te omne munus conſulis obiiſſe, ſed audimus. Diceris juſtiſſimus, humaniſſimus, patientiſſimus fuiſſe, ſed diceris. Aequum eſt aliquando nos judicio noſtro, noſtris oculis, non famae ſemper & rumoribus credere.* Qui locus haec Vellejana egregium in modum illuſtrat. ſed & noſter ipſe cap. 107. *Noſtra quidem furit juventus, quae cum veſtrum abſentium numen colat, praeſentium potius arma metuit, quam ſequitur fidem. Sed ego beneficio ac permiſſu tuo, Caeſar, quos ante audiebam, hodie vidi deos.* Similiter denuo Vellejus idem lib. II. cap. 5: *Ingenti vi hominum urbiumque potitus numera,*

auditis quae vix audita erant, Gallaeci cognomen meruit. Tacitus de moribus Germanorum cap. 41. *In Hermunduris Albis oritur, flumen inclitum & notum olim, nunc tantum auditur.* Hoc vult, Albin fluvium olim partem Romani imperii fuiſſe, ac proinde tunc oculis multorum uſurpatum, nunc tantum ex fama cognoſci. apud eundem Poppaea An. XIV. c. 1. *Ituram ſe quoquo terrarum, ubi audiret potius contumelias imperatoris, quam viſeret periculis ejus immixta.* In Epiſtola Deianirae verſ. 119. apud Naſonem, ubi illa varios de amoribus Herculis narravit rumores, ſubjungit: *Haec tamen audieram: licuit non credere famae. En venit ad ſenſus mollis ab aure dolor.* Nec abludunt Horatiana illa Art. Poët. 180. *Segnius irritant animos demiſſa per aurem, Quam quae ſunt oculis ſubjecta fidelibus.* Tullius pro Archia Poëta cap. 4. *Adeſt vir ſumma auctoritate & religione & fide M. Lucullus, qui ſe non opinari, ſed ſcire, non audiſſe, ſed vidiſſe, non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit.* Neminem in poſterum dubitaturum reor de vetuſta apud Vellejum loci hujus ſcriptura, quam nos liberali nunc manu & auctoritate tot exemplorum ivimus adſertum: quamquam plura teſtimonia proferri poterant, ſi aut e re noſtra id foret, aut ſine taedio lectoris id me facturum opinarer. HEINS. Recte vindicavit locum Heinſius; & reſpicere puto Vellejum illos Duces, qui numerum occiſorum ementiendo augere ſolebant, ut facilius triumphos conſequerentur, cum nunc Tiberius oculis oſtendendo captivorum numerum victoris magnitudinem probaret videntibus. BURMAN.

Ex rege propoſiti.] In MS. erat, *& ex rege praepoſiti.* Fuit olim, *& ex rege praepoſito.* Voss. Supra cap. 94, 4. Pronomen *ei* aberat in ex. vet. BOECLER. Malim, *rege praepoſito ei.* nam codex vetuſtus, *rege praepoſiti.* Sed minoris id momenti. HEINS. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 176.

Inſigne regium.] Intellego, *Tigrani* (ſupra docui) regium inſigne, hoc eſt, diadema impoſitum. quod reapſe faſcia tenuis circumdans caput. Valerius lib. VI. cap. 2. *Cui candida faſcia crus alligatum* (vet. *colligatum*) *habenti, Favonius, non refert, inquit, qua in parte corporis ſit diadema.* Hinc Suetonius cap. 79. Julii Caeſaris *ſtatuae coronam lauream candida faſcia praeligatam*, ſuſpicionem propterea adfectati regii nominis impoſuiſſe quem-

 dam

dam narrat. Ad ingenium hinc verum capies Lampridii hunc Diadumeno locum: *Solent pueri pileo inſigniri naturali, quod obſtetrices rapiunt, & advocatis credulis vendunt: ſiquidem cauſidici hoc juvari dicuntur. at iſte puer pileum non habuit, ſed diadema tenue, & ita forte, ut rumpi non potuerit, venis intercedentibus ſpecie nervi ſagittarii.* An vero & Reginae diadema? Non temere pronunciaverim. Saltem etenim eximium imperantis. aperte colligas e Trebellio Pollione, *Zenobia: quae ſe*, inquit, *de Cleopatrarum Ptolemaeorumque gente jactaret, poſt Odenatum maritum imperiali ſagulo perfuſo per humeros habitu, donis adornata, diademate etiam accepto, nomine filiorum Herenniani & Timolai diutius, quam foemineus ſexus patiebatur, imperavit.* SCHEGKIUS. Per cauſam *diadematis*, quaerit heic Schegkius, an diadema fuerit etiam reginarum: & definire videtur, fuiſſe ſaltem inſigne imperantis, perſuadente ei loco Trebellii, ubi eſt, *Zenobiam accepiſſe diadema, ſed nomine filiorum Herenniani & Timolai.* non inſulto juvenis manibus: ſed, bone Deus, quam multorum non meminit, qui tale quid pronunciat? Reginis quibuslibet ſuum etiam ſtatim datum diadema evincit firmiter innumerabilis ſcriptorum cohors; quos omnes, ſi vel nudo laudarem nomine, totas occuparent paginas. non poſſum tamen, quin fidei meae cauſſa citem aliquos memoriae commendatos. Et vero occurrit primum liber Eſterae cap. I. verſu 17. ibi enim rex Perſiae ſimulatque accipit, impertit item diadema. tanquam ſcilicet honos talis minime communicaretur concubinis. quod diſerte teſtatur Athenaeus lib. XIII. Deipnoſoph. ubi refert Demetrium aliquot habuiſſe mulieres fortunarum ſuarum omnium compotes, excepto diademate; firmatque Plutarchus in Lucullo, ubi Monima Mithridatis, cum eam rex tentaret, *καὶ μυρίους πεντακισχιλίους χρύσους προσπέμψαντος, ἀντέσχε, μέχρις οὗ γάμων ἐγένοντο συνθῆκαι, καὶ διάδημα πέμψας αὐτῇ, βασίλισσαν ἀνηγόρευσεν.* Sic rex Aegypti Ptolemaeus, ad concionem vocato exercitu, capiti ſororis Arſinoës diadema imponit, reginamque eam appellat, inquit Trogi abbreviator lib. XXIV. cap. 3. Nec alia de cauſſa apud Zonaram, lib IIII Annalium, Eudociam Leonis Philoſophi filiam Pulcheria deſpondet Theodoſio, *καὶ διαδήματι ταινιοῖ, καὶ αὐγούσταν καλεῖ.* Sed & diadematis muliebris meminit Papinius

pinius lib. x. Thebaidos, Apulejus lib. x. Metamorphoſeos, Capella lib. II. Philologiae; ut omittam id plus ſemel tribuere eidem ſexui D. Chryſoſtomum Homiliis in Euangelium Euangeliſtae Matthaei. Occurrit quoque plus ſemel in fragmentis Suidae, in aliis, quos hoc ictu temporis fruſtra requiram; & ut ſeſe ſiſtant memoriae meae, cui id fuerit bono? Gruter.

Et poſt cladem ſub Varo acceptam, ocius proſperrimo rerum eventu, eadem exciſa Germania, triumphum ſummi ducis adornare debuerit.] Tò *ocius* parum hic ad rem facit, ſi quid video. & ſane in membranis *totius* extabat, non *ocius*. deinde *adornari* in iisdem. Opinor dediſſe Vellejum, *totius proſperrimo rei cum eventu, eadem exciſa Germania, triumphus ſummi ducis adornari debuerit*. Poſſis &, *potitus proſperrimo rerum eventu*. ſed alterum verius. Jacobus Perizonius, *totius proſperrimo rerum ſummae eventu*, vel quod malebat ipſe, una tantum mutata litera, *poſt cladem ſub Varo acceptam, toties proſperrimo rerum eventu, eadem exciſa Germ.* ut uni cladi ſub Varo acceptae, opponat multiplices eo bello victorias tanti imperatoris. ingenioſe. Heins. Illud *ocius* non moverem, nam celeritatem in hoc obeundo bello indicavit cap. 120: *his auditis revolat ad patrem*, &c. Cellarii editio habet, *ejus proſperrimo rei cum eventu*, &c. *triumphus ſ. d. adornari debuerit*. an hoc Carpzovii conjecturae debeatur, neſcio. Poſſet & fingi ſcripſiſſe Vellejum, *voto ocius, proſperrimo rerum eventu.* Ita Pompejus ſupra cap. 40. *ſuo & civium voto major* dicitur. Similiter Juſt. XXIII. 3. *rebus ſuper vota fluentibus*. Amm. Marc. XVI. 12. *quod voti magis, quam ſpei fuiſſe fatebitur quilibet*. *Voto* vero *ocius* dictum, ut mox, *exſpectato maturius*. Burm.

Venitur ad tempus.] Quae in hoc capite de itinere Tiberii & colloquio cum Auguſto, ipſiusque Auguſti morte habentur, amplius vide apud Dion. LVI. Suet. Aug. 98. & Tib. 21. Tac. I. A. 5. Suetonius addit, revocatum Tiberium ſecreti ſermonis cauſſa cum Auguſto fuiſſe per totum diem: haud dubie ea revelabat ſucceſſori, quae prius non niſi periculoſe revelari poterant. Omnino enim in magnis imperiis ita comparatum eſt, ut multa ſolius Principis cognitioni reſervanda ſint, quae cum pluribus communicata vim ſuam amittunt: atque haec talia ſucceſſorem certum non prorſus quidem celare, ſed

 nec

nec citius quam tuto fieri poteſt, id eſt, inſtante fatali hora, aperire quidquam decuerit. BOECLER.

Firmanda.] Hic item quod ad oram eſt, *formanda*, potius altero, quod in textu. *Formare* enim eſt, quod alibi ſaepe dicit, ordinare. Et miſſus Tiberius, ut quae bello ſubacta, pace ordinaret, conſtitueret. ACIDAL. Placet aliis *formanda*: ſed perperam. *firmare* heic verbum maxime proprium. facilius enim multo eſſe, provinciam facere quam retinere, hoc eſt firmare, oſtendimus ad illa Cornelii lib. XII. Annal. cap. 32. *Ortae apud Brigantes diſcordiae retraxere ducem, deſtinationis certum, ne nova moliretur, niſi prioribus firmatis.* GRUTER. Multa pro utroque verbo, aeque ſpecioſa, adduci poſſent: nam & perpetuo confunduntur, ut ſupr. cap. 110. vidimus, & utrumque ſenſum commodum efficit. Quare in ambiguo ſequendum codicem, qui unicus eſt, putamus. *Obfirmanda* Heinſium legere maluiſſe patet ex notis ejus ad cap. 110. BURM.

Certaminis ludicro.] An *certamini?* ut ſupra lib. I. cap. 8. *ludicrum certamen.* Sed poteſt etiam ſubſtantivum *ludicrum* eſſe. CELLAR.

Quamquam jam motus imbecillitatis.] Nil immutandum. Ita & de febre, ut medicae rei ſcriptores omittam, Seneca Epiſt. CIV. *In Nomentanum meum fugi. quid putas? urbem? immo febrem. Medicus initia eſſe dicebat, motis venis, ſed incertis, & naturalem turbantibus modum.* Tranquillitate Animi cap. 11. *Quaero mehercule jamdudum, Serene, ipſe tacitus, cui talem animi adfectum ſimilem putem, nec ullius propius admoneor exemplo, quam eorum, qui ex longa & gravi valetudine expliciti, motiunculis levibusque interim offenſis perſtringuntur, & cum reliquias effugerint, ſuſpicionibus tamen inquietantur, medicisque jam ſani manum porrigunt, & omnem calorem corporis ſui calumniantur.* Nat. Quaeſt. lib. VI. cap. 14. *Quemadmodum in corpore noſtro, dum bona valetudo eſt, venarum quoque imperturbata mobilitas modum ſervat: ubi aliquid adverſi eſt, micant crebrius, & ſuſpiria atque anhelitus laborantis ac feſſi ſigna ſunt. Ita terrae quoque, dum illis poſitio naturalis eſt, inconcuſſae manent. Cum aliquid peccatur, tunc velut aegri corporis motus eſt, ſpiritu illo, qui moleſtius perfluebat, icto vehementius, & quaſſante venas ſuas.* Livius lib. XXV. 26. *Intoleranda vis*

aeſtus

aeſtus per utraque caſtra omnium fere corpora movit: & primo temporis ac loci vitio & aegri erant & moriebantur. Vides, cur *motus infirmitatis*, pro febre ponatur a Paterculo. HEINS.

Nolam petiit.] Conſtantem veterum opinionem eſſe, quod Auguſtus Nolae denatus fuerit, in Faſtis ait Sigonius. Sed fallitur. Nam Atellae in Campania mortuum eſſe afferunt Eutropius, & Euſebius. Itaque perperam etiam Glareanus in Eutropio reponere tentabat, *Nolae.* VOSS.

Ille ad patrem patriae exſpectato revolavit maturius.] Sciolus hic vocem *patriae* infarſit, quam ſupervacuam iterum extrudo. in quo ſciolum nemini ſcienti me viſum iri ſcio. ACIDAL. Quid notius, quam Auguſtum *patrem patriae* dictum? clamant auctores, nummi, lapides. Perperam itaque Acidalius vocem *patriae* inducendam arbitrabatur. VOSS. Acidalius vocem *Patriae* irrepſiſſe exiſtimat. Alias nomen ipſum PATRIS PATRIAE Auguſto ſenatus conſenſu per Valerium Meſſallam delatum ſatis notum eſt. Sueton. Aug. 58. Eſtque haec cumprimis magnifica, &, ſi Themiſtium ſequimur, divina in imperante *patris appellatio.* θεία δὲ μόνη ἡ τοῦ πατρὸς ἐπωνυμία. BOECLER. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 177.

Exſpectato maturius.] Sic Ovid. IV. Met. 790. *Ante exſpectatum tacuit.* Et VIII. 5. *Ante exſpectatum portus tenuere petitos.* Ita Virgilius & alii.

In ſua reſolutus initia.] Haec latius illuſtrabimus ad illa Val. Flac. III. 382. *Exigere hinc animas, rediturque ſemina coelo.*

Animam coeleſtem coelo reddidit.] Non ſine ſuſpicione veneni a Livia dati. Dio lib. LV. Sueton. cap. 98. Tacit. I. Annal. Eutropius Atellae oppido Campaniae obiiſſe tradit. SCHEGK. V. Barth. ad Claud. III. Conſ. Hon. 109. Virg. III. Georg. 495. BURM. *in marg.*

Quae populi confuſio, quis orbis metus.] Sane nimium, *orbis.* Sed quomodo paullo poſt factum inante, item hic pro eo jam nunc reſcribe, *urbis.* ACIDAL.

Cujus orbis ruinam.] Cur abierunt homines a ſcriptura membranarum? Bene enim illa, *cujus orbis ruinam,* &c. alluſit ad Ciceronis iſthaec ad Atticum lib. II. Ep. 21. *Equidem ſperabam ſic orbem Reipb. eſſe converſum, ut*

 vix

vix ſonitum audire, vix impreſſam orbitam videre poſſemus. GRUTER.

Pugnantis] V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 177.

Paene diutius recuſare principatum.] Ecce, quam ſpecioſe accismum Tiberii velat Noſter: ſed revelabit Tacit. I. *A.* II. & 12. Suetonius Tib. 24. & 25. Dio LVII. Hiſt. miſc. VII. 22. pr. Clapmar. II. Arcan. 16. BOECLER.

Et corpus ejus humanis honoribus, nomen divinis honoratum.] Redeo ad ingenium, & miſceo Vellejanis aliena. Juſtini hic locus incidit, cui aliquo modo hujus ſimili reddam e MSS. lectionem, etſi, ut hodie multorum judicium eſt, non veriſimiliorem, tamen forte etiam veriorem: lib. V. 4. *Igitur omnibus non humanis tantum, verum & divinis eum honoribus onerant: certant ſecum ipſi, utrum contumelioſius eum expulerint, an revocaverint honoratius.* Notatum in Variarum libello, ſcriptos codices legere, *honoribus honerant.* quod ego audacter Juſtini, immo Trogi eſſe ajo, & tollendum ut legitimum, non inter illa dubia exponendum. *Honerare & honorare* promiſcue veteres: illud amabant magis, quoniam *E* ſingulare iis delicium. Nam & *Apelo* dicebant, & in nominum flexu, *temperis*, *pecteris*, in verborum, *dicem*, *faciem*; pluraque & innumera alia pluribus modis. *Honerare* etiam Propertio Palmerius e ſcripto libro reſtituit: ego, niſi audacius ſit ſine libris, auſim Virgilio Aeneid. X. 557. *Iſthic nunc metuende jace: non te optima mater Condet humi, patriove onerabit membra ſepulcro.* Ignorare hic lubet hypallagen, & Virgilium ſcripſiſſe credere, *honerabit membra ſepulcro. Honorandi* quidem verbo nihil aptius potuit de ſepulcro, & eo, in quo ratio maxima, paterno. Porro autem *honorare & onerare* mutuo veteribus inter ſe vertuntur: atque utriusque vicem eſt, *honerare.* Pacuvius apud Nonium, Perib. *Poſtquam eſt honoratus frugum & floris Liberi.* Ubi jam pridem eruditiſſ. Junius emendavit, *oneratus:* quod nihil opus erat, ſi verſus aliter conſtaret! ſed malo tamen etiam ex hac forma, *honeratus.* Jam *honerem* & *onerem*, pro *honore*, ac contra *honorem* pro *onere* poni identidem prodiderunt. Illius exemplum ex eadem Pacuvii Periboea (alii, Iliona) apud Nonium, in *Poti*, pro *Potiri*,

Uſum

Uſum honere credo adhuc ſceptrum patienter poto. Quem verſum ſine ſenſu usque adhuc (nam praeter Junii & Gothofredi Nonianas editiones nullas dum mihi alias videre contigit.) lego: *Summo honere credo adhuc ſceptrum potenter poti.* Alterius dant de Petronio, in de mutatione Reip. Rom. c. 123. *Prima quidem glacies & cana vincta pruina Non pugnavit humus, mitique quievit honore.* *Honore* inquiunt eſſe pro *onere*: de quo tamen in hoc quidem loco alia omnia ego ſentio. Quid eſt enim, *tellus quievit miti onere?* Potius reſcribendum arbitrer, *mitique horrore quievit.* Trajectio vocis ex ſcripturae errore nata. Namque cum perperam ſcriptum inveniſſent, *mitique honore*, (ſic enim ſuſpicor duo *rr* in *n*, quo nihil proclivius, abiiſſe.) verſui conſulere transpoſitu iſto voluerunt. *Mitis* autem *horror* eleganter dicetur, cum terra primum frigore leviter inhorreſcit. Haec breviter de hoc παρέργῳ· de quo vellem plura, niſi ſeveriores judices ipſius ἔργου me oblitum cum flagitio clamantes audirem. ACIDAL.

Ordinatio comitiorum.] Inter eminentiſſima ſummi imperii jura, eſt *jus Comitiorum* & *creatio magiſtratuum.* Itaque Maecenas, Conſiliator vere Regius, apud Dionem LII. Auguſtum monet, ut ex ratione ſtatus Monarchici ad ſe trahat tantam poteſtatem. Intellexit facile vim ejus conſilii Auguſtus: ſed exemplum moderandi Julius jam dederat; quod ſecutus, partitus eſt cum populo comitia, ſive verius videri voluit partitus, excepta conſulum creatione, quam ſibi ſenatuique reſervavit in ſolidum. Nunc ergo Tiberius, ſive conſilio Auguſti inſtigatus, ſive quod ſponte, ſicut ſatis mox patuit, vim principatus omnibus modis intendere deſtinaverat, totum jus comitiorum populo ademtum ſibi vindicavit, niſi quod ſimulacri cauſſa cum ſenatu communicatum voluit. Vide omnino Tacitum I. A. 15. & Lipſianum in Tacit. commentarium. Clapmar. item lib. VII. Arcan. 7. BOECLER.

Candidatis Caeſaris.] In duplici diſcrimine candidati Caeſaris. Alii, *candidati magiſtratuum*, quos princeps populo commendabat; Sueton. Aug. *Quoties magiſtratuum comitiis intereſſet, tribus cum candidatis ſuis circumibat, prenſabatque more ſolemni.* Et de his noſter hic. Alii, *candidati Quaeſtores*, qui libris principalibus va-

vacabant, & quas voces regiae linguae Caſſiodorus vocat. dicti & Quaeſtores principis, ſive Caeſaris. Tacitus, *Oratio ejus per quaeſtorem ejus audita eſt.* Sueton. Neron. cap. 15. Tito 6. Ideo opinor ſic nominati, quod ad exemplum veterum quaeſtorum, quibus actorum publicorum & Senatusconſultorum cura commiſſa, creati. Dignitatem ſive munus vir doctus facit perpetuum, non ego. Lampridius in Alexandr. *Quaeſtores candidatos ex ſua pecunia juſſit munera populo dare, ſed ut poſt quaeſturas praeturam acciperent, & inde provincias regerent.* Statuit hoc, motus l. unica, D. de offic. Quaeſtor. ubi Ulpianus: *Sane non omnes quaeſtores provincias ſortiri, verum expertos fuiſſe candidatos principis*, non dubitat ſcribere. at Ulpianus Alexandri aevo. Ad hunc ictum elidendum ſatis ab elegantiſſimo JCto Eguinarth. Barone ad hanc rem dictum. Schegk. Erant libera rep. plures gradus renuntiationis magiſtratuum, pro petitorum ſcilicet numero, e quibus honeſtiſſimus habebatur primus & proximus primo: contemtiſſimus ac paene ignominioſus, ultimus. Hinc ſaepe gloriatur Cicero, ſe primum praetorem renuntiatum, & Ser. Sulpitius in Oratione pro Muraena ſe primum Quaeſtorem factum. Catonem ſecundum Conſulem renuntiatum memorat Plutarchus in vita: contra notatur Gracchus, quod non pro exſpectatione ſua primus, ſed renuntiatus fuerit quartus Trib. pleb. & Vatinius vix Aedilis factus & poſtremus. Similiter oppreſſa rep. & in unius poteſtatem redacta, honeſtiſſimum habebatur inter Candidatos Caeſaris, quos ille populo in comitiis commendabat, primo loco aut proxime in primis, commendari & deſtinari magiſtratui. Quod ſibi fratrique ſuo contigiſſe praedicat Vellejus. Suetonius vero notat Veſpaſianum ſero & ultimo demum loco Aedilitatem adeptum. Popma.

Candidatis.] *Candidatos.* Ed. Rh.

Sacerdotibus.] V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 177.

Commendaret Tiberius.] *Commendarit.* Heins.

Et voti & conſilii.] *Ut voti & c.* Ed. Rhen. Forte, *ut voti, ita conſilii.* ut ſupra cap. 117. *ut corpore, ita animo mollior.* Burm.

Quippe exercitus.] Multis dicit Tacitus I. Ann. & Dio LVII. Schegk. Has ſeditiones egregie deſcripſit, & ad exemplum perfectae ſuper hoc argumento commen-

va-

tationis, ſicut ſupra jam monuimus, Tacitus I. A. 16. & ſeq. Idem I. A. 31. & ſeq. adde Dion. LVII. Sueton. Tib. 25. BOECL.

Praeſentisque Germanici imperio regebatur.] Attendendum, ne nimis hoc vulgariter exaudiatur. Nam quod & ipſum eſt vulgare, dictum hic *praeſentis*, non qui tantum coram adeſt, ſed qui cum imperio praeeſt: ut *praeeſſe exercitui*: vulgatiſſime. Hoc monui, ne incogitantes & mei ſimiles falleret: quomodo ſaepe non ſua mente multa imprudenter a multis accipiuntur. Velut *praeditus*, quod Apulejo pro praefectus, aut praepoſitus, collocatum, facile incautis poſſit trito illo ſenſu obrepere. Hujus, etſi huc non pertinet, dabo tamen exemplum de Deo Socratis. *Ac ubi vita edita remeandum eſt, eundem illum, qui nobis praeditus fuit, raptare illico & trahere velut cuſtodiam ſuam ad judicium.* ACIDAL.

Profunda.] V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 78.

Conſtituere conati ſunt.] Vox poſtrema eſt ſententiae inquinandae: tollatur. GRUTER.

In ultimum.] In MS. fuit: *& paene in ultimam gladiorum erupit impunitas.* Lege, *& paene in ultima gladiorum erupit impunitas.* VOSS. Et cur non *in ultimum*, eodem jure atque *in ultima* liceat dicere? An non Horat. II. Ep. I. 32. dixit? *Venimus ad ſummum fortunae.* Et Livius lib. II. 56. *Patres ad ultimum dimicationis rati rem venturam.* Ita *ad extremum*, & ſimilia, ſaepe Livius & alii. Sic Quinct. Decl. XII. 24. *ad ſupremum damnare*, ubi alii *ad ſupremam.* Heinſius, Cellarius & Hudſ. *in ultima* receperant. BURM.

Praecipue noſtrorum.] Vellem: *praecipue auctorum.* LIPS. *Praecipue noxiorum* ſcribendum. quod & Cl. Gronovius volebat in Obſervationibus lib. II. 23. ut poſtea ſum edoctus. *praecipue auctorum* Lipſianum longius recedit. Livius libro XXIII. cap. 3. *Sed prius in ejus locum virum fortem ac ſtrenuum cooptabitis, quam de noxio ſumatur ſupplicium.* libro XXVI. cap. 16. *Severe & celeriter in maxime noxios animadverſum.* libro XLV. cap. 10. *Culpam non penes populum, ſed paucos concitatores vulgi eſſe: quae omnia, ſi poteſtas populo foret, in capita noxiorum verſura.* HEINS. Gronovius etiam, *miti aliorum caſtigatione.*

Ut pleraque ignave Germanicus.] Immo omnia *gnave.* nihil

nihil mutandum. novimus te, novimus mancipium Tiberianum. tu rectum Germanici ingenium apud Suetonium, Dionem, & eximie Tacitum tacitus mirare. SCHEGK. Vehementer hic vapulat Vellejus & merito, ſi de unico eorum temporum ornamento, Caeſare Germanico, qui legiones ſeditioſas, *incertum conſtantia, an pietate majore compeſcuit* (teſte Suet. Calig. 1. & Tacito) ita loquitur, ut ignaviam homini, ſi quis unquam, induſtrio fortique tribuat. Faciebat hactenus veriſimilem hanc Velleji malignitatem, odium Tiberii in Germanicum, adulatio Velleji perpetua in Tiberium. Verum poſtquam rem accuratius expendi, nullo modo credo, imo palam nego, Vellejum ita ſcripſiſſe. Non erat ex ratione ſtatus & arcanorum domus; non erat ex uſu aulici aſſentatoris, non denique ad cetera, quae de Germanico tradit, quadrabat. Nonne Tiberius odium iſtud in Germanicum, omni ſpecie benevolentiae & honoris velabat & in publicum obtegebat? nonne prodidiſſet incaute & temere Vellejus, ſi ſub principe hoc, publice Germanicum vituperare auſus eſſet? Quid? An Auguſti Nepoti, Tiberii adoptivo publice convitium fieri, paſſura erat majeſtas domus? Vide quid infra de Germanico Vellejus cap. 129, 2. & 3. Haec & ſimilia facile mihi perſuadent, ut prorſus credam Vellejûm, *gnave*, ſcripſiſſe, aut aliquid tale, quo comparatio fieret induſtriae ab utroque, Druſo & Germanico, navatae. BOECLERUS.* Excidit verbum. Opinor, *ut pleraque ignave gerebat* (vel *geſſerat*) *Germanicus*. Certe Tacitus Ann. 1. cap. 40. *reprehenſum ab omnibus Germanicum tradit, quod non ad ſuperiorem exercitum pergeret hoc motu, ubi obſequia, & contra rebelles auxilium: reprehenſum ab ipſo quoque Tiberio, ut cuncta ejusdem, quod nimius fuiſſet mandandis terrae Variani exercitus reliquiis. HEINS. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 78

Ita Druſus.] Perperam in editione principe, *Brutus.* VOSS.

Antiquaque ſeveritate uſus, ancipitia ſibi tam re, quam exemplo pernicioſa, & his ipſis militum gladiis, quibus obſeſſus erat, obſi[.]entes coërcuit.] Quid dicam aliud, niſi alibi mentem habuiſſe correctores, cum haec legerent? Neque enim ego mentem eorum ullam, bona quae ſit, aut ſaltem non peſſima, video. Ac mira prorſum res

erit,

erit, ni vocula, *auſus*, inſerenda, cui abolendae illius alterius, *uſus*, fuerit ſimilitudo: nive particula & ſuo loco excidit, qua repoſita, ſic omnia fore ſcribenda, ut ſubjiciam. *Priſca antiquaque ſeveritate uſus, & ancipitia ſibi tam re, quam exemplo pernicioſa auſus, his ipſis militum gladiis, quibus obſeſſus erat, obſidentes coërcuit.* Sane verbis nihil nunc clarius, ſententia nihil praeclarius: & illa quovis pignore contenderim Vellejum cogitaſſe, hanc prorſus expreſſiſſe. Acidal. Vox *pernicioſa*, item copula & ſequens ſi ablegarentur, reformato *uſus* in *auſus*, exiret orationis quaſi gemma. Gruterus. Locus corruptiſſimus. Qui enim dicat Vellejus, re pernicioſum fuiſſe, quod proſpere adeo ceſſit? Nec multum ſane profecerunt viri docti, qui ſe magis implicarunt, quam explicarunt. Pro *tam re* in MS. fuerat, *timere*. Unde non dubito, quin veriſſime hunc locum emendarim. Lego: *priſca antiquaque ſeveritate, auſus ancipitia, ſibi tam e re, quam exemplo pernicioſa*, &c. *E re* uſitatiſſima loquendi formula de commodis, & utilibus. Voss. Locus foede corruptus. In exemplari erat: *ſibi timere quam exemplo.* Gruterus bene *uſus* in *auſus* mutat, ſed quod delere cupit vocem *pernicioſa* cum *copula* ſequente, eam medicinam prudentiſſimus quisque nimis ſtrenuam dixerit. Quid ſi legamus? *auſus ancipitia ſibi tam re quam exemplo periculoſa, his ipſis militum glad.* Certe periculoſum ipſi Druſo fuiſſe, ipſa res, & Velleji quae ſequuntur verba inſinuant: de exempli periculo cuivis cogitare promtum eſt. Exiſtimem etiam *pernicioſa exemplo*, durius dici & vehementius de Druſo, quam Velleji mos & inſtitutum hujus loci patitur, cum & alias erga domum principis ubique reverentia, ubique cautione utatur. Voſſius ita emendavit: *auſus ancipitia, ſibi tam e re, quam exemplo pernicioſa.* Boecler. Pro *plurimo quidem igne emicans*, ſcribe *qui a patre in id ipſum, plurimoque idem igne* (vel, *plurimo pridem igne*) *emicans incendium militaris tumultus miſſus erat.* Forſan & excidit τὸ *reſtinguendum. In incendium militaris tumultus reſtinguendum miſſus erat.* Nec ſequentia minus mendoſa. Pro *priſca antiquaque ſeveritate uſus*, ne bis idem dicatur, aliquando malebam, *ſtricta antiquaque ſeveritate.* ſic *ſtricti Catones* Manilio. de quo ad Propertium elegia ultima lib. iv. ſed cap. 89. *priſca antiquaque forma.* cap. 92. *priſca ſeveritas. Priſca ſuper-*

percilia, in Catalectis. Illa, quae ſubſequuntur, nimis aſpera, *ancipitia ſibi tam re quam exemplo pernicioſa.* Si liceret inſerere unum alterumque vocabulum, ſcriberem. *Ancipitia ſibi tam re, quam exemplo in publicum pernicioſa.* Tacitus Hiſt. I. cap. 5. *Acceſſit Galbae vox pro republica honeſta, ſibi anceps.* Solet enim Vellejus nonnumquam libertatis ſpeciem, cum judicat, ita prae ſe ferre, ut eam cum adulatione ſolita temperet. illa *exemplo pernicioſa*, forte malis non ſollicitari. Tale enim Horatianum, *exemplo trahenti Perniciem veniens in aevum.* Sed cum veriſimile haud fiat, tam acerbe auſum judicare de hoc Druſi facinore Vellejum, ne Tiberium offenderet, cujus etiam amicos omnes multo cum honore paſſim nominat, nunc perſuadeor ut credam, *pernicioſa* debere mutari in *perſpecioſa.* Cogitabam & aliquando *periculoſa.* Jacobus Perizonius ſic locum eſſe conſtituendum cenſebat, a Grutero paullulum adjutus, *ita Druſus, priſca antiquaque ſeveritate, auſus ancipitia ſibi tam re, quam exemplo ſpecioſa, & his ipſis militum gladiis.* Sin τὸ *uſus*, quod mox denuo occurrit, retineri placet, legebat, *ita Druſus pr. ant. ſeveritate uſus, ancipiti ſibi tam re, quam exemplo ſpecioſa, & his ipſis*, &c. *Specioſi* vocabulum alias quoque occurrit apud noſtrum cap. 59. 104. Florum, Valer. Maximum. Gronovius, *qui a patre in id ipſum plurimo quidem igne emicans incendium miſſus erat, priſca antiquaque ſeveritate, auſos ancipitia ſibi tam re, quam exemplo pernicioſa, his ipſis militum gladiis, q. ob. e. o. coërcuit.* Heins. Cellarii Editio, *uſus, ancipiti ſibi tam re, quam exemplo pernicioſa, unus, his i. m. gl.* &c. *Priſca antiquaque*, non movendum docet ſimilis locus cap. 89. ubi, *priſca & antiqua reipb. forma revocata*, & cap. 110. *vir antiquiſſimi moris & priſcam gravitatem ſemper humanitate temperans.* Ita *vetus & antiqua aetas.* Quinct. Decl. CCLXIV. Boeclerus in indice per *ancipitia* hic remedia extrema intelligit, ſed tunc *adhibuit*, vel ſimile verbum ſubaudiendum. Ego praeferrem Gronovianam emendationem, niſi malimus, *priſca antiquaque ſeveritate, ancipiti auſo, tam re quam exemplo pernicioſa, his* &c. *coërcuit.* anceps erat Druſi auſum, quia periculum ipſi, ſi non perficeret, a tumultuantibus militibus certum inſtabat. Ita *auſum* ſupr. cap. 80. ſi nimis poëtica vox videatur, recurramus ad Gronovii lectionem. Burm. V.

Graev.

Graev. & Heinſ. Ep. Syll. T. IV. p. 415, 420. &c. 430, 435. Periz. p. 772. &c. Miſc. Obſ. V. IX. p. 177.

Imperatoria.] Eſt ille, quem Tiberius poſtremum hoc nomine inſignivit: teſtis, omnium inſtar, Lipſius. SCHEGK.

Praediximus.] V. Cup. Ep. Syll. T. II. p. 627.

Cum imperio obtineret.] Hoc nimis certe coactum. Malim: *cum imperio obtinuit, & in ſumma pace quiete continuit.* ACIDAL.

In maxima parte.] *In maritima parte* Eraſm. Steph. Hunc P. Cornelium Dolabellam eſſe puto Conſulem A. U. C. DCCLXII. cujus meminit lapis apud Grut. pag. 176. 2. quem etiam adfert Montfauc. Diar. Ital. cap. X. p. 148. ubi praenomen Q. ipſi datur, ſed conſtanter P. dicitur in faſtis & in aliis lapidibus p. 182. 8. & MXLV. 2. & apud Reineſ. claſſ. XIX. 21. Proconſul Africae, ſucceſſor Junii Blaeſi A. U. C. DCCLXXVI. vid. Pigh. Annal. I. Tacit. IV. Ann. 23. debet bellum cum Tacfarinate abſolviſſe. Illyrico praefuiſſe docet lapis apud Gruter. pag. CCCXCVI. 1. quem *civitates ſuperioris Illyrici* ejus honori poſuerant, unde apparet, cur hic, *in maxima parte Illyrici*, noſter dicat: non enim toti praefuit. Africani proconſulatus non videtur noſter meminiſſe, quia in gratiam Sejani triumphalia ornamenta ei a Tiberio negata, ne Blaeſi, avunculi Sejani laus aboleſceret. Tacit. IV. 28. BURM.

Cum inſerta ſint oculis animisque omnium.] Sic facile fuit nuperis emendare ex vitioſo veterum, *incerta.* quam ipſam vocem corruptam eodem modo, necdum correctam in Auſonio, mirum. In Leontium, Burdigalenſem profeſſorem. *Literis tantum titulum aſſecutus, Quantus exili ſatis eſt cathedrae: Poſſet incertus numero ut videri Grammaticorum.* Quis dubitabit, *inſertus* fuisſe ſcribendum? Vix me hercule poſſum, ut ſemel firmiter apprenſum Auſonium dimittam ſine vulnerum illius aliquot, magnis medicis intactorum, ſanatione. Sed auriculam vellit mihi Vellejus, & defungi maturius cupit ſua curatione. ACIDAL. Bene Schegkius, qui revocavit ſcripturam ſcripti codicis, *inſerta.* id enim poſtulabat & ratio & ſententiae vinculum. GRUTER. Recte Burerius, *inſerta.* Sed locus hic ita in MS. legebatur:

cum inſera oculis animiſque omnium &c. Lego igitur: *cum inſerta oculis animiſque omnium, partibus eloquatur?* Voss. Jam ſupra monui τὸ *in* frequenter redundare apud Vellejum librariorum culpa. Scribendum igitur, *partibus eloquatur.* nam ita ſolet. Verum id Voſſius jam occupavit: deinde vetuſtus codex, *cum inſera oculis.* Forte, *quis univerſa, inquam, inſerta oculis animiſque omnium, partibus eloquatur? univerſa* enim *partibus* amat opponere noſter. ut cap. 38. *quae facilius, quam partibus, ſimul univerſa conſpici poſſint.* & mox: *Hiſpania ſaepe amiſſa partibus, univerſa ductu Auguſti facta ſtipendiaria eſt.* cap. III. *furentes eorum vires univerſas partibus evaſimus.* Plinius lib. V. Ep. 13. *quid de univerſo, quid de partibus ſentias.* ſcribe ſic apud Columellam libro VII. cap. 13. ex optimis membranis. *Quare veterinariae medicinae prudens eſſe debet pecoris magiſter; ut, ſi res exigat, vel integrum conceptum, cum transverſus haeret locis genitalibus, extrahat; vel ferro diviſum citra matris perniciem partibus educat.* Vulgati *partum educat.* Sed *conceptum* pro partu jam dixerat, ne *partu* hic ſit opus denuo. Ita & Plinius libro XX. cap. 22. *Non edendum gravidis, niſi mortuo conceptu.* τὸ *partibus* quippe tantundem valet apud noſtrum, ac *ſingula.* ſic cap. 129. *ſed propoſita quaſi univerſa Principatus Tiberii Caeſaris forma, ſingula recenſeamus.* Seneca de Ira libro II. cap. 28. *tota vincetur, dum capitur partibus.* Ep. 89. *Facilius enim per partes in cognitionem totius pervenimus.* & mox: *nobis ſingula quaeque facilius oſtendi poſſunt: nondum univerſi capacibus.* de Tranquillitate Animi cap. 1. *Hoc non tam ſemel tibi poſſum, quam per partes oſtendere.* Nat. Quaeſt. libro VI. c. 1. *Omnis ſoli vitium eſt, male cohaerere, & ex cauſis pluribus reſolvi, & ſummam manere, partibus ruere.* HEINS.

Non imperio, ſed religione.] Tali figura Plinius ad Trajanum de Nerva Paneg. cap. 11. *ſed licet illum aris, pulvinaribus, flamine colas, non alio magis tamen Deum & facis & probas, quam quod ipſe talis es. In principe enim, qui electo ſucceſſore fato conceſſit, una itemque certiſſima divinitatis fides eſt, bonus ſucceſſor.* Idem, qui de conſecratione Auguſti a Tiberio facta aliter judicat: *dicavit coelo Tiberius Auguſtum, ſed ut majeſtatis crimen induceret.* BOECLER.

Non

Non appellavit eum, ſed fecit Deum.] Aeque belle procederet oratio, reſecta voce tertia, vel ultima repoſita in ejus locum. GRUTER. *Non appellavit, ſed fecit Deum. τὸ eum* tollatur. HEINS.

Fecit Deum.] Manilius de Auguſto conſecrato lib. IV. 932. *Jam facit ipſe Deos, mittitque ad ſidera numen. Majus & Auguſto creſcit ſub pondere coelum.* Juvenalis de fortuna, X. 366. *Te facimus fortuna Deam, coeloque locamus.* POPMA.

Revocata in forum fides.] Egregia deſcriptio boni Imperii felicisque ſtatus. quamquam quod de magiſtratuum auctoritate & Senatus majeſtate dicitur, ad ſimulacra libertatis pertinet, callide a Tiberio objecta, quod aliunde conſtat. BOECLER. *E foro* redundat: tum & *ſeditio* poſt paullo rurſus inculcatur nobis. ſed quae eſt illa *fides in forum revocata?* Adſentior equidem clariſſimo & rarae eruditionis viro Johanni Georgio Graevio, qui referebat ad fidem, quam creditores praeſtabant debitoribus. unde & *ceſſiſſe* dicebantur *foro*, quorum fides decoxerat. Apud Tullium agraria prima: *fidem de foro, dignitatem de rep. ſuſtuliſtis.* agraria II. *ſublata erat de foro fides.* rurſus Pompejana: *haec fides, atque haec ratio pecuniarum, quae Romae, quae in foro verſatur, implicita eſt cum illis Aſiaticis pecuniis.* idem de Officiis libro II. *Nulla res vehementius remp. continet, quam fides, quae eſſe nulla poteſt, niſi erit neceſſaria ſolutio rerum creditarum.* deinde malim, *judicibus gravitas*, quam *judiciis*. HEINS. Ego *fidem* hic tam de creditoribus privatis, quam de publicis capio, quia respublica pecuniam a privatis mutuam accipere ſolet, & ita neceſſitates reipubl. ſublevare. Livius l. XXIII. 48. *Itaque niſi fide ſtaret respublica, opibus non ſtaturam.* de privata Sueton. Vesp. 4. *ut qui prope labefactata fide omnia praedia fratri obligaret.* Vid. & Heinſ. ad cap. 68. BURM. V. Graev. Ep. Syll. T. IV. p. 485. &c. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 79.

Summota e foro ſeditio.] V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 177.

Ac ſitu obſitae.] Editio princeps perperam, *oppoſitae.* VOSS.

Acceſſit magiſtratibus.] In Edit. Rh. erat, *militibus*, ſed Erasmus recte correxit.

Theatralis ſeditio.] Etiam hoc inter eulogia. Hercle

vero ſerio. nam theatro ſuae factiones, ſui duces. Hinc ſaepe tumultus caedesque, de quibus Lipſius in Corneliano Commentario, & Epiſt. lib. I. cap. I. Ducem factionis depingit Tacitus lib. II. *Erat in caſtris Percennius quidam dux olim theatralium operarum, deinde gregarius miles, procax lingua, & miſcere coetus hiſtrionali doctus ſtudio.* Schegk.

Aut incuſſa voluntas aut impoſita neceſſitas.] Omnino dictum durius aliquanto, *voluntatem incutere. Metum & pavorem incutere* ſatis obvia. Livio *incutere religionem, admirationem*, Juſtino IX. 7. *ſuperſtitionem.* Dederat Vellejus, puto, *aut injuſſa voluntas.* ſic Senecae Ep. 57. *ad primum conſpectum lucis alacritas incogitata rediit & injuſſa.* Ep. 66. *omne honeſtum injuſſum incoactumque eſt.* Sponte nimirum proveniebat haec voluntas ab exemplo Principis, non a legibus, quarum eſt jubere. refer ad ſubſequentia: *Nam facere recte cives ſuos Princeps optimus faciendo docet: cumque ſit imperio maximus, exemplo major eſt.* Tacitus An. III. cap. 55. ubi inquirit in cauſas, cur luxus ille profuſus Romanorum ſua aetate intermiſerit quodammodo ac deminutus ſit: *ſed praecipuus adſtricti moris auctor Veſpaſianus fuit, antiquo ipſe cultu victuque, obſequium inde in principem, & aemulandi amor, validior quam poena ex legibus & metus.* Pacatus Panegyrico ad Theodoſium: *Tuae, Imperator, epulae menſis communibus parciores. Hinc in omnes certatim luxuriae pudor, parcimoniae cultus inolevit: & quieſcentibus legum minis ſubiit quemque privatim poenitentia. Injuſſa* igitur *voluntas, juſſae legibus neceſſitati* opponitur. Seneca apud D. Auguſtinum de Civitate Dei lib. VI. cap. 10. *Quae omnia ſapiens ſervabit tanquam legibus juſſa, non tanquam Dis grata.* Heinsius. Mihi multo durius videtur dictum *injuſſa voluntas*, quod minime reſpondet τῷ *impoſita.* imitatus noſter Lucretium, qui lib. I. 20. *Omnibus incutiens blandum per pectora amorem.* ubi vide Lambinum. nec veritus ita loqui Horat. I. Ep. XIV. 21. *Fornix tibi & uncta popina Incutiant urbis deſiderium.* Apulej. lib. II. Met. *alacrem vigorem libidinis incutiat. Incutere odium* Juſt. XXXVIII. 7. *metum* Idem XLII. 5. & ita paſſim alii. Burm.

Laetior.] Rectum hoc quidem, niſi forte rectius *latior.* Nam ſequitur, *diffuſa in orientis occidentisque tractus.* Tamen omnino nihil muto. Acidal. *Me-*

Meridiano.] Ita ſimpliciter etiam utitur Obſequens de Prod. cap. CXXXI. *Fax coeleſtis a meridiano ad ſeptentrionem extenta. Meridiano*, pro tempore *meridiano* dixit Plin. lib. IX. 8. & 10. de quo vid. ad Quinct. XII. Inſt. 8. BURM.

Pax Auguſta.] Ita in pluribus Imperatorum nummis, vel *Pax Auguſti*, hodie conſpicitur; non tamen, quod ſciam, ante Caligulae tempora. BURM.

Pax Auguſta per omnes terrarum orbis angulos a latrociniorum metu ſervat immunes.] Sic repoſui audacter, non adeo me, quam veritate niſus. Quid enim falſum eſt, ſi hoc non eſt, quod in nuperrimis Aldi Schegkiique editionibus? *Per omnes terrarum orbis anguloſa.* ACIDAL. Excidit puto *τὸ nos*, poſt *angulos*, *nos a latrociniorum metu ſervat immunes.* HEINS.

Servat immunes.] Lipſius, *immune.* RAPHEL. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 79.

Reſtitutae urbes Aſiae.] Vid. Tacit. lib. II. Annal. PUTEAN. Disjectae terrae motu, quo Plinius lib. II. cap. 81. duodecim urbes proſtratas ſcribit, Euſebius in Chronicis tredecim. Meminit & Suetonius Tiberio cap. XLIII. POPMA.

Sed aliqua.] Fortaſſe: *ſed aequa.* LIPS. Inclinant alii legere, *ſed aequa*, quibus non adhaereo. blanditur enim prorſus Vellejus Tiberio, & vult maximis etiam criminibus minimas adplicuiſſe poenas, teſtandae clementiae. ſi *aequam* admittamus; tunc ea ipſa oportet compenſarit gravitate ſupplicii ſuam moram: quod convenerit quidem juſtitiae, non etiam principi recenti. GRUTER. Poena ſemper malos ſequitur, etſi aliquando ſera. Tibullus lib. I. eleg. II. *Sera tamen tacitis poena venit pedibus.* Propertius lib. III. eleg. 4. *Poena erit ante meos ſera, ſed ampla pedes.* Statius lib. V. Thebaid. *Lentoque irrepunt agmine Poenae.* POPMA. Τὸ *aliqua* non debuit immutari a Lipſio in *aequa*. ut mite Tiberii commendaret ingenium, malos quidem ſub illo vult plecti, ſed ſero, nec pro meritis; cum dignos honor maneat paratiſſimus. HEINS.

Nam facere recte cives ſuos, &c.] Cicero Fam. lib. I. epiſt. 9. pag. 25. *Quales in Repub. principes eſſent, tales reliquos ſolere eſſe cives.* Sumptum autem ex Platone, lib. IV. de Leg. Μηδεὶς ὑμᾶς πειθέτω, ὦ φίλοι, ἄλλῃ θᾶττον,

τον, καὶ ῥᾷον μεταβάλλειν ἄν ποτε πόλιν τοὺς νόμους, ἢ τῇ τῶν δυναστευόντων ἡγεμονίᾳ. MANUT. Graviter & copioſe tractavit hunc locum Lipſius. II. Polit. cap. 9. toto: & fuſius etiam, in utramque partem, Petrus Faber Semeſtr. III. 20. BOECLER.

Faciendo] V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 79, 406. V. IX. p. 280.

Raro eminentes viri, &c.] Eximium de adjutoribus Principum & amicis locum, plerique in hoc argumento Politici laudant. Rurſum accurate, ut ſolet, de re tota Lipſius 3. Polit. 2. & 3. Scilicet *optimos gubernatores juvat & remigum manus.* Sive ut Symmachus explicat lib. IV. ep. 7. *Summis imperii moderatoribus pia & decora ſuadentes, inſtrumenta ſunt boni ſaeculi. Eſt quidem Rectori noſtro divini fontis ingenium, & omnium virtutum promta natura. Sed ut imagine uti liceat, optimos gubernatores haud mediocriter etiam remigum manus juvat.* Illud hic obſervandum eſt, Velleio ſermonem eſſe non de Amicis Principum & conſiliariis univerſim, ſed de *eximiis illis Adjutoribus rerum*, qualem plerumque *unum* tantum, raro *duos* (periculoſe enim pluribus id faſtigium indulgetur) Magni Principes ſibi admovent intima amicitia, proximosque ſuae magnitudini eſſe jubent; ſicut exemplis Agrippae, Sejanique conſtat. Non patiuntur graviora negotia conſcientiam plurium, neque gubernari feliciter aliqua, niſi unius opera poſſunt: ergo deligendus aliquis, cui Princeps, qui non omnia ſolus ſua ſcientia actuque poteſt complecti, ſumma negotia committere poſſit. Porro, hunc fidum facere ſibi tum aliis rebus, tum multa honorificentia neceſſe eſt. Hinc faſtigium illud a Principis majeſtate proximum; in quod non tam voto Principis, quam neceſſitate, ut innuimus, reponitur, quisquis reponitur. Quare multa paſſim ſuggeruntur Principibus arcana adverſus maximarum rerum gubernatores, quos & colere coguntur, & plerumque non poſſunt non timere. Sed quid? plura illi ipſi arcana in promtu habent adverſus Principem. *Unum autem idque certiſſimum arcanum ad reip. ſalutem eſt Principis ipſius peritia & prudentia*, ne ſcilicet totus aliunde pendeat, ſed omnia ab ipſo pendeant. Vide Comin. lib. III. BOECLER.

D. Auguſtus M. Agrippa, & maxime ab eo, Statilio Tau-

Tauro.] Leviter forte trajiciendum: *M. Agrippa, maxime & ab eo, Statilio.* ACID.

Maxime ab eo.] Ferri intelligique poteſt: ego tamen Μαντεύσομαι, ὡς ἐνὶ θυμῷ Ἀθάνατοι βάλλουσι. & puto fuiſſe: *M. Agrippa, & Maximo Fabio.* Notus vel e Tacito eſt Fabius Maximus, qui inter fidos Auguſti amicos, & conſcios arcanorum. [Vide noſtrum Com. lib. 1. An.] At enim, inquiet aliquis, ille nobilis: hic de novis hominibus ſermo. Ovidius quidem, fateor, nobilem eum fecit: ſed neſcio an hiſtorica fide: nec putem fuiſſe e priſcis illis Fabiis. LIPSIUS. Noluiſſem factum. Fabius enim vir conſularis in amicis quidem Auguſti, ſed non inter praecipuos, multo minus, ut cum Agrippa & Tauro Statilio hic comparari poſſit, hoc eſt, vir nobiliſſimus cum hominibus novis. Nam quo jure nobilitatem ejus in diſcrimen vocet Lipſius, negetque ab patriciis hunc ortum Fabiis, ipſe viderit: cum & Naſo hujus Fabii originem ab Hercule, unde Fabii patricii oriundi, deducat, praecipuamque nobilitatem viri passim in Ponticis commendet. & Marciam, Caeſaris cognatam, feminam itidem nobiliſſimam, uxorem illi fuisſe ſciamus, eodem Naſone Tacitoque teſtibus. nobilitatem Fabii hujus adſtruit Auguſtus ipſe apud Senecam de Clementia lib. 1. cap. 9. alter vir ſummus in obſervationibus corrigebat, *& Maecenate & Statilio Tauro*, ratus parum Latine dici, *maxime ab eo;* atqui *ab eo*, eſt poſt eum: *tu nunc eris alter ab illo.* Ignoſcant manes quondam mihi conjunctiſſimi hominis, ſi veritati adhaereo. *Homines novi* dicebantur, qui primi familiae ſuae praecipuos obtinebant in rep. honores, atque ita praelucebant majoribus ſuis. Tales Agrippa Vipſanius, & Taurus Statilius, conſulares & triumphales viri. At Maecenas, etſi nobiliſſima ſtirpe oriundus, ne Senator quidem. Nam praefectura urbis, quam geſſit, & ipſa inter novas dignitates. Cilniam gentem fuiſſe opulentam jam olim ac praepotentem Aretii apud Etruſcos innuit & Livius lib. x. cap. 3. & 4. HEINS. Recte Heinſius vindicat vulgatam lectionem. de uſu hoc praepoſitionis *a* vide nos ad Ovid. Ep. v. 152. mallem tamen hic legere *& proxime ab eo, Statilio Tauro.* Nam haec verba ſaepe commutata a ſcribis vidimus ſupr. ad cap. 36. BURM. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 177.

Enumerarentur.] *Enumerentur* codex vetuſtus. Forte, *eveherentur*; vel, *quominus & multiplices conſulatus triumphosque, & complura emererentur ſacerdotia. emereri* pro *mereri*. ſic ſolet Vellejus. *emerentur* pro *emererentur* fuerat antiquitus. vide nos ſupra. HEINS.

Etenim magna negotia magnis adjutoribus egent.] Malim, *adjutoriis. adjutoribus* proxime praeceſſit. HEINS.

Neque in parvo paucitas miniſteria defecit.] Multis partibus potius eſt, *deficit*. quod verbum, ne mireris, active capiendum: ut & Virgilii loco Georg. I. *Prima Ceres ferro mortales vertere terram Inſtituit, cum jam glandes atque arbuta ſacra Deficerent ſylvae, & victum Dodona negaret*. Eſt enim utrobique *deficere*, non ſufficere, non praebere. Hoc antequam ipſe ſic acciperem, mutare ſum adortus: *neque in parvo parvitas miniſterio deficit*. quomodo eſſet interpretandum, deficitur. Tu ride lector, & vide, ubi maxime acuti videri volumus, ſaepe nihil nobis hebetius. Ego tamen ita moderari mihi ſoleo, ut conjectandum ubi eſt, niſi quae oculis cerni, manibus tangi ac tractari paene poſſint, non admittam, non probem. Et fieri nihilominus poteſt, immo fit, ut veri quadam ſpecie oculi noſtri praeſtringantur, manus pro re umbram objectam apprehendant. ACIDALIUS. Senſum non video. Conjeci aliquando: *namque in parvo parvitas miniſterio ſufficit*. Quo ſenſu etiam Hericus Benedictinus (qui juxta Trithemium vixit anno IↃCCCLXXX.) lib. III. in vita S. Germani dixit: *Magnos magna petunt, concedunt vilia parvis*. Nec tamen mihi ipſi ſatisfacio. Sane ſi tota haec periodus tolleretur, ſenſus optime procederet. Quam belle enim cohaereat oratio, ſi ita legas? *Etenim magna negotia adjutoribus egent: intereſtque reipublicae, quod uſu neceſſarium, in dignitate eminere*. Voss. Ingenue fateor, nihil idoneum & Vellejo dignum hinc me elicere poſſe. Forte ab inepta & marginali gloſſa in textum immigrarunt. BOECLER. Forſan legendum, *neque in parvo paucitas miniſterii deficit*. THYS. Locus mendoſiſſimus. Forte, *neque in parvo favor proavita miniſteria defecit*. vel, *neque inpar favor proavita*. vel, *in parvo*, in *re parva*. ſic apud Naſonem, *Si licet exemplis in parvo grandibus uti*. Tale & Taciti Ann. XIV. cap. 21. *Majores quoque non abhorruiſſe ſpectaculorum oblectamentis, pro fortuna, quae tum erat*. HEINS. [Heinſ. Epiſt.

Epiſt. ad Graev. 295. 296.] V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 178.

Intereſtque Reip. quod uſu neceſſarium eſt, & dignitate eminere.] Bucretius, alter ego ille, Muſarum non minus, nec minor, quam meus amor, *id dignitate eminere*, mavult. ACIDAL.

Utilitatemque.] Mallem, *vilitatemque*, nam conſtat centies haec confuſa vocabula; vid. ſupr. Heinſ. ad lib. II. cap. 46. & nos multis ad Quinctilianum (vid. V. Inſt. 7. Decl. II. 7. & IV. 4.) locis. ſenſus vero, homines novos, & idem viles extollendos honoribus, & titulis, ut iis parere non recuſent alii. Sic Juſt. II. 4. de Amazonibus. *Ne ſucceſſibus deeſſet auctoritas, genitas ſe Marte praedicabant.* Suet. Veſp. 7. *Auctoritas & quaſi majeſtas quaedam, ut ſcilicet inopinato & adhuc novo principi deerat. haec quoque acceſſit.* BURM. V. Miſc. Obſ. V. VIII. p. 80. 406. V. IX. p. 280.

Muniri.] *Munire.* Edit. Rhen.

Sub his exemplis Tiberius.] Adverte non vulgatum praepoſitionis uſum: cui ille videtur ſimilis, qui apud Petronium cap. 93. *Totam concitabit viciniam, & nos omnes ſub eadem cauſſa obruet.* ACIDAL. Minime accommodata illa huic loco verba Petronii, ubi *ſub* praetextum notare docuimus olim. Sed aptiora ex eodem ſcriptore ſunt verba cap. 55. *Sub hoc epigrammate coepit Poëtarum eſſe mentio*, id eſt, poſt, continuo atque fuit hoc recitatum. Ubi aliis exemplis elegantem uſum iſtius praepoſitionis illuſtravimus. Quibus adde illa Quinctil. Decl. IX. 8. *Quidquid Hiſtoriae tradiderunt, carmina finxerunt, fabulae adjecerunt, ſub hac comparatione taceant.* BURMAN. Val. Max. II, II, 9. *Equeſtris vero ordinis juventus omnibus annis bis urbem ſpectaculo ſui ſub magnis auctoribus celebrat.* IDEM *in marg.*

Materno vero genere clariſſimas, veteresque & inſignes honoribus complexum familias.] Neque hic vulgo tritus ſermo: quem in Auſonio etiam obſervavi. Parentalib. *Arborium, Aeduico ductum de ſtemmate nomen, Complexum multas nobilitate domus.* ACIDAL.

Virum ſeveritatis laetiſſimae, &c.] Diximus ſupra de Piſone 2, 98. vide Lipſ. 3. Polit. II, 7. Ceterum veriora de Sejano, cui Vellejus adulatur, Tacitus habet 4. A. I. tot. BOECLER.

Otioſis ſimillimum.] Supra de L. Piſone: *& vix quemquam*

quam reperiri poſſe, qui aut otium validius diligat, aut facilius ſufficiat negotio, & magis quae agenda ſunt, curet ſine ulla oſtentatione agendi. Acidal.

Semper infra aliorum aeſtimationes.] Auctoritate MS. legendum, *ſemperque.* Voss. Hudſonus notat Rhenanum e MSS. habere *intra*, cum *infra* legatur in ejus editione: non tamen repudiarem *intra*, immo praeferrem. Vid. ad Quinctil. xi. Inſt. Orat. 3. Burm.

In hujus virtutum aeſtimatione.] MS. *virtutem aeſtimationem.* Vera lectio, *virtutum aeſtimationem.* Voss.

T. Coruncanium.] Imo, *Ti.* ex MS. Nam *T. Titum*, *Ti.* autem, vel, *Tib. Tiberium* denotat; ut non ſolum ex Valerio Probo, & Magnone, ſed & Plutarcho in Quaeſtionibus Romanis liquet. In inſcriptione tamen apud Gruterum pag. mlxxiii. legi ſcio: T. Caesar. Divi. Avg. f. Sed credo aut errorem eſſe quadrantarii, aut vetuſtate literam unicam fuiſſe extritam. Voss.

Hominem novum.] Totum hoc caput deſtinavit Vellejus obſervationi politicae de HOMINIBUS NOVIS. Quare & nobis licebit hic lineamenta majoris diſſertationis, quam alii occaſioni deſtinavimus, ducere. *Novus* apud Romanos appellabatur, teſte Aſconio Paediano, *qui primus in ſua gente honores adeptus erat.* καλοῦσι δὲ οὕτω τοὺς ἀφ' ἑαυτῶν, ἀλλ' οὐ τῶν προγόνων γνωρίμους, inquit *Appianus* ii. ἐμφυλ. p. 428. *Ita vocant, qui ex ſe ac ſua virtute, non majorum gloria inclaruere. Nam qui majorum ſuorum habuerunt imagines, ii* Nobiles; *qui, ſuas tantum, ii* Novi; *qui nec majorum, nec ſuas*, Ignobiles *appellati ſunt.* Ita ut novitas interjecta veluti eſſet inter Nobilitatem & Ignobilitatem. Sigon. de antiq. jur. civ. Rom. ii. 20. unde deſcripſit pleraque Roſinus i, 19. *Poterit igitur aliquis homo novus exiſtere omni virtute cumulatus, qui ita verſetur in ſtudio dignitatis, ut inter omnes excellat: quia tamen in ea gente primus numeratur, non erit in numero Nobilium. Poſtquam vero in ea familia, multi exemplis illius incitati, in gloriae cupiditatem incubuerint, tum demum elucere incipiet illud nobilitatis eximiae lumen. Primus itaque generoſus & magnificus, non tamen nobilis appellari ſolet: Ut ſit ea omnino differentia, quae eſt apud Graecos inter* εὐγενῆ & γενναῖον. *Hoc enim ad animi praeſtantiam refertur: illud ad familiae celebritatem. Ut igitur unum non numerum, ſed numeri principium dicimus:*

cimus: ſic illum primum, omnibus ſummis honoribus digniſſimum, non nobilem, ſed auctorem & principem nobilitatis existimamus. Sunt haec verba Hieronymi Oſorii Luſitani ex lib. I. de Nobilitate civili. Addendus eſt locus Plutarchi ex Catone Majore, cujus principio inquit: εἰωθότων δὲ τῶν Ῥωμαίων τοὺς ἀπὸ γένους μὲν δόξαν οὐκ ἔχοντας, ἀρχομένους δὲ γνωρίζεσθαι δι' αὑτῶν, καινοὺς προσαγορεύειν ἀνθρώπους, ὥσπερ καὶ τὸν Κάτωνα προσηγόρευον, αὐτὸς ἔλεγε, καινὸς εἶναι πρὸς ἀρχὴν καὶ δόξαν, ἔργοις δὲ προγόνων καὶ ἀρεταῖς, παμπάλαιος. *Cum Romani ſolerent, eos, qui generis quidem claritudine deſtituti, per ſe tamen ipſos incipiebant clareſcere*, Novos *appellare* homines, *ſicut & Catonem appellarunt: reſpondit Cato, eſſe ſe quidem novum ad magiſtratus & honores, factis autem virtutibusque majorum, pervetuſtum.* Non obſervabimus nunc ex hoc & pluribus ſcriptorum locis, latiorem vocabuli ambitum, quam ut ubique ad Magiſtratus curules reſtringi poſſit: diſpiciemus ſuo loco. Utri praeſtantiores ſint habendi, Novi homines, qui ex ſe inclaruere, aut qui vetuſtae nobilitatis ſtimulis & inſtrumento uſi claritudinem conſervavere, non adeo eſt dijudicatu facile. vide de illa quaeſtione (nos enim properamus) Oſorium lib. II. de Nob. civ. Illud in hoc tranſcurſu notamus: *Hominis Novi ſignificatum aliquando ex parte referre*, ſive accuratius loquendo, *ſaepe conjungi cum peregrinitate.* Ipſe Vellejus Noſter, *M. Catonem novum etiam Tuſculo* (ſive, *& a Tuſculo*, ſicut Lipſius legit) vocat: quanquam indicetur mox diſtinctio voce *inquilini*, neque nos latet Ciceronis cautio, *peregrinum* vocari, qui e municipio eſt, non ferentis in orat. pro Sulla, cap. 7. 8. ſed nos liberius utimur ea appellatione. Apud Auctorem de cauſſis corruptae eloquentiae cap. 7. Aper; *Equidem*, inquit, *ut de me ipſe fatear, non eum diem laetiorem egi, quo mihi latus clavus oblatus eſt, vel quo homo novus & in civitate minime favorabili natus, quaeſturam aut tribunatum, aut praeturam accepi*, &c. In Tacito leges III. A. 55. 3. *ſimul novi homines e municipiis & coloniis atque etiam provinciis, in ſenatum crebro aſſumti domeſticam parcimoniam intulerunt.* Verum praecidenda eſt confuſioni occaſio, ubi ad graviores quaeſtiones fuerit perventum. Neque plane idem eſt, quaerere de committendis dignitatibus *peregrino*; & *novo homini.* Ita contra peregrino-

grinorum honores in certis rebus locisque aliqua pronunciata invenies, quae de homine novo non ſtatim valeant. Exempli gratia, communis Regnorum lex cenſetur, ut per proceres indigenas unumquodque gubernetur, & in fide ſe eorum acquieſcere Rex oſtendat: ſi praeficiat peregrinos, detrectare fere obſequium cives ſolent; ac, ſi fidem in dubium vocet, ad perfidiam irritantur. Sereniſſ. Jacob. Rex Britann. in δωρ. βασιλ. lib. II. & Jo. Meurſ. Hiſt. Danic. lib. I. Haec ratio de homine novo, ſed indigena minus procederet. Neque tamen interim neſciri debet, ſemper in hoc argumento (de dignitate ſc. peregrinis committenda) ad novitatem rediri, dum quodammodo novus eſt ibi quisque, ubi peregrinus eſt: ſed qui novus, ideo non peregrinus cenſeri debet. Ceterum in nobiliſſima illa quaeſtione, *an ſummae dignitates etiam novis hominibus mandandae ſint*, pro affirmantium ſententia rationes vere pragmaticas adfert Noſter, a *Romanorum antiquo perpetuoque exemplo*; a *ratione ipſa & nobilitatis natura*, quae id *eſſe nobiliſſimum, quod eſt optimum*, ultro evincit, adeoque *in cujus animo virtus inſit, ei plurimum eſſe tribuendum*, oſtendit (quae argumenta in conferendis dignitatibus ut palmaria laudat Lipſ. III. Polit. 10.) ſubeſt & *eventus felicitas* ac *utilitas publica*, quam ingentem *Coruncanio*, *Catoni*, *Mummio*, *Ciceroni* Romani debent, adeo ut ubique hi tales viri memorentur, veluti divinitus publicae ſalutis cuſtodes & auctores dati. vide Tacit. 11. A. 24. Idem licebit in ceteris Rebuſp. & Imperiis obſervare. Quod cum dicimus, non excludimus *artes Ariſtocraticas*, quibus in optimatum rep. *novorum hominum ambitioni in petendis honoribus obviam iri aliquando oportuit*, qualis Livius tangit VII. 15. f. neque *cautionem ſceptris & gentibus & temporibus nonnullis neceſſariam*, quam & tempora *Arcadii ac Honorii Impp.* nobis commendant (quorum κακεξίαν non parum auxere *novi homines*, excluſis Nobilibus, rebus ſummis admoti) & prudentiſſimi cujusque admonitio ſuppeditat. Hinc eſt quod e ratione ſtatus Gallici, qualis tum fuit, exiſtimat fore Claudius Seſellius in aureo de Rep. Gall. libello, *ſi dignitates nobilibus potius, quam aliis tribuantur*: quod inter ultima mandata *Regis Daniae Joannis ad fil. Chriſtian.* illud reperitur, ut is legat ſibi homines, quos in honore habeat, indigenas, non

ex-

extraneos: *neque Novos, ſed proſapiae vetuſtae*, apud Meurſ. Hiſt. Dan. lib. 11. Dummodo illa conditio adjiciatur, quam non omiſit Seſellius, *ſi Nobiles illi digni talibus honoribus & rebus agendis pares*. Haec & ſimilia non negligenda arbitramur, cum adverſus *invidiam Nobilium* diſputamus, qua plerumque innoxiam & propter virtutem favore ac honore digniſſimam novitatem vexant. in quos vere & ſevere dixit Marius apud Salluſt. bell. Jugurth. 85. Ceterum, quae *de utilitate Novitatis hujus in Rep. conſiliisque totius ejus negotii in Imperio*, afferri poterant ac disquiri, alium poterunt habere locum. BOECLER.

M. Catonem novum etiam Tuſculo urbis inquilinum.] Scribe: *novum & a Tuſculo*. LIPS. Ut, *hoſpes Zacyntho*. Male Lipſius, *& a Tuſculo*, &c. VOSS.

Qui C. Marium.] Qui appoſite in hanc rem adverſus invidos apud Salluſtium: *Quod ſine jure deſpiciunt me, faciant idem majoribus ſuis, quibus, uti mihi, ex virtute nobilitas coepit*. ACIDAL.

Qui M. Fulvio.] Quis vero iſte *M. Fulvius*? Primum, nec gens Fulvia inter novas eſt, vetus, & multa copia honorum: nec in ea quisquam, in quem tam invidioſae potentiae elogium conveniat. Vere & avide corrigo: *M. Tullio*. Omnino noſtra illa Romana Suada eſt, in quam haec omnia cadunt. Ille novus, quod ipſe aliique teſtantur: ille potens & caeleſti ſua lingua Senatus populique rector. *Aſſenſione ſua* (ita verius, quam *aſſentatione*: niſi praefers, *aſſertione*) provincias, exercitus, & tantum non regna dedit: Caeſar ipſe & Pompejus teſtes; quorum illi Gallias prorogavit, hunc ad Piraticum bellum miſit. Denique jam palam *Regnare in judiciis, in concionibus* dicebatur, atque adeo inimici objiciebant, *Tertium peregrinum Romae eſſe regem*. In M. Antonium etiam quae fecerit, dixerit, & quomodo habenas reip. tenuerit, ſcimus. LIPS. Placet acutiſſimi Lipſii divinatio, qui, *M. Tullio*, ut haec quadrent in Ciceronem; at quod idem etiam reformatum cupit illud, *adſentatione*, in aliam aliamque vocem, ab eo prudenter diſſentio, ob cauſſas, quas poſui in libellis ſuſpicionum, ante conceptas, nedum natas acutiſſimi Acidalii in Vellejum noſtrum notas. GRUTER. Vere *M. Tullio* emendat Lipſius. VOSS. Lipſius dexterrime mehercules *M. Tullium* pro *M.*

Flu-

Fulvio huc revocavit. ſed *aſſentationem* ſollicitatam ab illo haud oportuit, quae ponitur pro *aſſenſione*. vide Acidalium. Heins.

Aſſentatione.] *Aſſentatio* non hic in malam partem, ſed pro *aſſenſione*. ut ſupra cap. 48. *aſſentari* uſus, pro *aſſentiri*. *Et iis qui a Caeſare dimittendos exercitus contendebant, aſſentabatur: iis qui ab ipſo, adverſabatur.* Nec igitur mutandum in Petronio cap. 17. *Tacentibus adhuc nobis, & ad neutram partem aſſentationem flectentibus.* ubi Gulielmius noſter, *aſſenſionem* reponebat. Et ad hanc faciem Apulejus *converſationem*, venuſte pro *converſione*. In de dogm. Plat. *Ejusdem temporis ſpatiis menſuras mundanae converſationis intelligi.* Venuſte, inquam; propter magnitudinem & molem, ac velut difficultatem. Acidal.

In cujuscumque animo virtus ineſſet.] Hinc etiam τὸ *in* videtur ablegandum. ſic apud Naſonem Triſt. IV. 4. *Cujus ineſt animo patrii candoris imago.* vide ſupra cap. 68. Heins. Minime ableganda praepoſitio. vide quae notavimus ad Quinct. II. Inſt. Orat. 16. in f.

Naturalis exempli imitatio.] Perperam Boeclerus in indice *naturale exemplum*, explicat majorum & parentum, cum debeant conjungi, *naturalis imitatio*, id eſt, ordinaria, conſueta omnibus, & quaſi innata, non per praecepta, ſed per mores tradita. nam initio capitis dixit non novum hunc eſſe morem. ita ſupra cap. 11. *Naturalis nobilitatis ſuperbia*; quaſi innata & inita; ſic *naturale & domeſticum bonum* Hiſt. Bell. Alex. 12. & ita capienda illa l. XVI. §. 4. ff. de minor. *in pretio emtionis & venditionis naturaliter licet contrahentibus ſe circumvenire*, id eſt, ἐμποριχῶς, more inter contrahentes uſitato, quia aliter non poſſent commercia exerceri. vide Novel. Juſtin. XCVII. cap. 1. & ita millies utuntur JCti voce *naturalis & naturaliter*, non de jure naturae, ſed more & conſuetudine. vid. Grot. de Jur. B. & P. II. cap. 12. §. 26. n. 2. & Ritterſh. ſacr. lect. l. VII. 16. Ita Quinctil. l. III. Inſtit. 8. dixit, *naturaliter plus valet metus malorum, quam ſpes bonorum.* Calp. Flac. decl. II. *Naturaliter fuſcos artus umbra cogit albeſcere.* Burm.

Ad juvanda vero onera principis Sejanum protulit.] Scribo, *propulit*, id eſt, impulit, permovit. Alterum quam interpretationem commode recipiat, nemini docto videar indoctior, ſi me fatear ignorare. Sane poſteriori oratio-

nis

nis membro convenire do, priori denego. neceſſe autem erat, utrique. ACIDAL. Et quoties non veteres uno verbo defunguntur, ubi duo requiri videbantur? exempla qui velit, praeter ceteros adeat Graevium ad Flor. III. 21. & nos ad Quinct. lib. VI. I. Subaudiendum ergo in primo membro *Caeſarem impulit*. BURM.

Eo perduxit.] In MSS. fuerat *produxit*. VOSSIUS. *Produxit* membrana. & recte. diximus ad illa Maronis Ecloga I. —— *En quo diſcordia cives Produxit miſeros!* —— Ita nimirum & illic ſcripti vetuſtiores. HEINS.

Rhaſcupolim.] *Reſcuporim* Tacitus. Ῥασκύποριν Dio lib. LIV. SCHEGK. Dion & Tacitus *Reſcuporim* & *Raſciporum* vocant. Suetonius Tiberio cap. 27. *Thraſypolim*: Caeſar lib. III. de bello civili, & Lucanus lib. V. ut Vellejus, *Raſcupolim*, Thraciae regem, ſed alium ante hunc. POPM. Apud Suetonium, *Thraſcypolis*. Sed malim, *Rhaſcupolis*. Niſi praeferas, *Rhaſcuporis*; quod in MS. invenit Torrentius. Sane Dioni etiam eſt, Ῥασκύπορις. Tacitus tamen, *Reſcuporim*, eum vocavit. Eadem variatio apud auctores in nomine alterius Raſcupolis, qui ante hunc regnavit. De quo alibi. VOSS. Copioſe Tacitus II. A. 64. & ſeqq. Meminit Suetonius Tib. 37. BOECL.

Fratris ſui filii.] Ita & Tacitus lib. II. Annal. Sed lib. III. ſibi ipſi adverſatur, ubi ait: *Caeſar Antiſtium Veterem ad dicendam cauſam retraxit, ut turbidum, & Reſcuporidis conſiliis permixtum, qua tempeſtate Cotye fratre interfecto bellum adverſus nos voluerat.* Lipſius graviſſimum ſcriptorem humani aliquid paſſum arbitrabatur. Ego in librarios culpam conjicere malim. Scribendum enim exiſtimo: *qua tempeſtate*, *Cotye fraude interfecto*, *bellum adverſus nos volverat*. Pro *voluerat* autem *volverat* repoſuimus, Pychenae judicium ſecuti. VOSS. *Filii Cotyis*, ſcribe. HEINS. *Cotys*, in genitivo ſi ſumere liceat; eodem res rediret, nam apud Caeſar. III. Bel. Civ. 36. quidam etiam ſcribunt, *equitatus regis Cotys*. ſed Daviſius propugnat, *Coti* & dici *Cotus*, *Coti*, *Coto* contendit, aeque ac *Cotys*, *Cotyos* vel *Cotyis*. quod non puto, ſed cum Sigonio ad Liv. XLV. 42. apud Ciceronem mendoſe *Cotto* pro *Coti* occurrere. quare hic accedo Heinſio. BURM.

Imperii formam evocavit.] *Ejusdem imperii formam evocavit.* Ita legitur hic locus, in antiqua editione. Sed ver-

verbum, *formam*, ſententiam perturbare cum videretur, omiſſum eſt a doctis viris. Nos tamen illud retinemus, & *formam* mutamus in *Romam*, hiſtoria praeſertim conſentiente. URSIN. Edit. vet. vox inſeritur: *imperii formam evocavit.* Facio ex ea, *Romam*. Atque ita res eſt. LIPS. Editio prima immittebat, *formam*. Unde Urſinus & Lipſius effingunt, *Romam*. Male profecto. Nam vox ea (ut jam olim etiam recte monuere Rhenanus, ac Burerius) ſurſum in tertio verſu in autographo deſiderabatur; ibique bene repoſita eſt. VOSS.

Nati ad omnia, quae recte facienda ſunt.] Tempeſtas memini quondam fuit, quum mallem, *quae recta faciendo ſunt*. ACIDAL.

Merentis ſemper, quam, &c.] Intelligitur *magis*, frequenti locutione Tacito: Valerio lib. I. cap. I. *Factum Maſiniſſae animo, quam Punico ſanguine conveniens.* Comicus: *Tacita mulier, quam bona.* Haec occurrerunt. ſexcenta talia licet obſervare apud JCtos noſtros. SCHEGK. Eſt ellipſis particulae *magis* vel *potius*: cujus exempla quaedam notavi lib. II. De uſu antiq. locut. quibus addi poſſunt, Livius, *multiplex quam pro numero damnum eſt.* Tacitus lib. I. *Pacem quam bellum probabam.* & IV. *Claris majoribus, quam vetuſtis.* POPMA. Vide exempla ellipſeos hujus apud Schott. V. obſerv. 34. Barth. ad Claud. II. in Eutrop. 205. Juret. ad Symm. I. 89. Gronov. ad Liv. I. 25. & V. 21. & alios. quis enim non illam obſervavit? BURM.

Cum quanta gravitate, ut ſenator & judex, non ut princeps; & cauſſas preſſius audit?] Hic ſolidum mihi beneficium debere Vellejum cogam, & cujus aeſtimatione non recuſem omnem in eo operam noſtram aeſtimari. Aldus poſtremum & eraſit, bene opera ſua ſe defunctum arbitratus. Enimvero aliud eſt, quod locum tam inſignem corrupit. Trajectio inquam hic nobis uſurpanda, quae multis locis ad verum nos deduxit, nusquam magis, quam ubi nunc ſumus. Etenim non verius ſcripſiſſe Vellejum, quam ſic ſcripſiſſe: *Cum quanta gravitate ut ſenator & judex, non ut princeps & praeſes cauſſas audit?* De ſenatus principe, de judicii praeſide multa ſubtexere poteram, niſi & minus neceſſe putarem, & quo fini propior ſum, eo magis properarem. ACIDAL. *Tum quanta gravitate* malim. HEINS.

Ut ſenator, & judex.] Haec non ſine arcano dominationis a Tiberio facta, ſubtiliter & profunda ἐπικρίσει Tacitus innuit; *ſed dum veritati conſulitur, libertas corrumpebatur.* Quae verba, ut breviter hoc dicam, ita accipio: *Juſtitiae quidem conſulebatur hac ratione & innocentiae, ut ex re & vero, non ex affectu & gratia, judicia diſpenſarentur*; ſed *eadem opera, & ſub hoc tuendae juſtitiae ſchemate, Tiberius munia judicum, ut alia pleraque in ſe trahebat, nullaque judiciis libertas, & judicibus auctoritas manebat.* BOECLER.

Et cauſſas.] Dele particulam, &. MANUT. Haveo ſcribere, *etiam cauſſas praeſens audit?* Nam ita fecit. Suetonius de eo: *Magiſtratibus pro Tribunali cognoſcentibus plerumque offerebat ſe conſiliarium, aſſidebatque miſtim, vel ex adverſo in parte primori.* LIPS. Bene Lipſius: *etiam cauſas praeſens audit.* Suetonius in Tib. *Magiſtratibus pro Tribunali cognoſcentibus plerumque ſe offerebat conſiliarium.* VOSS. *Preſſius audit* minime eſt ſollicitandum: etſi variis tentatum conjecturis. Si *praeſens audit* legimus cum Lipſio, τὸ *praeſens* redundabit. Nemo enim, niſi praeſens, poteſt audire. *preſſius* ſive inſtantius attentiusque *audire*, & *remiſſius* inter ſe oppoſita videri poſſunt. Tacitus Annal. III. cap. LVIII. de Silano reo & accuſato in Senatu: *non temperante Tiberio, quin premeret voce, vultu, eoque quod ipſe creberrime interrogabat.* qui locus hunc Vellejanum quodammodo interpretatur. Haec olim. nunc magis probo τὸ *preſſius* referri ad civilitatem Tiberii, hoc ipſo ſeſe ſubmittentis infra faſtigium principale, quod in cauſis etiam privatis eſſet frequentiſſimus cognoſcendis, atque ita judicis partes impleret vir nominis Romani praecipuus, & natus majoribus curis. *preſſius* enim & pro depreſſius ſumitur quandoque, & pro compreſſius. qui loquendi modus, cum plurimis exemplis poſſit illuſtrari, illuſtretur paucis. *preſſum* & *elatum* apud praeſtantiſſimos ſcriptores opponuntur ſibi. Plinius libro IV. Ep. 14. *Deſcribimus aliquid modo preſſius, modo elatius.* ita veterrimae membranae Mediceae, non *altius*. Idem Plinius l. VII. Ep. 12. *Quoniam eſt ſonantius & elatius, non alienum exiſtimavi, ne te torqueres, addere ſtatim preſſius quiddam & exilius, vel potius humilius & pejus.* Simili prorſus modo & alibi idem Plinius non ſemel. apud Senecam

quoque Controv. VIII. *preſſa & civilis oratio elatae* opponitur. *preſſius* igitur pro depreſſius hoc Velleji loco. filius Seneca de Beneficiis lib. II. *Quo te altius ſublevaſti, hoc depreſſior es.* Si quid immutandum hoc loco, legam, *penſius*, vel *perpenſius*, *audit*: ut *perpenſum & exploratum habere* apud Columell. lib. III. *utra ſit conditio penſior virginem an viduam habere*. apud Plaut. Sticho I. 2. Gell. XII. 5. *ut nihil eſſet carius penſiusque nobis; quam noſtra & ipſi*. lib. I. cap. 3. *penſim & enucleate ſcribere*. hinc *penſiculate aliquid facere*, quo Gellius non ſemel eſt uſus, & *verba facere cum ſumma perpenſatione* apud Eundem lib. II. 2. verum vulgatam ſervemus illibatam quam accipiebat Perizonius noſter, de attentione animi & curae in audiendis cauſſis, me non obnitente. Sed nec & in *etiam* mutatum oportuit a viro ſummo Juſto Lipſio. vide nos cap. 116. *Audit ut judex.* Ita apud Spartianum vita Hadriani e caſtigatione Salmaſii, *Diligentia judicis ſumtus conviviis conſtituit.* Rurſus *preſſum* pro *compreſſo*; quem loquendi modum exemplis ſuis confirmare propemodum exciderat mihi. *Preſſum articulum* pro compreſſo habes apud Senecam de Beneficiis lib. II. cap. 6. apud Ciceronem Tuſculan. Quaeſt. lib. IV. *preſſius definire perturbationes*. *preſſius agere* eidem IV. de Finibus: *Sed ut propius ad ea, Cato, accedam, quae a te dicta ſunt, preſſius agamus*. Macrobius Saturnal. lib. VII. cap. ultimo: *Sed illud preſſius intuendum eſt.* Eidem Tullio: *Verbis aptus & preſſus Thucydides*. & in Oratore, *preſſe & anguſte definire aliquid*. ubi explicat ſemetipſum. ut & libro de claris Oratoribus: *Aſiatici oratores parum preſſi, & nimis redundantes*. In Hortenſio: *Quis te autem eſt, aut fuit unquam, in partiundis rebus, in definiendis & explicandis ſententiis preſſior?* Gell. I. 3. *Theophraſtus ſuper hac re exactius preſſiusque, quam Cicero differit*. poſſet & legi, *& cauſſas P. R. ſpiſſius audit*. HEINS. V. Graev. & Heinſ. Epiſt. 295. & ſeq. ac 517. Cic. IV. Tuſc. 7. *definiunt preſſius*. V. Bohier. ad Cicer. Tuſc. p. 350. BURM. *in marg.* V. & Periz. Ep. Syll. T. IV. p. 787.

Ingratum, & nova molientem oppreſſit.] Tò *Libonem* in principe editione deſiderabatur. Nec male ab aliis inſultum videatur, niſi poſtea de Libone iterum repeteret Vellejus. Viderint itaque alii; an non commodius ſubſtitui

ſtitui poſſit *Clementem*. Hic enim Clemens ad ulciſcendam Agrippae domini ſui mortem compararat non contemnendam manum. Sed fraude tandem a Tiberio captus, punitusque eſt; ut ſcribit Suetonius in vita Tiberii. Voss. Adi Tacitum II. A. 27. & ſeqq. qui remoto velo rem ediſſeret. Dio LVII. p. 702. BOECLER. *Libonem* habet Eraſmus.

Reſpondente cultu.] Sed tunc nihil gratiae Tiberii apponeretur; contra illius beneficio cultum & magnificentiam Triumphi Germanico, a benevolo ſcil. Tiberio illo, conceſſa, reſpondere rerum magnitudini ſcribit adulator: de Triumpho Germanici vid. Tacit. II. Annal. 41. BURM.

Senatorumque cenſum.] Rurſum apertius agit Tacitus II. A. 37. & 31. BOECL.

Quanto cum honore.] Imo, quanta cum calliditate *amoliri juvenem ſpecie honoris ſtatuit*, Tacitus II. A. 42. BOECL.

Maroboduum.] Tacitus late II. A. 62. & ſeqq. Sueton. Tib. 37. *Reges quosdam per blanditias atque promiſſa extractos ad ſe non remiſit: ut Maroboduum Germanum, &c.* Hiſt. Miſc. VII, 22. BOECLER.

Et honorate.] *Ut honorate*, Ed. Rhen. forte, *ut honorate, ſic ſecure continet.* in vulgata ego vix ſenſum video. BURM.

Sacroviro Floroque Julio.] Tacit. III. A. 40. & ſeqq. BOECL.

Bellum Africum.] Tacit. II. A. 52. & ſeqq. & III, 20. &c. BOECLER.

Quanta ſua, ſuorumque nomine exſtruxit opera?] Iſtud vero a quovis poterat emendari: ſed dormitarunt omnes. Per me non ſtabit amplius, quin *ſuo* corrigatur. ACIDAL. Videtur ſine dubio legendum, *Quanta ſuo ſuorumque nomine*, &c. URSIN. Lege *ſuo*. idem & alii viderunt. Voss. Tacitus VI. A. 45. 3. *Ne publice quidem niſi duo opera ſtruxit, templum Auguſti, & ſcenam Pompejani theatri: eaque perfecta contemtu ambitionis, an per ſenectutem, haud dedicavit.* Sueton. Tib. 47. *Princeps neque opera ulla magnifica fecit. Nam & quae ſola ſuſceperat, Auguſti templum, reſtitutionemque Pompejani theatri, imperfecta poſt tot annos reliquit.* & Calig. 21. *Opera ſub Tiberio ſemiperfecta templum Auguſti theatrumque Pompeji abſolvit.* BOECLER.

Pompeji munera.] *Munera* videtur hoc loco poſuiſſe

Vellejus pro ipſis *aedificiis*, ut ſupra, cum dixit de Pompejo item: *Perfectis muneribus Theatri*, &c Itaque nihil mutandum puto: vel ſi *moenibus* ibi pro *muneribus* reponendum eſt; hic quoque *moenia* pro *munera* ſcribendum cenſeo. URSIN. Vid. cap. 48. & 130. [Suet. Claud. XXI. & ibi Torrent. & Caſaub.] BURM.

Qui quidem quam.] Verius putem, *quin quicquid*. Quale Papinii illud de Lucano. *Quin (majus loquor) ipſa te Latinis Aeneis venerabitur canentem.* Supra etiam *quin* in *quia* degeneraverat, ab aliis jam reſtitutum. HEINS.

Incenſo monte Coelio.] Ita repoſuere pro *Coeli*, quod erat in editione principe. Ego nil mutaverim. Sane, *mons Coeli* recte dicitur, ut *oppidum Antiochiae*, Ciceroni ad Atticum lib. V. Epiſt. 18. *Torrens Vergelli*, apud Florum lib. II. cap. 6. Imo & ſimiliter, ad *montem Soractis* dixit Solinus cap. 2. prout ex MSS. edidit magnus Salmaſius. Voss. Suet. Tiber. 48. BOECLER.

Sine trepidatione dilectus.] *Dilectus* enim *ſuapte natura gravis*, ait Tacit. SCHEGK. *Delectus* Ed. Rhen. Eraſm. & alii. Vid. ad Ovid. X. Met. 325.

Aut natura patitur, aut mediocritas recipit hominum, apud aures Deorûm de his queri.] Pietatem auctoris ut conſiderares, alibi alii te monuerunt. Ad hunc autem locum utiliter & jucunde legeris in Apulejo, iterum dico, non illo ex Arcadiae pecuario, ſed e Platonis hortulo, in de Deo Socratis, quae ad iſtam Platonis ſententiam prolixe & eleganter diſputat: *nam ut idem Plato ait, nullus Deus miſcetur hominibus: ſed hoc praecipuum eorum ſublimitatis ſpecimen eſt, quod nulla contactione* (ſic lego, non *contractione*) *noſtra contaminantur.* ACIDAL. Ita hunc locum emendarunt Viri docti. Cum in antiqua editione eſſet, *Auro Deo cum de his quaeri*, &c. Vel ut alii ex conjectura poſtea fecerunt, *Auribus Deorum de his queri*, &c. Nos putamus commodiorem ſenſum ex iis verbis elici poſſe, ſi ita legantur, *ſi aut natura patitur, aut mediocritas recipit hominum de Deo cum Deis queri.* URSIN. Acutius, *de Diis queri*. Si fas eſt, inquit, hominem apud Deos, Deos accuſare. Et ita ſane facit, queriturque quod Dii a calamitatibus immunem eximiumque non habuerint Tiberium, ipſum quoque ſcilicet futurum divum. LIPS. In MS. fuerat: *auro Deo cum de his queri.* Unde legendum arbitror: *auribus Deorum de his queri.*

queri. Urſinus emendarat: *de Deo cum Deis queri.* Lipſius vero vulgatam retinebat lectionem, niſi quod pro *his* ſcriberet *Diis.* Sed ambo a veſtigiis autographi longius receſſerunt. Vossius. Locus ut mire depravatus, ſic variis obnoxius hominum doctorum conjecturis. Lipſius, *de Deis queri.* Fulvius Urſinus, *de Deo cum Deis queri*, Voſſius, *auribus Deorum de his queri.* Sed vetus ſcriptura, *auro Deo cum de his queri.* Demo duas poſteriores litteras τῷ *auro*, redundant enim, & ſcribo: *audeo cum Deis queri.* nihil certius. *queri cum aliquo*, ut *cum aliquo expoſtulare.* Apud Tullium Acad. Quaeſt. lib. IV. *Neque tam quereretur cum Deo, quod parum longe, quam quod falſum videret.* Caelius apud eundem lib. VIII. ep. 9. *Cornelium Balbum queſtum eſſe cum Scipione.* Appoſite apud Naſonem Met. XI. Venus, *Queſtaque cum fatis, at non tamen omnia veſtri Juris erunt, dixit.* Tibullus lib. II. El. 6. *Et mea cum muto fata querar cinere.* Valerius Maximus lib. IX. cap. 2. *Queramur nunc cum natura rerum, quod nos adverſae valetudinis incommodis obnoxios eſſe voluerit.* Seneca pater Controverſia IV. *Quantum ego tunc queſtus ſum cum fortuna mea, quod non & oculos perdidiſſem!* Seneca filius Conſolatione ad Marciam cap. 15. *de Diis queri. cujus maxime intererat neminem de Diis queri.* Heinsius. Deeſſe aliquid videtur de Diis dictum, quod mediocritati hominum opponatur. Forte, *aut mediocritas recipit hominum, aut horror* (vel *honor*) *Deorum, de his queri.* Sed corruptum locum forte melius relinquemus: de *Diis* vero *queri*, formula obvia: Flor. II. 6. *nec de Diis poſſumus queri.* Idem lib. III. II. *nec de fortuna poſſumus queri.* Quinct. Decl. XI. 5. *nec tamen in totum de numinibus queri poſſumus.* Burm. V. Miſc. V. IX. p. 178.

Ut Silonem Piſonemque tam alterius.] In MS. erat, *Silius, Piſoque, tam alterius*, &c. Lege *Silius, Piſoque, quorum alterius*, &c. Uſitato mendi genere. Voss. *Ut Silius Piſoque tam alterius dig.* ſcriptus liber. Puto, *deinde ut Silius Piſoque. At quantum alterius dignitatem conſtituit.* Nec improbo *tamen*, omiſſo τῷ *quantum.* Heins. Neſcio unde viri docti adfirmarunt in MSS. eſſe, *Silius Piſoque*, cum nec Rhenani editio habeat, nec Burerius quidquam ſimile moneat. Ego ab Eraſmo lectionem illam profectam credo. Rhenanus enim habet, *dein-*

de ut Silium Piſonemque tam alterius, aſteriſco indicans aliquid deeſſe poſt *tam.* Quare ſuppleri illam lacunam deberi puto, ſed quo pacto, non certum habeo. Forte, *deinde ut Silium Piſonemque tam infeſtos haberet, quorum alterius dignitatem conſtituit, alterius auxit.* Certe ſimile quid deſidero. BURM. V. Miſc. Obſ. V. IX. p. 178.

Abſtruſo quod miſerrimum eſt pectus ejus flagravit incendio.] Etenim *creſcit diſſimulatione ipſa dolor, hoc altius demiſſus, quo minus profiteri licet.* Juſtin. lib. VIII. Cujus mentione capio ſolitum impetum, ut poſtremo heic ad finem pluſcula quaedam illius, tumultuaria lectione obſervata, corrigam. lib. I. cap. 7. ubi de bello Cyri adverſus Babylonios. *Babyloniis rex Lydorum Croeſus, cujus opes & divitiae inſignes ea tempeſtate erant, in auxilium venit: victusque, jam de ſe ſollicitus in regnum refugit.* Ut in veteribus, ſic ſcribendum, *victisque:* nempe Babyloniis, quibus auxilio venerat, non ipſe victus. Eodem libro, eodem cap. ubi de Lydis Cyro rebellantibus. *Quibus iterum victis, arma & equi adempti, juſſique cauponas, & ludicras artes, & lenocinia exercere.* Cum iisdem veteribus lego: *cauponias & ludicras artes. Cauponius*, ita formatum, ut *hiſtrionius:* habetque etiam Plautus fabula neſcio qua, *puer cauponius.* Quomodo Cicero dixit & *praeconium quaeſtum.* Pro P. Quinctio. *Funeſtum eſt a forti atque honeſto viro jugulari: funeſtius ab eo, cujus vox praeconio quaeſtu proſtitit.* Item cap. 10. ubi de Perſarum regno in Darium translato. *Incredibile prorſus tanta patientia ceſſiſſe eos, quod ut eriperent magis, mori non recuſaverint.* Conjicio: *ceſſiſſe eo,* (vel etiam, *eos*) *quod ut eriperent Magis, mori non recuſaverant.* lib. III. cap. 3. ubi de Lycurgi Repub. *Adminiſtrationem Reip. per ordines diviſit: Regibus poteſtatem bellorum; magiſtratibus judicia, & annuos ſucceſſores.* Malebam ex veſtigiis vetuſtiorum codicum, *per annuas ſucceſſiones.* Ibidem cap. 4. ubi de Lacedaemoniis contra Meſſenios. *Lacedaemonii quoque eo conſpiratius ad arma concurrunt, quo adverſus ſervos dimicaturi videbantur.* Potius videtur: *quod adverſus ſervos:* niſi altera ibi vox deeſt, quae ex oppoſito reſpondeat τῷ *conſpiratius.* lib. IV. cap. 3. ubi Catinienſes auxilia petunt ab Athenienſibus: *qui ſeu ſtudio majoris imperii, quod Aſiam Graeciamque penitus occupaverant.* Forte *occupatu irent.* Sic namque ſcri-

ſcribebant, pro *occupatam irent:* quod erroris poteſt origo fuiſſe. lib. v. cap. 2. in oratione Alcibiadis ad Tiſſafernem. Non *enim quieturos poſt hanc victoriam Spartanos, qui vindices ſe libertatis Graeciae profeſſi ſunt.* Lege, *ſint.* Ibidem: de praeliis & victoriis Alcibiadis: *Ubique victor recipit civitates quae defecerant; nonnullas capit, & imperio Athenienſium adjicit.* Rectum hoc: ſed MSS. alii *addicit*, alii *adicit.* quod poſterius e veterum pronuntiatione eſt, & exterendi *i* vocalem conſuetudine: de qua alicubi Gellius, opinor, libro IV. Sic Martialis idem verbum ſcripſit, lib. x. ad Gallum. *Si quid noſtra tuis adicit vexatio rebus, Mane, vel a media nocte togatus ero.* Lib. VIII. in ipſo veſtibulo inſignem locum emendatione ſupervacua corrumpunt. Quid enim magis elegans, aut perſpicuum? *Graeciae civitates dum imperare ſingulae cupiunt, imperium omnes perdiderunt: quippe in mutuum exitium ſine modo ruentes, omnibus perire, quod ſingulae amitterent, non niſi oppreſſae ſenſerunt.* Reponunt, *omnibus perviae:* fruſtra. quod monui, ne qui hominum auctoritate inducerentur in errorem. Acumen Senecae in re non diſſimili prorſus ſimile. Ep. 90. *Societatem avaritia diſtraxit, & paupertatis cauſſa etiam his, quos fecit locupletiſſimos, fuit. Deſierunt enim omnia poſſidere, dum volunt propria.* Nec longe abludit iſtud ibidem. *Irrupit in res optime poſitas avaritia, & dum ſeducere aliquid cupit, atque in ſuum vertere, omnia fecit aliena: & in anguſtum ex immenſo redacta, paupertatem intulit, & multa concupiſcendo, omnia amiſit.* lib. XI. cap. 1. ubi de concione Alexandri. *Qui pro concione ita vulgus omne conſolatus, hortatusque pro tempore eſt, ut & metum timentibus demeret, & in ſpem omnes impelleret.* Sequor ſcriptos libros: *& ſpe omnes impleret.* Venuſtior oppoſitio, *demere, implere.* Et *ſpe implere* phraſis Juſtino familiariſſima. Impreſſi quidam etiam addunt, *ſpe ſui.* lib. XIII. cap. 7. *Ariſtaeum in Arcadia late regnaſſe, eumque primum & apium & mellis uſum, & lactis ad coagula hominibus tradidiſſe.* Scribo, *& lactis adeo coagula.* quod verius, dubitare nemo poterit, qui & ſenſum & literas intentius aſpicit. De Ariſtaeo apium uſus inventore inter multos Virgil. IV. Georg. Mellis colligendi auctorem etiam alium ipſe Juſtinus lib. XLIV. refert, Gargorem Curetum regem. lib. XIV. cap. 4. in O-

ratione Eumenis capti ad milites. *Vos me ex victore victum, vos me ex imperatore captivum feciſtis; quater intra hunc annum in mea verba jurejurando obſtricti eſtis, & iſta omitto. Neque enim miſeros convitia decent. Unum oro, ſi propoſitorum Antigoni in meo capite ſumma conſiſtit, inter vos me velitis mori.* Legendum, cum hac interſtinctione: *obſtricti eſtis: ſed iſta omitto.* Abrumpendae orationis haec forma pueris etiam nota. lib. XXIX. non procul initio. *His regibus pueris, etſi nulli ſeverioris aetatis rectores erant, tamen in ſuorum quisque majorum veſtigia intentis, magna indoles virtutis enituit.* Non damno. *in ſuorum quisque*: ut pro *quibusque* ſit: magis tamen amo impreſſorum quorundam lectionem *quique*, id eſt, *quoque*. Singulis, inquit, intentis in veſtigia majorum, ſed quoque in ſuorum. Aliquando poſt cap. 2. *Siquidem conſurgentibus ab Occidente novis Poenorum & Romanorum imperiis, quibus una haec a Graecia ſit mora, dum inter ſe bello diſcrimen imperii faciunt; ceterum ſtatim victoribus tranſitum in Orientem fore.* Rectius *faciant*. Ad finem: *ſuper haec vaſtati Macedonas, ultionem flagitabant.* Verum, *Macedones*. lib. XXX. cap. 3. *Contra Philippus adduci ſe poſſe, ut Romanis pareat, concedebat; ceterum indignum eſſe*, &c. Putida oratio; *concedebat, ſe adduci poſſe.* quin ſcribis *contendebat.* lib. XXXI. *Ad hoc ſibi centum naves, & decem millia peditum, & mille equites poſcebat.* MSS. habent, *mille equitum*, quae antiqua forma locutionis, pro, mille equites, de qua Gellius, ſed dememini quoto libro. (libr. I. 16.) Nec dubitem in Juſtinum recipere, qui e Trogo antiquario acceperit: niſi quod ſenſus aliquam parit ambiguitatem. lib. XXXVIII. de fuga Demetrii. *Eodem amico comite repetita fuga eſt: ſed pari infelicitate prope fines regni ſui deprehenditur, ac denuo perductus ad regem, ut inviſus a conſpectu ſummovetur.* Scribes, *reprehenditur*: quod proprie de fugiente. lib. XL. ſub finem. *Ne volenti quidem Syriae, nedum recuſanti daturum ſe regem, qui* XVIII. *anno, quibus Tigranes Syriam tenuit, in angulo Ciliciae latuerit.* Quis non videat legendum, *annos*? lib. XLIV. *Huc accedunt & marinae aurae, undique verſus aſſidui flatus, quibus omnem provinciam penetrantibus, eventilato terreſtri ſpiritu, praecipua hominibus ſanitas redditur.* Pro *undique verſus*, quod & alii ſollicitarunt, auſim addita

co-

copula reponere Apulejanum, *&* *undiqueſecus:* id eſt, ab omnibus partibus. Pergam, lector, an jam quoque nimium graſſatus ſum? Hercle, vero nimium; & longius a Vellejo, quam excuſari poſſit, receſſimus. Sed poſſe tamen opinor. Jam jam & Vellejum, & te abſolvam. ACIDAL.

Quod ex nuru.] Agrippina. Sueton. Tib. 53. & 54. BOECLER.

Dolore, indignari coactus eſt.] Burr. codex, *dolere, indignari, erubeſcere coactus eſt.* non male dixit, *veniendum ad erubeſcendum.* SCHEGKIUS. Addidi vocem, *erubeſcere*, volentibus membranis, neglectam Aldo; quod ſcirem, viro ingenuo ruborem ſupra dolorem indignationemque omnem. GRUTER. Nil certius, quam revocandam lectionem MS. *dolere, indignari, erubeſcere coactus eſt.* Praecedentia verba id docent. Et bene fecere Schegkius, ac Gruterus, qui ita ediderunt. VOSS.

Mater eminentiſſima & per omnia Diis, quam hominibus ſimilior foemina.] Loca ſimilia hujus multa, e queis pauca bona fide retinuit memoria. De Jul. Caeſare. *Animo ſuper humanam & naturam & fidem evectus.* De Pompejo. *Per omnia fortunam hominis egreſſus.* De M. Catone. *Per omnia ingenio Diis, quam hominibus propior.* ACIDAL.

Per omnia Diis.] Rhodius ad Scribon. Larg. n. 60. p. 119. haec Velleji verba adducens, quae de Livia ſunt ſcripta, confundit eam cum nepti Auguſti ex Agrippa & Livia (Julia voluit dicere) quae & Julia dicta, & relegata in Trimerum inſulam. Sed tota illa Rhodii nota turbata, ut credo, eſt, nec a tam docto viro proficiſci potuit. BURM.

Niſi aut levatione periculi.] Et ad iſtud hercle exemplar ipſos ſe formare debebant aulici. nunc quid? obtinet fere quod queſtus eſt de ſuo ſaeculo Seneca Hercule Oetaeo, verſu 637. *Colit hic reges, regumque lares; Non ut preſſo vomere ſemper, Numquam ceſſet curvus arator, Vel mille ſecent arva coloni: Solas optat, quas donet opes. Colit hic reges, calcet ut omneis, Perdatque aliquos, nullumque levet: Tantum ut noceat cupit eſſe potens.* Verum de iſtis hominibus, quantum ſatis eſt, cumulavimus ad Taciti locum lib. IV. Annal. cap. 31. *Suilium vidit ſequens aetas praepotentem, venalem, & Claudii principis amicitia, diu proſpere, numquam bene uſum.* GRUTER.

Recte hoc exemplum proponit aulicis Gruterus. quamquam de Livia adulatorie Vellejus. BOECLER.

Jupiter Capitoline & ſtator, &c.] Ita omnino legendum eſt: nam Mars *ſtator* numquam dictus eſt, Jovis id cognomen fuit. PUTEAN. Puteanus legendum putat: *Jupp. Cap. & ſtator, & auctor R. n. G. M.* MANUT. Placet conjectura doctorum virorum, qui legunt: *Juppiter Capitoline ac ſtator, & auctor Romani nominis Gradive Mars*, &c. nam illud *ſtator* ad *Jovem* tantum referri poteſt, non item ad *Martem*. Nobis tamen non diſpliceret, ſi parva mutatione ſcriberetur *ſator* pro *ſtator*, legereturque; *Juppiter Capitoline; & auctor, ac ſator Romani nominis Gradive Mars*, &c. URSIN. Magis probem, *ſator Romani nominis*. Genitor enim & pater Romanorum Mars, quia Romulum ſeviſſe dictus. LIPS. Seneca de Benefic. lib. IV. cap. 7. *Quoties voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum & naturarum compellare. Et Jovem opt. max. rite dices, & Tonantem & Statorem, qui non, ut hiſtorici tradiderunt, ex eo, quod poſt votum ſuſceptum acies Romanorum fugientium ſtitit, ſed quod ſtant beneficio ejus omnia, ſtator, ſtabilitorque eſt.* Igitur nihil tentandum, & docti viri, hic nodum in ſcirpo quaerunt. Locum Senecae expreſſi cum Lipſio; quem ut unice miror, ita ſumme veneror, diligoque plurimum; tollo manum, & acquieſco. SCHEGK. Senecae loco & mihi finiendus liber ſit, quem attulerunt alii Velleji cauſſa, ego ipſius Senecae. lib. IV. de Benefic. cap. 7. *Natura inquit*, (lege mecum, *inquis*) *haec mihi praeſtat. Non intelligis, te, cum hoc dicis, mutare nomen Deo. Quid enim aliud eſt natura quam Deus, & divina ratio toti mundo & partibus ejus inſerta? Quoties voles, licet tibi aliter hunc auctorem rerum & naturarum compellare. Et Jovem opt. max. rite dices, & Tonantem, & Statorem. qui non, ut hiſtorici tradiderunt, ex eo, quod poſt votum ſuſceptum acies Romanorum fugientium ſtitit, ſed quod ſtant beneficio ejus omnia, ſtator ſtabilitorque eſt.* Attuli, inquam, ut emendarem. Quid igitur, inquies, etiam hic poſt Lipſium? Eſt vero, mi lector, aut ego fallor. Nec autem ego quid contra Lipſium, quem virum per omnia Diis, quam hominibus ingenio propiorem, uti lumen unicum & numen aevi noſtri colo & veneror praeter omnes, quos ille admiratores cultoresque ubique habet

bet plurimos. Tantum ejus veſtigia inſiſtens, locum, quem primus ille maculis multis & foedis liberavit, una etiam non honeſta verecunde liberabo. Nam ita inibi ſcribendum nobis, adhibita levi trajectione, leviori mutatione videtur. *Quoties voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum compellare. Et Naturam, & Jovem opt. max. rite dices, & Tonantem, & Statorem.* De quo etſi mihi jam paene perſuaſum, doctos tamen omnes, ac te inprimis (jam nunc etiam αὐτοβοεὶ te ipſum compello) doctiſſime Lipſi, arbitrum capio: cujus unius cenſurae omnia noſtra, meque ipſum adeo, novum in his literis novitium, animo volentiſſimo ſubmitto & permitto, habiturus iſta aetate, in ſtudiorum iſto ſtadio, tuum judicium aut calcar, ut progrediar; aut fraenum, ut ſubſiſtam, & deſiſtam: quorum illud quidem unice opto, ſic ut ſperem: hoc ita metuo, ſpem ut alterius non abjiciam. Acidal. Urſinus Lipſiusque, duo viri praeſtantiſſimi, reponebant, *auctor ac ſator. Jupiter* enim *ſtator*, non *Mars ſtator*, inquiunt, in Romanis antiquitatibus eſt notus. Fateor. Sed *Jupiter ſtator* dictus, quod, Romanis adverſum Sabinos proelio concurrentibus, aciem jam nutantem ſtitiſſet. Nam plurimum falluntur illi, qui *Jovem Statorem* a *ſtando* non a *ſiſtendo* deducunt: cum prima ſyllaba corripiatur in *Statore*. De quo nos pluribus ad Faſtos Naſonianos. Nihil prohibet tamen, quominus *Mars ſtator Romani nominis* nuncupari poſſet, quo modo M. Marcellum Romanae rei ſtatorem Maro dixerat, *Hic rem Romanam magno turbante tumultu Siſtet eques.* Nam ſi *Martem auctorem ac ſatorem Romani nominis* admittimus, bis idem dixerit Vellejus. Non enim video, quid *auctorem* inter ac *ſatorem* interſit. Poteſt & *Mars Romani nominis ſtator* dictus eſſe, quod per illum ſtet Romana res praecipue: cum, ut inquiebat ille, *Moribus antiquis res ſtet Romana viriſque.* Sic & Seneca de Beneficiis lib. IV. cap. 7. *Jovem illum optimum & maximum rite dices, & Tonantem & Statorem, qui non, ut hiſtorici tradiderunt, ex eo, quod poſt votum ſuſceptum acies Romanorum fugientium ſtitit, ſed quod ſtant beneficio ejus omnia, ſtator ſtabilitorque eſt.* Ut *ſtator Mars* pro ſtabilitore ac conſervatore nominis Romani ponatur: quomodo & Plinius initio Panegyrici, *Jovem conditorem ac conſervatorem imperii Romani* invocabat. Heins.

Et quicquid numinum hanc Romani imperii molem in am-

ampliſſimum terrarum orbis faſtigium extulit.] *Extuliſtis* malo. deinde ſcriptum exemplar, *& quidquid nominum honor omni.* Opinor, *& quidquid numinum honoram Romani imperii molem.* Vide ſupra cap. 116. HEINS.

Protegit hunc ſtatum, hunc pacem: eique functo longiſſima ſtatione mortali.] Vox deeſt, quam fidenter repono: *hanc pacem, hunc Principem: eique functo.* Ad Principem enim certe pertinent, quae adtexit. Tu vere, tu magne, tu une Deus, Europae aliquando ſalutarem pacem, & ejus amantes Principes dato. LIPS. Scribendum puto: *hunc ſtatum, hunc principem, eique functo*, &c. Errori anſam dediſſe videtur, quod vox *principem* ſimilis ſit τῷ *pacem*, cum per compendium exaratur. Lipſio tamen, *hunc principem*, interſerendum videbatur: cui nec aſſentiri, nec nimium refragari auſim. VOSS. Lipſius interponit poſt *hanc pacem, hunc principem*, ut ſequentia cohaereant. Eruditiſſimus Gerardus Voſſius ſollerter conjicit legendum, *hunc ſtatum, hunc principem*: quae vox per compendium ſcripta forte anſam dederit τῷ *pacem.* BOECLER. *Hunc ducem* Jacobus Perizonius Juvenis doctiſſimus (Epiſt. Syll. T. IV. p. 738.) quod propius accedit ad veterem ſcripturam illo Lipſiano, *hunc principem.* Sed opinor utrumque admittendum, *hanc pacem, hunc ducem.* ni malumus, *hunc pacis auctorem.* Tale quid certe deſideratur. quo modo in Faſtis Naſo libro primo, *Jane, face aeternos pacem pacisque ſequeſtrum? Neve ſuum praeſta deſerat auctor opus. Sequeſtrum* enim illic pro *miniſtro* cenſebam, memini, reponi debere: quod *miniſtrum pacis* vocare Caeſarem, infra Auguſti nominis dignitatem quodammodo videatur. Popma cum videret nonnihil deſiderari, legebat in proximis pro *eique functo*, *Caeſarique functo*, aut locum aſteriſco notandum cenſet. HEINS.

Eique functo longiſſima.] Legendum *Caeſarique*, vel praeponenda nota defectus, quo excidit votum pro ſalute & incolumitate Tiberii: quaſi voto finit Plinius Panegyricum Trajano dictum, & primum pro ſtatu publico, deinde pro ſalute principis, tum pro ſucceſſoribus ejus Jovem Capitolinum precatur. POPMA.

Aut pia.] Rhenanus ſupplevit: *aut pia, aut ſalutaria, in felicem exitum provehite.* Ego felicius mentem Velleji mihi aſſecutus videor, nempe ut ſcripſerit: *aut pia fovete, aut impia opprimite.* Ita igitur, aut ſimili modo, illum finio. VOSS.

AN-

ANDREAE SCHOTTI

IN

VELLEJUM PATERCULUM,

DE COLONIIS

NOTAE.

LIB. I. CAP. XIV. *Poſt ſeptem annos.*] Diodorus Siculus altero, a capta urbe Roma a Gallis, anno, Sutrium Coloniam commemorat. Quare ſuſpicor hic librariorum vitio *Sutrium* male ſcriptum, pro *Satricum*, quo ſexennio poſt a Senatu deducta colonia eſt: miſſa civium Ro. millia duo; bina jugera & ſemiſſes agri adſignati, anno urbis cond. CCCLXXI. qui in Faſtis Capitolinis annus, ni fallor, CCCLXIX. numeratur. Livius lib. ſexto Annalium. Deceptus igitur Car. Sigonius, vir ceteroquin accuratiſſimæ diligentiæ; qui Annotat. ad Livii XXVII. negat annum ab eo expreſſum Coloniæ conſtitutæ Satrici. Quod non reprehendendi. ſed docendi gratia moneo: ne quem forte tanti viri, quæ ſumma eſt in litteris, auctoritas frangat. Rurſum *Satrici*, anno CCCLXXIV. a Præneſtinis expugnatæ, meminit Livius; iterumque anno CDXXV. libri noni. *Sutrium* vero nominat lib. XXVII. & XXIX. inter duodecim Colonias, quæ de XXX. bello Punico ſecundo opem Romanis poſtulantibus negaverunt: nimirum, *Arde*, *Nepet*, *Sutrium*, *Circei*, *Alba*, *Carſeoli*, *Sueſſa*, *Sora*, *Cales*, *Narnia* & *Interamna*. Duodeviginti vero Coloniæ copiis fortunisque præſto fuerunt, *Signia*, *Norba*, *Saticula*, *Brunduſium*, *Fregellæ*, *Luceria*. *Venuſia*, *Hadria*, *Firmium*, *Ariminum*, *Pontia*, *Pæſtum*, *Coſſa*, *Beneventum*, *Æſernia*, *Spoletum*, *Placentia*, & *Cremona*.

Ab hinc annos CCCL.] Fallit hic numerus, leg. fortaſſe CCCLX. ut propius abſit a Conſulatu M. *Vinucii* (ſic enim in Faſtis, quincta vocali in ſecunda ſyllaba, non tertia; *Vinicius*, ſcriptum animadverti:) cui hoc opus Hiſtoricum, quod ἀκέφαλον & mutilum ad ætatem noſtram, ut vix orcum interitumque effugerit, pervenit, Vellejus inſcripſit, & ut ſuſpicor in conſulatu. Cos. autem fuit ann. DCCXXCII. poſt V. C. Sic M. VINVCIVS P. F. M. N. QVARTINVS. Hujus pater cos. an. MCCLIIII. P. VINVCIVS M. F. P. N. Avus vero M. VINVCIVS P. F. an. DCCXXXIV. ſuffectus in locum C. Sentii Saturnini: quo tempore inchoatum bellum Pannonicum, quod ſcripturum ſe pollicetur Vellejus. Avus quidem P. Silii Nervæ Conſulatum anni DCCXXXIII. proxime excepit; non igitur collega illius fuit. M. vero Vinucius, cui opus, ut dixi,

dixi, inſcriptum a Paterculo, biennio poſt P. Silium Nervam Cos. fuit; an. DCCXXC. valde ut mirer hos Conſules conjunxiſſe Vellejum lib. II. ſed hæc alii viderint: Manutius imprimis, qui, ut audio, hunc auctorem nuper illuſtravit ſcholiis, quæ ſi videre mihi contigiſſet, huic labori fortaſſe ſupervacaneo ſuperſediſſem. Conſulares annos ex Faſtis Capitolinis, ex Velleji ſenſu, adſcripſimus, itemque Livii calculum: ut quidem Car. Sigonius, vir accuratæ doctrinæ, acerrimique ingenii, nuper magno litterarum damno extinctus, edidit.

SP. Poſtumio Veturio Calvino Cos.] Cos. in Faſtis Capitolinis an. CDXIX. T. Veturius Calvinus & Sp. Poſtumius Albinus, qui tertio & viceſimo poſt anno, CDXXXII. rurſum creati. Livius lib. VIII. *M.* inquit, *Valerio Corvo* IIII. *& M. Atilio Cos. T. Veturius, Sp. Poſtumius Cos. deſignati retulerunt de Colonia Cales deducenda: factoque S. C. ut duo millia quingenti homines eo ſcriberentur*, III. *Viros Coloniæ deducendæ, agroque dividundo creaverunt C. Duilium, T. Quinctium, & M. Fabium.* Meminit & lib. XXVII. & XXIX. Cicero agraria in Rullum ſecunda, *Municipium* vocat. COS. autem ſive de ſingulis, ſive de binis Conſulibus, conſtanter ſcriptum vid. in Epigrammatis Lapidum, Tarracon. quæ urbs citerioris olim Hiſpaniæ caput, his Antiquitatis monumentis cæteras omnes antecellit.

Quo Alexandria condita.] C. Poetilio C. F. C. N. Viſculo, L. Papirio Sp. F. L. N. Mugillano vel Curſore Cos. Alexandria Ægypti condita, & Alexander Epiri rex interfectus. Livius libro octavo, qui annus in Faſtis eſt urbis cond. CDXXVII. Caſſiodorus quoque & Solinus cap. 35. eosdem Cos. nominant, & Olympiadem CXII. Diodorus vero lib. XVII. Biblioth. Olympiade CXIIII. Γαΐον Πετίλιον καὶ Παπίριον Cos. facit, ubi leg. ſuſpicor, Γαΐον Ποιτίλιον: Alexandriam vero conditam ait Olympiadis CXIII. ann. II. nominatque Cos. Πόπλιον Κορνήλιον καὶ Αὖλον Ποςόμιον: qui in Faſtis P. Cornelius Scapula P. Plautinus Proculus eſt ann CDXXV. Sic enim Siculus: ὁ δὲ Ἀλέξανδρος παρὰ θάλατταν ἐφιλοτιμήθη κτίσαι πόλιν, λιμένα μὲν εὐρὼν ἄκλυςον, πλησίον δ᾽ αὐτῦ τόπον εὔθετον, ἔκτισεν ἐν αὐτῷ πόλιν Ἀλεξάνδρειαν· Eadem Vitruvius lib. II. Architect. & Q. Curtius lib. IIII. & Arrianus lib. III. initio. ἐλθὼν ἐς Κάνωβον καὶ κατὰ τὴν λίμνην τὴν Μαρίαν περιπλεύσας ἀποβαίνει ὅπου νῦν Ἀλεξάνδρεια πόλις ᾤκισαι, Ἀλεξάνδρυ ἐπώνυμος καὶ ἔδοξεν αὐτῷ ὁ χῶρος κάλλιςος κτίσαι ἐν αὐτῷ πόλιν, καὶ γενέσθαι ἂν εὐδαίμονα τὴν πόλιν. Rurſum extremo libro ad Caucaſum montem alteram de ſuo nomine urbem condidiſſe ait. Lib. vero quarto, initio, tertiam ad Tanaim Fl. de qua & & Juſtinus lib. XII. ex Trogo Pompejo, ut de Ægyptia, lib. XI. *Alexander*, inquit, *reverſus ab Hammone Alexandriam condidit & coloniam Macedonum caput eſſe Ægypti jubet.* C. Plinius Olympiadem CXIII. numerat lib. 34. cap. 3. Euſebius vero in Chronicis CXII. Olympiadis annum III. regni Alexandri ſeptimum, cum devicti a Romanis Latini: devictisque Samnitibus colonias multas deductas refert. Qui forte annus V. C. CDXXIV. quum & L. Papirius Curſor floruit, quem cum reliquis pop. Ro. ducibus, Alexandro opponit Livius lib. IX. Annalium. Et hic Euſebii calculus a Vellejano propius abeſt: a Liviano, longius recedit. Adeo magna eſt etiam in rebus magnis, Hiſtoricorum diſſenſio: nec minor in artificis nomine, qui urbem metatus dicitur. *Dinocrates* Valerio Maximo lib. I. cap. 5. Vitruvio lib. II. cap. 35. & 43. Solino, Ammiano lib. 22. Auſonio in Moſella & de urbibus: & Plinio lib. VII. cap. 32. At lib. V. cap. X. *Dinochares*: Æliano *Chinocrates*: Straboni lib. 14. *Cheiromocrates*, pro quo Hermolaus *Chirocrates* repoſuit, quem lege & lib. XVIII. & Stephanum περὶ πόλεων de Alexandria. *Democrates* in veteri inſcriptione Romæ legitur. Hic *Cleomenes* eſſe videtur Juſtino lib. XIII. quem Africæ & Ægypti vectigalibus præpo-

poſtum refert Curtius lib. IV. Vates quoque, qui magnam fore urbem prædixit, Arriano lib. III. *Ariſtandrus Telmiſſenſis* eſt, Curtio vero lib. IV. Miletenſis, ſed de his ſatis ſuperque.

Acerranis data civitas.] CN. Domitio, A. Cornelio iterum Cos. Eadem de re Patavinus ſcriptor lib. VIII. Ex Feſto, nunc Municipium, nunc Praefectura, Acerræ: Frontino Colonia eſt. Hi Cenſores luſtrum XXIII. condidiſſe putantur, & Conſules antea fuerunt. Q. Publilius Philo quidam cum Ti. Æmilio Mamercino ann. CDXIV. Poſtumius vero, ut jam dixi, cum T. Veturio.

Tarracinam.] *Tarracinas* alii, multitudinis numero. Cos. in Tabulis marmoreis Romæ, *L. Æmilius Mamercinus*, *L. Plautius Decianus*; cum trecenti *Anxur* (& hoc enim nomen) Coloniam miſſi, bina agri jugera acceperunt. Livius lib. VIII. meminit, item XXVII. & XXXVI.

Interpoſitoque quadriennio.] Livius alterum decennium addit. lib. IX. urbis cond. CDXXXIX. M. Poetilio Libone, C. Sulpitio Longo III. Cos. Luceriam Samnitium Coloniam deductam, duo millia & quingentos miſſos. Coloniæ mentio in Plinii lib. III. cap. II. & Polybio lib. III. belli Punici ſecundi, quorum uterque Dauniæ attribuit: Itemque in Livii XXVII. & XXIX. Annali.

Interjecto triennio] Rurſum a Livii λογισμῷ diſcedit, qui lib. IX. Cos. nominat L. Papirium Curſorem quintum, C. Junium Bubulcum iterum, anno, ni fallor, CDXL. qua tempeſtate & *Saticula* deducta, auctore eodem Livio & Sex. Pompejo: qui III. viros M. Valerium Corvinum, Decimum Junium Scævam, P. Fulvium Longum ex S. C. K. Jan. L. Papirio Curſore, C. Junio II. Cos. deduxiſſe ait in *Saticula*, qui eſt annus conditæ urbis CDXL.

Interamnaque poſt biennium.] Et hic alios a Livio Annales ſecutus eſt Vellejus: ſic enim ille lib. X. *Interamnam*, inquit, *& Caſſinum ut deducerentur Coloniæ S. C. factum eſt, ſed Triumviros creavere, ac miſere colonorum quatuor millia inſequentes Cos. M. Valerius Maximus & P. Decius Mus.* Qui in Faſtis annus eſt CDXLI. meminitque ejuſdem nominis Coloniæ in Umbria, quam via Latina Samnites occupare tentarant anno CDLIX. L. Poſtumio Megello, M. Atilio Regulo Cos. Meminit, & lib. XXVII. inter eas triginta; quæ milites pecuniamque dare recuſarunt. Rurſum lib. XXIX. inter duodecim Latinas, quæ punitæ ſunt. Diodorus quoque Siculus lib. XIX. Biblioth. M. Valerio P. Decio Cos. Interamna deducta colonia.

Sinueſſam Minturnaſque.] De his Livius Annal. X. ab V. C. *Placuit ut duæ Coloniæ circa Veſtinum & Falernum agrum deducerentur una ad oſtium Liris Fluvii, quæ Minturna appellata: altera in ſaltu Veſtino, Falernum contingente agrum, ubi Synope dicitur Græca urbs fuiſſe.* Et Plinius lib. III. cap. 5. *Colonia, Minturnæ Liri amne diviſa, Glani appellato, oppidum Sinueſſa, extremum in adjecto Latio.* Meminit & Dionyſius lib. I. Ptolemæus lib. III. Cicero in Planciana. Livius lib. X. XXVII. & XXXVI. & Frontinus noſter de Coloniis. & Hyginus lib. de limitibus agrorum.

Venuſiam.] Poſt Hannibalis bello attenuatas Coloniæ hujus vires, III. viroſque ad ſupplendum colonorum numerum miſſos an. urbis DLIII. auctor eſt Livius, lib. XXXI. eandemque Coloniam & XXVII. lib. nominat inter duodeviginti fideles Colonias. Plinius lib. III. cap. XI. *Dauniorum præter ſupra dictas Coloniæ Luceria, Venuſia.*

Interjectoque biennio M. Curio.] Bis hic peccatum, ſive à librario, ſive à Paterculo: ſive ab utroque. A librario quidem operiſque typographicis, in pronomine gentis Curiæ, quod in Capitolii Tabulis marmoreis, titulilque lapideis, *Manii* eſt, non *Marci*. Verum nihil illo errore tritius ob litterarum M. & M'. vel MV. cognationem ſimilitudinemque. At

At Paterculi fortaſſe σφάλμα, ſi fas eſt dicere, in calculo: nec biennium interjectum: nam M'. Curio Dentato & P. Cornelio Rufino Cos. & Venuſiam deductam Coloniam & civitatem datam Sabinis ex temporum ratione colligo. Qui igitur me audiet, verba illa expunget, legetque, *Sabiniſque ſine ſuffragio data civitas.* ſi vero quis Vellejum alios Faſtos inſpexiſſe contenderit; animus eſt cum eo non admodum pugnare.

Coſſam & Pæſtum.] Illa *Conſa* etiam vocatur, Tuſcorum fuit, hodie *Orbetellam:* hæc quoque *Poſſidonia*, quæ Lucanorum dicta eſt, ut inquit Strabo lib. v. Geogr. & Epitoma Livii lib. XIV. *Coloniæ deductæ Poſſidonia & Conſa.* Plinius lib. III. cap. v. *In regione* VII. *Etruria ab eo tractu Umbria, portuſque Telamon, Coſſa, Volcientium, a populo Ro. deducta.* Plutarch. T. Quinctium adoleſcentem ante Conſulatum Narniam, Coſſamque Colonias deduxiſſe refert. Meminit *Paeſti* & *Coſſæ* Livius lib. XXVII. & XXXIII. Coſſam vero Cicero in Vert. Municipium vocat.

Ariminum, Beneventum.] Hoc oppidum in Samnio, illud in Piceno, Eutropius lib. II. & Epitoma Livii lib. XV. Nominat utramque Strabo lib. XV. Plinius lib. III. cap. XV. Livius lib. XXVII. & XXIX. & Cicero pro Cæcina.

Firmum & Caſtrum.] *Caſtrum novum* à Livio nominatur lib. XXVI. inter maritimas Colonias, meminitque *Firmi* lib. XXVII. Epitoma vero lib. XI. Coloniam deductam an. CDLXV. ſignificat. Sed Paterculi potius calculum probat Onuphrius Panvinius, putatque deductam an. circiter CDXXCIX. Nondum enim anno CDLXV. victi Tuſci in Rom. poteſtatem conceſſerant, ut Colonia conſtitui potuerit.

Æſulum & Alſium.] Alſienſis Coloniæ inter maritimas meminit Livius lib. XXVII. ex cujus Annali Conſulares annos cum Vellejanis contendentes ad oram adſcripſimus.

Poſtquam XXII. annos.] Mendoſus locus, repono XVII. aliter ut Lucilii verbis utar, *perverſa æra & ſumma ſubducta improbe.* Jam inde enim a primi belli Punici exordio ad Sempronium & Manlium Torquatum Cos. vix viginti anni numerantur in Tabulis illis in Capitolio Romæ collocatis, quarum certiſſima annorum ratio eſſe putatur. Equidem ſic conjeceram, & poſt eadem Car. Sigonio in Livii lib. XXVII. in mentem veniſſe magna cum voluptate legi.

Fregellæque.] Corruptum & illud emendo, *Fregenæque* ex Epitoma Livii lib. XIX. *Coloniæ deductæ ſunt Fregenæ: in agro Sallentino Brundiſium.* Mentio exſtat & initio lib. XXXVI. Livii inter maritimas Colonias, quas vacationem rei navalis non habere ſenatus decrevit. Sed & hanc emendationem doctiſſimus Car. Sigonius prior occupavit: ne Manes illius compoſitos laude fraudaſſe videar.

Spoletium] *Spoletum*, tribus non amplius ſyllabis ſcribi vult Sigonius, unde *Spoletani*, ut a *Benevento Beneventani.* Itaque Priſcianus, lib. II. Gramm. Tamen in Livii lib. XXVII. *Spoletini.* Ptolemæus & Strabo lib. v. ΣΠΟΛΗΤΙΟΝ: & in Antonini Aug. Itinerario: Cicero pro Balbo Latinam Coloniam fuiſſe oſtendit. Epitome Liviana de Colonia lib. XX. *Spoletium colonia deducta:* quam & M. Tullius in ea, quæ pro Corn. Balbo eſt, *firmam* vocat & *illuſtrem:* deque viribus ejus & Livius lib. XXII. Annibalem inde repulſum, & ex unius Coloniæ viribus conjecturam, quanta Ro. urbis moles eſſet, feciſſe, meminit & lib. XXIV.

Floralium ludorum factum initium.] Plin. lib. XVII. cap. . . . *Floralia* XIV. *Kal. Maji ex libris Sibyllæ, ut omnia bene deflorescerent, inſtituta.* Eadem & L. Poſtumio Albino, M. Popillio Lænate Cos. an. DLXXX. celebrata, diſcas ex Ovidio v. Faſtorum. *Annuimus votis, Conſul cum Conſule ludos Poſtumio Lænas perſolüere mihi.* Varro I. de Re Ruſtica: *Robigus ac Flora: quibus propitiis neque rubigo frumenta*

at-

atque arbores corrumpit, neque non tempeſtive florent. Itaque publicæ Robigo feriæ, Robigalia, Floræ ludi, Floralia inſtituti.

Deducta Valentia.] Annus eſſe putatur DLXII. Hanc & *Vibonem* appellaſſe Livius videtur lib. XXXV. ubi de ejusdem Coloniæ inſtauratione. & Strabo lib VI. Poſt Coſentiam Hipponem eſſe a Locrenſibus conditum, quod oppidum Brutiis eripuerint Romani, & Vibonem Valentiam appellaverint: ſic enim ait: Μετὰ τὴν Κωνσεντίαν Ἱππώνιον Λοκρῶν κτίσμα Βρεττίους δὲ κατέχοντας ἀφείλοντο Ῥωμαῖοι καὶ μετωνόμασαν Οὐιβῶναν Οὐαλεντίαν.

Sub adventum in Italiam Annib.] Eadem Tacitus lib. III. ab exceſſu Neronis. *Hic exitus*, inquit, *Cremonam habuit an.* CCXXVI. *a primordio ſui. Condita erat Ti. Sempronio & Cornelio Cos. ingruente in Italiam Annibale: propugnaculum adverſus Gallos trans Padum agentes, & ſi qua alia vis per Alpes irrueret. Igitur numero Colonorum, opportunitate fluminum, ubere agri, annexu connubiisque gentium adolevit, floruitque bellis externis intacta, civilibus infelix.*

Cremona atque Placentia.] Illa Inſubribus, hæc in Bojis deducta. adſcripſi an. DXXXV. quo T. Sempronius Longus, P. Cornelius Scipio, Africani Pater Cos. fuit in Faſtis Capitolinis, Polybio lib. III. & Aſconio Pediano in Piſonianam: qui belli Punici ſecundi annum primum, urbis vero DXXXXII. & quinquageſimam tertiam a populo Ro. Coloniam, eamque Latinam deductam, curioſe obſervavit. Utramque nominat Polybius lib. III. & Livius XXVII. XXXI. XXXIII. & XXXVII. libris Annalium. Epitoma vero lib. XX. Plinius lib. III. cap. cap. XV. & XIX. & Tacitus lib. I. & II. Hiſt. Auguſtæ. Cicero autem in Piſoniana, & Feſtus Placentiam Municipium faciunt.

CAP. XV. *Conquirendus potius miles.*] Accepta enim ingenti clade ad Trebiam, ad Thraſimenum, ad Cannas denique populus Rom. vix ſe ipſe collegit. M. itaque Junius Dictator ex ſervitiis octo millia armavit, vel publice empta, ut Livius lib. XXII. vel dominis ultro donantibus, manumiſſa, ut Appianus in Annibalicis refert. Vide Macrob. I. Saturnal. cap XI. extrem. & Oroſium lib. IV. cap. XVI.

Bononia deducta.] Eosdem Cos. nominat Livius lib. XXXVI. qui annus in Tabulis marmoreis Romæ DLXIV. Coloniæ meminit Pomponius Mela lib. II. cap. IV. *Urbium, quæ procul a mari habitantur, opulentiſſima ſunt, ad ſiniſtram Patavium Antenoris, Mutina, & Bononia, Romanæ coloniæ.* Ager captus de Gallis Bojis fuerat, Galli Tuſcos expulerant: ſic & Plinius lib. III. cap. X. *In octava regione, Bononia, Felſina vocata, cum princeps Etruriæ eſſet.* Sex. Pompejus Municipium ſui juris appellat, ubi tamen quidam libri *Bobutinienſes* legunt; quos populos neſcio an apud Indos requiram.

Piſaurum ac Potentia.] Illa in Gallicum agrum deducta, hæc in Picenum: quæ & *Pollentia* dicitur Livio, qui de utraque Colonia lib. XXXIX. & Plutarchus ab Antonio deductam ait Coloniam *Piſaurum* urbem, non longe ab Hadria.

Graniſca.] Livio anno DLXXII. deducta: ſic enim lib. XL. P. Cornelio Cethego, M. Bæbio Tamphilo Cos. colonia Graniſca deducta eſt in agrum Etruſcum, de Tarquinienſibus quondam captum, quina jugera agri data. Triumviri deduxerunt C. Calpurnius Piſo, P. Claudius Pulcher, C. Terentius Iſter. Frontinus quoque pag. 14 & Tarquiniis ſubjungit.

Aquileja & Graniſca.] De his multa Livius lib. XXIX. & XL. qui & Triumviros, a quibus ſingulæ deductæ, enumerat. De eisdem Plinius lib. III. cap. XVIII. Ptolemæus lib. III. Strabo lib. V. *Graniſcæ* meminit & Julius Frontinus.

Luca] Annus eſt Livio DLXXVI. poſt V. C. lib. XLI. meminit & Plinius lib. III. cap. V.

Quanquam ambigitur.] Recte hoc addidit. Livius enim annis undevi-

 ginti

ginti ab hoc calculo diſcrepat, qui lib. XXXXIV. P. Africanum iterum, Ti. Sempronium Longum Cos. edit, urbis cond. an. DLIX.

Puteolos, Salernumque & Buxentum.] Conjungit has Colonias & lib. XXXIII. non ſemel, & XXXIX. de Buxento: Strabo lib. V. Geogr. Puteolos, Cumanorum emporium bello Annibalis, a Romanis incolis auctum ait, nomenque a puteis vel putore accepiſſe, Salernum quoque cuſtodiæ gratia a Romanis munitum: de quo & Appianus lib. I. Bell. Civilium. Municipes vocat Paulus J. C. lib. II. ad Edictum, Puteolanos & Campanos: exſtatque Digeſt. libro quinquageſimo Tit. I. Cap. I. quem mihi locum Ant. Auguſtinus I. C. coryphæus oſtendit: itemque lapis Tarracone ſæpius inſpectus: Q. HED. L. F. POL. RVF; LOLLIANO GENTIANO AVGVRI. COS. PRO. COS. PROV. ASIÆ CENSITORI PROVINC. LVGD. ITEM. LVGD. COMITI SEVERI ET ANTONINI AVG. CENSIT. P. H. C. CVRAT. SPLEND. COL. PVTEOLANOR. ET VELITERNOR. QVÆST. CANDID. ITEM LEG. XIIII. PRIMIC. TRIB. LEG. SEP. G. P. F. TRIVMV. A. A. A. F. F. P. H. C. Itemque alius Puteolis, quæ hodie Puzole. DEO MAGNO GENIO COLONIÆ PVTEOLANORVM.

Caſſius Cenſor.] C. Caſſius Longinus, M. Valerius Meſſalla Cenſores in Capitolinis Faſtis, an DXCIX. Luſtrum LV. condiderunt: quos nominat & Valerius Maximus lib. II. cap. IV.

Cui in demoliendo.] Lego, *in emoliendo.* Nec hic *emoliri* aliud eſt quam efficere, ad finem perducere. Valerius enim inchoatum Theatrum à cenſoribus narrat; ceterum auctore P. Scipione Naſica, omnem apparatum operis ſubjectum haſtæ veniiſſe: Reliqui hiſtorici faciendum Theatrum cenſores locaſſe, & exſtrui cœptum. Epitoma Livii XLVIII. *Cum locatum à Cenſoribus Theatrum extrueretur, P. Naſica auctore, tanquam inutile, & nociturum publicis moribus, ex S. C. deſtructum eſt, populusque aliquandiu ſtans ludos ſpectavit.* Tu vide Valerium lib. II. cap. IIII. Oroſium lib. IV. cap. XXI. & D. Auguſtinum lib. I. de Civitate Dei.... Sic Maro. —— —— *Pars ducere muros, Molirive arcem.* Ubi Servius, *quaſi molibus jactis arcem attollebant.*

Et Cos. Cæpio.] *Scipio* lege, prono errore, cum fortaſſe *Co. Scepio* ſcriptum fuiſſet. Atqui Conſul P. Corn. Scipio Naſica iterum, (priori enim ante annos VII. vitio creatus abdicarat) cum M. Claudio Marcello iterum, anno DXCVIII. Cenſores vero inſequenti anno. Quare vel *Conſularem* hic lege, quod tamen integre, non conciſe *Cos.* ſcribi & fere poſtponi nomini ſolet. Appianus certe lib. I. Bell. Civilium, Conſulem Scipionem, ut Paterculus, diſerte vocat. Acute igitur Sigonius, ut omnia, ex temporum ratione in Epitoma Liviana, non his Cenſoribus, ſed quinto fere poſt Scipionis Conſulatum anno, accidiſſe collegit: T. Quinctio Flaminino, M'. Acilio Glabrione Cos. libro enim XLVII. Epitomæ Conſules anni DXCVIII Kal. Januariis (hoc enim addendum illic videtur) inire cœpiſſe ait: Sequenti libro L. Licinium Lucullum, A. Poſtumium Albinum Cos. nominat, qui in Tabb. Capitolin. annus eſt, ni fallor, DCII. His ſubjicit auctor ille ex Livio Cenſuram, in qua Theatrum ædificari prohibitum. Mox lib. XLIX. & XXII. Credibile ſane in Cenſura Caſſium, & Meſſallam, Theatrum ſtruere prohibitos a Scipione Naſica, qui jam Conſulatu abierat: illos vero obſtinate in ſententia perduraſſe: hunc quoque in-impediendo ac diſſuadendo perſeveraſſe. Ni forte diverſos Annales, ut alias ſæpe, ſecutus Vellejus; nam de Cenſoribus minime quidem dubitandum, quod & hic & Valerius nominibus diſerte appellent: aliorum vero Cenſorum proximi quinquennii nomine in Faſtis, Epitoma Livii, & Oroſio deſiderantur. nam P. Scipionis Æmiliani & L. Mummii Achaici Cenſura totos XII. annos ab altera diſtat. Privatus igitur & Conſula-

laris, non Conſul Naſica, Theatrum extrui prohibuit. De anno in tanta ſententiarum varietate nihil habeo dicere, & Cenſuræ inconſtans fere annorum ratio in Faſtis deprehenditur; Ut plurimum quinquennium intererat, aliquando tamen quadriennium, ſæpius anni complures.

Publicæ voluntatis.] Qua reip. commodo ſtudere ſe populus Romanus oſtendit: ut qui ſedendo vincere dicebatur, non niſi ſtans ludos ſpectare, quaſi aliud agens, vellet. Non diſſimilia Valerius: *ut ſcilicet remiſſioni animorum juncta ſtandi virilitas propria Romanæ gentis nota eſſet.* Unde ſuſpicor & Vellejum *virilitatis* ſcripſiſſe: nec enim *voluntatis* hic quadrat: verum quod a veteri libro inops ſim, mutare quidquam religio ſit.

Qui Saluës.] Sic Græci Σάλυες conſueta ſuorum declinatione inflectunt: Latini vero *Saluos*: vel *Salyos* vocant: Narbonenſis Galliæ populus, non procul Maſſilia, & Arelate. Epitoma Livii LXI. lib. *C. Sextius Procos. victa Saluorum gente Coloniam Aquas Sextias condidit, ob aquarum copiam & calidis & frigidis fontibus, atque a nomine ſuo ita appellatas.* De his & Strabo lib. V. & Solinus cap. VIII. & L. Annæus, ſive is Florus, ſive ut MSS. Annæus eſt, lib. II. Epitomæ: Julius Obſequens de Prodigiis, & Ammianus Marcellinus lib. XXX. Ptolemæo quoque ὕδατα Σέξτια κολωνία: quamvis Plutarch. in Marii vita Σεξτέλια vitioſe habet. Legitur & in veteri inſcriptione COLONIA JVLIA AVGVSTA AQVÆ SEXTIÆ, & item in altera.

Ab hinc annos ferme CLII.] Vereor ne & hic mendum in numeris: aberrat enim calculus: ab anno enim DCXXIX. ad Conſulatum usque M. Vinucii, qui eſt, ut dixi, DCCXXII. poſt Ro. conditam, interſunt anni non amplius CLVII. vel CLIII. quomodo hic legendum cenſeo.

Tarentum.] C. Gracchus Tr. pl. legem promulgavit, ut Tarentum & Capua Coloniae deducerentur: Rurſus ut XII. Coloniae; Plutarch. in Gracchis, & Auctor de Vir. illuſtr. Meminit Strabo lib. VI. & Tacitus lib. XIV. Annalium.

Karthago primo in Africa.] De hac Colonia Plinius libro & cap. V. Appianus I. bellor. Civilium. Plutarchus in Gracchis. Epitoma Livianae Hiſtoriae lib. LX. *C. Gracchus continuato in alterum annum Tribunatu, legibus agrariis latis effecit, ut complures Coloniae in Italia deducerentur: & una in ſolo dirutae Carthaginis, quo ipſe Triumvir creatus Coloniam deduxit.* Plutarchus XII. Colonias ait a Druſo deduci juſſas, decem Appianus. quas eſſe has Onuphrius Sigoniusque conjecerunt, *Scyllatium, Minervium, Tarentum, Neptuniam, Derthonam:* quas nominat Vellejus noſter: item *Nolam, Aricium, Lavinium, Abellinum, Ferentinum, Tarquinios, & extra Italiam Karthaginem.* Poſt, ut ait J. C. lib. L. Pandect. Tit. XV. cap. 8. *In Africa Carthago, Utica, Leptis magna a Divis Severo & Antonino juris Italici facta ſunt.* Diciturque Viennae hujusmodi inſcriptio Lapidea: DEC. COL. KAR. I. D. D. D., Quod neſcio an Carthagini novae in Hiſpania attribuatur.

Dertona.] Plinius in IX. Italiae regione ex Auguſti deſcriptione collocat, lib. III. cap. 5. In veteri Epigrammate, JVLIA DERTONA vocatur, ſic, ORIVNDO EX ITAL. IN DERTONA.

Annos circiter CLIII.] Rurſum peccatum in numeris, ut fit, cum notis deſignantur. Conjicio leg. *Annos circiter* CXLVII. ut conſtet ratio ad annum Conſulatus M. Vinucii DCCXXII.

Poſt tres & viginti annos.] Turpe & hic ἐν κεφαλαίῳ τοῦ ἀριθμοῦ ἁμάρτημα: lata culpa vel librarii, vel Paterculi: quinarius enim ſuperat: quod interſunt anni non plures duodeviginti: quem numerum reponerem, niſi ingenio meo diffiderem. Cos. enim C. Marium ſextum, L. Valerium Flaccum edunt Capitolini Faſti, Caſſiodorus & Obſequens anno DCLIII.

In Baciennis Eporoedia.] *Bagiennis* alii ſcribunt cum G. & *Eporedia*

alii *Ephoredia* & *Eboredia* abſque diphthongo. Ptolemaeo ΕΠΟΡΕΔΙΑ in Sallaſſis eſt. & Straboni lib. IV ΕΠΟΡΑΙΔΙΑ per *αι* diphthongum, qui Romanorum Coloniam fuiſſe ait, deductamque, ut eſſet praeſidio adverſus Sallaſſos tumultuantes & latrocinantes. Plinius quoque Sibyllinis libris a pop. Ro. condi juſſam lib. III cap. XVIII. & Decimus Brutus Ciceroni ſcripſit, *Eporedia*, VII. Kal. Januar. lib. XI. epiſt. XX. & proxime *Vercellis*: Adhaec Antoninus Aug. in Itinerario *ad Vercellas*, Mediolanenſi itinere Viennam verſus, collocat Eporediam, putaturque hodie *Liverei*, Italis *Jurea* appellari.

Quae niſi militaris] De quibus Frontinum lege & Car. Sigonium, qui omnis antiquae doctrinae promus condus eſt, lib III de Jure Italiae cap. IV. De Colonis vero extra Italiam Onuphrium Panvinium lib. III. Reip. Rom.

AN-

ANDREAE SCHOTTI
IN
SEX. IVLIVM FRONTINUM, DE COLONIIS
NOTAE.

AQUINUM &c. *P. XXX. ager ejus perennis limitis.*] Onuphrius Panvinius, vir optime de Ro. antiquitate meritus, Reip. Ro. lib. III. legit: *P. XXC. Ager ejus perennis militibus eſt aſſignatus.* Coloniae autem meminit Plinius lib. III. cap. V. *In regione*, inquit, *prima Italiae Colonia Capua, Aquinum, Sueſſa.* & Corn. Tacitus lib. XVII. Annalium ſub Othone: *ſepoſitus per eos dies Corn. Dolabella in coloniam Aquinatem.* Municipium vocat, ut pleraſque alias, M. Tullius in Planciana. *Jam*, inquit, *municipia conjunctione etiam vicinitatis vehementer moventur: Nemo Arpinas non Plancio ſtuduit, nemo Soranus, nemo Caſſinus, nemo Aquinas.*

ABELLINO.] ABELLINUM emendo. De *Sempronia lege*, *de agris dividundis atque coloniis*, Plutarchus in Gracchis. Epitoma Livii lib. LX. & Vellejus Paterculus lib. II. *Novis*, inquit, *Colonis replebat provincias* &c. Quæ tam accurate ſunt ab ætatis noſtræ Papiniano, Ant. Auguſtino lib. de legibus pertractata, ut lumen ſoli addere non ſit neceſſe.

ANTIUM.] Prima haec civium Ro. Colonia. meminitque Livius libro III. VIII. XXVI. & XXXVI. Epitoma vero libri LXXX. Plinius lib. III. cap. IV. Suetonius in Nerone cap. IV. Et Tacitus lib. XIV. & XV.

ACERRAE.] Fuit & Municipium, auctore Livio lib. VIII. ab urbe condita, & Paterculo lib. I. *A. Sp. Poſtumio, Philone Publio Cenſoribus Acerranis data civitas:* qui in Faſtis Capitolinis annus eſt CDXXI. V. C. Feſtus Pompejus & inter *Praefecturas* numerat, in quas ire ſoleut Praefecti quatuor.

ALATRUM.] Retineo hanc lectionem. Livii enim lib. IX. extremo ſic legitur: *Hernicorum tribus populis Alatrinati, Verulani, Ferentinati, quia maluerunt, quam civitatem, ſuae leges redditae: connubiumqe inter ipſos, quod aliquandiu ſoli Hernicorum habuerunt, permiſſum.* Fuit igitur & Municipium. In lapide tamen pervetuſto ALETRINATES, ſecunda vocali in ſecunda ſyllaba legitur.

ARICIA.] Sic malo, quod *Arina* ficta, ut apparet, colonia. Florus Epit. lib. LXXX. *Marius Antium & Ariciam & Lavinium colonias devaſtavit.* Plurimas autem colonias deduxiſſe Sullam ex Salluſtio notum, cujus dominatione Etruria agros bonaque omnia amiſerit.

ARRETIUM.] Meminit hujus & infra; ut illa non unius Frontini eſſe omnia, ſed excerpta quaedam eſſe plurimorum credam: cum quod de eisdem Coloniis iterata multa ſint, tum quod in Auctoribus de limitibus agrorum paginas aliquot reppererim. huc ἐν ἐπιτομῇ tranſlatas. Sed haec Critici viderint. Meminit Cicero in Muraeniana, lib. XVI. ad Famil. de Natura Deorum, & in ea, quae eſt pro A. Caecina, Arretinae ſe mulieris libertatem contra Cottam, hominem diſer-

 tiſſi-

tiſſimum. defendiſſe ait, Sulla adhuc ſuperſtite: & lib. I. epiſt. XVI. ad Attic. *Volaterranos, & Arremitanos* (malo *Arretinos*) *quorum agrum Sulla publicarat, neque dimiſerat, in ſua poſſeſſione retinebant.* Nam de Volaterranis eadem lib. XIII. ad Familiares epiſt. IV. & Epitoma Livii lib. LXXXIX. *Volaterras* oppidum obſeſſum in deditionem accepiſſe refert. De Arretinis Perſius; *Seſe aliquem credens, Italo quod honore ſupinus Fregerit heminas aedilis iniquas.*

ANAGNIA.] T. Livius civitatem Anagninis ſine ſuffragii latione datam ait, libro IX. & Cicero pro Domo ſua *Municipium* facit: & Sex. Pompejus, etiam in Praefecturis numerat, in quas P. R. Urbanis quotannis Praefectum mittebat legibus.

ABELLA.] Onuphrius legit; *Abella, municipium coloniae, vel familiae, Imp. Caeſaris Veſpaſiani juſſu acceperunt:* ut alio exemplari uſum conjiciam.

ALLIFAE.] Feſto Pompejo Praefectura eſt.

AESERNIA.] Sic Graeci cum diphthongo Αἰσέρνια, non igitur recte Eſernia. Extat mentio in Epitoma Liviana lib. XVI. LXXII. & LXXIII. in Livio AEſerninorum lib. XXVII. AEſerninus quoque gladiator inſignis apud Ciceronem de opt. gener. Orat. & III. ad Q. Fratrem Epiſt. IV. itemque apud Nonium in *Spurius* & *Componere.*

Iter populo debetur.] Negationem ſuſtuli, ut & in *Capua*: pugnant enim pedum numerum collocari, & iter populo non deberi.

BENEVENTUM.] Deducta antea Colonia eodem, quo Ariminum, anno urbis cond. DLXXXV. Vellejus Paterculus lib. I. Eutropius lib. II. & Epitoma Livii lib. XV. Ominis cauſſa mutatum nomen, cum antea *Maleventum* vocaretur. Plinius lib. III. cap. XI. & Sex. Pompejus. Meminit Polybius lib. III. & Livius lib. XXVII.

BOVILLAE.] Non *Coloniam*, ſed *municipium* Cicero nominat Philipp. II. & pro Cn. Plancio: *Niſi forte te Lavicana, aut Gabiana aut Bovillana vicinitas adjuvabat, quibus municipiis vix jam, qui carnem Latinis petant, inveniuntur.* De BOVIANO Plinius lib. III. cap. XV.

CAPVA — Juſſu Imp. Caeſaris.] Vellejus lib. II. *Caeſar in Conſulatu* (an. DCXCIII. collega Bibulo) *legem tulit, ut ager Campanus plebei divideretur, ſuaſore legis Pompejo. Ita circiter XX. mill. civium eo deducta, & jus ab his reſtitutum poſt annos LIII.* (al. CLII.) *quam bello Punico ab Romanis Capua in formam Praefecturae redacta erat.* Sed quis locupletior teſtis ipſo Caeſare? Sic enim lib. I. de Bello Civili. *Capuae primum ſeſe confirmant & colligunt: delectumque colonorum, qui lege Julia Capuam deducti erant, habere inſtituunt.* Meminit frequenter Cicero in Rulliana, & Philippica II. item Plutarchus in Gracchis, & auctor noſter de Viris illuſtr. & C. Plinius lib. III. cap. V. *Regio ea a Tiberi prima Italiae ſervatur ex deſcriptione Auguſti: Intus Coloniae, Capua a Capy dicta, Aquinum,* &c.

FORMIAE.] Antea *Municipium* fuit. Livius enim lib. VIII. & Feſtus, *Formianis & Fundanis*, quod per fines eorum tuta, pacataque ſemper fuiſſet via, civitatem ſine ſuffragio datam. L. Furio Camillo, C. Mænio Coſ. an. CDXV. Commemorat & lib. XXXVIII. Fuit & *Praefectura*, eodem Pompejo Feſto auctore.

GABII.] De *Gabiis* Dionyſius Halicarnaſſeus. eratque ad viam Praeneſtinam ſitum oppidum. M. Tullius *Municipium*, ut pleraſque has Colonias, appellat, Philipp. II. & pro CN. Plancio; locum proxime in *Bovillis* attuli. Coloniae tamen mentio in veteri titulo ejuſdem oppidi, quod hodie *Zagaroli* vocari creditum, notat Onuphrius: CN. ARRIO CN. F. P. AXIMIO. PATRON. ORDIN. ET COLON.

NEAPOLIM.] Coloniam olim fuiſſe teſtantur innumerae lapidum litteratorum, ut Plautino verbo utar, Inſcriptiones: in his: L. BAEBIO L. F.

L. F. GAL. GEMINIO PATRONO COLONIAE S. P. Q. NEAPOLITANUS D. D.

PUTEOLI. *Auguſtus deduxit.*] Deduxit & Nero. Tacitus XIV. Annal. *Vetus oppidum Puteoli jus Coloniae & cognomentum a Nerone adipiſcitur.*

SUESSA ARVNCA.] *Aurunca* melius, vel *Auruncorum*, ut in Virgilio legitur. De hac idem ipſe Frontinus de Agrorum qualitate: *Ager dimiſſis aſſignatus eſt Coloniarum. Hic habet conditiones duas. Unam qua plerumque limitibus continetur. Alterum, qua per proximos poſſeſſionum rigores aſſignatus eſt: ſicut in Campania Sueſſae Auruncae.*

SORA. *Deducta juſſu Caeſaris Aug.*] Teſtatur idem Plinius lib. III. cap. V. *Regio ea a Tiberi prima Italia ſervatur ex inſcriptione Auguſti. Intus Coloniae Capua, Aquinum, Sueſſa, Venafrum, Sora, Theanum.* Nominat & Livius lib. X. & XXVII. & XXIX. M. Tullius in Planciana Municipium vocat.

SIGNIA. *Ager ejus in praeciſuris limitibus.*] Rurſum emendo, *militibus*, ut in *Nola*, trajecta leviter ſyllaba. Onuphrius vel oſcitantia quadam, vel quod verius eſt, alio uſus exemplari, quae Teleſiae Coloniae ſunt, Signiae haec adſcripſit: *Ager ejus militibus Auguſtis in nominibus eſt aſiignatus:* Meminit Dionyſius lib. IV. Livius l. I. II. VIII & XXVII. item vetus lapis inſcriptus: SENATUS POPULUSQUE SIGNINUS.

SETIA.] SETINA eadem *Colonia* vocatur a Paterculo & Livio lib. VII XXVII. & XXIX. lib. VIII L. Annius Setinus & L. Numitius Circienſis, ambo ex Coloniis Romanis.

III *Viri munierunt.*] Vetus liber, quo uſus eſt Panvinius, paullo aliter: *Triumvirali lege eſt munita:* & *in abſoluto.* De eadem & Livius lib. VII. XVII. & XX.

TEANVM SIDICINVM.] Legitur & alibi hoc modo. *Theanum, quod & Sidicinum, Colonia deducta a Caeſare Auguſto.* Et mox: *militibus veteranis* fortaſſe lege, pro *limitibus metricis.* Meminit autem Coloniae & Plinius lib. III. cap. V. Natur. Hiſt. & lib. XXI. cap. II. aquam ibi Acidulam calculoſis mederi: & Vitruvio lib. octavo cap. III. extremo. TEANUM autem abſque ſpiritu excudendum curavi, de quo & nuper in Pomponii Melae librum II. annotavi, auctoritatem ſecutus antiquiſſ. Inſcriptionis, quae ex altaris baſi nuper in hortos Ant. Auguſtini Archiep. translata Tarracone (quae urbs, citerioris Hiſpaniae caput, hujusmodi κειμηλίοις admodum ornata eſt) ſaepe a me magna cum voluptate inſpicitur. Apponam autem integrum Epigramma, dignum non ibi ſolum legi: quod ἀκέφαλον hactenus editum ſit ab Antiquariis, immo & ab Amb. Morali Cordubenſi cetera non indiligenti. TIB. CL. CANDIDO. COS. XV. VIR S. F. LEG. AVGG. PR. PR. PROVINC. H. C. ET IN EA DVCI TERRA MARIQ. ADVERSVS REBELLES. H. H. P. P. ITEM ASIAE. ITEM NORICAE DVCI EXERCITVS ILLYRICI. EXPEDITIONE ASIANA. ITEM PARTHICA. ITEM GALLICAE LOGISTAE CIVITATIS SPLENDIDISSIMAE NICOMEDENSIVM. ITEM EPHESIORVM. LEG. PR. PR. PROVINC. ASIAE. CVR. CIVITATIS *TEANENSIVM* ALLECTO INTER PRAETORIOS. ITEM TRIBVNICIOS. PROC. XX. HERED. PER GALLIAS. LVGDVNENSEM ET BELGICAM. ET UTRAMQ. GERMANIAM. PRAEPOSITO COPIARVM EXPEDITIONIS GERMANICAE SECVNDAE. TRIB. MIL. LEG. II. AVG. PRAEFECTO COHORTIS SECVNDAE CIVIUM ROMANORVM. SILIVS HOSPES HASTATVS LEG. X. GEMINAE. STRATOR. EIVS OPTIMO PRAESIDI. Et in alio lapide, cujus initium, M. PORCIO CATONI CVR. CIVITATIS *THEANENSIVM.*

VELITRAE.] Male antea *Velitre* ſcriptum erat. Meminit Coloniae fac-

ſaepius deductae Livius lib. II. & VIII. & Dionyſius Halicarnaſſeus lib. VII. Ῥωμαικῆς ἀρχαιολογίας. Et inſcriptio vetus Tarracone quam ad Paterculi Colonias integram adſcripſi, CVRAT. SPLEND. COL. PVTEOLANOR. ET VELITERNOR.

VULTURNUM.] T. Livius deductam hanc Conſulum temporibus, cum Puteoli, & Liternum deducerentur, ait. lib. XXXIV. anno DLVI. qui in Tabulis Capitolinis DLIX. eſt. Meminit Coloniae & M. Varro lib. IV. de ling. Latina. *Nam & Colonia noſtra Volturnum & Deus Tiberinus.* Feſtus has omnes *praefecturas* fuiſſe affirmat.

Limitib. Gracchanis.] Siculus Flaccus de Agror. Limitibus: *videndum erit qualiter pagis ſacra faciunt, Gracchanorum & Sullanorum Limitationum mentio habenda eſt.*

Ab Imp. Nerva.] Apud hunc enim Frontinus auctoritate plurimum valuit, ob ſingularem rei militaris peritiam: ſic enim Aelianus ἐν Τακτικοῖς ad Hadrianum Aug. Ἐπεὶ δὲ τῷ Θεῷ πατρὶ σοῦ Νερούᾳ συμβαλὼν παρὰ Φροντίνῳ τῶν ἐπισήμων ὑπατικῶν ἐν Φορμίαις ἡμέρας τινὰς διέτριψα δόξαν ἐπενηνεγμένῳ περὶ τὴν ἐν τοῖς πολέμοις ἐμπειρίαν· *Cum Divo patre tuo Nerva congreſſus Formiis aliquot dies commoratus fui apud Frontinum virum Clariſſimum Conſularem, qui magnam ex bellicae artis peritia laudem tulit*, &c. Ubi ante πατρὶ, legant Νερούᾳ Τραϊανῷ cenſeo: Nerva enim avus adoptione, Trajanus pater, quod non ignoraſſe Aelianum Romanum origine, ſcriptis Graecum, ſed à librario peccatum ſuſpicor. Ipſe quoque lib. de Aquaeductibus frequenter laudat. *Sentit hanc curam*, inquit, *Imperatoris piiſſimi Nervae, Principis ſui, Regina & domina orbis indies, quae terrarum Dea conſiſtit. Cui par eſt nihil & nihil ſecundum:* (A Martiali haec mutuatus eſt.) *Et magis ſentiet ſalubritas ejusdem aeternae Urbis aucto caſtellorum, operum, munerum, & lacuum numero.* Nominat tamen Severum, Antoninum & Commodum Impp. in Oſtienſi Colonia pag. 6. aetateque priores Veſpaſianum, Trajanum, & Hadrianum.

Decumanus in Oriente Kardo.] Sic interpungo; Kardo in Meridianum ex Hygino.

PROVINCIA APULIA.] Hoc caput ita corruptum, ut niſi Aeſculapius ille, qui Hippolytum ab equis diſcerptum vitae reſtituit, ab inferis excitetur, ſanare credam poſſe neminem. Verum cum his contuliſſe precium operae fuerit, quae ex Auctoribus Gromaticis Frontino addenda curavi, quod ex eadem Frontini officina profecta eſſe obſervarim. Namque hic extrema ſunt, illic prima: *Hadrianus Ager*, & *Aſculanus Ager*, &c. Ut ab auctore ſuo vi amiſſa eſſe jurejurando affirmare non dubitem.

In jugera N. CCXL.] Manca haec & mutila. Lege, *in centuriis ſingulis jugera numero* CCXL. Sic & inf. emendandum cenſeo; niſi quis exaudiri oportere contendat. Natum mendum ut ſuſpicor, quod ſingulari littera C. quae facile omitti potuit, *Centuriae* deſignarentur. Siculus Flaccus & in Frontinum Aggenus Urbicus: *Centuria, ager eſt ducentorum jugerum. Cum enim initio ſingulis ſingula jugera, poſt vero, bina minimum, attribuerentur, nomen Centuriae manſit.* Aliquando tamen eum numerum ducentorum jugerum in ſingulas Centurias, qui Colonias deducebant, ſuo vel ſenatus arbitratu excedebant. Et Hyginus, Trajani, non ut creditum hactenus Auguſti Caeſaris, aequalis, & ut ſuſpicor, Hiſpanus: *In provincia Narbonenſi varia ſunt vocabula: alii appellabant libram: alii parallelam: in Hiſpania Centurias.*

Idem Eberdona, Auſcelinus, Arpanus, Collatinus, Sypontinus, Salpinus] Excerpta illa ex Gromaticis Auctoribus ſic vocant Colonias: *Ardona, Auſculinus ager, Aſpanus, Conlatinus, Sipontum, Salpis. Teati.* Frontinum ſcripſiſſe ſuſpicor. *Idem & Herdona*, &c. Vide Plinium lib. III. cap. XI.

Leges

Leges Sympronīana & Julia.] Repone me auctore, *Lege Semproniana & Julia:* ex iisdem fragmentis.

THEATINUS iter populo non debetur.] In Excerptis illis ex Gromaticis auctoribus affirmatio legitur, *iter populo debetur*, *P.* LXXXV. Utrum rectius alii viderint.

Iter populo non debetur legito Hyginum.] Non huc pertinere viſa ſunt, ſed ſuperioribus adnectenda. De Hygino in ora libri alicujus diligentioris adſcripta, his addita: in quo auctore nulla, quod ſciam, *Calabriae* mentio vel *Apuliae.* Caetera ita perturbata mutilataque ſunt omnia, ut niſi quis ſpongiam induxérit, non facile emendarit. Integra ſunt in illis Excerptis quae adjunxi, ex Gromaticis auctoribus, a Pe. Galandio Belga, & Hadrian. Turnebo, Lutetianis doctoribus, in Galliae Belgicae finibus repertis, & editis anno CIↃ. IↃ. LIV. Quos ſi Onuphrio Panvinio videre contigiſſet, majorem ſane Coloniarum numerum libro VIII. M. Urbis Rom. dediſſet.

Lypienſe, Auſtranum, Varium.] Illic legitur, *Lyppienſe, Orianus & Varuus:* aliaque Calabriae oppida: de quibus Gabrielis Barrii libellus exſtare dicitur, quo patriam accurate depinxerit.

Macerias, corroſiones.] Corrige *Scoroſiones*, idemque mendum inf. pag. 19. de Hadriano agro. Collectanea illa ex Comment. Magonis & Vegojae, pag. 168. Turnebianae edit. *certe congerias petrarum Scoroſiones vocamus.* Emendandus in hac voce & Flaccus Siculus: *In quibusdam regionibus palos pro terminis obſervant: alii iliceos, alii oleagineos, alii vero juniperos. Alii congerias lapidum pro terminis obſervant, & Scorpiones appellant: aut in ſpecie macerias congerunt lapides, & Attinas appellant, quae pro terminis etiam in uno agro obſervant.* Leg. fortaſſe pro *Scorpiones*, *Scoroſiones*, ut omnes Gromatici auctores: ſed nihil in antiquitate vocis & rei obſcuritate certi adferre poſſum: & fruſtra id genus vocabuli in Lexicis requiras.

Cippi oleaginei.] Tales enim limites ſaepe conſtitui ſolitos jam ex Siculo docuimus.

Limites ſubruncivos.] C. Julius Hyginus: *ſunt alii limites actuarii: alii Linearii. Actuarius eſt limes, qui primus actus eſt: ab eo quinctus quisque. Reliqui medii limites Linearii appellantur in Italia Subruncivi: latitudinem ſecundum Legem Maniliam accipiunt: In Italia itineri publico ſerviunt.*

COL. FLORENTINA.] De hac & Corn. Tacitus lib. I. Annalium. *Auditaeque municipiorum Coloniarumque legationes, orantibus Florentinis, ut Clanis ſolito alveo dimotus, in amnem Arnum transferretur, idque ipſis perniciem adferret.* Meminit & urbis in Etruria principis Ptolemaeus, Antoninus, Suidas, Agathias, & Procopius lib. III. rerum Gothicarum, vetereſque lapidum inſcriptiones & auctores varii Limitum pag. 167. *In parte Tuſciae Florentiae quam maxime palos iliceos picatos pro terminis ſub terra defiximus.*

Col. Fida Tuder.] *Tuder Sida* Onuphrius, qui male a *Foedatura* Colonia diſtinguit: cum eadem verba Frontini ſint, variaeque ejusdem Coloniae appellationes. Vetus ibi inſcriptio: PRO SALVTE COLONIAE ET ORDINIS DECVRIONVM ET POPVLI TVDERTIS.

Unusquisque miles accepit.] Mimirum hoc eſt quod ait Urſinus in Frontinum: *legibus in quibusdam locis ab uno* mille & trecenta jugera fuiſſe poſſeſſa.

COLONIA ARRETIUM.] Initio ſtatim *Arretium* recenſetur. COL. ORIENTIUM ſcriptum ſe vidiſſe olim affirmat Ant. Auguſtinus Archiepiſc. Tarraconen: itaque edidit (ut pleraque omnia Antiquitatis monimenta) ex ipſius Municipiorum, Coloniarum, & Tribuum juvenilibus, quas & mihi inſpicere licuit, ſchedis Panvinius lib. III. Reip. Ro.

Poſtea per Kardines: Decumanos & Duodecumanos.] Sic leg. conſeo. Feſtus enim Pompejus & Hyginus Limites a Meridiano ad Septentrionem *Kardines* appellatos, ut a mundi cardine, & utroque polo. *Duodecumanos* vero, qui poſt *Decumani* dicti, ab Oriente in Occidentem dirigi. Appellari autem *Duodecumanos*, quod terram in duas partes dividat, & ab eo omnis ager nominetur. Sic & *Decumana porta*, in averſa parte caſtrorum, Caeſari lib. III, & Livio lib. X. *Decumani fluctus & ora* Feſto. Rotundo enim numero uti veteres maluerunt: ut pro *Duoviginti*, *viginti* dictum, inquit, Hyginus: & nos hodieque LXX. *interpretes*, qui duo & ſeptuaginta. Et *centum viri*, cum eſſent centum & quinque: id genus alia. *Decumanus* igitur Maximus, inquit, Aggenus, in Orientem creſcit, Kardo Maximus in Meridianum. Plinius lib. XVIII. cap. 34. *Linea haec erit ab exortu aequinoctiali ad occaſum aequinoctialem: & Limes, qui ita ſecabit agrum, Decumanus vocabitur.*

ꝏ 22.] Prior millenarii nota apud veteres, vel CIↃ. alteram non agnoſco: nec pudet fateri in tanta rei obſcuritate, niſi forte ea figura eſt 2. qua *in plano foſſatum* ſignificant Gromatici auctores pag. 109. Vide & Voluſium Metianum.

COL. FERENTINENSIS.] *Ferentinatium* meminit & Livius lib. XXXIII. & ſup. Frontinus pag. 4.

COL. NEPIS.] *Nepenſis* vidi qui legerent: ſed *Nepet* legendum ex Priſciano lib. VI. Grammat. *Git*, μελάνθιον, & *Nepet nomen* oppidi Italici, indeclinabilia ſunt. Et libro V. *in T. neutra ſunt, ut caput, ſinciput, occiput, Git* ἀνθέμιον. *Nepet, oppidi nomen.* In veteri Gloſſario *Git* & *Gitter* legitur, & μελάνθιον redditur, ut in altero hoc Priſciani loco mendum eſſe ſuſpicer. In Paterculo edito *Nepe* excuſum video, alibi *Nepete* & *Nepetim* in Sex. Pompejo, veteribus inſcriptionibus: ut & Nepeſim dixiſſe facile conjiciam. Meminit Coloniae & Livius lib. XXV. & XXIX. & Plinius lib. III. cap. 5. Ptolemaeo Νέπετα, & Stephano Νέπετος, forte ex Dion. Halicarnaſſeo.

Sutrium Col.] Plinius lib. III. cap. 5. *In regione ſeptima Tuſciae, Colonii Ruſellana, Senenſis, Sutrina.* Et Livius lib. XVII. & XXIX. Paterculus lib. I. extremo & lapides antiqui. Feſtus *Municipium* ſui juris vocat.

Fecerunt gannatos.] *Gammatos* emendo: *Gammati* enim Limites ſeu Termini Γ ſecundae Graecorum litterae figura ſignati. Siculus Flaccus: *aliquando petras occurrentes in finibus notatas invenimus, & quasdam, ſi perſeveret rigor, notas habentes: in verſuris vero Gammas, ſed ſpectantes ſuos rigores: aliquando etiam decuſſatas invenimus.* Et ignoti Gromatici Scriptores. *Usque ad collem ext. non grandes fines habet, in Gamma jacet: poſt ſe ad pedem aquam vicinam habet, & flumen inferius.*

Et Scamnatos.] Frontinus noſter. *Quicquid ſecundum limitum & rigorum conditionem in longitudinem eſt delimatum, per ſtrigas appellatur, quidquid per altitudinem* (fort. *latitudinem*) *per Scamna.* Hic Urbicus interpres: *ſtrigatus ager eſt, qui à Septentrione in longitudinem in Meridianum decurrit: Scamnatus autem, qui eo modo ab Occidente in Orientem creſcit.* Et Hyginus: *quod in latitudinem longius fuerit Scamnum appellatur. quod per latitudinem, ſtrigam.*



Campi Tiberiani.] Haec quoniam in excerptis ab auctoribus variis Gromaticis aliter leguntur, lectorem admonuiſſe contentus ad alia propero.

Qui

Qui ſacrificales pali.] Sic leg. ut inf. pag. 16. *Ubi non ſunt Termini lapidei, ſed lignei ſacrificales exordio conſtituti.* Palos enim pro Terminis defigere ſolitos auctor Siculus Flaccus: his quod ſacra facerent *Sacrificalium* nomen inditum: nam de ritu caerimoniaque veteri Flaccus eleganter Horatius Oda 2. Epodon. 9. quae eſt de ruſticae vitae commodis: *vel agna feſtis caeſa Terminalibus:* Siculus vero pag. 6. de his, & Frontini fragmentum in Gromaticis auctoribus pag. 244. *Plurimis*, inquit, *locis Terminos ſacrificales non in fine ponunt, ſed uti illos ſacrificii potius opportunitas ſuadet, hoc eſt, loci commoditas.*

COL. TARQUINIUS.] *Tarquinii Colonia*, lege, numero multitudinis: quamquam M. Tullius pro A. Caecina *Municipium* appellaſſe videtur. *M. Falcidius*, inquit, *fuit e municipio Tarquinienſi: qui & domi ſuae cum primis honeſtus exiſtimatus eſt, & Romae argentariam non ignobilem fecit.*

Lex Limitum.] Credo *Manilia*, *Roſcia*, *Pedocaea*, *Alliena*, *Fabia.* Cujus capita tertium, quartum & quintum exſtant in Auctoribus Limitum, Turnebianae editionis pag. 182. & in Lipſii Electis cap. XV.

In tabula aeris ab Imp. Trajano.] Summa enim in hoc Imp. Reip. cura fuit: quin & aedificatorias leges condidit: ne domorum altitudo ſexaginta pedes ſuperaret ob ruinas faciles, & ſumptus, ſi quando talia contingerent, exitioſos: id Aurelii Victoris Epitoma Caeſarum refert.

Ex libro Balbi.] Hunc & Agraria ſcripſiſſe colligo ex titulis auctorum, quos ſe vidiſſe idem Lipſius teſtatur libro Electorum.

Vel canabula, vel Noverca, quod tegulis conſtituitur.] Aliter haec loquuuntur in variis illis ſcriptoribus Gromaticis pag. 167. *Canabulae vel Novercae, quod tegulis conſtruitur.* Item in iis, quae Frontini ſuppreſſo nomine illic leguntur, poſt Legis Maniliae, Roſciae, capita de Colonis: ſic enim praefert liber Turnebianus. *Adrianus ager limitibus maritimis & Gallicis, quos nos D. & K. appellamus, finitur per rationem arcarum, riparum, canabularum, vel novercarum, quod tegulis conſtruitur. Aliis vero locis, muris, maceriis, ſcorofionibus, congeriis, carbunculis, terminis Auguſteis, fluminum curſibus. Canabulae* quid ſint, ut pleraque alia in Gromaticis ſcriptoribus non intelligo: corrupta haec vox fortaſſe in Agellii noctium Atticarum lib. XVI. cap. 4. ex Cincio de re militari. *Extra haſtam haſtile, ligna, napum, pabulum.* Vidi enim in veteri libro *pombalum.* Vet. inſcript. *Inferri in arca, humandi, ſepeliendi jus poteſtaſque eſto*, &c. *Arcam & maceriam in fronte agro verſus late.* P. X. *retro usque ad canabetum huic arcae cedet: in qua peddatura neque humari, neque tumulum fieri volo*, &c. pag. DCCCXCVI, 14.

Terminis Auguſteis.] Iidem auctores pag. 165. *In locis montanis Terminos poſuimus rotundos, quos Auguſteos vocamus, quod Auguſtus eos recenſuit: & ubi fuerunt, lapides alios conſtituit, & omnem terram ſuis temporibus fecit remenſurari, ac veteranis adſignari.*

IN FRAGMENTVM FRONTINI DE COLONIIS repertum in auctoribus de Limitibus agrorum Turnebianae editionis.

Per alia Finitima documenta.] Hoc eſt: per alia ſigna, quibus fines deſignari ſolent.

Sepulcra monumenta.] Siculus Flaccus. *In locis ſaxuoſis & ſterilibus etiam in mediis poſſeſſionibus ſepulcra faciunt.* Et Aggenus Urbicus. *Inſpiciendum & illud, ne quoniam ſepulcra in extremis finibus facere ſoliti ſunt, & cippos ponere, aliquando cippus pro Termino errorem faciat.* Et: *ſunt in Suburbanis loca publica inopum deſtinata funeribus, quae loca culinas appellant.* Vidi & ipſe in Suburbano agri Tara-

raconenſis, Antiquitatibus referto, ex ſolido lapide monumentum, quod pro ſepulcro agrique limite collocatum fuiſſe facile conjicio: hoc titulo: D. M. IVLIO SECVNDO QUI VIXIT ANN. XXXVIIII. M. III. D. X. C. IVLIVS ROSCHVS LEG. XII. FVLMENN. LIBERTO BENE MERENTI FECIT. Sic autem FVLMENN duplici NN, & ſecunda vocali ſculptum repperi, quod haud ſcio an vitioſum, & *Fulmineam*ne XII. Legionem, an Fulminiferam deſignabat: diverſae enim hae legiones: illam ex Chriſtianis conſtitiſſe auctor eſt Xiphilinus ex Dione: quae bello Marcomannico Imp. M. Aurelio Antonino Philoſopho, ſiti fere extincto exercitu, precibus ſuis pluviam a Deo ſalutemque impetravit. Qua de re epiſtola extat ad calcem Juſtini Martyris, verane an falſa, non diſputo. Suidas enim in Ἰελιανός, Magicis artibus ſervatum exercitum ait.

Arbores aut emiſſae vel peregrinae.] Idem Siculus. *Quidam curant invehere Q. L. C. Q.* (hoc eſt, qualeſcunque) *peregrinos lapides, ut manifeſtum ſit ex induſtria Terminos finales poſitos; quidam etiam politos, alii inſcriptos, alii etiam numeri ordine notatos diſponunt.* Et alibi: *Diverſa arborum genera quidam ponunt. Alicubi enim pinos invenimus, alicubi cupreſſos, alibi fraxinos, aut ulmos, aut populos, malumve cotoneum.* Et Gromatici auctores pag. 201. *arbores ante miſſas finales invenies, peregrinas, exteras.*

FANESTRIS FORTUNAE.] Duplici nomine Colonia: nam & *Faneſtris*, & *Fanum Fortunae* vocatur. Pomponius Mela libro & cap. 11. *à Pado ad Anconam tranſitur Ravennam: Ariminium Piſaurum, Faneſtris Colonia: flumen Metaurus atque Aeſis.* Plinius lib. III. cap. 14. *In regione ſexta Colonia Fanum Fortunae, Piſaurum.* In antiquis lapp. monumentis IVLIA FANESTRIS ab auctore Coloniae, appellatur: hoc titulo: TABVLARIVS CORP. DENDROPH. COL. IVL. FANESTR. Aggenus Urbicus in Frontinum de Limitibus. *Nam omnia* (in Frontino tamen negatio addita, *Nam non omnia*) municipia habent ſuum privilegium: ut Inderſini, qui apud principem egerunt, ut Faneſtres incolae, ſi eſſent alienigenae, qui intra territorium incolerent, honoribus fungi in Colonia non deberent: ſed Faneſtres hoc poſtea impetrarunt, ut eis liceret fungi honoribus territorii. IVLIA FANESTRIS Inſcript. pag. 416, 8. & 625, 9. IVLIA FANVM FORTVNAE pag. 475, 7.

CANUSINUS. In Centuriis ſingulis jugera CC. D. *in Orientem.*] Amplius in Frontino, ut mutuas ſibi operas praeſtent. *Decumanus in Orientem, Kardo in Meridianum.*

ECLANENSIS. Et per XXIV.] Mendoſe: lego *& pedes* XXIV. ex Frontino de Coloniis.

VENUSINUS.*] Expleri hujus loci vacuum ſpacium poteſt ex ipſo Frontino: *Venuſinus ager cum limitibus Graccanis unius ſcamni.*

Maxime autem vicinorum exempla.] Repetit hoc frequenter Flaccus Siculus, conſuetudines regionum in limitibus intuendas & ex vicinis exempla ſumenda, pag. 5.

IN-

INDEX,

AUCTORE

JO. HENR. BOECLERO;

Cujus primus Numerus librum; alter caput; Tertius capitis ſectiunculam notat.

A.

Adiis optare aliquid 2, 89, 2. a toga virili, *inde a tog.* poſt ſumt. tog. viril. 2, 29, 5. *ita:* ab adoptione 2, 104, 3.

Abdere. Abdito in interiora exercitu 2, 110, 3. *ſi occupetur & diſtineatur exercitus in remotioribus, ut ad propiora ſubſidio eſſe nequeat.* abdere ſe in paludem, *delitescendi cauſſa* 2, 19, 2.

Abeſſe. Neque ab ipſo periculum abfuit 2, 79, 4. Homerus abfuit longius a temporibus belli Troici, *de aetate Homeri longius remota* 1, 5, 3.

Abhinc tot annos 1, 12, 5. & alibi ſaepiſſime: *retro putando: ante hoc tempus conſulatus Viniciani.*

Abolere teſtamentum 2, 58, 2.

Abrogare alicui imperium 2, 2, 3. abrogatus ei conſulatus 2, 20, 3.

Abſciſſi capitis merces 2, 66, 3 & 2. abſciſſa ſcelere Antonii vox publica. *Ibi proprie, hic ad augendam vim ſignificandi tranſlate ſonat.*

Abſolvit eum lata ſententia 2, 47, 5. *ſuo ſuffragio.*

Abſumere. Hiſpania tot duces abſumſit 2, 90, 3. *ibid. dixerat:* conſumſit. acies abſumſit maximam partem 2, 119, 3. abſumtus igni 2, 130, 1.

Abſtruſa terrae ſerpens 2, 129, 4. abſtruſum incendium, *de dolore diſſimulato* 1, 130. 4.

Abſurd. haud abſurdum videtur regulae propoſiti operis, *haud inconveniens regulae* 2, 38, 1. haud abſurde dixit, *de concinnitate apophthegmatica* 1, 77, 1. 2, 83, 4. *ſive de jocis, ſalibus, facetiis.* Conſulendus eſt locus *Salluſtii* de Sempronia *in Catil.* 25. *verum ingenium ejus haud abſurdum; poſſe verſus facere, jocum movere, &c.*

Abunde, *pro ſatis ſaepiuſcule habet Vellejus.* Qui neque ſatis laudari, neque abunde vituperari poteſt 2, 17, 1. quis abunde mirari poteſt? 1, 16, 2. 2, 116, 4. abunde perſequi vix poterimus, *ſatis exprimere deſcribendo* 2, 103, 4.

Abundantia virium ſedes quaeritans Graec. juventus 1, 4, 3. abundantiſſima rerum omnium copia 2, 106, 3.

Acantho apparatum Pontici triumphi inſtruxit Caeſar 2, 56, 2. *accipe de arbore Aegyptia ſemper frondente, ut a Virgilio appellatur 2. Georgic. ubi Servium vide: de arbore inquam illa ferculis & inſtrumento triumphali adhibita; non veſtibus. de quibus non veniſſet in mentem cuiquam, ſi locum Scriptoris & comparationem ceterorum triumphorum, in oculis habuiſſet.*

Accedere. lubenter his acceſſerim, qui ita prod. 1, 8, 5. *ſequi ſententiam.* acceſſio dignitatis 2, 130, 5.

Accenſae diſſenſiones plebis 2, 121, 1. accenſae in arma nationes 2, 68, 1.

Accidere. ſi quid huic acciderit 2, 32, 1. ſi quid accidiſſet Caeſari 2, 93, 2. *Notus εὐφημισμὸς de exitu obituque hominum.*

Accipe nunc M. Vinici 2, 113, 1. *cognoſce. cum formula tranſitionis*

nis dictum. accepta eſt lex, *ſc. a populo*, 2, 33, 2. *ut enim ad populum ferebant legem auctores legis: ita populus jubebat eam, conſenſu ratam habebat i. e. accipiebat.*

Accire mortem, *de eo qui ſibi vim adfert* 2, 38, 6.

Acclamare, *indignationem obſtrepentium hic notat* 2, 4, 4. *Fruſtra* occlamandi *vocem a Vellejo adhibitam alii credidere; cum hujus ſignificatum etiam illa ſuſtinere poſſit, ut diximus: probantque Acidalius ad h. l.* & *Gruterus ad epiſt. Senec.* 47.

Accuſatio, inter rudimenta civilium officiorum 2, 43, 3. *Cic. orat. pro Cael.* 30.

Acer belli 1, 3, 1. ita: *modicus virium* 1, 12, 4. *laetus animi* 2, 93, 2. *Quae locutiones Tacito praeſertim ſunt familiares.* Acri bello cepit urbem 2, 69, 6. acerrimus bello 2, 18, 1. acerrimus vigore animi 2, 41, 1. acerrimus executor malorum propoſitorum 2, 45, 1. acerrimi duces 2, 110, 4. acerrime ſuaſit ei 2, 63, 2.

Acerranis data civitas 1, 14, 4.

Achaeorum ſedes 1, 3, 1. Achaia *provincia facta* 2, 38, 5. Achaicus *cognominatus eſt Mummius* 1, 13, 2.

Achillas 2, 53, 2.

Achilles 1, 6, 5.

Acidinus Manlius 2, 8, 2.

Acies *pro praelio* 2, 98, 2. ita: acies abſumſit magnam part. mil. 2, 119, 3. acies Pharſalica 2, 52, 2. 2, 68, 1. acie concurrere cum aliquo 2, 70, 1. acie victus 2, 70, 4. acies reſtitutae ſunt a duce, *milites in aciem & praelium revocati* 2, 55, 4. *pro copiis.* acies equeſtris regiorum, *i. e. equitatus reg.* 2, 112, 5. quas acies hoſtium vidimus? 2, 111, 4.

Acies animi hebetata, *de intellectu & prudentia* 2, 118, 4.

Acquieſcere a continuatione laborum 2, 99, 2.

Actium 2, 84, 1. Actiacum bellum 2, 86, 3. 2, 88, 1. praelium, 2, 85.

Ad aedem Opis depoſita pecunia 2, 60, 4.

Ad arbitrium ejus, *ſecundum* 2, 40, 5. *ita:* ad ludibrium alterius mori 2, 71, 2.

Ad arma itum eſt 2, 48, 2.

Ad Germaniam mittitur 2, 120, 1.

Ad ultimum 2, 48, 5.

Addicere. *de dedicatione & donatione:* addixit Dianae agros Sulla 2, 25, 4. *de ſuffragatione & commendatione:* addixit Mario concupiſcenti *ſc. imperium* Sulpicius trib. pl. 2, 18, 6.

Adducere in ſocietatem 2, 110, 2. remp. in anceps periculum 2, 2, 3.

Adduus 2 102, 2.

Adeo non abſtuliſti gloriam, ut auxeris 2, 66, 4.

Adeſſe. nulli aderat vis ad reſiſtendum 2, 61, 1. unde ſpes major adfuiſſet potentiae, *eleganter* 2, 21, 2. *Significatus gravitatis eſt in iſtis:* adeſſe ubique, *ſc. conſilio, opera, auctoritate* 2, 85, 2. adeſſe Romanis ultimum diem clamabat 2, 27, 2. *quae verba formulam ſapiunt & imprecantis fidentisque ſpiritum cum ἐπιχαιρεκακίᾳ exprimunt.*

Adeſſe juſſerunt eum Cenſores 2, 10, 1. *verbum ſolenne Cenſorum: quo notatur citatio ad cenſores.*

Adhaeret altiſſimis invidia 1, 9, 6.

Adhortatae ſemet ipſae legiones, *inſtigarunt ſe mutuis hortatibus ad fortitud.* 2, 112, 6.

Adjicere. conſulatui Ciceronis non mediocre adjecit decus natus Auguſtus 2, 36, 1. adjectis conſiliariis caedis, *acceſſere etiam c. c.* 2, 56, 3. adjicere manum Armeniae, *de invaſione & ſtudio occupandi* 2, 100, 1.

Adipiſci triumphalia 2, 116, 3.

Adire periculum, *venire in peric.* 2, 27, 2. 2, 82, 2. nomen invidioſae fortunae Caeſaris, *de hereditate, in quam & ſimul in nomen aſcitus erat* 2, 60, 1.

Adjutor legatusque, *in milit.* 2, 115, 1. operum Tib. 2, 104, 3. adjutor Bruti 2, 63, 3. adjutore operis dato 2, 95, 1. adjutore ſingulari uſus in eo negotio Blaeſo &c. 2, 125, 5. adjutores partium 2, 41, 2. 2, 76, 1. Antonianarum partium 2, 74, 3. *Et cum excellentia ſignificandi, de praecipuis amicis Principum rerumque maximarum tractatoribus uſurpata voce:*

voce: adjutores; *item*, magni adjutores 2, 127, 1 & 2. adjutor onerum Principalium, *ibid.* 3. adjutor & miniſter conſiliorum 2, 129, 4.
in Adjutorium ejus belli trahebat manum magnam, *de auxiliaribus copiis* 2, 112, 4.
Adminiſtrare bellum, *gerere*, *de duce.* 2, 97, 4. 2, 33, 1. adminiſtratum eſt ab eo fortiſſime bellum 2, 61, 4. adminiſtrabat Hiſpanias per legatos 2, 48, 1.
Admiratio magna vivorum 2, 36, 3.
Admodum juvenis 2, 41, 2. 2, 93, 2.
Admovit Caeſari propius Tiberium mors Agrippae 2, 96, 1.
Adolevit in tantum numerus 2, 30, 6. adulta viribus Dalmatia, *aucta viribus & jam robuſta* 2, 110, 2.
Adoptatus per teſtamentum Octavius 2, 59, 1. *ſcilicet in bona & in nomen.* vid. *Briſſon. formul. lib.* 7.
in Adoptionem datus filius 2, 8, 2.
Adornare triumphum ſummi ducis Germania debuit, *triumphari debuit* 2, 122, 3. adornati praecipuis donis viri *ſc. donis militarib. in triumph.* 2, 121, 3. adornatus magnis virtutibus 2, 2, 2.
Adſtruere. Ut Livium quoque prioribus adſtruas, *annumeres* 1, 17, 2. vix quidquam ejus gloriae adſtruxit illa victoria, *addidit* 2, 55, 2.
Adverſus Pompejanis, Julianis fidus 2, 63, 3. adverſarium habuit Senatum in iis, quae pro Sen. mol. 2, 13, 2. adverſantes dignitati alicujus, *ἀντίτεχνοι*, *ἀντιπράττοντες* 2, 41, 3.
Adverſus victos clementia 2, 55, 1. adverſus amicos aequa aeſtimatio 2, 97, 3. adverſus merita Caeſaris ingratus 2, 69, 1.
Adulatio comes magnae fortunae 2, 162. 3.
Advolvi genibus alicujus 2, 80, 4.
Advocare aliquid in tutelam ſecuritatis ſuae, *accerſere & adhibere* 2, 128, 4.
Aedes conduxerat ſex millibus 2, 10, 1. *mox:* tanti habitabat. aedificare naves 2, 79, 1. aedilitas 2, 92, 4. aedilitius, *qui aedilitatem geſſit* 2, 26, 2.
Aegeum mare 1, 4, 2.
Aegiſthus *parricidii paenas luit* 1, 1, 3.
Aegritudo ejus temporis, *dolores animi eo tempore tolerati* 2, 70, 5.
Aegyptus ſtipendiaria facta 2, 39, 2.
Aelius Catus 2, 103, 2.
Aemilius Sura 1, 6, 6. *v. not.*
Aemilius Paullus regem Perſeum vicit 1, 9, 3 & 4. ejus filii, & vox memorabilis 1, 10, 3 & 4.
Aemulus Thucydidis Salluſtius, *imitator* 2, 36, 2. aemula imperii (Rom.) Carthago, *quae concertabat cum Romanis de imperio orbis terrarum* 1, 12, 6. 2, 1, 1. *aemulatio duplex. not. ad* 1, 17. 6.
Aenaria inſula 2, 19, 4.
Aeoliorum demigratio 1, 4, 4.
Aequus. quisquis aequum ſe praeſtiterit, *ſc. in judicando* 2, 76, 3. aequum imperium cum proconſulibus *aequalis poteſtas &c.* 2, 31, 2. *ita:* aequum jus 2, 121, 1. aequis conditionibus componere bellum 2, 15, 1. *vid.* cond.
Aequalis, *σύγχρονος* 2, 9, 4. *integre:* aequalis hujus temporis 1, 7, 1. aequales ejus aetatis magis quam operis 1, 16, 3. aequalis civis *oppon.* eminenti principi 2, 124, 2.
Aequare ſibi aliquem per omnia 2, 127, 1. aequare ſolo, *diruere &c.* 2, 4, 2. aequetur illi hic, *ſcil. comparatione celebritatis, parem famam ferat* 2, 88, 4.
Aeris nocturnus ſonus in Cerealib. ſacris 1, 4, 1. *v. not.* & *Meurſii Eleuſ.*
Aeſchylus *Trag.* 1, 16, 3.
Aeſernia 1, 14, 8.
Aeſulum col. 1, 14, 8.
Aeſtate tertia 2, 82, 3. aeſtatibus novem 2, 47, 1. *Poëtis familiare eſt ita loqui, cum annos deſignare volunt; atque iis pro ratione figura eſt: Hiſtoricum non tam figura quam ratio excuſat, quod aeſtate pleraque bella geruntur, quibus nec idonea hiems vulgo cenſetur.*
Aeſtimabatur lis ejus quatuor millibus 2, 8, 1.
Aeſtimatio aequa adverſus amicos, ac par ſui 2, 97, 3. *ſententioſe notatur judicium, quo quis amicos*

eos ſine invidia & ingenue; ſe ſine arrogantia & modeſte metitur. aeſtimationes aliorum, *honorifica judicia* 2, 127, 4.

Aeſtiva usque in Decembrem perducta 2, 105, 3. *mallem*, producta. aeſtivae expeditiones 2, 114, 3.

Aetatis gradibus diremti floruere &c. 2, 36, 2. *nota illos gradus in textu Velleji & membris periodi.* ponit *primos*, *ſubjicit*, *moxque Bruti &c. denique eorum velut alumnos* numerat. Recte *Lipſius*, *compares Ciceroni & ſuppares* hic memorari interpretatur. aetate patrum 2, 90, 3. quo favore ordinum, aetatium &c. exceptus 2, 89. 1. *homines omnis aetatis*, *ſenes*, *juvenes*, *intelliguntur.*

Aeternae notae 2, 64, 3. aeternitas imperii Rom. 2, 103, 4.

Aetolia provincia facta 2, 38. 5.

Aevi ſui omne ſpatium impendere in 2, 89. 6. *vitae.* vir animi magis quam aevi paterni, 2, 26. 1. *ita dicitur Marius junior, eo ſenſu: quod animum quidem patris indolemque & vim ingenii retulerit, ſed ad tantam aetatem non pervenerit, juvenis quippe occiſus.* aevi noſtri ingenia, *ſaeculi* 2, 36, 3.

Afficere. affecere Italiam variis caſibus 2, 30, 5. affectiſſimi inopia remiges 2, 84, 2.

Affectare Gallias 2, 39, 1. *de conatu occupandi per arma imperii.*

Affinitas dominationis cauſſa, & per rationem ſtatus, ut loquuntur, contracta 2, 44, 3. 2, 65. 2. affinitas artiſſima 2, 100, 4.

Afranius *comicus* 1, 17, 1. 2, 9, 3.

Afranius *legatus Pompeji* 2, 48, 1.

Africa *provincia facta* 2, 38. 2. Africanus, Scipio dictus 1, 13, 2. Africum bellum 1, 129, 5.

Africus *ventus* 2, 79, 3. *ab occidente hiberno Africus furibundus & ruens, apud Graecos* λὶψ *dicitur. Senec. nat. q. lib.* 5. *c.* 16.

Agamemnon occiditur 1, 1, 2. rex regum dictus. *vid.* R.

Ager Picenus, *pro illa regione* 2, 29, 1. *ita alibi ſaepe.*

Agere. cum immanes res in Gallia ageret 2, 46, 1. agendi ſciens, *induſtria & dexteritas actus notatur* 2, 88, 2. agendi oſtentatio 2, 98, 3. acta in provinciis ut confirmarentur 2, 44, 2. actorum ſuorum ordinem commemorare 2, 10, 4. actu otioſis ſimillimus 2, 127, 4. *Quae omnia res geſtas & actum civilem ſignant. Aliter accipiendum illud:* Nihil egiſti M. Antoni, *nihil effeciſti, voto tuo & conatus ſine excidiſti* 2, 66, 3.

Agere aemulum 2, 109, 2. civem, principem 2, 124, 2. conſulem 2, 92, 2. medium, plurima diſſimulantis, aliqua inhibents 2, 114, 3. *gerere ſe, praebere ſe talem.*

Agere ordinem pro tribunali 2, 117, 4. agere triumphum 2, 56, 2. acta cenſura 2, 95, 3. actis tot conſulatibus & triumphis 2, 99. 1. *ita: acta cum aliquo militia* 2, 129, 2. *officii aut dignitatis functione capies.*

Agere annum triceſ. &c. 2, 56, 2.

Agere victum regem ante currum *triumphal.* 1, 9, 5. *ducere in triumph.*

Agere reum. actus inceſti reus 1, 45, 1. *accuſationem in judicio ſign.*

Acti longiſſimis erroribus 1, 4, 4. *Virgil. acti fatis maria omnia circum.*

Actione Milonis trib. pl. reſtitutus Cicero 2, 45. 3. *illo auctore atque agente apud populum.*

Actiones continuae *Ciceronis in Anton.* 2, 64, 3. *de orat. Philipp.*

Agilis, *in actu civil.* 2, 105, 3.

Agitatam ſaepe animo meo rem ſignabo 1, 16, 1. *Ita* Cic. 1. *Acad.* 1. *rem a me ſaepe deliberatam & multum agitatam requiris.*

Agmen. *exercitum incedentem agmen vocamus, inquit Servius ad* 1. *Aeneid.* pugnatum in agminibus, *ex itinere ſtatim, ex occaſione, inter proficiſcendum ſummo praelio* 2, 47. 1. Agminis bene compoſiti diſciplina 2. 25, 1. *ita* agmen flexum ad eas nationes 2, 40, 1.

Agnoſcere. nihil poterat objici adoleſcentibus, quod non agnoſceret ſenex 2, 95, 3. *quod non in ſe reperiret. de conſcientia ſimilitudinem probrorum agnoſcente.* qui interfuit, agnoſcet protinus *i. e.* ve-

verum eſſe ex indole ejus militiae ſtatim aeſtimabit 2, 114, 3. agnoſci poteſt inde vis fortunae 2, 116, 3.

Agraria Lex Licinii 2. 6, 3. agrariae leges Gracchi 2, 2, 3.

Aggredi ad remp. *accedere ad r. capeſſere remp.* 2, 33, 3. hunc virum, hanc regionem aggreſſus 2, 109, 5. *de hoſtili aggreſſione.*

Aggregare ſibi ſimillimos 2, 91, 3. aggregaverat ei fortuna hos comites 2, 53, 1.

Agrippa M. deſcribitur & laudatur 2, 79, 1. praecipuus Auguſti amicus 2, 127, 1. praeeſt claſſi Aug. ad Actium 2, 85, 2. Leucadem &c. expugnat 2, 84, 3. corona navali donatur 2, 81, 3. ſecedit 2, 93, 3. Juliam Aug. filiam ducit, *ibid.* moritur 2, 96, 1.

Agrippa Poſtumus Marci filius adoptatur ab Auguſto 2, 104, 1. offendit Auguſtum 2, 112, 7.

Alae tres trium legionum 2, 11, 1.

Alba 1, 14, 5.

Albania 1, 40 1.

Albis flumen 2, 106, 2 & 3.

Alcman *poëta* 1, 18, 3.

Alcmaeon, *ex Archont. Athen.* 1, 3, 8.

Alere. Alit aemulatio ingenia 1, 17, 6. alere vitia alicujus aſſentatione 2, 102, 3. aluntur vitia aſſentationibus 2, 82, 4 *fovendi augendique ſignificatu.* fortunae, in quam alebatur, capax, *in quam educabatur* 2, 93. 2.

Aleſia 2, 47, 1. aliis eſt: Alexia *Gall. Urbs.*

Aletes, *ſextus ab Hercule* 1, 3, 3. *v.* not.

Alexander Magnus ab Achille & Hercule oriundus 1, 6, 5. ſuis equitibus acie abſumtis ſtatuas poni jubet, 1. 11, 4. Caeſar ei comparatur 2, 41, 1.

Alexandria condita 1, 14, 4. Alexandrinum bellum 2. 88, 1.

Alienus *oppon.* cognato 2, 76, 1, *ita;* alieni 2, 15, 3. alienum privatim, quod publice non eſt ſalutare 2, 3, 1. *elegante uſurpatione pro re inutili minimeque appetenda ponitur.* alieno beneficio, *alterius b.* 2, 62, 4. alienare ſibi animum alicujus, *alienum & offenſum reddere* 2, 112, 7. alienari ab aliquo, *itidem de ſimultate* 2, 47, 3. *Alienari an poſſint quaedam imperia?* 2, 4, 1. *not.*

Alioqui ſanctus & gravis 2, 7, 3. alioqui ſummus vir 2, 33, 4. alioqui per omnia laudabilis, &c. *alibi dicit:* cetera ſanctus.

Aliſo *caſtellum in finib. Sigamb.* 2, 120, 4. *vid. Cluver. Germ. antiq.* 3, 9.

Aliter, *alioqui, absque hac re* 1, 8, 5.

Allobrogicus dictus Fabius 2, 10, 2. 2, 39, 1.

Alpes feris multisque nationibus celebres 2, 90, 1. Alpium ſumma juga 2, 109, 4.

Alſium *oppid.* 1, 14. 8.

Alterum paene orbem quaerit imperio Caeſar 2, 46, 1.

Alterutri ſe fortunae parat Caeſar 2, 43, 2.

Altinum *urbs Ital.* 2, 76, 2.

Altiſſime illuminavit virtutem ejus ille dies 2, 85, 1.

Alveus ex materia cavatus, *lintrem intellig.* 2, 107, 1.

Alumnus. veluti alumni priorum mox floruere &c. 2, 36, 2. *ratione exempli & diſciplinae a priorib. hauſtae.*

Ambit Euphrates inſulam 2, 101, 1.

Ambitus civium in gladios caedesque furens, *in comitiis ſc. & creatione magiſtrat.* 2, 47, 3. coërcetur a Pompejo. *ibid.* vid. *not.* ambitio campo ſummota 2, 126, 2. *eodem ſenſu.*

Amicitiae principis fructus 2. 116, 4. amicitiis celeberrimus, 2, 18, 5. *ſc. qui multos clarosque viros amicos habet.*

Amiculo pullo velatus 2, 80. 4. *ritu ſupplicantium ſc.* ἐν ἐσθῆτι φαιᾷ *Dio* 49. de Amneſtia illuſtris locus 2, 58, 4. & integra diſſertatio noſtra, Academicae exercitationis ergo olim ſcripta.

Amoenus. longe amoeniſſima moliti ſunt 2, 1, 2. *abſolute dicitur de ſpecioſis & magnificis aedificiis.*

Amplexibus alicujus circumfundi 2, 123, 3.

Ampliſſima Principis amicitia 2, 116, 4. ampliſſimum faſtigium orbis terrarum 2, 131. ampliſſimi honores 1, 11, 6. 2, 89, 4. 2, 115, 1.

Amplitudo *de dignitate & honore.* conveniens in illam amplitudinem forma 2, 29, 2. hic triumphus vicit amplitudine priores. *magnificentia* &c. 1, 9, 6.
Amplificare virtutem alicujus, *laudare eximie* 2, 35, 4.
Amyntas rex ab Anton. ad Aug. transfugit 2, 84, 3.
Anchiſes 2, 41, 1.
Anceps. dubia & interdum ancipiti fortuna, 2, 79, 3. *ut plus ſit, quam* dubia. ancipitis fortuna temporis 2, 79, 5. ancipitia, *extrema remedia* 2, 125, 4.
Andrus *inſul.* 1, 4, 3.
Angulus. per omnes angulos terrarum orbis 2, 102, 3.
Anicius triumphat 1, 9, 5.
Animus, *in ſeq. cum charactere morum accipi debet pro ingenio, quod & frequenter conjungit cum animo Vellejus:* animus duplex & diverſiſſimus in eodem homine 2, 25, 3. magni animi vir 2, 75, 1. vi tanta animi atque ingenii 2, 35, 3. animi & ingenii laetus 2, 93, 2. animi atque ingenii pravitas 2, 112, 7. animo evectus ſuper humanam & naturam & fidem 2, 41, 1. *niſi agnitur autem clare ab ingenio, in illo,* animo vidit, ingenio complexus eſt 2, 66, 5. *nam in ceteris, quae indicavimus, locis, ſubtiliter differentias venari, non opus eſt, nec ad inſtitutum ſcriptionemque Velleii attinet.*
Animus protinus rediit illis. *fiducia* 2, 62, 1. animi plus fuit duci ad moriendum, quam ad p. 2, 119, 3. majorem ſenatu pro rep. animum habuit 2, 61, 1.
Animum (*vel* animam) Tiberii ingreſſa eſt eadem virtus 2, 121, 1.
Animo, *oppon.* ſimulationi 2, 48, 4.
Animadverſio dictatoria, *opponitur,* notae cenſoriae 2, 86, 5. *quippe cenſoria poteſtas non tam in poenis majoribus & proprie ita dictis, quam in ignominia imponenda occupabatur.*
Annales Q. Hortenſii 2, 16, 3.
Annia Cinnae uxor, deinde Piſonis 2, 41, 2.
Annona gravis 2, 77, 1. annona moderatior 2, 126, 3. annonae maxima difficultas 2, 94, 3. Romae crebrum id malum, & cur. *not.*
Antecedentis columbae volatus 1, 4. 1. v. *not.*
Antiochus rex Maced. 1, 6, 6. Antiochus Epiphanes Ptolemaeum obſidet 1, 10, 1.
Antiquus vir & gravis 2, 49, 4. antiquiſſimi moris vir 2, 116, 4. *antiquae gravitatis & innocentiae nomine.* nihil antiquius habuit, *i. e. potius* 2, 52, 3.
Antiſtius aedilitius vir interficitur 2, 26, 2.
Antiſtii Veteris avus & liberi 1, 43, 4.
Antiſtius c. 2, 90, 4.
Antonius M. orator 2, 6, 1. interficitur 2, 22, 3. *Val. Max.* 8, 9, 2.
Antonius M. Marci Ant. Triumviri pater 2, 31, 3.
Antonius M. Triumvir Caeſari diadema imponit 2, 56, 4. Octavio inſidias ſtruit 2, 60, 5. cum Lepido ſe jungit 2, 63, 1. hoſtis judicatur 2, 6[illegible]. a Parthis clade afficitur 2, 82 & 2, 91, 1. ducit Octaviam Aug. ſororem 2, 78, 1. Bacchi habitum imitatur 2, 82, 4. enervatur amore Cleopatrae 2, 86, 3. vincitur ap. Actium 2, 85, 5. interimit ſe 2, 87, 1.
Antonius L. Marci frater bellum movet, Peruſiam ſe confert: qua expugnata in Caeſaris poteſtatem venit 2, 74. 2. *&c.*
Antonius Julus adulter Juliae 2, 100, 4.
Apollonia, *ſedes & magiſtra ſtudiorum Auguſti* 2, 59, 4.
Apollini templum ab Aug. magnifice ſtructum 2, 81, 3.
Apparatus, *ſc. conviviorum* 2, 33, 4. apparatus cibi 2. 114, 2. belli, *praeparatio* 2, 83, 1. in apparatu belli conſumtus annus 2, 12, 3.
Apparatus triumphi 2, 56, 2. *inſtrumentum vocat Sueton. fercula & vaſa ſc.*
Appelli Cyprum 1, 1, 1. appelli ripae 2, 107. 3.
Appetere honores. in appetendis honoribus immodicus 2. 33, 3.
Appius *conſularis* 2, 2, 3. v. *Claud.*
Appuleius 2, 12, 5.
Apronius L. 2, 116, 2.
Apulia 2, 25, 1.
Aqua ſalubris 2, 81, 2. *v. not.* a

quae

quae nobiles ſalubritate 2, 25, 4.
Aqua ignique interdicere 2, 24, 2. 2, 45, 1. 2, 69. 5. *Notatur exilii irrogatio hac formula, a conſequenti ſcilicet. Nam dum rebus ad vitam maxime neceſſariis arcebant, nihil aliud quam exilium demonſtrabant damnatis:* adeoque ut ſolum verterent, non ademtione civitatis, ſed tecti & aquae & ignis interdictione faciebant, *ſicut loquitur Cicero, orat. pro dom.* ſ. vide *Pollet. hiſt. for. Rom. lib.* 5. c. 19. *Sigon. de judic.* 2. 3.
Aquae Sextiae 2, 12, 4.
Aquila quintae legionis 2, 97, 1. aquilam legionis rapuit Auguſtus 2, 80, 5. *Cohortium varia ſigna erant: legionibus ſingulis ſua cuique* aquila, *proprium Romani imperii & fatale, ut ita dicam, ſignum, de cujus origine formaque accurate Lipſ. ad* 2. *A. Tac.* 17.
Aquileia 1, 15, 2.
Aquillius M. 2, 18, 3.
Arbiter. immunis ab arbitris domus 2, 14, 3. *a conſpectu ſcilicet libera. Talis uſitata locutio:* ſine arbitris; ne quis arbiter interveniat. *Ubi* arbitri *vox eum notat, qui aliquid videt ſeu audit, aut negotio intereſt.*
Arbitrium omne claſſici certaminis, *i. e. regimen,* 2, 85, 2. *accedit ad hunc ſignificatum ille locus:* omnia transmarina imperia arbitrio ipſorum commiſſa 2, 62, 2.
Arbitria agere armorum inter alios, non poſſunt niſi potentes 2, 50, 3. διαλλαγὰς ποιεῖν, *ſuo judicio, auctoritate, ſententia definire, ſicuti litium arbitri ſolent.*
In ſequentibus voluntatem, placitum, lubitum notat: ad arbitrium reginae 2, 85, 6. arbitrio victoris mori 2, 24, 5. arbitrio ſuo aut alieno victoriam temperare 2, 85, 6. arbitrio ſuo ſumere, alieno deponere hon. 2, 8, 3. imperio arbitrioque mancipii Aegyptii 2, 53, 2.
Arcere rapinis 2, 32, 6. *eripere facultatem rapinas exercendi.*
Archilochus perfectiſſimus ſui operis auctor 1, 5, 2.
Archontes Athenienſium 1, 2, 4. 1, 8, 3. plerique Latinorum retinuerunt Graecam vocem, quod commode vix poſſet exprimi. *Hieronymus* tamen & *Plinius* reddidere *Magiſtratus:* nimis lata voce; ut arbitror. Schottus *Praetores* mavult *Vit. Compar. principio.* vide *Ludovic. Viv. ad Auguſt. de C. D.* 18, 20. *Fuerunt autem triplicis generis, ſicut ex Velleio aliisque diſcimus:* οἱ διὰ βίου, perpetui, *in eo a Regibus differentes, quod Reges* ἀνυπεύθυνοι *ſunt, illi* ὑπεύθυνοι, *deinde* οἱ δεκαετεῖς decennales: tertio, οἱ ἐπέτειοι.
Arcus 2, 59, 6. *ita* iris *appellari ſolet. v. not.*
Ardor animi ac oris *in Arminio* 2, 118, 2. *acrem, excitatamque indolem notat.* ardor oris *Catoni tribuitur* 2, 35, 3. *ad exprimendum affectum & orandi vehementiam.*
Area ſive hal?. *v. not. ad* 59, 6.
Argento faſſil *apparatus triumphi Caeſ. conſtitit* 2, 56, 2. vid. *Reſ.*
Arguere, *de reprehenſione.* quod adjeci, non ut arguerem, ſed ne arguerer 2, 53, 4. inſolentia ejus argui poteſt 2, 45. 5. arguere in aliquo regni voluntatem 2, 63, 4. *non reprehendendi tantum ſed & inſimulandi ſignificatu.*
Argumentum morum *in Druſo* 2, 14, 3. argumentum pacis Janus clauſus 2, 38, 3.
Aricini in civitatem recepti 1, 14, 4.
Ariminum *colon. fact.* 1, 14, 7.
Ariſtodemus 1, 2, 1.
Ariſtonicus Macedoniam occupat, coërcetur a Perperna & occiditur 2, 4, 1.
Ariſtophanes *Comicus* 1, 16, 3.
Ariſtoteles 1, 16, 4.
Arma contra ferre 2, 87, 2. ad arma conciens multitudinem 2, 74, 2. arma ſui Caeſaris fugiebat Livia 2, 75, 3. arma ſummiſſa *in deditione* 2, 85, 5. armorum principalium arbitria captare 2, 56, 3. armis alienis ad arma compelli, 2, 50, 2. Armis quaeſita dominatio armis tenetur 2, 57, 1. armis ac ductu ejus mare vindicatum 2, 73, 3.
